COMMENTARIA

ALLEGORICA, ET MORALIA DE CHRISTO FIGVRATO IN VETERI TESTAMENTO.

AVTHORE PATRE DIDACO DE BAEZA,
Ponferradiensi, Societatis Iesu è Prouincia Castellana.

Tomus Quartus.

COMPLECTENS HISTORIAM DAVIDIS.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM
D.D.Fr.Dominicum Pimentel Episcopum Cordubensem Hispaniarum Regis Oratorem apud Pont. Max.

PRIMA EDITIO.

Del Col.o de la Comp.a de Ihs de Soria



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VALLISOLETI

Ex Typographia Antonij Vazquez à Sparça.
Anno M. DC. XXXX,

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO D. D. DOMINICO Pimentel Episcopo Cordubensi, Hispaniarum Regis Oratori, apud Pont. Maxim.



D te aduolat meus Dauid, Excellentissime Præsul, quas olim cupierat alas, in tuo Vulture præstantiores miratus, quarudi scriptori polytos possint supeditare calamos. Et nihil aptius mihi visum est, quam Regis, & Pastoris gesta, tibi sacrare, qui & Princeps, & Pastor es, in vtriusque virtutibus maximus. Cantabam in Dauidis pera quinque limpidissimos lapides, qui frontem efrontis Philisthæi concuterent, & victori amplissimum complanarent ad gloriam callē. Facilius in tuo stemmate videam quinos deuictos Reges, quā quinos iaculatos lapides. Nec enim tu is es, qui vnū perimas, sed qui vniuersam gentē tuā ornes maiestatibus. Cū autē sis omni dignitate Princeps, tū laude Religionis, atque sanctitatis es magis admirādus. Qui nō quinos Reges more maiorū vinculis dederis, sed quinos humanorū sensuū principatus, Iesu Naue amulus, veri Iesu Cruci alligaueris. Pro deuictis regibus gens

tua totidem conchas affixit stemmatibus; tu maiori gloria conchas in gemmas mutasti, abiectisque vacuis conchis preciosam illam margaritam tenes, quite omnium virtutum diuitijs facit præstare. Tua fortitudo non muliebris est, quæ quærat Lanam, & linum, Prouerb. 31. sed quæ abiecto lino, in lana asperitate pugnet cum carne, & inter ipsos triumphet purpuratos. Quis vnquam in religionis tyrocinio, maiori cura abiecit vestium molliciem, quam tu abijcis in principatu? Vere illius duceris halitu, qui nõ in veste, sed in fœtore, hoc est, in carnis maceratione, principatus sui titulum insculptum habet. Prudentia tua inde maxime extollitur, quod nota Hispaniarum Monarchæ; qui illi credidit arcana Imperij consilia, de quibus disputares coram Pontifice Maximo. Norunt sapientiam tuam Scholæ Theologorum, non semel miratæ iubar illud ingenij, quo Doctoris Angelici scriptis lucem dabas. Accedit magnificentia regia, qua pastor gregem alis Christianum, à quo lectos agniculos, nimirum præstantes ingenio iuuenes, tuis sumptibus Salmanticæ protegis, vt amplissimorum munerum digniores fiant studio litterarum. Quotidianis largitionibus tuis exhauriri poterant ingentis redditus principatus, nisi misericordiæ vena vt in alijs clarissimis Episcopis, sic in te nouerit fluẽta perennare. Nec miror, quod tuæ munificentiæ decursus in tantæ effusione non sentiant maciem; illud enim magis mirandum est, quod dum tibi tot propinquorum principum familiæ inhient, non stagnentur in illis immensa dona tua, sed inde maiori, & pleniori amne currant ad pauperes. Possent hic absorberi Cresi Thesauri; verum altius se attollit tua liberalitas, quæ post refecta egentium corpora, magis laborat, vt subditorum animæ cælesti reficiantur pane. Senos Societatis IESV Sacerdotes selligit, qui tuis viuentes sumptibus, agricolarum villulas, tuguria pastorum lustrent, & vniuersos impleant cælestium ciborum adipe. Habet vnde se extollat Societas IESV de tanti Præsulis fauore, nec id sine numine accidit, quinimo vt olim à Cordubensi Præsule Osio diuinitas IESV cõstat aduersus Arrium propugnata; sic modo Cordubensi Ecclesiæ dedit te Præsulem, sub cuius vmbra Societatis IESV filij viuamus,

mus, protegamur. Ne mireris, quod ego minimus Societatis IESV filius hanc protectionem ambiam, qui vt addictissimus Pimentelidum gloriæ; & obstrictissimus Petro tuo fratri Societatis augendæ pignori, non potui non felicitati ducere, si mea studia tuo nomine inscribantur. Vale Excellentissime Præsul, vt tot, & tantos valere facias. Vallis-Oleti in Collegio D. Ambrosij Societatis IESV die 12. Octob. anno 1639.

Didacus de Baeza.

P.PRO-

P. PROVINCIALIS LICENTIA.

EGO Alphonsus del Caño Societatis IESV in Prouincia Castellæ Præpositus Prouincialis: potestate ad id mihi facta à Reuerẽdo admodũ Patre nostro Mucio Vitelleschi Præposito Generali, facultatem facio, vt tomus quartus inscriptus, Commentaria, Allegorica, & Moralia de Christo Figurato, Authore P. Didaco de Baeza Ponferradiensi, nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominũ iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Vallis Oleti in Collegio D. Ignatij, die 1. mensis Decembris anno 1638.

Alphonsus del Caño.

APPROBATIO REVERENDISSIMI P. M.F. Francisci Xuarez Ordinis D. Augustini, & Regij Concionatoris.

SENATVS supremi iussu vidi commentaria Allegorica, & moralia de Christo figurato in Dauide, à Patre Didaco Baeza Societatis IESV in quarto tomo apprime elaborata, suauiter digesta. In nulloque inuenio Auctorem sui dissimilem, nec in scribendi eius vena vllã sentio maciem. Omnia pleno amne currunt in eruditione, in doctrina. Omnia plena & vtilitate, & suauitate, vt iure petant in lucem dari. Sic censeo, sic amo. In Conuentu D. Augustt. Matr. die 24 Aug. ann. 1638.

Fr. Franciscus Xuarez.

APPROBATIO D. D. FRANCISCI à Sotomayor Collegij Sanctæ Crucis Alumni Canonici Pænitentiarij, in Ecclesia Vallisoletana, & Cathedræ Scripturæ in Academia professoris.

PRÆCLARA hæc, de tẽtatione Christi in Dauide figurata *Alegorica, & Moralia Cõmentaria à Patre Didaco de Baeza è Societate Iesu* feliciſsime elaborata perlegi, ex commiſsione D. D. Auguſtini Rodriguez de Peſquera Pintianæ Eccleſiæ Canonici, & Epiſcopatus eiuſdẽ Vicarij generalis officio fungentis; & ſane in eis nihil fidej, & bonis moribus minus conſonum, aut ſuo autore non dignum inueni; cuius ſola commendatione non minus, quam ſe ipſo probatur opus; aureum certe, & mirabilius præcedentibus ſeptem. In hoc enim octauo tomo, licet eadẽ eruditio, aſsidua Sanctorum Patrum lectio, Chriſtiana pietas, Religioſus animarum zælus, ac impræcedentibus reluceat; excellit tamẽ nouitas in eruẽdis per allegoriam figuratis miſterijs, & in componendis moribus efficacia, quibus talem ſe ſe præſenti octauo filio oſtentat felix huius ingenium, qualem in Aſer etiam Iacobi filio ſe etiam commendatiſsimus ille pater exibuit. Illi enim non minor licet octaua contingit benedictio; ſiquidẽ Aſer ita legimus commendatum Geneſeos 49. *Aſſer pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus.* Sapientiæ ſcilicet, & verbi quibus vtile dulci mira, & ſuperiori arte per mixtum regibus, etiam eſſet delitioſum; quæ quidem benedictio apprimè huic octauo cõtionatorum patris filio accomodatur; vtpote in eius ſorte (non inferior ſorte Aſer etiam octaua) fartiſsima ſapientiæ Chriſtianæ, & Verbi abundat eſca, qua non ſolum nutritus orbis vniuerſus fortiter, & ſuauiter vitia poſit comprimere; ſed quæ pro delitijs, regijs etiam menſis aponetur. Ideo iudico opus dignum, vt in communem totius Eccleſiæ vtilitatem typis mandetur. Sic cẽſui, Valliſoleti in hoc Sanctæ Crucis Collegio Domini ac Domini mei Magni Cardinalis Hiſpaniæ, die ſeptima Maij, anno vero milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octauo.

D. Franciſco Paez de Sotomayor.

PRI-

PRIVILEGIO.

TIENE priuilegio el Padre Diego de Baeza de la Cõpañia de IESVS de su Mageſtad para imprimir eſte libro q̃ el compuſo, intitulado *Commentaria Allegorica, & Moralia de Chriſto figurato in veteri teſtam. tom. 4.* con prohibicion que otro ninguno le pueda imprimir ſin ſu licencia, como mas largamente conſta de ſu original, a que me remito. En Madrid a catorze de Diziembre de 1638.

Martin de Segura.

TASSA.

FVE taſſado por los Señores del Conſejo Real eſte libro intitulado: *Commentaria Allegorica, & moralia de Chriſto figurato in veteri teſtamento, tom. 4.* a cinco marauedis cada pliego en papel. Fecha en Madrid a 11. de Nouiembre de 1639. años.

Martin de Segura Olalquiaga.

ERRATAS.

FOL. 65. pag. 2. vertentur, lege curtentur, ſol. 59. pag. 1. ſibi, lege, ſibi. fol. 83. p. 1. filiut, lege, ſoluit, fol. 105. p. 2. nozis, lege, nobis, fol. 113. p. 1. cælebrari, lebrari, lege celebrari, pag 116. col. 2. nec lege, ne, fol. 128. p. 2. intrae. lege, intrat, fol. 379. p. 2. timus, lege, ſimus, fol. 323. cuerqui, lege, cuercui, fol. 383. p. 2 ab, lege, ad, tom. 387. p. 2. ſuperet, ſupereſt, fol. 386. p. 2. tiſſa, lege, fiſſa, fol. 412. p. 1. profectam, profecta, fol. 443. p. 2. detrimento ſunt, l, detrimento ſum, fol. 481. p. 2. mereretur, lege, moreretur.

Con eſtas erratas concuerda con ſu original. Dada en ſan Pablo de Valladolid a 26. de Octubre de 1639.

El Maeſtro Fr. Raphael Manſo.

LIBER

LIBER OCTAVVS.

DAVID, SIVE IESVS IN EREMO TENTATVS.

CVM Nos Christi domini post baptismum desertũ vocaret, nullus prior ob oculos apparuit, quam eius parens Dauid, qui à primis vnguiculis pascens oues in deserto versatus est. Sic illi obijcit frater Eliab. 1. Reg. 17. *Dereliquisti pauculas illas oues in deserto.* Sed & post deiectum Goliath, & Saulis inuidiam excitatam dicitur, cap. 23. *Morabatur Dauid in deserto*, & cap. 24. *Dauid in deserto Enggadi est*: & cap. 25. *Audisset Dauid in deserto*; & cap. 26. *Dauid autem habitabat in deserto.* Nec facilem, & suauem in ijs agebat vitã, sed plenã periculis, plenã pugnis, plenam tentationibus; adeò vt si quid exempli posset à Dauide in tantum filium Iesum deriuari, non inepte illi aptarim illud Virgilianum Æneid. 12.

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem
Fortunam ex alijs.

Quod enim regni, & gloriæ, & fœlicitatis in Iesu splenduit, id in alijs merito figuratur; at quod virtutis, quod laboris, quod pugnæ, & tentationis, id sibi Dauid pater capit figurandum. Quomodo vtrique patri, & filio, Dauidi, & Iesu desertum præbuit initium pugnarum, & vigiliarum.

CAPVT PRIMVM.

Dauidis, & Iesu Synbola in deserto.

POST Declaratum in baptismo Dei filium voce patris Iesus in desertum ducitur; vt etiã Dauidis filius per deserti discrimina patrisset, ludens cum Leonibus, & cum feris aduiuens.

§. I.

Et Dauidicum, & Christianũ est, vel omnium bonorum dispendio emere proximi spiritualem salutem.

DVm furebat Saulis inuidia, Dauid in spelũcis, & desertis morabatur, iux-

1. Reg. 23 taillud, 1. Reg. 23. *Morabatur Dauid in deserto*, neque id otiose, sed vt inde Saulis odijs remedium inueniret, quo hominem traheret in bonam frugem. Nec vlli bonus parcit incommodo, aut dispendio, dū proximi sui mentem curet. Quo spectans D. Chrysost. hom. 1. de Dauide, & Saule in-

D. Chrys. quit: *Egestatem præ diuitys, solitudinem præ patria, labores periculaque præ delitys, ac securitate, perpetuum exilium præ terrarum orbe elegit Dauid, vt Saulem ab illo in ipsum odio male volentique liberaret.* Quod sanctius? Quod diuinius? Non dubitat Dauid vrbes deserto, patriam exilio commutare; & omnibus ciuitatum commodis valedicere; vt Saulis iniquitati imponeret finem.

Matth. 4. Sic de Iesu dicit Matth. 4. *Tunc ductus est Iesus in desertum à Spiritu.* Et cur diuinus Spiritus suum puerum Iesum ab vrbibus, ab hominum conuictu exulare facit in de-

D. Amb. serto? Ait D. Amb. lib 4. in Lucam: *Agebatur Iesus consilio in desertum, vt diabolum prouocaret. Mysterio, vt illum Adam de exilio liberaret, qui de paradiso in desertum eiectus est.* Huc spectabat mysterium totius deserti Christi, nimirum, vt Adamum liberaret, vt humanis medelam afferret vitijs. Huc etiam spectent, qui amant Iesu inhærere vestigijs, nec dubitēt patriam exilio, ciuitates deserto, delitias egestati commutare, vt proximorum suorum animabus curam adhibeant. Dicebat de se Paul. 2. ad

2. Cor. 12 Corinth. 12. *Libenter impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris.* Non solum bonorum, sed & vitæ ipsius dispendio amabat comparare salutem animarum. Vt dicat D. Chrysost. homil. 1. in eius laud.

D. Chrys. *Abraham se ipsum in periculum tradens hostibus filium fratris eripuit: at Paulus non fratris filium, neque tres, aut quinque vrbes, sed orbem vniuersum de diaboli extorsit manu, innumerabilia per dies singulos pericula sustinendo, proprijsque mortibus maximam securitatem alijs comparando.* Non solum bonis proprijs, sed & mortibus proprijs aliorum salutem negotiabatur. Vtinam & nos sic afficeret proximorum amor, vt nulli dispendio parceremus in eorum tollēdis malis. Quò dum peruenio sese mihi ob oculos

Mich. 2. statuit Michæas, cap. 2. clamans: *Vtinam non essem vir habens Spiritum, & mendacium prorsus loquerer.* Quis id crederet de sapienti, & iusto viro; qui sic cuperet diuino spiritu spoliari, & fari mendacia? Vnde sanctus hic homo hunc ebibit affectum, quo & à veritate, & ab spiritu Dei alienus esse amet? Sanè quando à se Dei spiritu moto videbat multa populi sui mala prædici, adeo amabat populum suum liberum esse malis illis, vt præ hoc malet nihil illorum sibi fuisse à diuino Spiritu inspiratum. Ait enim D. Ansel. in epist. ad Rom. cap. 9. fa-

D. Ansel. tus: *Amore gentis suæ voluit se alienum esse ab Spiritu Sancto, & falsilocum, dummodo plagas illas, & captiuitates, & exitii, quæ ipse prædixerat, plebs Iudaica euaderet.* Sic bonus nulli dispendio parcit, vt suos liberet à malis.

§. II.

De vnius Iesu halitu Leonum fortissimus vincitur.

SIngulare certamen cum validissimo hoste ambiens Dauid, illa profert, quæ ipse solus agebat in deserto, dum pascebat oues. Ait enim, 1. Reg. 17. *Pascebat* 1. Reg. 17. *seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum & suffocabam, interficiebamque eos.* Vnus Dauid in deserto pascens oues patris sui, non fugit Leonis, vrsi ve congressus, quin potius illis occurrit; & Leonem, & vrsum interficit. Quis ibi non videat alacritatem Iesu filij Dei, in desertum procedentis, ibique manentis, & vt sæuissimi Leonis incursus expectat, illumque bis, & semel, imò & tertio debellat? Ait ibi Rabanus: *Dauid Christum significat, qui Leonē, & vrsum, id est, diabolum contriuit.* Exprimebatur equidem in Dauide diuinissimi Iesu cum Leone cōgressus, quando solus in deserto, voluit illum conterere. Vt dicat Matth. 4. *Ductus* Matth. 4. *est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo; & cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator, &c.* Solus erat Iesus, solus erat in deserto Agnus Dei, & pastor animarum nostrarum; quem solum aggreditur hostis, aggreditur immanissimus Leo, agnum voraturus, sed à pastore illuditur, & conteritur. Rem exprimit D. Maxim. ho. 2. in 1. Dom. Quad. aiens: *Itaque cum videret Leo illo feralis agnum Dei post longissimū,* D. Maxo *atque continuum quadraginta dierum ieiuniū esurire, & esurientem Deum esse non crederet, arte illum callidissimæ tentationis aggreditur dicens: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant:: Illusus itaque irritusque tentator, &c.* Sic Leo feralis agnum aggreditur, in eo minime pastorem metuens; at quia agnus

timul

simul pastor erat; à pastore strenue illuditur, & repellitur. Vnus enim Iesu halitus valet Tartareos omnes leones conterere. Aliquando immanissimus iste Leo appetebat sanctissimum Iob ad congressum; & ait illi Deus hominum custos, cap. 2. *Ecce in manu tua est*: datus est à Deo Iob in manus leonis, vt discerperetur; sed tamen de leonis manibus triumphator abscedit. Magnum hoc spectaculum erat; sed maius illud Dauidicum, & Christianum nimirũ: *Eruebam de ore eorum*. Tanta enim est Iesu valentia, vt qui eà polleat non solum de leonum vnguibus, sed & de ipsorum dentibus triumphum agat. Quo respiciens D. Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli ait, *Stupent certe Iob omnes homines, & valde vtique conuenienter. Est enim ille athleta mirabilis, & qui Paulum ipsum ex aduerso possit aspicere ob patientiam, puritatemque vitæ, ob testimonium Dei propter illam cum diabolo pugnam, propter victoriam, quæ pugnam secuta est. At Paulus non ventribus tantum, sed animis pluribus in agone perduranis, non terræ gleba saniem carnis eradens, sed in ipsius intelligibilis ore leonis frequenter incurrens, & pugnans aduersus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior.* Expende illud insigne Christianæ fortitudinis nimirum: *In ipsius ore leonis frequenter incurrens, &c.* Nõ equidem solum de manibus, sed & de dentibus, & faucibus leonis immanissimi agebat triumphos.

Chrysost.

§. III.

Christianæ adolescentiæ ludus est conculcare leonem, & draconem.

EA erant Dauidis exercicia, dum in campo, montibusque pastorem agebat, nimirum leones, vrsosque cõprimere. Ait enim ipse, 1. Reg. 7. *Nam, & Leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.* De quo ait Ecclesiasticus, cap. 47. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis; & in vrsis similiter fecit, vt in agnis ouium in iuuentute sua.* Hi erant strenuo iuueni Dauidi ludi, vt Leonum, vrsorumque expectaret incursus, eosque deluderet. Nec aliter Dauidis filius Iesus, de quo dicit Matth. cap. 4. *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo, &c.* & Mar. 1. *Erat que cum feris.* Nobiles adolescentes Dauid, & Iesus, pater, & filius non otiose degunt in montium solitudine; sed ibi cum immanissimis belluis agunt certamina, ludosque instituunt triumphandi. Hinc commendabat Maioranum suum Sidon. Apol. in eius Paneg.

1. Reg. 7.

Matth. 4. Mar. 1.

Puero ludum si forte retexam,
Consumpsit, quidquid inaulis fecisse putaris
Ilsuus una dies: tribus hunc tremuere sagittis
Anguis cerua aper:

Hoc satius, & sanctius Iesseæ proles Dauid, & Iesus in deserto ludebant cum belluis; ille leonem, & vrsum comprimens, hic immanissimum leonem, & draconem calcans, illumque præbens suis iuuenibus illudendum, conculcandum. Vt merito dicat Isaias, cap. 11. *Et delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, neque occident in vniuerso monte sancto meo.* Expende illud: *Delectabitur infans, &c.* non enim tam ad sanguinolentum duellum; quam ad iuuenilem ludum reducit pugnas cum aspidibus, cum draconibus. Et quidem tanta est virtus christiana, vt vel adolescentuli sic ad tyrannorum congressus, imò ad ipsas lanienas accedant, quasi ad festiua puerorum certamina. Ait D. Athanas. orat. de Pass. & cruce domini: *Iesus cum illusisset morti, nobis eam conculcãdam tradidit. Olim aduersarius noster diabolus, vt Leo circuibat, striens nostram animam. Nunc autem cum Draconc conculcatur, at deinceps breui dominus conteret Satan sub pedibus nostris, ac iam tantopere despectui, & ludibrio est, vt qui in cauernam aspidum manum mittat, non reformidet. Hæc enim Esaias prophetauit. Pueri certe voluptatem olim gradaños decipientem iam in præsentiarum deridebant. Quin & aliqui ipsum stimulem diabole pedibus prementes mortem minime exhorruerunt.* Post Iesu aduentum, & pugnas, & pueri, & puellæ ludunt cum leonibus; pro ludo habent leonibus occurrere; voluptatum insultus refrænare, & vel tum morte confligere. Hæc erat vox antiqua, Prou. 22. *Dicit piger, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Nunc, vel puerorum est leonem, & draconem conculcare; in eoque adolescunt iuuentutes christianæ, vt quam primum sub Iesu signis pugnent, & vincant. De cantatissimo milite Mariano in bello cimbrico, aiebat Quintilian. Declamat. 2. *His ortus ipse, procul ab omni cõtactu recesserat, puerilesque annos aliquo semper opere durãdo, sequi pecora primo, arcere gregibus feras, aliquid sẽper audere maius annis. Ludus fuit rotare saxa, vibrare iactu*

D. Athan.

Prou. 22.

sudes, saltus agitare venatu: mox vigētibus lacertis humum scindere, segnem sutoris nonalibus eruere syluam. Sic effectum est, vt posset cito militare. Proh ludi pueris auspicatissimi, vt currant ad militiam triumphalem! Vtinā & tyrones Christi hos ludos amēt, fallar, nisi breuissime euadant veterani.

§. IIII.

Christianum est, vel verbo Dæmones expugnare.

ERat Dauid in deserto pascens oues patris sui, & inde in Saulis aulam vocatur, vt rex Dæmone agitatus eius leuaretur cantu. Sic habes, 1. Reg. 16. *Misit ergo Saul nuntios ad Isai dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.* 1. Reg. 16 Cum autem veniisset in aulam Dauid, *tollebat citharam & percutiebat manu sua & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Sic Dauid ab agro trahitur in aulam; ibique cū dæmone agitante Saulem confligit, & cantu illum expellit. Quo respiciens D. Basil. Sel. orat. 14. ait. *Legatos humane excipit Dauid, & mox erat in armis spiritus. Psalmus enim & Lyra, & Gratia arma sunt in Dæmones. Loquebatur tantū, & hostis vincebatur.* Basil. Sel. Sic qui ab agro veniebat in aulam; verborū sonitu aggreditur Dæmonem; loquebatur tantum, & hostis pellebatur. Quid plura? Vere in hoc diuinissimus noster Iesus Dauidis filius patrissabat. Quippe ait, Matth. cap. 4. *Tunc assumpsit eū diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eū super pinnaculum templi, & dixit ei; Si filius Dei es, mitte te deorsum. &c. Ait illi Iesus rursum, scriptū est, Non tentabis dominū Deum tuum.* Matth. 4. Ecce vt non absimiliter assumitur à deserto in sanctam ciuitatem; ibiq; iam secundus cum Dæmone conflictus paratur, vt se præcipitē daret. Et quibus armis vtitur bonus Dauidis filius aduersus diabolū? Ait: *Scriptum est, Non tentabis dominum*; tantū loquebatur, & hostis vincebatur. Proh diuinissimi Iesu potentia, cuius est, vel verbulo vniuersas dæmonum vires frangere. Ait D. Max. ho. 1. in prim. Dom. Quadrag. *Audistis charissimi, sicut euangelica tuba cecinit, dominum, ac redemptorem nostrū aduersus tentamenta diaboli reluctantē quidem verbis; sed spiritu dimicantē; sermone enim certamen agit, sed peragit maiestate victoriam.* D. Max. Equidē vnius verbi exerit gladiū, vt inimicas debellet potestates. Si enim Iesu arma spectes, quibus se accingit aduersus phalanges dæmonum, nil aliud videbis præter sermonē. Et sermone Iesu misere cōficiuntur aduersariæ potestates. Hinc dicebat D. Cypr. orat. ad Demetrianū: *O si audire volles Dæmones, quando à nobis adiurātur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eyciuntur.* D. Cypr. Expende illud, *Et verborū tormentis, &c.* quippe aduersus homines inimicos parant homines tormenta ænea, quæ vel muros validissimos quatiant. Aduersus autē Dæmones quàlia tormenta parant christiani? Verba equidē Iesu parant, quæ instar violentissimorum tormentorū funditus perdūt contrarias potestates. Ad hæc D. Iust. Mar. orat. ad Gentes ait: *Complures Dæmonum intemperijs correptos homines, per nomen Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adiurantes sanarunt, atque etiā nunc sanant, exarmantes, atque exigentes ab hominibus, qui illos obsederunt Dæmones.* D. Iust. Vna vox diuinissimi Iesu nomen replicans passim exarmat dæmones, & turpiter abire facit ab obsessis.

§. V.

Præstanti viro vnū cœleste regnum præoculis est.

VIdimus Dauidē à pascuis vocatum in aula Saulis stetisse, 1. Reg. 16. *Venit Dauid ad Saul, & stetit corā eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* 1. Reg. 16 Sed & statim, cap. 17. ostēditur Dauid iterū in pascuis esse, dum ait text. *Surrexit que Dauid mane, commēdauit gregem custodi, & onustus abyit, &c.* Paulo ante dicitur in aula esse, & à Saule diligi, & eius armiger factus, & subito ostēditur iterū in pascuis sine aula, sine rege. Vnde nata est tanta mutatio, qua tā cito relinquatur à Dauide aula, & fauor regius, & resumatur eremus, & solitudo? Id prouenit ex ipsius Dauidis studio, qui tantum afficiebatur desiderio cœlestis imperij potiūdi. De illo enim ait D. Chrysost. hom. in Psal. 50. *Iste ergo Dauid adolescens ciuitates quidem ac turbas fugiens, per eremum philosophatur, nihil commune sæcularium habens, non negotiationes, non fœnerationes, non aliquid difficile mundi istius, sed & parua ætate in deserto silentij habitabat: & sicut in portu tranquillo in eremo sedens, & omnium curam habens regnum cœleste meditabatur.* D. Chrys. Non equidem

dem tantus vir sæcularibus aulis capiebatur; non occupabatur corruptibilis regis fauoribus, sed quam primum ijs demissis proprio pondere in ea ferebatur, vnde vnũ cœleste regnum posset meditari. O quam erat id Christianum! Christus Iesus dum in deserto degeret Matth. 4. adductus est à diabolo in sanctam ciuitatem, sic enim ait: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi.* Sic etiam Dauid diaboli expellendi occasione è deserto assumptus est in aulam. De inde de Iesu dicit Matth. *Iterum assumsit eũ diabolus in montem excelsum valde, &c.* Dum iterum assumitur in montem excelsum, iam creditur redditus eremo ex ciuitate. Merito enim putat Christianus Druthmarus in eremo factam hanc tertiã tentationem fuisse. Sed quis eum de ciuitate, & pinnaculo templi tam cito ad eremũ reduxit? Crediderim illud ipsius opus Iesu fuisse, mundialia omnia fugientis, & vnum præ oculis habentis cœleste regnũ futurum. Sic etiam Dauid ab aula in eremum redijt, sæcularia dimittens, vnum cœleste regnum meditaturus. Nihil enim magis decet præstanti viro, quã in vno Deo, eiusque regno spem figere. Hinc Iesu in eremo existenti Matth. 4. *Ostendit diabolus ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Satanæ, scriptum est enim, Dominum Deum tuũ adorabis, illi soli seruies.* Non dubito quin dominus Iesus, quando putabatur à Diabolo filius Dei, simul credebatur oculatissimus, & sapientissimus, adeò vt nihil eum latere posset. Quando ergo omnia nosse credebatur, cur necessum fuit illi mundi regna ostendere, digitisque extensis demonstrare? Equidem ille erat, qui & si omnia nosset, id solum attenderet, quod diuinum, & æternum esset, vt qui Deo solo contentus esset, dum ait: *Deum tuum adorabis, illique soli seruies.* Ex quo sapienter D. Cypr. orat. de tentat. Christi ait: *Contentos solo Deo necesse est ei esse omnes actiones, cui totum debemus, quod viuimus, quod mouemur, quod sumus. Qui de plenitudine sua, pro vt cuique opus est, donationes partitur. Frustra itaque regna huius mundi transitoria & mutabilia immutabili, & æterno regi ostendit, & promisit diabolus, cum ipse dicat regnum suum de hoc mundo non esse.* Qui æternis nititur, & immutabilibus, necessum est, vt transitoria despiciat, nec patiatur, vel videre illa, contentus soli Deo seruire. Fruſtra itaque ante oculos tantæ præstantiæ mundialia hæc proponuntur, quæ facile despiciuntur, dum sola, quæ diuina, & æterna sunt attenduntur. De Ioanne Baptista ait D. Luc. 1. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ.* Et cur puer paternas contemnit delicias, & ad desertum festinat? Ait Orig. ho. 11. in Lucam. *Non expectauit, vt à patre nutriretur, sed recessit, fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, & abyt in deserta, vbi purior aer erat, & cœlum apertius, & familiarior Deus.* Vt crescebat, & roborabatur spiritu, sic cuncta mundialia despiciebat, vnum Deum, & cœlum eius attendens. Hinc etiam Dauid factus perfectus vir clamabat, Psalm. 26. *Vnam petij à domino, hanc requirant, vt inhabitem in domo domini, &c.* Verum adolescens eius filius habita ex Deo optione petendi, 3. Reg. 3. ait. *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, &c.* Iste pro sapientia pie clamat, Dauid pro sola æterna gloria supplicat, in quo ostendit, quam illo sit perfectior, & felicior. Ait Rup. lib. 4. de Vict. Ver. Dei, cap. 24. *Salomon tanta sibi gratia oblata, posset æternitatem gloriæ cœlestis vna petitio adispici, quæ summa beatitudo est. Sed tẽporali gloria delectatus leue, seu mediocre bonum petiuit. Dabis inquit, seruo tuo cor docile, &c. Sed cur non dixit, sicut dixerat pater eius Dauid: Vnam petij à Domino, hanc requiam, vt inhabitem in domo domini? Videlicet, quia non erat cor eius perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor Dauid.* Qui enim perfectus est, vnam cœlestem gloriam requirit.

Matth. 4.

D. Cypr.

Luc. 1.

Orig.

Psal. 26.

3. Reg. 3.

Rupert.

§. VI.

Sapientis pugnæ cum solo diabolo securiores, & feliciores sunt.

POst Saulis inuidiam morabatur Dauid in deserto Enggadi, 1. Reg. 24. cuius in spelunca dum delitescit, ecce ingressus est Saul, vt naturæ necessitati cõsuleret. Vidit Dauid inermem hostem suũ, multisque persuadebatur à sotijs, vt illum perimeret, morteque eius & vitam suam, & regnũ sibi redimeret. Quid ad hæc Dauid? Ait text. *Dixitque Dauid ad viros suos: Propitius sit mihi dominus, ne faciam hanc rẽ domino meo Christo domino, vt mittam manũ meã in eum.* Et cur Dauid ita cauit manum extẽdere ad Saulẽ, quo occiso regnũ, & securitatẽ posset percipere? Cur magis voluit

1. Re. 24.

tã infenſo hoſti parcere, quã euolare ad regni faſtigium? Dum ſic inimico in ſpelunca deſerti parcebat, regnandi opportunitatem deſpiciens pugnam ſuam aduerſus diabolum ſolum prudentiſsime dirigebat, quæ & fortunatior eſt, & ſecurior prudenti viro. Ait D. Baſil. Sel. orat. 17 *Cum enim Dauid in ſpelæo quaritantem ſe deprehendiſſet, parcit; cumque inuidentem cepiſſet, humanitate ſumma vtitur, Sauli quidem pepercit, ſed dum ab eo manus abſtulit, diabolum percuſsit, & pura ab inimici ſanguine ſeruata dextra communem hominum hoſtem conſanciauit, animo imperans, calcans odia, aciem gladij retundens, perſequentem ſeruans, inuidia manſuetudine reſpondens; quibus ſolis ſtimulis pungitur diabolus.* Continens arma regni prædatricia, & inimici infenſiſsimi expultricia, arma exeruit ſola, quæ diabolum percutiant, malens aduerſus diabolum ſolum aciem dirigere, cum eoque in ſpelæo, & deſerto loco belligerare, & confligere, quam intra mundi magnalia, carniſque delicias. Quid ſapientius? Quid fœlicius? In deſerto erat Dauid, & in ſpelæo deſerti incluſus; vbi duo certamina inuenit; quo poſſet cum Saule confligere, & de eius morte regnũ ſibi acquirere: aliud, quo regni occaſionẽ contemnens, & parcens hoſti diabolum opprimere. Quid faceret ſapiens homo? Elegit in ſpelæo deſerti, vbi nihil mundiale apparebat, cum diabolo ſolo confligere, illumque opprimere. In hoc Dauid Ieſu filio Dei perſimilis; de quo ait Matth. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum â ſpiritu, vt tentaretur â diabolo.* Vt cum diabolo confligat Ieſus in deſertum abit; ſed cur neceſſum fuit abire in deſertum, vt pugnas aduerſus diabolum ſuſciperet? Erat Ieſu cum ſolo diabolo dimicare, & docere ſuos aliorum inimicorum pugnas defugere. Vt dicat D. Cyprian. orat. de Tentat. Chriſti: *Liberius anima expedita obuiat impugnanti, vbi compedes impugnanti, vbi compedes impedimentorum defuerint, & aſpectus irritamenta non nouerint; ſecurior que eſt congreſſus, vbi ſingula non vellicant domicantem, nec inebriant animum lenocinia voluptatum. Honeſtius cum ſpiritu, quam cum carne luctamur; quia carnis complexus fœdus exhalans nebulas, eum, qui ſibi adhæſerit, aliqua ex parte cõtaminat, nec libidinum morſus quiſquam enadit illæſus. Flatus ille peſtilens etiam longe poſitos inficit, & hoc certaminis genus fugam potius, quam aſſultum requirit.* Præſtantiæ, alacritatiſque chriſtianæ eſt, aduerſus ſolum diabolum inſilire; carnis, mundiue pugnas potius fugere. Vbi ſæculi lenocinia, voluptatum cupediæ in acie ſunt, chriſtianum eſt fugere, & vel â pugna cauere; cum autem ſolus diabolus relinquitur, tunc ſecurius, & honeſtius eſt ſapienti Chriſtiano in prælium proſilire.

Baſil. Sel.

Matth. 4

D. Cypr.

§. VII.

De miniſterio angelorum venit, quod homines triumphent.

DAuidem video à Saule fugientem, & per deſerta errantem, vt 1. Reg. 23. 24. 25. & 26. & ſtatim ſubit: animum auxilium illi datum à validiſsimis bellatoribus. De quo ait, 1. Paralip. 12. *Hi quoque venerunt ad Dauid in Siceleg, cũ adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant ſortiſſimi, & egregij pugnatores, tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigẽtes ſagittas; de fratribus Saul ex Beniamin. Princeps Ahiezer, &c.* Itaque cum adhuc Dauid fugeret â Saule, & per deſerta, præruptaque montium delitesceret, vt eius frangeret aſſultus, acceſſerunt ad Dauid validiſsimi bellatores de ipſa cognatione, & de ipſis fratribus inimici Saul; qui Dauidi fuerunt in pugnæ miniſterium. Quod non abſimile factum in Ieſu video deſerto; ait enim Matth. 4. *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Acceſſerunt equidem angeli ad Ieſum miniſtraturi, & in hoc, quod diabolum depellerent; non quod Ieſus eorum miniſterio indigeret, ſed vt ſuã maieſtatem oſtenderet, dum non per ſe, ſed per illos, qui ex angelica cognatione erant, angelos reprobos detriumphat, & pellit. Inſuper, vt oſtenderet, quã veniat de angelorum miniſterio, quod Chriſtiani ad glorioſos triumphos deueniant. Quippe cum primum in arena ſumus pro Chriſto aduerſus angelos rebelles, ſancti angeli accedunt, cuius miniſterio habemus, vt ad immortales coronas euolemus. Hinc Gen. 1. cum de aquarum geniminibus loquetur, ait: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum. Benedixitque eis dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris; aueſque multiplicentur ſuper terram.* Nota differentiam locutionis, ſiue cum loquitur de piſcibus, ſiue cum loquitur de auibus. Ad piſces dirigit ſermonem ſuum aiens: *Creſcite, & multiplicamini*; ad aues autem non dirigit ſermo-

1. Par. 12

Matth. 4

Geneſ. 1.

sermonem, nec loquitur cum eis, sed tantum ait; *Multiplicentur aues.* Et quando ad pisces loquitur, cur etiam ad aues non loquitur, & dicit eis, Multiplicamini vos aues; sed quasi ad alium loquatur, dicit; Aues multiplicẽtur? Vt pisces nõ exeunt de aquis, sed in illis obruti manent, sic per illos significantur homines, qui minime de aquis baptismi exeunt, sed proprio naturę pondere ad perditionem eunt. Per volucres autem, quæ ex aquis fiunt, christiani intelliguntur, qui de aquis baptismi exeũtes ad suprema cœlorum euolant. Quorũ perpetes uolatus, & triumphi, vt non minima exparte de Angelorum auxilio, & ministerio veniunt; sic non ipsis Christianis loquitur de eorum profectibus, sed magis quasi ad alios, nempe ad Angelos loquatur, ait: *Aues multiplicentur*, vt ostendat in hoc, & auxilium, & ministerium angelicum. Ait D. Anastas. Sinaita lib. 5. Examer. post propositam quæstionẽ: *Exponit, quod nos hinc oporteat discere, quod ys, qui baptizantur, & ys maxime, qui in virtutibus effecti sunt volucres; â Deo dantur sancti Angeli, qui eorum curam gerant, & prouideant ad illuminationem. Ad eos enim iussum dirigit Deus, iubens, & dicens, vt multiplicentur volucres, hoc est, qui cœlestia sapiunt, & obeunt.* Itaque quando de promouendis Christianis agit Deus, ad Angelos loquitur; quorum ministerium paratum est, vt renati ex aquis in cœlestes euolent coronas.

D. Anast.

§. VIII.

Nil prius angeli in christiano stadio inspirant, quam mensam eucharisticam.

MOrabatur equidem Dauid in deserto Pharan, 1. Reg. cap. 25. vbi eius nuntios repulit Nabal Carmelus, sed placatus fuit muneribus Abigail. Ait enim textus: *Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent domino nostro, & auersatus est eos: Quam obrem considera, & recogita, quid facias: Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, &c.* Expende, vt ad vnius serui dicta de imminenti periculo statim bona Abigail currit ad panem & vinum pro placando Dauide. Et quidem non ipsa prius panes, vinum ve præparat, quam audit vnum puerorum, siue ministrorum suorum; vt clare innuatur, quam veniat de inspiratione angelorum, quod curramus ad panis, & vini dominicũ Sacrificium pro obtinenda salute. Crede mihi, dum res est in discrimine, dum in stadio stas pro æterna vita, nihil tibi prius angeli suggerunt, nil prius ministrant quãmensam illam diuinã. Sic de Iesu prælio in deserto ait Matth. 4. *Ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Et quid famelico præliatori de ministerio angelorum prius veniret, quam mensa viuifica? Hoc in primis venit de Angelorum instinctu, quod curramus ad epulum diuinum. Luc. 1. nato domino apparuit Angelus pastoribus; ait enim: *Ecce Angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere, ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus domini in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, &c. Pastores loquebantur ad inuicem; transeamus vsque Bethleem, &c.* Angelus non exprimit Bethleem, sed tantum dicit ciuitatem Dauid. Pastores autem relicto Angeli vocabulo magis gaudent vocare Bethleem; & Bethleem festinare se ostendũt. Et cur quando Angeli Bethleem non nominant, pastores magis gaudent nominare illam? Significat Bethleem domum panis, & de Angeli colloquio illud receperant pastores, vt toto desiderio, expressissimoque affectu ad panem cœlestem irent. Ait Titus Bostrenus: *Diuinâ claritate, cœlestique gloria circumfusi; necnon Angelorum exercitum conspicati, spiritualique eorũ hymno recreati pastores magno mox ardore feruntur in Bethleem, quæ interpretatur domum panis. Transeamus vsque Bethleem, inquiunt, sacerdotio initiatos adumbrantes. Horum namque munus est, cœlestem panem studiose inquirere.* Conspicati pastores Angelorũ exercitum, eorũque vocibus recreati, nil prius mente voluunt, quam vt eant ad domum panis; ad domum, inquam, in qua supersubstantialis, & cœlestis panis nascebatur. Quo valde Sacerdotibus assimilãtur, quorum præcipua cura, & studium est circa hunc viuidissimum panem.

Matth. 4.

Luc. 1.

1. Reg. 25

CAPVT II.

Dauidis prima inauguratio.

Textus Historia.

SAVLIS Repulsæ, quam Samuel viuido lachrymarū flumine prosequebatur, principium dedit sacrilegij dolor; quia Saul diuina præcepta de perdendis Amalechitis, eorumque bonis negligi iusserat, & regem Agag, & optima quæque, idque postulantibus plerisque Israelitarū reseruare ausus. Quod factum Samuel perpeti nequiuit, nec solum ipse à sacrilegio temperauit, verum etiam miserum Agag à Saule seruatum gladio transuerberauit. Et cœlitus instructus accepto vitulo speciem præseferens sacrificaturi Bethleem contendit, iubet mundari Isai familiam, vt carnibus sacrificij vesci liceat. Succedunt pariter in triclinium, ibique rite peracto prandio, famulisque dimissis, astantibus Isai, & eius filijs indignationem Dei aduersus Saulem explicuit; & vt de illorum numero inungendus erat, qui thronos Israhitarum subiret. Prophetæ oculos interea rapiebat Eliab natu maior, eximia statura, & forma iuuenis, quæ sceptris solent esse suffragia conspicua. Coactus tamen à Deo fuit Samuel hunc tantum prætetire, necnon Abinadab natu secundum. Non absimilem primis sortem quinque reliqui receperunt; imo vt in præsentiarum septem filij Isai erant, sic septies Deum loquentem cū Samuele, & singulos repelentem audierunt. Vrgetur tandem pater minimum omnium adducere, qui inter pastores degens in montibus, pene ipsi parēti ignotus erat. Dicebatur ille Dauid, oris pulchritudine, animique candore facile cæteris præstantior.

Venit ergo Dauid ex agro vocatus vicesimum attingens ætatis annum, & dum inter fratres stat, fundente Samuele oleum, rex Israelitarum inungitur, Cessit gratiæ natura, & religioni concessit fratrum ambitio: dum cum oleo labebatur in iuuenē regalis spiritus. Videres subito in Dauide germinare floridam sceptrorum virtutē, arescere in Saule, quem cœpit agitare nequam spiritus. Eoque deducta res est, vt de Dauidis dotibus Sauli quæratur medicina. Audierat enim rex præstantiā iuuenis in pulsanda cithara, & non dubitat ab euium caulis in aulam trahere illum, qui pulsatis fidibus, ab animo suo diabolicum pellat virus. Nec fefellit regem concepta de Dauide opinio; quem inter charissimos sibi habuit, & vacantem citharis, armorū suorum præpositum constituit.

PARS MORALIS, circa textus literam.

VM Dauidis cithara videor nequam Spiritum expelli à Saule, non dubito, quin & illa trahi possit diuinus Spiritus, qui vtilia moribus nostris inde delibet.

1. *Reg.* 16. Dixit dominus ad Samuelem, vsque quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israelem? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethleemitem, prouidi enim in filijs eius mihi regem. Et ait Samuel, quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait dominus, vitulum de armento tolles, in manu tua, & dices, Ad immolandum domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi, quid facias, & vnges, quemcumque monstrauero tibi.

§. I.

Salus proprio labore negotianda.

SAmuelis iustus pro Saule ingratus accidit Deo dicenti: *Vsque quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum?* Sed quod quis à Deo proijciatur, maxime iustus res est, & quæ merito à bonis viris debeat lugeri. Sic Dominus, Luc. 19. videns Ierusalē funditus euertendā, à Deo iam proiectam, & repulsam, nihilominus *flenit super eam,*

eam, imò inde, quia protinus proiecta erat, maiori fletu digna cẽseretur. Cur ergo Dominus cortipit Samuelem lugentem pro Saule proiecto? Crediderim non otiosè posita illa expressissima verba, nimirum; *Vsque quo tu luges*, quasi diceret, tu solus luges, non ille, imò tu luges, illo minime lugente, sed forsam ridente; quo manifestè notatur inanitas, & inutilitas fletus. Cassum enim, & inutile est, quod fit à pijs viris pro peccatoribus, si hi nullam pro se adhibent diligentiam. Ex quo monebat D. Chrysost. homil. 5. in Matth. *Etiam si Abrahan pro suis supplicet, qui in suis vitijs permanendo immedicabiliter agrotant, abibit Deus relinquens orantem, ne vocem pro talibus inter venientis exaudiat. At si Samuel rursus exorans pro aliquo indigno deprecetur, continuo ad illum clamabit Deus: Vsque quo tu luges Saul? Non igitur quasi oscitantes, & desides ex aliorum meritis pendeamus.* Periculosè quis totam salutis suæ causam committit alijs, nihil ipse pro se faciens. Nemo in solis alienis meritis ad salutem peruenit. Matth. 27. Iesus in cruce pendens pro inimicis suis orauit ad patrem, & deinde clamans voce magna dicebat: *Deus Deus meus, vt quid de reliquisti me?* Et quando hominum causam agebat, curetiam pro se solicitudinem ostendit? Egebat ne ipse pro se aliquid facere? Absit; sed ostendebat suis mysterium salutis humanæ, quod consistit in eo, quod non solis alienis nitamur, sed pro nobis ipsis aliquid etiã proprium faciamus. Ait Arnoldus Carnot. tract. 1. de septem verb. *Huius mysterij rationem nondũ intellexerat mundus, nec dum tanti sacramẽti effectus aduenerat; & necesse erat, vt tam opus, quam virtus huius holocausti innotesceret, & auditoribus Euangelij imprimeretur hac forma, vt discerent ex præsenti regula vnũquemque oportere deinceps intreire in sancta, in sanguine proprio, & finem aduenisse earum expiationum, quæ facta erant extonus in sanguine alieno.* Ante Iesum peccabat homo, & occidebatur pecus, & in pecudis sanguine expiatus quisque credebatur. At constitutus in cruce Iesus dum solicitudidem pro se gerit, dicens; *vt quid dereliquisti me?* nostræ salutis ostendit mysterium, quę magis in sanguine proprio, quàm alieno debeat obtineri. Nunquam enim in re salutis propriæ diligentiæ non sunt adhibendæ. Ioan. 11. sola voce sua Iesus Lazarum excitat à sepulchro. Quid tunc? *Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dicit ei Iesus, Soluite eum, & sinite abire.* Quando Iesus pluraliter dicebat, *Soluite eum*; cur textus sermonem Iesu ad vnum Lazarum dirigit dicens: *Dixit ei Iesus*? Vnde credendus est Iesus magis ei, quam alijs locutus, quando inquit: *Soluite eum*? Equidem in re salutis non tam alij, quã ipse met infirmus credendus est debere negotiari illam. Quod & ostendebat Lazarus ipse, de quo ait D. Zeno lib. 3. ser. 9. *Visus est Lazarus tecta facie, manibus, pedibusque constrictus, & ad documenta virtutum ipse se mortuus, & adhuc pedibus vinctus, vt Christus inferat, suis manibus resoluebat.* Et Christus dominus potius videbatur alijs iussisset, dum dixit, *Soluite eum*: at ille sapienter credidit nõ tam alijs, quam sibi illud esse iniunctum, quod pertinebat ad propriam salutem, & ideò suis manibus resoluebat vincula. Huc trahendæ sunt dicta, tom. 2. in Euang. lib. 8. cap. 8. §. 27. & lib. 10. cap. 3. §. 13. & tom. 2. de Christo Figurato, lib. 5. cap. 11. §. 16.

Chrysost. Matt. 27 Ar. Car. Ioan. 11. D. Zeno

§. II.

Suauitas, & benignitas superabundet in principe, qui Deo placeat.

DE eligendo rege post Saulẽ agens dominus cum Samuele ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni mittam te ad Isai Bethlemitem, prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Cum eodem propheta egerat etiam dominus, 1. Reg. 9. de eligendo Saule, & tantum ait: *Vnges eum ducem super Israel.* 1. Reg. 9. Non iubet, vt vas oleo impleat, & de pleno vase vngat. Et cur, quando ad Saulem vngendum non egit dominus de vase, neç de olei plenitudine; vbi accedit ad Dauidem, non contentus est dicere, quod vngatur, sed insuper addit vnguenti, sine olei plenitudinem, qua debeat inungi? Rẽ explicant illa verba: *Prouidi enim in filijs eius mihi regem*: quippe dum Deus sibi regem prouidet, qui sibi placeat, qui appareat Dei eléctione dignus, illum plenitudine olei designat, vt ostẽdat, quã in illo debeat superabũdare suauitas, & benignitas. Hęc sit clarissima nota in Dei principibus, quod benignitate abundent. De Samaritano, qui percussum à latronibus curabat, ait Lucas, cap. 10. *Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum.* Ex quibus sic D. Bern. serm. 16. in Cant. Christi regis ingenium depingit: *Infudit oleũ meis vulneribus,* Luc. 10. D. Bern.

ribus, infudit & vinum, sed minus quam olei. Sic nempe congruebat infirmitatibus meis, vt misericordiam superexaltaret iudicio, quemadmodũ vino oleum superfertur infusum. Attulit præterea quinque cados olei, vini non nisi duos. Vinum siquidem timor, & fortitudo fuerunt, reliqua quinque oleum propria suauitate designant. In spiritu denique fortitudinis descendit ad inferos tanquam potens crapulatus á vino, contrinit portas æreas, & vasa captiuitatis eripuit. O sapientia, quanta gratie medendi in vino, & oleo anima mea sanitatem restauras, fortiter suauis, & suauiter fortis. Fortis pro me, & suauis mihi. Qui princeps diuinior? In illo & multum olei, & aliquid vini concurrit; nimirum multum suauitatis, & benignitatis, aliquid metuendæ fortitudinis. Quod habuit fortitudinis metuendæ, id pro me ostendit, aduersus meos hostes, eorum potentiã confringens; quod habuit suauitatis, & benignitatis mihi exhibuit. Hunc attendant principes, & vt acres in hostes, sic pleni oleo, pleni suauitate, & benignitate sint in subditos. Crede mihi, nil magis amabile in principe, quam suauitas, & mansuetudo. De Moyse aiebat, Numer. 12. *Erat autem Moyses vir mitissimus super omnes homines.* De quo aiebat D. Amb. lib. 2. officior. cap. 7. *Merito æstimatus est supra homines, vt & vultui eius non possent intendere, & sepulturam eius non esse repertam crederent, quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quam profactis admirarentur.* Sic bonus princeps rapiebat mansuetudine, & benignitate suorum animos, vt supra homines illum esse crederẽt. Nec miror, est enim prima principis virtus suauitas; vt dicat Fortunat. lib. 6. carm. de Sigiberto Francorum Rege:

Vnde aly peccant, ignoscendo iste triumphat
Doctus enim quoniã prima est in principe virtus
Esse piũ, quia semper habet, qui parcere nouit,
Solus amat cunctos, & amatur ab omnibus vnus.

Sic primas fert in principe suauitas. Quo trahenda dicta, Tom. 2. de Christo Figur. lib. 5. cap. vlt. §. 11. & Tom. 1. de Christo Figur. lib. 2. cap. 2. §. 17. & Tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 9. §. 8. & tom. 3. lib. 14. §. 2. quibus locis multa inuenies de mansuetudine principi necessaria.

§. III.

Caueat in vocatione sua vacuum, qui vult in illa persistere.

PRo Dauide vngendo dicit dominus: *Imple cornu tuum oleo*: qui supra cap. 9. pro Saule solum dicebat: *Vnges eũ*, &c. Et merito non meminit impletionem in Saule, quam amabat in Dauide, qui erat in regno perseueraturus. Quo spectans Rupertus, lib. 1. cap. 23. ait: *Cornu vero olei longe ampliorem continens abundantiam, cõstantem, & perseueraturam in Dauid signabat regalem pariter, & prophetalem gratiam.* Rupert. Quãdo enim ad vngendum regem, vel minimum olei sufficeret, non sine mysterio cauebatur, quod ad vngendum Dauidem vas olei impleretur, quod minime in Saule, nec in alijs regibus perituris fuit cautum. Plenitudo enim illa abundans clarissime ostendebat in Dauide constantem, & perseueraturam gratiam regalem. Quæ prosus corruere, si aliquod in Dauide inueniret vacuum. Habacuc, cap. 2. dicebat. *Laborabunt populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient. Quia implebitur terra, vt cognoscant gloriam Dei.* Habac. 2. Ecce tibi cum vacuo defectio coniuncta est, & ruina; cum plenitudine autem venit Dei cognitio, & gratia illius. Quod vt penitus explicetur, recurrendum nobis est ad Philosophos mũdi, qui vehementissime abominantur vacuum in rerum natura, vt totius naturæ destructiuum. Quia inferiora corpora á superiorum, cœlestiumque corporum maxima pẽdent influxibus, vt sine illis minime existant; sic amant corpora corporibus cõiungi ab infirmis, vsque ad suprema, vt facile à superioribus ad inferiora veniat & influxus & necessaria virtus, quæ minime per vacuum possit transire. Ideò tota natura eo spectat, vt minime vacuum admittat, vt impeditiuum cœlestium influxuum; adeò vt pro vacuo vitãdo vniuersa corpora sui oblita, vel proprias sedes relinquant, & ad extraneas, & violentas euolent. Videbis aquas sua spõte ferri sursum, & durissima quæq; metalla findi, ne vel minimum vacuũ possit existere. Tunc enim de superiorum influxibus infima viuunt, eorũque pertingunt virtutes, si plenum sit totum vniuersi spatium; & multa perirent, si vacuum admitterent. Hanc naturæ Philosophiã, & æconomiam

nomiam reſpiciens Habacuc, eamdem in ſpiritualibus conſtituit. Vt enim cœleſtia & diuina ad nos perueniant, de illorũque influxibus poſsimus conſiſtere, eam plenitudinem in vocatione noſtra debemus habere, qua nihil nobis deficiat, nec appareat vacuum vllum. Quippe ait: *Laborabunt gentes in vacuum, & deficient*: vbi vacuum admittimus, minime omnia noſtræ vocationis implemus; deficiemus peribimus. Nimirum: *Quia implebitur terra, vt cognoſcat gloriam Dei*; neceſſaria eſt plenitudo omnimoda virtutum vocationis noſtrę, vt percipiamus diuina, in quibus permanere poſsimus. Quò ſpectans Naun, cap. 1. ait: *Conſumentur, quaſi ſtipula ariditate plena.* Vbi Rup. explicat: *Quid eſt ariditas niſi vacuitas?* Ne miremur, quod perdantur, qui admittunt vacuitatẽ; non enim fiat concurſus cœleſtis cum vacuo. Huc trahenda dicta, Tom. 1. in Euang. lib. 3. cap. 1. §. & 8. & cap. 7. §. 20.

Naun, 1.

§. IIII.

A Chriſti domini vicinitatè magnæ in nos deſcendit bonorum plenitudo.

NEc otioſe vni Dauidi vngendo olei plenitudo paratur, dum ait: *Impleſ cornu tuum oleo, &c.* Et quando, vel parum olei ad rem ſufficeret, cur neceſſum erat cornu impleri? Ipſe qui mandat, rationem oſtendit ſtatim: *Vt mittam te ad Iſai Bethleemitem, prouidi enim in filys eius mihi regem.* Circa quæ D. Baſil. Sel. orat. 14. *Arcanum aliquod myſterĩ continent; Prouidi mihi in filys eius regem. Quoniam enim ex Dauide Chriſtus ſecundum carnem.* Quando ergo deſignabatur regem, qui Ieſum in ſe contineret, vt pater filium; nõ mirer, quod ad illum inungendam plenitudo abundãs paretur vnguenti; de propinquitate enim Ieſu nunquam nõ plenitudo bonorum ad nos venit. Ad Colloſenſ. 1. aiebat Paul. de Ieſu: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo cõplacuit omnem plenitudinem inhabitare, &c.* Ecce tibi, vt Deo placuit in Ieſu omnem plenitudinẽm inhabitare; ſed ſcire cupis, quæ ſit hæc plenitudo inhabitans in Ieſu? Theodoret. ibi putat Eccleſiam fideliũ vocari plenitudinis nomine, & merito, quia vt eſt Chriſto coniuncta, ſimul omnibus bonis, & gratijs plena. Ait ille: *Plenitudinem appellauit Eccleſiam, vt pote diuinis donis impletam. Viſum eſt, inquit, Deo, eam in Chriſto inhabitare, hoc eſt, ei coniunctam eſſe, eſſe ſub eius tegmine, eius leges ſequi.* Vt enim Eccleſia Ieſu iuncta apparet, tot bonis impletur, vt merito ipſa plenitudo bonorum poſsit & dici, & haberi. Nunquam enim non ingens bonorum plenitudo non venit de Chriſti propinquitate. Exod. 12 de agno immolando ait: *Seruabitis eum, vſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolauitque eum vniuerſa quæ multitudo filiorum Iſrael.* Non finitur fieri agni immaculati immolatio, niſi in decima quarta die menſis Lunaris, quando iam Luna plena erat. Et cur plenilunium expectatur in immolatione agni? Ait D. Anaſthaſ. Sinaita, lib. 5. Examer. *Dixit quarta decima Luna in principio, eo die iuſſus eſt Iſrael in primis ſacrificare paſcha, in typũ Chriſti. Si ergo agnus Chriſtum figurabat, eſt perſpicuum, quod Luna quoque dies, qui eſt plena Luna, ſignificat plenitudinem Eccleſiæ, propter quam Chriſtus eſt ſacrificatus.* Itaque in agni immaculati ſacrificio ſimul debuit Eccleſiæ eius plenitudo demonſtrari, vt innueretur, quã plena ſint omnia, quæ propinqua ſunt diuiniſsimo agno. De illo enim venit, quidquid plenum eſt in rerum vniuerſitate. Propone tibi ob oculos prima mundi cunabula, quãdo vniuerſæ creaturæ creabantur, Gen. 1. in die primo lux nuda creatur, dixit enim, *Fiat lux, & facta eſt lux*; & ſic luce relicta tranſit creator ad diuidendas aquas die ſecunda, *diuiſit aquas ab aquis*; & relictis ſic aquis trãſit die tertia ad terram veſtiendam, & *Protulit terra herbam virentem, &c.* Multa reſtabant facienda adhuc in luce, & in aquis, & in terra; de luce enim facienda reſtabant luminaria, de aquis piſces, de terra animalia, quæ per tres dies ſequentes facta ſunt. Et cur non magis cum primo lux producebatur, ſtatim illi dabatur omnis luminariũ plenitudo, & aquæ ſimul piſcibus, & terra animalibus, adimplebatur? Cur hęc in primis ſuæ exiſtentiæ diebus ſinebantur eſſe adhuc vacuæ, & imperfectæ? & eorũ plenitudo ſeruabatur in poſterum à die quarto, vſque ad ſextum. Fallar, niſi in poſtremo illo dierum ternario, Chriſtus ſpectabatur, à quo omnis perfectio, & plenitudo debet dimanare. Sic aiebat D. Anaſtaſ. Sinaita, lib. 6. Exam. ſatus: *Quo ſit, vt hinc eſſendã-*

Ad Coll. 2.

Thod.

Exod. 12.

D. Anaſt.

Gen. 1.

D. Anaſt.

ostendatur, primos quidem tres dies esse imperfectarum creaturarum susceptores, tres autem vltimos, nempe quartum, & quintum, & sextum exornasse, & adimplesse vniuersam mundi creaturam per trium dierum Christum, qui dicit hodie, & eras facio signa, vertio autem die perficior, dominans cœlestibus ratione praeditis, terrestribus, & subterraneis. Plenum enim fuit cœlum, & terra, & mare gloria eius. Sic vniuersæ creaturæ imperfectæ, & vacuæ manent, vsque dum Christus ad sit, qui solus perfectionem, & plenitudinem nouit præstare. Nunquam enim nisi sub Iesu vera plenitudo apparet. Hinc Gen. 1. *Fecit* Gen. 1. *Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Datur itaque Luna, vt nocti præsit, in tenebrisque suum principatum agat. Sed illud notandum, quod quando Luna plena est, non solum in nocte cernitur; sed & in die cũ ipso Sole apparere audet. Quid inde? Ait D. Athan. Sinaita lib. 1. Exam. Athan. Si. *Nisi subindicarent Christi, & Ecclesiæ illuminationem, non ipsa quoque in die simul ferretur, cum Sole, quando est plena Luna. Nam quandoquidem est imperfecta Ecclesia, vt tempore Synagogæ Iudæorum, ea nocte solum luceret in eorum, inquam, vita. Cum autem fuerit perfecta à Deo, qui omnia perficit, tunc simul apparet cum Sole, nempe Christo.* Idem est, & perfectionem, & plenitudinem habere, & cum Christo apparere; in cuius absentia & imperfectio est, & vacuitas omnium bonorum; quæ simul veniunt, vbi Christus cæperit apparere.

§. V.

Parenti optimo nihil deest virtutis, in filijs apparentis.

PRæ cæteris omnibus regibus vnus Dauid pleno olei vase inungitur; dũ sic cauet Deus: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te, &c.* Sed cur non nisi vas plenum oleo paratur Dauidi inungendo, cum vel minus sufficisset, vt alij inungerentur? Oriturus erat à Dauide filius, in quo plenitudo diuinitatis inhabitaret; ideo Dauidi paratur vas plenum, nequid deficeret virtutis in parente, cuius in filio esset expressio. Quo spectans Rupert. in Rupert. præsenti, lib. 1. cap. 23. ait: *Plenitudine olei, qua pater vnctus est, recte omnis plenitudo diuinitatis intelligitur, quæ nũc in filio eius inhabitat corporaliter.* Quam plenitudinem filius in se habitantem habet, recte in parente plenitudo olei regalis exprimit; parentis enim optimi est, in se filiorum virtutes præhabere. Prouerb. 8. dicit de se diuina Sapientia: *Meum est consilium, &* Prou. 8. *æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ego diligentes me diligo, &c.* Imò Ecclesiastici, cap. 14. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante* Eccl. 14. *omnem creaturam, &c.* Hæc, & alia huiusmodi, quæ diuinæ sapientiæ virtutes prædicant; Ecclesia communiter Mariæ adaptat reluctantibus Hæreticis. Insaniunt enim isti, quod ea quæ de diuinissimo filio Dei propriè dicuntur, Mariæ, quæ pura creatura est, aptentur. Nec aduertũt, quod Maria licet creatura sit, tamen vera mater est ipsissimi filij Dei, qua propter in omnibus virtutibus filio assimilari debet, adeò vt nihil virtutis in filio inueniatur, quod mater in se pro suo modulo non exprimat. Id enim maximè spectat ad munus optimæ parentis. Ex quo dicebat D. Anastasius Sinaita l. b 6 Exam. *Et quis aut ex* Ana. Sinai. *hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quod ea, quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ (quoad carnem attinet) non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui ex ipsa natus est? Quomodo est enim mater eiusmodi filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem?* Expende ab illis: *Quomodo est enim mater eiusmodi filij non ferens in se integram sui fœtus imaginem?* Sic bonus Pater credit non potuisse Mariam tanti filij matrem esse, nisi omnes illius in se repræsentaret virtutes; nisi illæsam, & integram præmostraret in se imaginem filij. Cõducit enim hoc ad notionem parentis præstantissimi.

§. VI.

Optimi filij præstantia ad parentum gloriam maximè conducit.

VNcturus Dauidem Samuel non immediatè ad Dauidem mittitur, sed ad Isai parentem eius: quippe ait: *Veni, mittam te ad Isai Bethlæemitem, prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Non sic idem Samuel mittebatur ad patrem Saulis, cum illum erat vncturus; sed tantum ait illi dominus supra cap. 9. *Cras mittam virum ad*

te de

te de terra Beniamin, & vnge eum, &c. Non Saulis pater aditur, sed ipse Saul per se immediate, sine patre, sine fratribus vngendus proponitur. Et cur similiter non factũ est cum Dauide? Cur non solus Dauid exquiritur? Cur immediate ad illum non dirigitur propheta? Cur magis ad Dauidis patrem, quam ad Saulis patrem itur in re simili? Saul reprobandus erat, qui perderet, & dedecoraret omnem suam prosapiam; Dauid autem in regno præstantissimus erat futurus, ideò in eius electione primũ ad patrem eius Isai Samuel mittitur; quidquid enim præstantis filij est, maxime parentibus eius conducit in honorem, & refrigerium. Nunquam enim paternæ virtutis honor non est præcellentia filij. Matth. 1. *Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Iesse.* Obetho datur filius, qui Iesse dicatur; sonat enim Iesse idẽ, quod refrigeriũ. Et quid est, quod in Obethi filij nomine refrigerium ponitur, nisi, vt intelligamus præstantes filios maxime ad honorem parentum conducere? Ait Imperf. habitus inter opera, D. Chrysost. hom. 1. in Matth. *Iste autem Obeth, qui subditus dicebatur, quid genuit? Iesse, id est, refrigerium. Iesse enim latino sermone refrigerium appellatur. Nam vere qui subditus est Deo, & parentibus suis tales filios generat Deo præstante, à quibus refrigeretur.* Est equidem optimi patris merces, & honor, quod talis filios illi nascatur, cuius illum exornet, & refrigeret præstantia, Ioan. 1. *Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioan, tu vocaberis Cephas.* Exceperat ante Dominus Andræam, & alium discipulum, & postea excepit Mathanaelem, & nullius meminit patrem, nisi patrem Petri. Cur nec Andrææ, nec Nathanaeli, nec vlli discipulorum dixit, cuius filij essent, & id dixit vni Petro? Vnius Petri dignitatem, & celsitudinem permansuram adũbrans illis verbis; Tu vocaberis Cephas, id est Petrus; merito parentis eius meminit, cui tantus filius merito honori esset, & refrigerio.

Matth. 1

Chrysost.

Ioan. 1.

§. VII.

Duratura fœlicitas, & virtus non in carnali progenie, sed in Deo nititur.

QVando gratuita Dei electione vngendus est Dauid in regem, mittitur Samuel ad Isai patrem eius; dicit namque: *Mittam te ad Isai Bethleemitem, prouidi enim in filys eius mihi regem.* Quãdo à solo Deo dicitur filius Isai prouisus rex Israel, cur propheta mittitur ad Isai patrem eius? Cur necessum est patrem meminisse tunc temporis, quãdo quod fiebat totum erat diuinũ? Ideò pater regis à Deo designandi aditur, vt euidentius constaret carnales parentes nihil contulisse regali fœlicitati, & virtuti in Dauide perseueraturæ: sed ea tota vni Deo inniti, Ioan. 1. locutus de Petro accedente ad Iesum ait: *Intuitus autem eum Iesus dixit: Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas (quod interpretatur Petrus)* In nomine Cephas concors est omnium doctorũ sententia adumbratam, & prophetatam fuisse dignitatem, in quam Petrus erat eleuandus, vt esset Ecclesiæ nunquã perituræ caput, & fundamentum. Sed illud notandũ, quod tunc cum dicitur homo vilis commutandus in lapideam firmitatem, vt possit minime perituram Ecclesiã fundare, tunc, inquam, & Simon, & filius Iona dicatur. Ad quid fuit necesse meminisse tunc temporis Petri patrem? Dicitur filius Ioannis cum de Simone in Petrum prædicitur commutandus; vt qui exuit Simonem, vt petræ induat firmitatem, simul sciat mutare terrenos patres. Nulla enim virtutis, felicitatis ve firmitas in carnali progenie funditur. Ait Rupert. lib. 2. in Ioan. *Nec illud vocat, quod tali, vel tempore, vel loco dicitur filius Iona, quia videlicet sicut nomen illi commutatur, sic à carnali patre, vel generatione ad spiritualem transferatur, vt deinceps sit pater eius ille sponsus qui de latere suo sponsam sibi erat ædificaturus, in qua sicut primus lapis, sic primus merebatur esse filius.* Qui primus duraturæ Ecclesiæ lapis erat futurus simul debebat mutato origine ad spiritualem aliam natiuitatem respicere, qua Dei diceretur filius; nulla enim duratura felicitas in carnali fundatur origine, sed in Deo vno. Hinc aiebat Dominus, Apocal. 22. *Ego sum radix, & genus Dauid.* Et quod filius Dei sit genus Dauid, manifestissime constat, quia per Mariam matrem genus à Dauide secundum carnem duxit. Sed cur necessum fuit, quod non solum filius Dauid, sed & Dauid radix ostenderetur? In eo, quod dicebatur genus Dauid, eius ostendebatur filius, qualis vere erat; At in eo quod dicebatur radix Dauid, nihil peculiare circa Dauid ostendi videtur; quando Deus

Ioan. 1.

Rupert.

Apoc. 22.

non solum Dauidis, sed omnium creaturarum radix, & origo est. Cur ergo necessum fuit, quod particulariter radix Dauid diceretur? Aut quid per hoc exprimebatur singulare in Dauid, quod in omnibus alijs non esset? Significabatur, vt credo, regalis splendoris perpetuus vigor, qui in illo, sicut in Saule nunquam marcesceret: quod de nulla creata origine, sed de sola viuidissima Dei radice poterat euenire. Quo expectans, Rup. lib. 1. in libros, Reg. cap. 23. ait: *Qui postea per nouam carnis natiuitatem factus est genus Dauid, iam per antiquam diuinitatis naturam erat radix Dauid, Spiritus Sancti verum oleum, veraneque pinguedinem subministrans, vnde floreret, frondaret, fructumque faceret, imò & pater ipsius ipse fieret Dauidis. Igitur quemadmodum arbor à radice pinguedinem summit, vt fructificet temporibus suis, sic iste à sua radice sumpsit, &c.* Itaque vt Dauid immarcescibiliter floreret, fructusque daret omnibus temporibus suis, factus est Deus illi radix; vt enim solus Deus nescit senium, nescit deficere, sed semper in eodem manet virore; sic de sola hac radice, cui peculiariter Dauid insertus est, prouenit, quod nunquam deficeret eius felicitas. Nunquam enim diuina radix euidentius patet, quam vbi firmitas, & stabilitas apparet in creatura. Matth. 16. aiebat Iesus Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Quibus verbis maxime conficit Chrysostom. Arianos, ostendens Iesum esse verum Deum. Nequit enim fieri, vt non euidentissime appareat Deus, qui homini petræ firmitatem, & indefectibilem soliditatem promittit, & præstat. Ait Chrysost. hom. 55. in Matth. *Animaduerte, quo pacto dominus ad altiorem de se cognitionem Petrum adducit, & se ipsum ijs duabus pollicitationibus reuelando filium Dei ostendit. Nã quod Deus solus concedere potest peccatorem remissionem; & vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet; hæc, inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturam.* Expende illa: *Quæ solius Dei sunt*; quippe, quod homo ignobilis eam firmitatem induat, qua adamantẽ superet; quod Ecclesiæ nauicula medijs rabidissimis fluctibus immobilis perseuerat; hoc à solo Deo venit, qui in iis patentissime se reuelat. Accedant huc Nauatores, & videant clarissimum Dei testimonium assistentis veræ Ecclesiæ, assistentis nauiculæ Petri; cuius sedes per tot sæcula immobilis perseuerat. Accedant huc mundiales principes, & videant, vnde æternare possint imperia; non quidem aliunde quam à Deo. Deus vnus est, qui firmitatem, & stabilitatem rebus creatis præstat.

Rupert.

Matt. 16

Chrysost.

§. VIII.

De paternis visceribus inauguretur princeps, qui speratur & suauis, & gratus subditis.

CVm vase pleno olei, quo princeps vngatur, mittitur Samuel ad patrẽ eius: dum dicit: *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethleemitem, prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Nunc semel audio in scriptura, quod vncturus regem, non immediate mittatur ad illum, qui vngendus erat, sed magis mittatur ad patrem eius. Et cur non magis Samuel cum oleo regio dirigitur ad vngendum iuuenem, quam ad patrem eius? Nonne sic factum est cum Saule, supra cap. 9? Nonne sic factum est cum Iehu infra, 4. Reg. 9? Sanè qui vngebat Saulem, & qui vngebat Iehu, ad illos immediate missus est, non ad parentes. Cur vncturus Dauidem, non immediate ad eum, sed ad parentem eius mittitur? Nõ solum vncturus erat Samuel in Dauide regem, sed regem, qui suauitate, & benignitate omnes antecederet, vt ostendebat plenitudo illa olei, quæ mandabatur ad illum inungendum ait: *Imple cornu tuum oleo.* Quando autem inungendus erat princeps, qui totus esset suauitas, & benignitas; rectè mittitur propheta ad patrem eius, vt simul innuatur de quo fonte debeat oriri suauitas regis vngendi, nimirum de animo visceribusq; paternis. Mirabatur Sponsa in rege suo, & domino nouã plenitudinem suauitatis, & benignitatis, dicens Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Et vnde Regi nostro tanta suauitas, quæ totus vnguentum effusum videatur? Vnde sic mansueuit, vt speciẽ sua, & mansuetudine sua subditorum corda à se rapiat? Ait Rup. lib. 2. in Ioan. *Quid enim oleum effusum, nisi Verbum de corde patris eructatum?*

4. Reg. 9.

Cant. 1.

Rupert.

tum? Equidem vbi diuiniſsimus dominus, & creaturarum omnium facile princeps creditur eructari de corde patris; tanta inde illi iam creditur ſuauitas, vt totus vnguentum ſuauiſsimum appareat. Quid enim ſuauiſsima patris viſcera inſtillabunt Verbo ſuo, Regi noſtro niſi ſuauitatem, benignitatem? Sanè maximum erat illud, quod Ieſus dominus promittebat, Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Qui fieri poteſt, vt Deus ſic ſe effundat, vt homo in Deo maneat? Ait Fulbertus Carnot. Epiſcop. epiſt. 1. *Ita ergo in Deo ſumus, quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt.* Ex quo & in Chriſto eſt Pater, non miror, quod ſic ſe ad nos diffundat Chriſtus. Sic de paternis viſceribus neceſſum eſt, quod eructet princeps, qui ſuauis, & benignus ſit, in ſubiectos. Hinc, 1. Reg. 12. deſignans Samuel Regem Iſraelitis ait: *Si timueritis dominum, & ſerueritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaſperaueritis os domini, eritis & vos, & rex, qui imperat vobis ſequentes Dominum Deum veſtrum. Si autem non audieritis vocem domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.* Vbi noſter poſuit: *Et ſuper patres veſtros*; Septuag. legunt: *Et ſuper regem veſtrum.* Et quid tot patres ad vnum regem, vt loco omnium patrum tam infiniti populi dicatur, & intelligatur vnus rex? Equidem ea deberet eſſe optimi regis conſtitutio, quæ de omnium patrum viſceribus conflaretur. Ex vniuerſis patrum cordibus, qui ſunt in regno debet conſtitui rex, qui ſuauis, & gratus ſit ſubiectis. Induat, neceſſum eſt, princeps omnium populi ſui parentum viſcera, vt inde ſuauiter, & grate principatum conſeruet. Apocal. 19. de potentiſsimo noſtro iudice Ieſu ait: *Et habet in veſtimento, & fœmore ſuo ſcriptum; Rex regum, & dominus dominantium.* Et cur regius titulus inſcribitur eius fœmori? Habes ex Exod. 1. & Geneſ. 24. & ex D. Gregor. Pap. Ansberto, Beda relatis à noſtro Ribera in præſenti, per fœmur ſignificari carnis propagationem, in qua patrum, filiorumve fundantur nomina. Quin & D. Ambroſ. hîc expreſſe dicit per Chriſti fœmur ſignificatos eſſe patres veteris teſtamenti. Quippe ait: *Poſſumus etiam per fœmur, patres veteris teſtamenti, ex quorum ſtirpe Chriſtus originem duxit, intelligere.* Et merito ibi ſcribitur, quod rex ſic, & dominus, vbi intelliguntur veteres patres, vt intelligatur, quam debeat princeps ex omnium patrum viſceribus conflari, nequid in eo appareat, quod non ſit patris. Ex quo aiebat clariſsimus Angliæ martyr Thomas Morus in Iambico:

Princeps pius nunquam carebit liberis
Totius eſt regni pater princeps
Abundans ergo tot liberis, quot ſubditis.

Merito, qui ex omnium parentum viſceribus conflatur princeps, & ipſe pater eſt, tot habet filios, quot ſubditos.

Ioan. 6.

Fulb. Ca.

1. Re. 12.

Apoc. 19

D. Amb.

§. IX.

Hæc magna præſtantia creaturæ, quod non ſibi, ſed Deo viuat in omnibus.

DE non gregario, ſed de præclariſsimo, & præſtantiſsimo principe inungendo ſe agere oſtendit dominus; cum ait: *Prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Quid eſt, Prouidi mihi regem? Nimirum eum regem prouidi, qui non tam ſibi, quã mihi viuat, & laboret, & ſit; cuius omnia mea ſint. Ait D. Baſil. Sel. orat. 14. *Prouidi, inquit, in filijs Iſai mihi regem, Tantum non dixit: Meum eſſe iſtius filij regnum reputo. O ſapientiam immortalem! O arcanam miraculi editionem!* Et quidem miraculoſa eſt, & rara, & inuſitatæ virtutis illa editio, qua oritur, qui totus Dei ſit, qui nil ſibi, ſed omnia Deo acquirat, in cuius vita, & laboribus vnus Deus appareat. Talis inter præſtantiſsimos, & ſummos debet exiſtere. De ſe dicebat Paul. ad Philip. 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt.* Quæ verba etiam ad Petrum extendens D. Maxim. homil. 1. de vtriſque ait: *Nos vero Eccleſiarum omnium reuerendiſsimos patres, Petrum dico, & Paulum piſſimis ſtudijs honoremus, quibus Chriſti præſtante gratia factus eſt hodie de morte natalis, quibus finis vitæ viuendi initium dedit; quibus, vt ait Apoſtolus, viuere Chriſtus erat. Erat vtique Chriſtus eis viuere, quibus vita non erat ſine Chriſto. Erat eis Chriſtus viuere, quia totum proficiebat Chriſti Eccleſijs, quod viuebant.* Pro glorioſos Eccleſiæ principes! Fallar, ſiquid glorioſius, ſiquid præſtantius dici poſſet de illis, quam illud: *Totum proficiebat Chriſti Eccleſijs, quod viuebant.*

Baſil. Sel.

Ad Phil. 1.

Nihil in vita, nihil in laboribus, nihil in cogitatu habebant, nisi quod esset Christi. Christus illis erat vita, & studiū, & opera, & cogitatus. Quo respiciens, Psal. 44. aiebat ad Dominum: *Delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Principes enim Ecclesiæ in filijs, quos per euangelium generabant, non proprium lucrum, nec proprium honorem quærebant, sed honorem diuinum, curantes ne quid suum in proprijs laboribus videretur, sed omnia spectarent ad Christum. Hinc D. Aug. ibi: *Ecclesiæ filiæ Apostolorum filiæ regum sunt, qui generunt Ecclesias non sibi, sed Deo:: Per Euangelium suscitantes semen fratri suo Christi, quotquot genuerunt, non Paulianos, sed Christianos nominarunt:: Paulus volentes appellari ex nomine suo reuocat: Nunquid pro vobis Paulus crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis?:: Sumus enim Christiani, non Petriani.* Sic boni principes cauebāt nihil sibi præsumere de laboribus suis, sed omnia Christo cedere. Ne in gentibus conuersis ad fidem, ne in regnis expugnatis, ne in millibus regeneratorum esset aliquid, quod non vnicum Deum, & Christū eius, proprium dominum clamaret. Sic in honore Dei exultabant, vt qui nihil aliud spectarent, sed illi viuerent, illi laborarēt. In quo non parum lucrabantur; vt licet similibus dicere, quod Teudegildo Regi Francorum dixit Fortunatus:

Qui domino vinis summo, non perdis honores,
Regna tenes terris, regna tenenda polis.

Psal. 44.

D. Aug.

§. X.

Vel in mirabilibus Dei operibus solicitandis seruādi sunt modi prouidentiæ humanæ.

IVssus Samuel ire ad vngendum regem, quærit à Deo modum quo secure vadat; ait enim: *Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait dominus: vitulum de armento tolles in manu, & dices ad immolandum domino veni, &c.* Non autem propheta iubenti Deo resistebat; nec mortis periculo præceptum detrectabat; sciebat enim Dei potentiam in tollendis periculis, suisque deducendis ad optata. Sed vt prudens humanum modum inquirebat, quo sine periculo rem executioni mandaret; ne omnia absolutæ Dei potentiæ permitteret. Cui Dei annuit, præscribens suauissimum, & commodissimum modum, nimirum, vt prętextu sacrificij offerendi Bethleem petat, & simul rem aggrediatur. Is enim est Deus in mirabilibus suis præstandis, vt amet consuetos humanæ prudentiæ modos etiam seruari. Eliseus, 4. Reg. 9. vocauit vnum ex filijs prophetarum, & ait illi: *Tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramaoth Galaad. Cumque veneris illuc, videbis Iehu filiū Iosaphad filij Namsi, & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum. Tenensque lenticulam olei fundes super caput eius, & dices: Hæc dicit dominus vnxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes, &c.* Eliseus præceptum Dei habebat per Eliam ex 3. Reg. 19. de inungendo Iesu; imò & Dei promissionem, quod à Iehu rege erat rex Israel perimendus. Cur ergo in notissima Dei voluntate efficaci de exaltando Iehu, de Ioram expellendo tot mandat cautelas? In primis ipse ab opere abstinet, mittit ignotum quemdam, iubet secreto rem fieri, & antequam facinus alicui suboleat, nuntium fugere. Cur tot hæc cauet in re euidentissime à Deo dirigenda? Ait Theodor. ibi quæst. 27. & 28. *Vult enim Deus humana vti cautione, & prudentia.* Ne Dei præcipientis prætextu, supersedeamus ab studio prudentiæ; sic placita sua etiā efficacissima proponit Deus, vt simul requirat communes modos humanæ prudentiæ. Imò tunc maxime ostenderis Dei Spiritu non moueri, quando nihil humanæ consuetudinis amas inuenire in eius operibus. De natiuitate Iesu agens D. Luc. cap. 2. ait: *Peperit filium suum primogenitum, &c.* Circa quæ verba D. Nazianz. in cat Græca dicit: *Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem diuinitus simul, & humanitus formatum dixerit; diuino quidem modo, quia sine viro, humano vero, quia iuxta pariendi consuetudinem; æque athæus sit.* Expende sententiam illam nimirum; *Athæus sit*: quippe athæi nomine notatur ille, qui prorsus Deum excludit de rerum natura, qui nullum esse agnoscit numen. Nazianzenus autem non contentus est vocare hæreticum, illum, qui Dei filium nihil sumpsisse de Maria dicit, sed hunc prorsus athæum putat. Et cur ex hoc præcisse tantus theologus publicat hominis athæismum? Crediderim id sapienter à

4. Reg. 9.

Theod.

Luc. 2.

D. Naz.

Nazian-

Nazianzeno dictum; qui enim in mirabilibus diuinis circa nos factis, nihil vult agnoscere humanæ consuetudinis, is prorsus nescit Deum, & non est absimilis illis, qui nullum agnoscunt numen. Illud enim est Dei propriſsimũ, quod velit mirabilibus ſuis conſuetos humanæ prouidentiæ modos, quoad fieri poteſt, coniungi. Dum Iehu factus ab exercitu rex pergebat in Iezrael; ſpeculator, qui nouit exercitum venire, ſic renuntiabat Ioram regi ſolicito, 4. Reg. 9. *Eſt autẽ inceſſus, quaſi inceſſus Iehu filius Namſi.* Alia litera dicit apud Theodor. quæſt. 31. *Et ductus Iehu filij Namſi*; alia ibidem legit: *Et ducens ducebat Iehu Deus.* Et mirabar, quod ab ſpeculatore longe poſito nõ ſolum Iehu agnoſceretur; ſed quod magis eſt, agnoſceretur Deus veniens in ipſo Iehu. Et quo ſignõ ſeſe Deus oſtendebat venire in Iehu, adeò patens, vt vel à rudi ſpeculatore agnoſceretur? Ioſephus citatus in Gloſſa ibi: *Iehu cum multa diſciplina agebat iter*: ſiue, vt ex translatione Sigiſmundi Gelenij, lib. 9. Antiq. cap. 5. *Iens, & cõpoſito agmine Iehus incedebat.* Quando ergo Iehu expertus diuinam potentiam ſibi aſsiſtentem, certificatuſque de diuinis promiſsis in electione ſua ad regnum, & in debellando Ioramo; non temere, nec præpropere tanquam in rem actam feſtinat. Sed magis ſub communi diſciplina militari ſe continet, nec minimum ad hanc diſciplinã pertinens prætermittit, clariſsime oſtendebat in ſe Deũ præeuntem. De Deo enim venit, quod quis etiam promirabilibus diuinis expectandis communes humanæ prouidentiæ, & diſciplinæ regulas, quantum eſt ex ſe, non prætermittat. Hæc dixerim propter nonnullos, qui per piæ ſanctæve mulieris reuelationem volũtate Dei nota circa aliquod, ſine vllo humanæ prudentiæ modo ad illud currunt. Hi regulariter errabunt ſine dubio.

4. Reg. 9.

Theod.

§. XI.

Sub Crucifixi imagine fugiuntur mala vniuerſa.

VT pericula caueat Samuel in nouo rege vngendo, iubetur in rem ire ſacrificaturus vitulum; dicit namque dominus: *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum domino veni, &c.* Et cur maxime vituli ſacrificio armatur aduerſus pericula; niſi quia in eo exprimebatur imago Chriſti redimentis mũdum per ſacrificium crucis? Ait enim ibi D. Gregor. Pap. lib. 6. *Vitulus quid eſt, niſi ſplendor imaginis redemptoris? Quia enim eũ, quem eligit, conformem facere redemptori ſtudet, &c.* Eo tendebat tota res, vt eligendus fieret imago redemptoris, vt repreſentaretur in electione illa verus domini Chriſtus per ſacrificium crucis redimentis orbem ab inferni periculis. Vbi enim tanti redemptoris imago repræſentabatur, haud dubium quin omnia eſſent in tuto, nullumque malum eo poſſet peruenire, Dan. 14. inſurrexerunt mille potentes in ſanctum Danielem, *Qui miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex*, nec per tot dies famelicæ belluæ aliquod damnum intulerunt ſancto viro! Vnde venit, quod homo inter famelicos leones viueret, nec ab illis damnum acciperet? In Daniele repreſentabatur Chriſti domini imago; quem inimici perſecuti ſunt, & in lacum ſepulchri coniecerunt, vt à morte, tanquam à leone abſumeretur. Nec miror, quod ſaluatoris paſsi imaginem agnoſcant feræ, & à Daniele abſtineant. Ait Theodor. ſerm. 5. de Prouid. *Daniel leonibus eſca, aut cœna appoſitus, ipſos virtutis ſulgore perterruit, & diuinæ imaginis caractere perculſit. Poſtquam enim in imagine archetypi exemplum valde ſincerum, & integrum conſpexere, ſeruitutis ius confeſsiſunt, & ferociam omnem depoſuerunt.* Equidem Chriſti paſsi, & in foueam ab hoſtibus miſsi imago pleniſsime in Daniele repræſentabatur; vt enim ille à principibus Ieroſolymæ expetebatur ad mortem, ſic hic à principibus Babylonis fuit ad mortem expetitus, & in leonum lacum detruſus. Sed tantæ repræſentationis beneficio prorſus manſit ab omni læſione immunis. Crede mihi de crucifixi imagine malis omnibus eripimur, Apocal. 12. mulier cœleſtis experta eſt draconem ſibi hoſtem, qui nitebatur eius vorare filium. Erat in periculo fœmina; quid tunc? *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, &c.* Itaque vt fœmina eriperetur periculo, & draconem deluderet, datæ illi ſunt alæ duæ, quibus magna aquila ſe extollebat, & quibus fœmina erepta fuit periculo. Et ſcire cupis quæ alæ hæc, & cuius aquilæ fuerint? Crediderim in ijs alis intelligi duo brachia crucis, quibus Dei filius exaltatus fuit in mundo, & quæ dedit ſuis alumnis, vt pericula effugerent. Non multum abeſt Andræas Ceſſar. cap. 35.

D. Greg.

Dan. 14.

Theod.

Apoc. 12.

Cessar. 35 in Apocal. inquiens: *Ab initio in præsidium data est ei charitas in Deum, & in proximum. Huic porro addita est eius prouidentia adiutrix, qui propter nos in crucem actus est. Quæ simul omnia per alas designãtur.* Itaque de eo, qui propter nos in crucem actus est; venerunt alæ, quæ nos periculis eripiant, & asserant in tuto.

§. XII.

Præstantissima assyla sunt in ijs, quæ egentibus consulunt.

VItuli sacrificium mandatur Samueli, quo Saulis iram effugiat; dum dicitur: *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices; Ad immolandum domino veni.* De multis animalibus, & frugibus fieri solebant sacrificia; sacrificabantur enim & agni, & hædi, & caprea, & bacca, & aues plurimæ. Cur in præsenti ad Saulis iram fugiendam placuit eligi sacrificiũ vituli? Cum Abrahamus tres peregrinos videret, Gen. 18. vt eos conuiuio exciperet; *Ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, &c.* Quando ergo sublatus de armento vitulus peregrinos refecerat; non miror, quod nunc mandetur summi de armento vitulus, qui fugat regias iras. Nescit enim malum pertingere ea, quæ egentibus commoda ministrant. Apocal. 6. *Ecce equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua. Et audiui tanquam vocem in medio animalium quatuor dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, vinum & oleum ne læseris.* Angelus destructor apparet, qui triticum, & hordeum reducat ad strictissimas mensuras; interea tamen vox cœlestis auditur, non pro tritico, nec pro hordeo; sed pro oleo, & vino; cauet enim, nequid damni, aut vino inferant. Et cur magis voluit oleum, & vinũ immunia esse, & libera ab omni calamitate, quam triticum, aut hordeum? Samaritanus ille, Luc. 10. inuenit hominem seminecem, à latronibus percussum; & misericordia motus accessit ad illum; *Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum, &c.* Ex quo autem oleum, & vinum curandis, fouendisque vulneribus egeni seruierunt, facta sunt validissima salutis assyla, ad quæ nullum malũ pertingat. Dicit Andræas Cessarien. cap. 15. in Apocal. *Quãdo vero ne vinum, aut oleum ladatur, iubetur;* Cessar. 15 *ne per turbam Christi medicina euertatur; aut per fraudem, & impostura infirmetur, serio iniungitur; vt quæ illos sanare sit idonea, qui in latrones inciderunt.* Quæ fouere percussos docta erant, merito ab omni malo cœlitus libera custodiuntur. Ne credatur esse securius assylum, quam est res, quæ egẽtibus offert qualecumque præsidium. Vbi autem egenorum cura non est; ibi non assylum, sed ruina. Amos, cap. 9. *Si defossi fuerint in inferno, inde manus mea euellet eos; si ascenderint in cœlum, inde detraham illos; si abscõditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos.* Expende illud *scrutans*; quippe cum iudex reum quærit absconditũ in domo principis alicuius, ibi ob reuerentiam domus comiter se habet, non lustrat secreta domus, nec scrutatur abscondita. At si reus credatur absconditus in domo priuati alicuius ciuis, Deus bone, quã omnia iudex euoluit, scrutatur, lustrat, vt reum suum capiat. Quo supposito cur dominus propter eum solum, qui in Carmelo absconditur, dicit se ibi omnia scrutaturũ? Vt de effossa terra, aut de cœlo auferat, nõ scrutatur, vbi de Carmeli latebris agit, statim addit, *inde scrutans auferam.* Cur inde solum scrutans? Ait D. Hier. *Si absconditus fuerit in Carmelo, vbi habitauit Nabal Carmelus, inde scrutans auferam eos.* Quando Carmelus habitatio fuerat hominis auariss imi, videlicet Nabal, qui cibum esurienti Dauidi negauit, non miror, quod ibi Deus omnia scrutetur, vt reum conficiat. Non enim ibi præsidiũ est. Huc trahe dicta, Tom. 3. de Christo Figurat. lib. 7. cap. 2. §. 7.

Amos. 9.

D. Hier.

1. *Reg.* 16. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus: Venitque in Bethleem, & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei dixerunt, Pacificus ne est ingressus tuus? Et ait: Pacificus, ad immolandum domino veni: sanctificamini, & venite mecũ, vt immolem. Sanctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.

§. XIII.

§. XIII.

A creaturis nil prius ſpectandum quam mors.

IN Samuelis acceſſu ſtatim ſeniores Bethlehemitæ ſuę ſaluti timẽt; dicit namque textus: *Venitq́, Samuel in Bethleem & admirati ſunt ſeniores ciuitatis, occurrentes ei dixerunt, Pacificus ne eſt ingreſſus tuus?* Vnum vident Samuelem accedentem, & ſuæ paci, & ſuæ ſaluti maxime timent, & ſolicite inquirunt, de ſecuritate. Et cur in tanti prophetæ aduentu ſaluti ſuæ timent, & non magis certam ſalutem ſperant? Verebantur, quando tantus vir â Rege veniebat, ne aliquam animaduerſionem, aut iudicium mortis haberet aduerſus Bethlehemitas. Sic communiter doctores, vt notat Salian. quibus fauet hæbræa lectio, quæ ait, *Et extimuerunt ſeniores ciuitatis, &c.* Sed hoc mihi maximam facit difficultatẽ; cur enim de ſolo conſpectu tanti prophetæ venientis â Rege timeant ſaluti ſuæ, & non magis certi fiant de illa? Sane de meo Ieſu accedente ad Ieroſolymam ait Luc. cap. 19. *Cum appropinquaret iam ad deſcenſum montis oliueti, cœperunt omnes turbæ deſcendentium laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes, Benedictus, qui venit rex in nomine domini, pax in cœlo, &c.* Videntes Ieſum accedentem nil non pacificum, & lætum meditantur Ieroſolimitani; at Bethlehemitæ Samuelem prophetam videntes ſtatim arguntur metu. Et cur hi in Samuele metuunt; illi in Ieſu gaudent, & certam ſibi pacem aſſerunt? Erat Ieſus Deus, cuius acceſſus non poterat nõ ſalutaris eſſe; erat Samuel creatura, quæ nil citius quam mortis reſponſum præferunt. Crede mihi, nil citius de creaturarum acceſſu ebibes, quam quod ſaluti, & vitæ tuæ debeas timere. Memini Ioan. 3. dictum eſſe: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei.* Et mirabar, quod duo tam diſſimilia coniungat Deus, nimirum aquam, & Spiritum Sanctus. Hic Deus eſt omnium rerum creator; aqua creatura eſt ex infimis vniuerſi. Cur ergo coniunxit Deum, & creaturam, vt inde in regnum cœlorum euolare poſsimus? Ad regnum cœlorum obtinendũ inſtituenda erat mors, qua quis moreretur mundo, & reſurrectio, qua in perfectam tranſeat vitam. Ad vitam autẽ perfectam inſinuandam, imò, & communicandam Spiritus diuinus aſsiſtit; vt autem mors oſtẽderetur, neceſſaria fuit creatura, de cuius, vel conſpectu nil citius, quã mors concipitur. Ait Fulbertus Carnot. Epiſcop. epiſt. 1. Vide, quid agit artifex miſericordiæ. Tale tibi inuenit tumuli genus, quo ſciret peccata ſepelire, & peccatorem neſciret obruere; vt deſcendente homine in fontem, tanquam in ſepulchrum delictorũ, reus exiret ad portum, ſola paterentur delicta naufragium. *Proinde aqua & Spiritus Sanctus ſociantur cauſis, ſed beneficijs ſeparantur. Requiritur ſane in baptiſmatis ſacramentis, aqua propter ſepulturam, Spiritus Sanctus propter vitam æternam. Hac ſimilitudinis mortis imitatur, ille veritatem ſalutis operatur.* De Deo Spiritus, & vita profilit; in creatura autem aquæ ſola aſpicitur mortis, ſepulturæque figura. Nihil enim citius tibi creatura ob oculos proponere poteſt, quàm mortẽ, ſub cuius falce timeas. Hinc de Ieſu Ioan. 1. *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* A Ieſu ſimul venit in nos Spiritus Sanctus, & aqua in baptiſmo; ſed quando Spiritus Sanctus veniebat, cur neceſſum fuit, quod aqua etiam veniret? Ait vbi ſupra idem Fulbertus Carnot. *Inter hæc, quid ad hac aqua, & quid Spiritus Sanctus operetur, aduerte. Aqua velut morientem deducit in tumulum, Spiritus Sanctus velut reſurgentem perducit ad cœlum.* Hoc vnũ officium nouit præſtare quæuis creatura, nimirum, quo in ſepulturam deducat, quo oſtendat pro foribus eſſe ſepulchrum. Vt creaturam vides, mortẽ præſagito; vt Deũ vides, nil inde tibi non vitale, & ſalutiferum.

Luc. 19.

Ioan. 3.

Fulb. Ca.

Ioan. 1.

Fubl. Ca.

§. XIIII.

Mundialium regnorum adminiſtratio per Deum, non patet oculis non defœcatis, & ſerenis.

POpularibus conſulit Samuel, vt ſanctificentur; Iſai autem, & filios eius ipſe de facto ſanctificat. Sic enim ait textus: *Sanctificamini, & venite mecum, vt immolem. Sanctificauit ergo Iſai, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium.* Quibus verbis, vt notat ex Abbulenſi noſter Salianus; præcipua quædam mundities, & ſanctificatio in Iſai, & filijs eius requiri oſtendebatur. Quos non antea ad ſacrificium admiſit Samuel, quam ipſe per ſe illos mundaret;

daret, omnique legali impedimento purgaret, vt qui vesci deberent sacrificij carnibus. Nec miror, quod tanta mundicies, & sanctitas procuretur in Isai, & filijs eius, quando in oculis eius ostendendus erat à Deo, qui regnum Israelis de manu Saulis reprobati caperet; administratio enim Dei circa regna mundialia præstanda, gubernanda minime patet oculis non puris, & prorsus defœcatis. Ait Gen. 1. *Vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lumen à tenebris. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem: factúsque est vespere, & mane dies vnus.* Ecce tibi, vt Deus diuisit lucem à tenebris, diemq; à nocte; sed immediate post tertium effectū diem ait iterum. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, &c.* Nunc iubet, vt facta in cœlo luminaria, ipsa diuidant diem, ac noctem. Et quādo iā in primo die nox, & dies diuisa erant ab ipso immediate Deo, & per hanc diuisionem processerant iam tres integri dies, totidemque noctes; cur modo, quarto incipiente die, remittitur cœlestibus luminaribus hæc ipsa noctis, dieique diuisio? Quæ à Deo diuisa erat, cur necessum fuit iterum à cœli luminaribus diuidi? Diuiserat plane Deus per se lucem à tenebris, diē à nocte; vnicuique posuerat regni sui fines; sed illam diuisionem non nisi clarissimi, & defœcatissimi oculi cernerent. Ideò mandatum est postea luminaribus cœli, vt ipsa diuidant noctem, & diem, alternantibus enim motibus suis sensibilibus hæc faciunt diuisionem oculis carneis conspicuam. Qui enim oculus, vel bruti diē principatum Solis non videat, & noctem principatum Lunæ? Ait D. Aug. lib. de Gen. ad liter. cap. 12. *Nonne Deus diuiserat inter lucem & tenebras, & vocauerat lucem diem, & tenebras noctem? Ex quo apparet eum inter diem & noctem diuisisse. Quid sibi nunc vult, quod dicitur de luminaribus, Et diuidant inter diem, & noctem? An ita nunc sit ista diuisio per luminaria, vt hominibus nota sit etiam solis carnalibus oculis ad rerum istarum contemplationem vtentibus? Itaverò Deus eam fecit ante circumitum luminarium, vt videri nisi à paucis sano spiritu, & serena ratione non possit.* Equidem quod factum à Deo fuerat circa diuisionem lucis, & tenebrarum; nimirum in partiendis spatijs, & regnis pro luce, portenebris; adeò secretum mansit, vt nisi à paucis sano spiritu, & serena ratione, non possit percipi. Quod Sol, luna ve faciunt circa eadem, id manifestum, & patentissimum est etiam vilissimis bel-

Gen. 1.

D. Aug.

buis. Pro Dei immortalis œconomiam! Ipse, ipse diuidit regna lucis, & tenebrarum; ipse diuidit omnia regna mundi, & principatus gentium; sed quod ipse in hoc facit, secretum relinquit, solis puris, defœcatisque oculis videndum. Quam puræ, & serenæ rationis homo sit, qui manum Dei in diuidendis regnis, principatibus, bonisque mundialibus cernat. Quod in hac parte faciunt creaturæ, hoc solum patentissimum est, vel obtutibus belluinis. Cōueniāt huc Politici oculatissimi, qui in solis hominum præcellentium progressibus doctrinam fœlicitatis regalis, aut priuatæ constituunt; ijs sane etiam si oculatissimi putentur, solum illa vident, quæ vel vilissimis animalculis relinquuntur videnda. Qui autem sani spiritus, serenæque rationis est, admittitur, vt Deum datorem, & diuisorem fœlicitatum omnium possit videre. Nunquam enim Deus non se eripit carnalibus oculis, etiam quando illis clarissima regna præparat, Exod. 13. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viā per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.* Ducebat quidem Israelitas à seruitute ad regnum; & ante oculos eorum colūnas nubis, & ignis proponebat, quas sequerentur. Et cur quando ipsa dux erat, colūnas illas ductrices proponebat? Erant carnales adhuc Israelitæ, Ægyptique vita impuri erat, & ideò Deus in ducatu suo nō patiebatur ab illis videri, sed permittebat, vt quasi ab elementis se crederentur ferri. Quo spectans D. Irinæus lib. 4. cap. 28. aiebat: *Et non videntibus in Ægypto à semet ipso dabat ductionem.* Quippe, quod non videtes duceret dominus, inde proueniebat, quod in Ægypto erant, quod adhuc polluti vita Ægyptiaca existebant. Soli enim qui puri sunt, serenaque ratione pollent, possunt ductum Dei cernere.

Exod. 13.

D. Irin.

§. XV.

Ad diuina excipienda mundities magna & sanctitas necessaria est.

SAcrificaturus itaque Samuel, prius sanctificauit Isai, & filios eius, vt qui vesci debebant sacrificio, & interesse electioni Christi domini. Dicit enim: *Sanctificauit ergo Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.* Non parua namque mun-

dities,

ditiès, ſanctitas ve requiritur ad percipiẽda diuina. Magnus ille Iacob morti proximus aiebat ad filios ſuo, Gen. 49 *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſsimis. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſrael patrem veſtrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effuſus eſt ſicut aqua, &c.* Iubet congregari filios, vt eis annuntiet futura; & cum ad congregatos incipit loqui totus hæret in annuntiandis præteris vnicuique eorum notiſsimis. Rubeni enim proponit priſtinam inceſtum, quo lectulum parentis fœdauit, dum vocat eum principium doloris, & effuſum velut aquam. Cur ergo hæret in præteritis, qui decreuerat illis futura prædicere, & glorias nouiſsimas? Ipſe pater ad annuntianda futura diuinitatis magnalia feſtinabat, vt de illis erat verus eligendus Chriſtus; at quia filij non habebant ſanctitatem, puritatemque dignam tanto myſterio excipiendo; Deus immutauit parentis decretum, & fecit, vt in præteritis hæreret. Pro quo luculentus author eſt D. Iſid. Peluſ. lib. 1. epiſt. 36. inquiens: *Iſid. Pel.* *Cũ Iacob, qui futura ſe dicturum præmiſerat, præterita tantum filijs ſuis narraret; contra ea, quæ pollicitus fuerat, haud quaquam incedebat: verum Dei digito ſenſus ipſius tactus eſt. Nam cum futuram ex ipſis diuinæ diſpenſationis incarnationem eis exponere conſtituiſſet, eorum, quæ propoſuerat, obliuione captus eſt, commutatis videlicet vs, quæ nondum facta fuerant, cum ijs, quæ præterierant. Nam tu quidem inquit Deus, cum mentem tanto myſterio dignam conſecutus ſis, haud abſre tibi quoque ipſius cognitio credita eſt; at iſti haud patri parem pietatem habituri ſunt.* Expende hæc vltima: *At iſti haud patri parem pietatem habituri ſunt,* Quando enim auditores illi minime in ſanctitate, & puritate parẽti Iacob æquales erant, non creditur illis incarnationis diuinę, Chriſtique futuri reuelatio. Hæc datur Iacobo, qui vt ſanctus, & purus erat, admittitur ad percipienda diuina myſteria; à quibus repelluntur, qui non eadem pollebant munditie, & ſanctitate, Act. 7. S. Stephanus aiebat: *Act. 7.* *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei, &c.* Quid tunc? Iudæi *Exclamantes voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter.* Vbi dicitur Ieſus ſedere à dextris Dei, miſeri Iudæi aures ſuas continent, non enim in auribus impuris poterat capitantum myſterium. Dicebat enim D. Nyſſen. orat. de S. *D. Nyſſ.* Stephano: *Neque enim fuerunt dignæ prophanorum, & impurorum aures, quæ diuinæ apparitionis exciperent narrationes.* Non capiuntur diuina myſteria ab impuris mentibus; niſi prius purificentur. Hinc Ioan. 20. Magdalenæ appropinquanti ad Ieſum dicit dominus: *Noli me tangere, nondũ enim* *Ioan. 20.* *aſcendi ad patrem meum;* ſed poſt octo dies dicit Thomæ; *Infert digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Thomas perſuadetur, vt tangat Ieſum, & tractet vulnera eius ſeruata poſt reſurrectionem; Magdalena à tactu prohibetur. Et cur hæc prohibetur, quando ille admittitur? Ait D. Cyril. Ale. ibi: *Recordemur Magdalenam à tactu Chriſti prohibitam; Noli, inquit, me tangere.* *Cyril. Al.* *Thomam hortatur, vt & latus, & clauorum fixuras diligentius tangendo, & manum, aut digitum immittendo perquirat. Quare ſic? Illi nõdum gratia ſpiritus ſanctificata tangere nõ licebat. Nam antequam dominus aſcendiſſet, deſcenſus Spiritus in omnes nõ fuit: Thomæ autem hoc licebat, qui vna cum alijs Spiritum fuit conſecutus, ad vniuerſum namque diſcipulorum conſortium liberalitate donantis vox illa tranſiuit, Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Inſufflauerat paulo ante Apoſtolos dicens dominus: Accipite Spiritum Sanctũ; & inde Thomas, vt Apoſtolus eam ſanctificationem ſortitus fuerat, qua admitteretur ad myſteria diuina, & ad contactum Chriſti. Magdalena autem quæ externis illis ſignis accedentis Spiritus nondum ſanctificata erat, à contactu expellitur, vt videas; qua ſanctitate debeat pollere, qui velit diuina percipere.

§. XVI.

Regale decus ex ſanctitate, & religione conſurgit.

QVi ſanctificatur, & ad ſacrificium vocatur, Iſai fuit cum filijs ſuis, vt â quorũ familia rex deſignandus erat. Sic ibi: *Sanctificauit ergo Iſai, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium.* Nullo melius diſponebat Iſai familiam ad regale decus, quàm illam ſanctificans, & ſacrificij faciẽs participem: ex ſanctitate namque & religione regale decus coaleſcit, Matth. 1. regalem genealogiam explicans ait: *Booz autem genuit Obeth ex Ruth.* Et cur notanter proponitur Ruth, quando in genealogijs aut nunquam, aut raro fœminæ ponebantur? Ruth relictis idolis veram religionem ample- *Matth. 1.*

amplexata coniugium Booz ambiuit; qui vt eam in coniugem acciperet, prius legē Moysi adimpleuit, de semine fratris suscitando, & accedens ad propinquiorem, illum admonuit, vt eam acciperet, vel iuri cederet. De tanta autem legis obseruatione impleta venit ad sanctificatum, & religiosum coniugium, vt merito inde posset genus regale initiari. Adhæc ait Imperfectus, hom. 1. in Matth. *Ergo Booz pro merito suæ fidei illam accepit vxorem, vt ex coniugio tali sanctificato genus nasceretur regale.* Expende illud: *Ex coniugio tali sanctificato*; quippe sanctitas, & religio nunquā non debet præponi decori regali. Plane in sanctitate, & religione notissimum regni fundamentum ponitur, Matth. 20. mater filiorum Zebedæi temporale regnum suspicata petit à Iesu: *Dic, vt duo filij mei sedeant vnus ad dexteram, vnus ad sinistram in regno tuo.* Quibus dominus respondens ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Petentibus regnum, ac principatum calicem suum porrigit dominus. Sed quid calix dominicus habet cum regno? Ostendebatur regni ambitoribus fœlicissima via ad regnum in dominico calice; quando regale decus maxime procedit à sanctitate, & religione. Ait D. Basil. Sel. orat. 24. *Mater regnum postulauerat, obtentu facile arbitrata, sperabat que, quod sperabatur, ex sola postulatione rogantibus obuenturum. Christus dominus regni acquirendi modū docebat: Thronus laborum fructus est, & munus rogationis: via, est passio, labores pro religione suscepti regnum merentur.* Vbi sunt opera, vel labores, qui religionē, sanctitatemq; foueāt, ibi notissima est via ad regnum. Et illud maxime ponderandum est, nimirum: *Christus dominus regni acquirendi modū docebat*; docebat, inquam, modum regni acquirendi, calicem porrigens, de Christiani enim calicis religione sese regna mirum in modum exaltare solent. Testis est Austriaca domus, cuius regalia decora nobilitantia Orbem, de dominici calicis religione habent ortum, vt proclamant historiæ. Ex quo enim Rodolfus comes Absburgensis videns sacerdotem cum sacrosancta Eucharistia per montium prærupta euntem desilijt equo; sacerdotemque in equo constituit, & ipse pedes comitatus, vsque ad domum infirmi rustici; quis numeret regales glorias ex eius familia ortas? Facit equidem plurimum ad fundanda regna sanctitas, & religio. Vxor illa Elcanæ, 1. Reg. 1. deflens sterilitatē suam; sic domino vouebat: *Si dederis seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula, non ascendet super caput eius.* Et vt vouit, sic adimpleuit, natum enim puerum Samuelem, eum domino sacrauit, & in tēplo fecit seruire, quod puer mira sanctitate peregit. Et cur Deus puero huic tantam sanctitatem, vel ante natiuitatem prouidit? Ait D. Isidorus Hispal. lib. de vita & morte Sanctorum, cap. 32. inquiens: *Samuel propheta filius Elcana de Ramatha, de tribu Ephraim connumeratus Moysi in Sacerdotibus Dei, ab ipsis cunabulis domino consecratus, sedulus in ministerio, in gente princeps, in templo vates. Cuius verbo obtemperauerunt cœli, occurrerūt nubila, effusi sunt imbres. Hic primus Principes in regno vnxit.* Tanta sanctitate, & religione præmuniebatur ille, qui primus vncturus erat reges; vt videas, quam de sanctitate, & religione oriantur regna.

Matth. 1.

Matt. 20.

Basil. Sel.

1. Reg. 1.

D. Isid.

1. *Reg.* 16. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, & ait, num coram domino est Christus eius? Et dixit dominus ad Samuelem, Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea, quæ patēt, dominus autem intuetur cor. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit coram Samuele: Qui dixit: Neque hunc elegit dominus, &c.

§. XVII.

Bona temporalia à Deo alienata vana sunt, & despicienda; cum Deo æstimanda.

IVbetur in Eliabo externa corporis bona contemni, dum ait: *Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum.* Ideò despicienda species, & forma corporis, proponūtur; quoniam hominem Deus reiecerat; nullū enim temporale bonum non despiciendū, quod creditur esse à Deo alienum. Paulo enim post,

post, dum aderat Dauid, ait textus: *Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie: & ait dominus. Surge, & vnge eum, &c.* In Dauide notatur, & eligitur formæ præstantia; & in Eliab contemnitur, & despicitur; imò iubet expresse Deus, ne spectetur. Cur ergo in Eliab prohibetur vultus, formaque corporis conspici; quãdo in Dauide ea prædicatur, & æstimatur ad regnũ? De Eliab aiebat Deus, *abiece eum*; nõ erat Deus in Eliab; erat autem in Dauide; præstantia autẽ formæ sine Deo; prorsus abijcienda, & contemnenda est, cum Deo autem suspicienda. Hinc Psalm. 29. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Decor, & pulchritudo ibi creditur ad virtutem profeciſſe; & quî fieri potuit, vt corporalis pulchritudo ad virtutem proficeret? Ait ille: *Domine in volũtate tua præstitisti, &c.* Inerat ibi Deus, de cuius affectione præsenti veniebat, vt vel in corporis bonis robur, & virtutem haberet. Quo spectans D. Cyril. Alex. lib. 2. de Trinit. aiebat: *Domine in voluntate tua præstitisti pulchritudine mei virtutẽ. Deducimur enim in Christo ad voluntatem patris, & ad summã pulchritudinem per ipsum configuramur, roborati in omni genere bonorũ.* Vbi adest Christi influxus in omni genere bonorum roboramur, adeò, vt vel de corporali specie ad summam in incorruptione pulchritudinem deueniamus. Nunquam enim nos de Dei præsentia, vel ipsa bona temporalia, & corporalia non corroborant, & cõfirmant ad æterna. Verum vbi Deus non adest, vbi sese Dominus absentat; in bonis temporalibus nihil non abijciendum mõstratur. Huc traho Isaiam, cap. 27. dicentem: *Florebit, & germinauit Israel, & implebunt faciem orbis semine.* Quæ sic leguntur à D. Irinæo: *Filij Iacob germinabunt, & efflorescet Israel, & implebitur orbis fructu eius.* Non ait, quod Israel implebitur fructu; sed quod orbis implebitur. Et cur non magis Israel dicitur implendus? Id insinuat comparatio arboris germinantis, & efflorescentis. Quam diu enim fructus in virtute arboris est, & arbor germinat, frondescit, & floret, & fructus edit. Vbi autẽ fructus ab arbore tollitur; arbor lãguet, frondes decidunt, & sola nuditas apparet contemnenda. Sic quandiu Iesus erat in virtute, in Israele; maxime germinabat, & efflorescebant Israel; vbi autem hic benedictus fructus ab Israele sublatus est; mansit Israel nudus, indecorus, despiciendus. Ait ex D. Irinæo lib. 4. cap. 7. Theodor. Dialog. 2. *Filij Iacob germinabunt, & efflorescet Israel, & implebitur orbis fructu eius. In vniuerso ergo terrarum orbe fructu eius disseminato, merito relicta, & de medio sublata sunt, quæ aliquando quidem pulchre fructum tulerunt, ex ijs enim quoad carnem attinet, Christus factus productus est, & Apostoli, nunc autem non sunt amplius apta ad fructum ferendũ.* Sic dũ Deus bonis aliquibus inest, non mirer, si in immensum efflorescant; & amentur; vbi autem Deus ab illis separatur, nihil decoris, nihil amabilitatis habebunt, sed ibunt in sterilitatem, & contemptum. Quod enim bonum non elanguet, & turpatur sine Deo? Matth. 4. *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Quod autem fuerit desertum hæc spiritualiter docet, Euseb. Emissen ibi aiens: *Alios itaque in desertum ducit, alios supra templi pinnaculum posuit, alios vero in montem excelsum exaltat. Et in desertum quidem ducit, quando ab amore cœlestis patriæ, & à diuina contemplatione mentes hominum auertit, & terrena quæque ac transitoria cogitare facit. Desertũ enim est, quidquid à Deo longe est.* Itaque dum temporalia absente Deo meditamur, aut quærimus in deserto sumus; nullum enim bonum temporale à Deo separatum non est desertum, & terra horroris, & vastæ solitudinis.

Psal. 92.

Cyri. Al.

Isai. 27.

D. Irin.

D. Irin.

Matth. 4.

Euseb.

§. XVIII.

Non hominis, sed Dei est intima rerum penetrare.

TRitum est illud nimirum: *Homo enim videt ea, quæ patent, dominus autem intuetur cor.* Nullus enim est hominũ adeò perspicax visus, qui non hæreat in rerum superficie; quando vnus est Deus, qui intima quæque penetret. Huc refero illud, 4. Æsdr. 9. *Dixi, Domine, qui habitas saculum, cuius oculi elenati in superna, &c.* Quæ verba tractans, Tertull. lib. de Præscript. Hæret. ait: *Tu, vt homo extrinsecus vnumquemque nostri: putas, quod vides. Vides autem, quousque oculos habes. Sed oculi, inquit, domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideò cognoscit dominus, qui sunt eius; & plantam, quã non plantauit, eradicat; & de primis nouissimos ostendit.* Qui primi videbantur esse, passim inter nouissimos apparẽt à Deo reiecti; quia visus diuinus intima eorum intuetur, non in superficie hæret. Proh acutissimus Dei visus; inter prima mundi decora ab homine

4. Æsd. 9

Tertull.

ne

ne possessa, latens circa præcordia virus penetrat, & infectum reijcit. Non sic homo, sed in superficie sola hærens, pro habendis bonis sæpe virus amplectitur, Ecclesiastes, cap. 2. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, plantaui vineas: feci hortos, & pomaria, &c. Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, &c.* Prius à se pulcherrima, & ditissima opera cõfectare censet, in domibus, vineis, hortis ædificandis, in auro, argẽto ve coaceruando, in delicijs conquirendis; & post hæc ait: *Cumque me conuertissem ad vniuersa opera mea*, quippe, vt videret ea. Sed antea non viderat? Quãdo fecerat, quando fruitus fuerat, nõ aspexerat? Aspexerat quidẽ, sed ita aspexerat, vt in sola superfie hærẽs, quod erat intimius minime videret. Rem pulchre tractat, Hugo Victorinus, hom. 10. in Ecclesiast. aiens: *Quando ædificauit domos; seruos, & ancillas habuit, argentum, & aurum. Quando non solum opere, sed mente quoque rerum se suarum amori immerserat: nunquid non videbat, quod faciebat? Sed vidit speciem, non præuidit corruptionem. Vidit, quid esse videbantur, quæ stabant, sed non attendit, quid facta fuissent, quæ perierant. Vnde factum est, vt dum ab ea, quæ videbantur, sola respiceret, in ipsis quoque veritatem agnoscere non valeret.* Non intimam rei veritatem, sed extremam rerum speciem aspicit homo. Quod latet corruptionis, quod latet discriminis in mundialibus bonis minime homo attendit præoccupatus externis speciebus, quas tota animi anxietate intuetur. Vt dicat etiam Ecclesiastes, cap. 2. *Stultus in tenebris ambulat*; siue, vt alij legunt: *Oculi stultorum in finibus terræ.* Sunt equidem homini & fines terræ, & fines vltra terrã; in terræ finibus voluptates sunt, & delitiæ; in finibus vltra terram tormenta damnationis sunt, quibus sepultus erat dives ille in inferno. Oculi autem stultorum minime penetrant terræ corda, vt dãnationem, reprobationem ve attendãt hærentes in solis bonis terræ. Ait enim, Hugo Victorin. hom. 12. ibi: *Carnalium voluptatum delectationes fines terræ sunt: & delectationes quidem carnis sequitur mors carnis. Mortem vero carnis sequitur vltio damnationis. Istos fines stulti considerare nolunt, qui oculos habent in finibus terræ. Tantummodo enim primos fines terræ intuentur circa terram, vbi terra ipsa finitur. Intendunt ad fines desiderij sui, non ad fines iudicij sui. Ad voluptatum suarum illecebras oculos aperiunt, & quid vltra postea futurum sit, nõ attendunt.* Sic miseri mortales vltra speciem minime progrediuntur, vt videant discrimina rerum; imò multi ea stultitia cæcãtur, vt quæ post se trahant mundialia bona, nolint attendere.

Eccles. 2.

Hug. Vi.

Eccles. 2.

Hug. Vi.

§. XIX.

Nõ semel tẽporalia bona ægre, & difficulter ad iustos perueniunt.

REiecto Eliab, rursus Isai alium filium proponit. Dicit enim: *Vocauit Isai Abinadab, &c.* & post hunc alium; tandem septem adduxit filios, & coram Samuele proposuit, nec illorum aliquis fuit electus. Et cur maluit Deus, vt per tot fratres erraret propheta, nec facile inueniret eligendum? Vncturus idem Samuel Saulem in regem per nullos alios errat, sed illum quam primum cernit. Sed, & 4. Reg. 9. vncturus Elisæus regem Israel certissimum nuntium dirigit ad Iehu vngendum. Cur in sola Dauidis vnctione, hoc inuenitur, quod primo propheta per alios erret, & in alijs detineatur, & ægre, & difficulter ad vngendum perueniat? Deferebatur in illa vnctione temporale regnũ. Tẽporalia autem bona, vt ad reprobos volare solent; sic ad sanctos, & iustos non semel ægre, & difficulter accedunt, Prou. 3. *In sinistra eius diuitiæ, & gloria.* Et mirabar, quod diuitiæ, & gloria constituerentur in sinistra Dei. Sinistra enim manus tardior est, & impeditior ad operandum, quam dextera. Cur ergo in tardiori, & impediti ori manu ponuntur diuitiæ, & gloriæ? Agitur ibi non de diuitijs, & gloria æternitatis, sed de diuitijs, & gloria, quæ temporales sunt; has autem merito in sinistra sua habet Deus, vt ostendat, quam tarde & ægre peruenire possint ad iustos, & electos. Ait Rupert. lib. 4. in Apocal. *Quæ nã sunt diuitiæ in hoc loco, & quæ gloria, nisi diuitiæ terrenæ, & mundana gloria? Bene ergo in sinistra eius diuitiæ, & gloria, quia bonũ quodlibet huiusmodi, bonum diuitiarum, & gloriæ temporalis tale est, vt non solis detur electis, imò sæpius desit, & tardius detur electis, quã reprobis.* Expende illud: *Et tardius detur electis, &c.* quippe tarde, & difficulter bona temporalia solent peruenire ad iustos, & electos, Matth. 9. *Ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens, Domine filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manũ tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequeba-*

Prou. 3.

Rupert.

Matth. 9.

Luc. 7. quebatur eum, &c. & Luc. 7. videns Iesus filium vnicum viduæ efferri, iussit portitores consistere, & adolescentem vocauit in vitam. Verum Ioan. 11. *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur Lazarus, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Manſit nimirum, donec Lazarus moreretur, & efferretur, & sepeliretur. Cur non magis festinauit, vt eum suscitaret? Cur qui ad filiam principis suscitandam festinauit, nec parum moratus fuit, sed continuo pergit cum eius parente; & adolescentem in ipsa elatione vocaret ad vitam; in Lazaro suscitando sic moratur? Cur in Lazaro adeò serus accedit, vt iam fœtidum, & quatriduanum inueniret in sepulchro? Expende illa: *Diligebat autem Iesus Lazarum*, vt Lazarus erat ex amicis & dilectis, & electis Iesu; sic moratur Iesus, & tardat illi vitam inferre temporalem. Ægre enim & difficultur bona temporalia iustis, & Dei amicis dantur. Aiebat Rup. lib. 10. in Ioan. *Vt audiuit, quia infirmaretur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Quare mansit in eodem loco? Vtique id circo, vt eo retardante moreretur, & sepeliretur languidus ille. Non enim volebat languidũ sanare, non mortuum adhuc in domo iacentem, sicut Archysynagogi filiam, aut ad tumulum deportari incipientem, sicut viduæ filium resuscitare.* Tardius sanè cum Lazaro, & morosius, quam illis se habuit. Vt enim temporalem vitam refusurus erat, nõ miror, non miror, quod iusto, & amico ea refunderetur tardius.

Ioan. 11.

Rupert.

1. *Reg.* 16. Dixit Samuel ad Isai, Nunquid iam completi sunt filij? Qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai; Mitte, & adhuc eum; nec enim discumbemus prius, quam ille veniat. Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie; & ait dominus, Surge, & vnge eum: ipse est enim.

§. XX.

Nil non extorquet à Deo, qui veterum fidelium, maiorumque pijs vestigijs inhæret.

ECce tibi quem Deus exaltet, cui regna, ingentiaque bona deferat, nimirũ ait: *Adhuc reliquus est paruulus & pascit oues.* Vnus è septẽ fratribus oues pascebat Dauid; & relictis alijs strenuis militibus, vnus hic ouiũ pastor eligitur à Deo in amicum, & regẽ. Et vnde pastor hic placuit Deo præ alijs? Placuit equidem ex ipso pastoritio munere, quo primos illos fidelis populi fundatores æmulabatur. Primus è natis iustus Abel pastor fuerat; Abraham, Isaac, & Iacob Israelitici populi fatores pastores fuere, & Moyses Legislator fuit pastor. Quando autem Dauid oues pascens veterum populi fidelis fundatorũ vestigijs hærebat, dignus inuentus est, qui tanta sibi ex Deo traheret. Vbi Dei filius cœlorũ regnum ad Bethleemiticũ præsepe transtulit, ait D. Lucas, cap. 2. *Et pastores erant in regione eadẽ vigilãtes, & custodientes vigilias noctis super gregẽ suũ. Et ecce Angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei refulsit circa illos, &c.* Itaq; primi eliguntur pastores, qui cœlestia percipiãt gaudia, qui nati Dei excipiant cunabula. Et cur pastores primi ad cœlestis regni notitiã vocãtur? Ait Titus Episc. Bastrorum ibi: *Quin ob id quoq;, quæ cæteris pastoribus beneficiũ hoc obtigit, quia præ cæteris simplices, doliq; exortes erãt: sectabãtur enim adhuc veterũ consuetudinem; nãvt Patriarchæ, & ipse etiã Moyses pascẽdis gregibus quondã intẽti erãt, ita nũc ipsi quoq;.* Expéde illa: *Sectabãtur enim adhuc veterũ cõsuetudinẽ*; quod enim fuerat munere in veteribus illis populi fundatoribus, quod fuerat curæ, quod sobrietatis, & vigilãtiæ, & æmulabãtur mordicus, vnde non miror, quod tãta ex Deo trahãt. Vtinã & tu veterũ sobrietatis, & virtutis vestigijs hæreres; & te ex Deo ingentia beneficia cumularẽt. Hinc Marcus, cap. 1. Præcursorẽ Christi nobis delineãs ait: *Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lũbos eius, & locustas, & mel syluestre edebat.* Quãta hæc ad Ioannẽ? Cur nõ magis eius visiones, & reuelationes narrat? Cur Angelorũ visitationes? Cur inuisibilia pabula, quibus sustẽtabatur, nõ magis explicat? Cur relictis magnis illis, ad hęc parua descendit, ostendens tantum viri sobrietatem circa vestitum, & victum? Erat hæc notissima virtus in antiquis iustis; filij enim Seth, qui filij Dei vocabantur, Genes. 6.

Tit. Epis.

Marc. 1.

Gen. 6. vt prima religionis, virtutumque fundamina ponebat, sic in sobrietate victus, & vestitus, à filijs Caini distinguebantur. Non carnibus, sed pomis & oleribus vitã agebant, vestiti pellibus. Nullo ergo magis exaltaret Marcus Ioannem, quam dum illum primis illis virtutum magistris post tot sæcula perfecte similẽ monstraret. Accinit D. Paulinus in Carmine de Ioann. Baptista fatus:

D. Paul. *Vestis erat carni setis conserta cameli*
Contra luxuriem molles duraret vt artus.
Hunc vilis rigidos ad lumbos zona ligabat.
Præbebant victum facilem syluestria mella
Pomaque & incultis enata cautibus herba,
Arentem sitim decurrens vnda leuabat.
Sic primi vixere homines, mundoque recenti
Hos nuthor dederat ventura in sæcula mores.

E quibus illa notanda veniunt: *Sic primi vixere homines*; vbi enim Ioannes post tot sæcula ostenditur primorum iustorum hæ rere vestigijs, nil non magnum ostenditur in illo. Nihil vile à maioribus traditum in re virtutis despicias, effugias; sed potius ei peragendo insistas, si ad magnũ amas extolli perfectionis culmen, Ioan. 9. vt Iesus homini cæco præberet lumina:

Ioan. 9. *Expuit in terram, fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, &c.* Cur ad lutum confugit; vt lumina præbeat? Primus naturæ humanæ author fecerat hominem ex limo, dum enim limum in manibus sumserat, hominem efformarat plenum luminibus, in eo splendore regio, quem coleret creatura visibilis. Sic Iesus, vt hominem illustraret, ad primæ formationis materiã confugit, sciens nihil homini tam illustre, quam si primæui authoris sui lineaminibus insistat. Vt dicat D. Irinæus

D. Irin. lib. 5. contra Hæret. *Ei qui cæcus fuerat à natiuitate præstitit visum. Fecit lutum, & superliniuit illud oculis eius ostendens antiquam plasmationem, quemadmodum facta est, & manum Dei ostendens, per quam è limo plasmatus est homo.* Hoc curabat dominus, nequid illuminando homini deficeret ex ijs materijs, quas in formando homine author assumpserat.

†

§. XXI.

Magna præstantia viri, qui paruuli simplicitatem, & innocentiam non perdit.

VIgesimum annum iam Dauid attigerat, vt putat noster Salianus, & nilominus vocatur paruulus à parente, dum ait: *Adhuc reliquus est paruulus, &c.* quibus non parua Dauidis præstantia ascenditur, vt cui adolescentiæ, pubertatisque anni candorem, & simplicitatem pueritiæ minime adempserint. Quo forsam alludẽs, Zacharias Lucę, 1. post multa sæcula orsum Iesu celebrans ait: *Erexit cornu* Luc. 1. *salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.* Sic post bellicos sudores, post longum senium adhuc puerum Dauidẽm vocat. Est enim hoc in viris præstantissimum, quod nunquam non præseferant candorem, & simplicitatem pueritiæ. Vnde ipse Zacharias Luc. 1. post inditum filio suo nomen Ioannis, conuersus ad illum ait: *Et tu puer pro-* Luc. 1. *pheta altissimi vocaberis.* Dixisset vsitatius, & tu Ioannes, vel & tu fili; cur maluit dicere, & tu puer, nisi, vt ostenderet hanc in Ioanne præstãtiam, quod illi pueritia erat indiuidua & inseparabilis? De quo sapiẽter canebat D. Paulinus in Carmine proprio:

Nascetur dignus tanto sponsore beatus, D. Paul.
Perpetuusque puer.

Hoc prestantiæ, hoc beatitudinis putat in Ioanne, quod perpetuus sit puer; quod illi anni, & longa ætas candorem, & simplicitatem pueri paruuli non adimant. Sic monebat Petrus, 1. epist. 2. renatos in Christo: *Deponentes igitur omnem maliciam, &* 1. Petr. 1. *omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite.* Et si viri, & si senes sint, qui per lauacrum renascuntur, iubentur semper esse, vt recenter nati infantes. Pro quo dicebat D. Zeno lib. 3. serm. 25. *Regenerationis sanctio-* D. Zen. *nem, vestra ætatis omni curriculo manente, in sua semper infantia custodite; ac fortiter præcauete, ne primi hominis quondam vestri vnquam memoriam recolatis.* Hæc sit cura nostra, hæc solicitudo, ne malicia nobis infantilẽ candorem eripiat. Sed in quocumque corporeæ ætatis curriculo noster homo interior appareat non amisisse pueritiam.

§. XXII.

§. XXII.

Pueritiæ candor in viris maxime trahit Deum.

ECce tibi cur Dauid præ cæteris fratribus eligitur; dicebat enim de illo pater: *Adhuc reliquus est paruulus, &c.* Et qui in adulta ætate sese paruuli instar gerebat, non mirer, quod rapiat oculos diuinos, Oseas cap. 11. assignans causam, cur Israelitæ fuerint præ ceteris electi à Deo ait: *Quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum.* Græce legitur: *Quia paruulus Israel, & ego dilexi eũ, &c.* Erat equidem Iacob eâ indole, vt innocentiam, & simplicitatem paruuli haberet, quo meruit à Deo eligi, & diligi præ alijs, multisque beneficijs cumulari. Quod notabat ibi D. Cyril. Alex. fatus: *Homo candidus, & sine fuco, inquit, fuit Iacob, mutato nomine dictus Israel. id circo dilexi eum.* Hoc animaduertit dominus in Iacob, quod candorem, & simplicitatem pueri etiam in virili ætate seruaret; & ideò eius amore fuit captus. Puerilis simplicitas in viro fuit causa, quod præ fratre eligeretur, vt diuina beneficia portaret. Non enim est illa Dei vox; Luc. 18. *Sinite paruulos venire ad me, & nolite vetare eos. Talium est enim regnum cœlorum.* Sed qualiter pusillitatis, & pueritiæ iure robusti viri regnum cœlorum expectabunt? Ait Orig. hom. 5. in caput, 18. Matth. *Siquis ergo vir habitudinem, quam habent pueri ex ætate, in se ratione susceperit, expellens ea, quæ mouent insensatos, factus est sicut puer, non se extollens in honoribus, neque efferens se in diuitys, neque eleuans se claritudine generis: iste talis suspiciendus est, & honorandus in nomine Iesu, quoniam præcipue in talibus est Iesus.* Habitudinem pueri in candore, & simplicitate induat, qui amat regnare cum Christo. Vt dicat ipse, Luc. 11. *Et pueri mei mecum sunt in cubili.* Quo spectans Seuerus in Cat. Græca ait: *Pueri autem, qui in cubili, sunt fideles, qui corde simplici credunt Euãgelio, & summa cum domino quiete perfruuntur.* Proh pusillitas, & pueritia, quę homines in regno cum Dei filio constituis! Cura homo in corde simplici paruus fieri, & in te venient magnalia diuina, Matth. 18. *Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus parnulam, statuit eum in medio eorum, &c.* Quærentibus cœlorum magnalia, paruulus proponitur in medio. Et quid paruulus ad eos, qui magna quærebant? In paruulo ostendebatur tritissima via per quam ex Deo ad magna peruenitur. Euseb. Emiss. hom. de Sanct. Michaele ait: *Merito paruulum dominus vocat, vt eius exemplo instruantur, qui maiores videri volunt.* In paruulo equidem proposito instruebantur, vnde possent peruenire ad cœlestia magnalia.

Oseas, 11 — Cyril. Al. — Luc. 18. — Orig. — Luc. 11. — Cat. Græc. — Matt. 18 — Euseb.

§. XXIII.

Filij maiorum suorum virtutibus similes ad se trahunt illorum magnalia.

EX quo auditur paruulus Dauid resiguus esse, iam creditur in regem eligendus. Dicit namque textus: *Qui respõdit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai: Mitte & adduc eum, &c.* Auditur vocari paruulus, & is petitur ad regnum. Et cur, qui paruulus erat, creditur Israelitarum rex futurus? De Iacob dicebat, Oseas cap. 11. *Quia puer Israel, & dilexi eum.* Septuag. legunt: *Quia paruulus Israel, & ego dilexi eum.* Quippè Iacob simplicitate, & cãdore, quibus paruulos imitabatur, meruit à Deo eligi in principem fratrum. Cuius filius Dauid vbi similiter in adultis annis candorem, & innocentiam retinebat paruuli, totius etiam Israelis ad se principatum traxit. Nunquam enim filij parentum virtutibus assimilantur, quin etiam ad se trahant illorum magnalia. Nato domino Angelus apparuit pastoribus, Luc. 2. & ait illis: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, inuenietis infantem, &c.* Quod infantem inuenient, datur illis pro signo gaudij exerti; at Matth. 2. dicitur de Magis: *Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, &c.* nec dicuntur gauisi de puero inuento. Et cur non Magis, sed pastoribus gaudium de puero expressius annuntiatur? Erant pastores Abrahami filij, de quo dicebat Dominus, Ioan. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Nec fieri poterat, quod gaudium de Iesu viso exurgens in Abrahamo parente, ad filios eius in eadẽ virtute existentes, non descẽderet. Dicit enim D. Irinæus lib. 4. cap. 15. *Angeli autem*

Oseas, 11 — Luc. 2. — Matth. 2. — Ioan. 8. — D. Irin.

autem gratulationem magnam vigilantibus nocte pastoribus enuntiauerunt. Sed & Maria ait: Magnificat anima mea dominũ, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: descendente quidem exultatione Abrahæ in eos, qui erant ex semine eius, euigilantes, & videntes Christum, & credentes ei. Expende illa: *Descendente quidem exultatione Abrahæ in eos, qui erant ex semine eius, &c.* quidquid enim gaudij præcesserat in Abrahamo de Iesu viso; id totum transmittebatur ad filios eius, qui simili vigilantia, & fide Iesum videbant. Semper enim filij ad se trahunt bona parentum, dum eorum virtutum fiunt æmuli. Sanauerat Iesus die Sabbathi mulierem, quæ spiritum infirmitatis habebat annis decem, & octo, Luc. 13. Quod facinus nõ paruam indignationem traxit de Iudæis, quod Sabbatho sic curallet infirmam. Aduersus quos Iesus ait: *Hypocritæ, vnus quisque vestrum Sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis non oportuit solui à vinculo isto die Sabbathi?* Filiam Abrahami vocat, vt ostendat, quam oportuerit eam in Sabbatho sanari à Deo. Multi quidem inueniuntur à Iesu sanati corporaliter; sed sola hæc in acceptione salutis in Sabbatho memoratur filia Abrahæ. Et cur hæc sola memoratur esse Abrahæ filia? Quando Abraham nulla Sabbathi lege tenebatur, quominus posset à Deo, & aquocumque alio curari in infirmitatibus suis. Non paruam inde vim ostendebat Dominus, quod deberet etiam mulier illa curari in die Sabbathi, vtpote Abrahæ filia, eiusque fidei perfecta æmulatrix. Debẽt enim parentum bona ex Deo ad filios eiusdem virtutis cum illis trahi. Ait D. Irinæus, lib. 4. cap. 19. *Vindicabat semen Abrahæ dominus soluens à vinculis, & aduocans ad salutem, quemadmodum fecit in muliere, quæ ab eo curata est manifeste dicens ijs, qui non similem Abrahæ habebant fidem: Hanc autem, cum sit filia Abrahæ, quam alligauerat Satanas annis decem, & octo non oportuerat soluere ab hoc vinculo in die Sabbathorum? Manifestum est igitur, quoniam eos, qui similiter, vt Abraham credebant ei, Soluit, & vinificat, &c.* Quod Abrahami præstitit dominus, idipsum quasi tenebatur præstare filijs eius, qui in eisdem inueniebantur virtutibus.

D. Irin.

(t)

§. XXIIII.

Virtus animi non parum acuere solet pulchritudinem corporis.

ADduxit ergo Isai Dauidem, de quo statim ait textus: *Erat autem rufus, decoraque facie, &c.* Et quando elegantia vultus in Eliab maiori fratre fuit contempta; cur in Dauide & præstantia formæ proponitur, dum eius ostenditur electio? Proponitur in Dauide præstantia formæ, quæ ab interna animi virtute proueniebat, non virtus animi solet parum pulchritudinem corporis acuere. Vt dicat Rup. ibi lib. cap. 26. *Pulcher aspectu erat & facie decora, non ea videlicet pulchritudine, quæ lasciuos ad videndum prouocat, sed quæ sapientiæ conditorem delectat, dum lucet in vultu ipsa, quæ spirat in mente gratia.* Solet equidem, quæ spirat in mente gratia, & in vultu relucere, eumque splendorem formæ causare, qui posset amari, sed non possit offendi, Cant 2. *Surge propera, amica mea, columba mea, formosa mea.* Prius columbam vocat, deinte formosa n. Et cur columbam formositati præposuit? In columba Spiritus Sanctus intelligitur, cuius gratia virtutum vbi intime aspirat, non parum solet externam pulchritudinem augere. Ex quo D. Hildephons. serm. 1. de Assumpt. Mariæ ait: *Dei genetrix speciosa prædicatur, quia columba illa, quæ super Christum mansit, eam totam repleuerat: id circo ob hanc speciem decoris non immerito formositate virtutum speciosa laudatur.* In cuius mente Spiritus Sancti columba cubabat, merito de illa externa formositas prædicatur, vt quæ maxime acuitur de virtutibus animi. Genes. 39. de Ioseph dicebatur: *Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu.* Circa quæ D. Amb. ait: *Cum esset decorus aspectu, & speciosa facie valde, venustatem sui vultus non ad alienam deriuauit iniuriam, sed ad suam seruauit gratiam, hoc esse pulchriorem ratus, si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris speciosior probaretur. Illum esse verum decorem, qui non alienos oculos caperet, sed iudicia acquireret vniuersorum, fraudi nulli futurus, laudi sibi.* Expende illud: *Cultu pudoris speciosior probaretur*: quippe pudor ipse à virtuosa mente proficiscens non parum speciositatis exteriori formæ accumulat.

Rup.

D. Hild.

Genes. 39

D. Amb.

§. XXV.

§. XXV.

Præstantia formæ in principibus, quæ non molliciem, sed horrorem potius intonet.

VBi noster dicit de Dauide; *Erat autem rufus, decoraque facie, &c.* Legit Genius apud Salianum: *Adolescens colore flauus, & Martium quiddam tuens.* Nō equidem in Dauide erat pulchritudo, quæ Venerem acciscceret, sed quæ Martis horrorem intonet. Principi namque suo Deus eam parauit pulchritudinem, quæ principe esset digna, & æmula diuinæ. Nuptialis Salomonis thalamus; seu thorus eius repræsentandæ pulchritudinis sic describitur, Cant. 3. *Eo lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, &c.* Cant. 3. Quid lectulus cum exercitu? Quid pulcherrimi hominis solium cum militibus, cum belli apparatu? Exprimebatur ibi diuinæ pulchritudinis triumphus, quæ Martem potius, non Venerem stillat. Nō enim â diuina pulchritudine mollicies, sed suauissimus quidam, & amabilissimus horror percipitur. Ait Nyssen. homil. 6. in Cantic. *Quis lecti nuptialis fuerit ornatus ex sexaginta armatis? Est consectaneum ostendi diuinam pulchritudinem in terrore habere aliquid amabile, ex ijs quæ sunt contraria corporeæ pulchritudinis. Nam hæc quidem attrahit ad cupiditatem, id quod est visui iucundum, quod blandum. Pulchritudo autem illa, in quam non cadit interitus, est magni, & excelsi animi virtus terribilis, &c.* Nyssen. Non blāditiem parturit pulchritudo diuina; ingenerat namque terrorem quemdam suauissimum; & suauitatem quemdam terribilem. Sic suauiat aspicientis animum, vt alliciat; sic terret, nequid concedat blanditijs. Huius pars est, quæ à Deo datur suis principibus pulchritudo; vt inter suauitates allectiuissimas, Martium quid inspirent, & terribile. Vt Solem, Lunamque oris honore superent, sed & Martis terrorem instillent. De Sponsa sua aiebat dominus, Cant. 6. *Pulchra, vt Luna, electa, vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. Simul videbat pulchram, & terribilem; iaculabantur enim simul de eius vultu splēdores suauissimi, & metus terribilissimi. Vt liceret de illa pulchritudine dicere, quod Claudian. lib. 2. in Rufinum cecinit de phalange catafracta, nimirum:

Horribilis visu, credas simulachra moueri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo. Claudian.
Par vestitus equis, ferrata fronte minanti
Ferratoque mouent securi vulneris armos.
Et iusso stat quisque loco, metuenda voluptas
Cernenti, pulcerque timor.

Quid sapientius diceret de ordinata acie catafractorum? Ait enim: *Metuenda voluptas cernenti, pulcerque timor*: quippè virorum phalanx splendentibus sub armis singularem gignit pulchritudinem, simul & timorem; vt merito appareat pulchritudo metuenda, & timor pulcher. Sic prorsus regio decori hæc duo insūt, & quo suauieris, & quo timeas. Stat cantatissimus princeps sub ea formæ elegantia; quæ non Venerem, sed Martem stillet, vt merito in illa inueniatur metuenda voluptas cernenti, pulcerque timor.

§. XXVI.

De præstantissima, regiaque animavenit illa corporis pulchritudo, quæ non obsit virtutibus.

VOlueram adhuc illud, quod de Dauid dicitur nimirum, *Erat autem rufus, decoraque facie, &c.* quæ sic apud Septuag. leguntur: *Ipse rufus cum pulchritudine oculorum, & bonus aspectu domino.* Itaque in Dauide bonum pulchritudinis dicitur esse non solum respectu hominum, sed & respectu Dei; ait enim: *Et bonus aspectu domino.* At pulchritudo externa quid ad Deum? Is est Deus opt. max. qui delicietur amænitate vultus corporei, & instar vespertilionis euolet ad lumina oculorum? Absit, sed est quædam corporalis pulchritudo orta à præstantissimâ, regiâque animâ, quæ minime accendat flammas vitiorum, sed potius impedimenta virtutum remoueat. Hæc quatenus non præcipitia ministrat, sed remouet, dici posset à theologis bona respectu domini; nō quod sit alicuius gratiæ ex se allectiua, sed quod tantū remouet prohibens. Quod autē hæc pulchritudo corporalis à præstantissima anima causetur, & temperetur, cur negemus? Ait Sapiens, cap. 8. *Cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Sap. 8. Quid est; cum essem magis bonus? Non qui-

dē ibi agit de materiali aliqua perfectione, quæ non præintelligi in animis potest ante corpus; sed de physica perfectione, qua aliæ animæ rationales indiuidualiter sunt alijs perfectiores, vt tritissima tenet Philosophorum sententia. Et ex hac indiuidiali maiore perfectione dantur animæ, adeò præstantes, & præcellentes cæteris. quæ petāt in corporibus nobilissimas quasque dispositiones, & amænissime temperata organa; quibus dum ipsæ animæ accedunt, simul & supremam suæ exigentiæ perfectionem imponunt, vt merito tota illa temperies, & decor putetur à præstantia animæ exortus. Hanc philosophiam spectabat Latinus Pacatus in Paneg. Theodosij vbi regium decorem in Theodosio, *Theod.* expendens ait: *Non frustra plane, opinione sapientium, qui naturalium momenta causarum subtilius scisciati arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium, siue cum venerit, fingit habitaculum prohibitu suo, &c.* Non agebat bonus philosophus de pulchritudine Veneri seruiente; quæ & imperfectiones mille admittit, & exoriri sem per solet ex aliquo accidendi. Agit autem de pulchritudine solida, & constanti, & imperatoria, quæ merito creditur plurimū trahere de cœlo, quæ de magis præstanti, & excellenti anima exoritur. Perfectissima ex in anima, ex indiuiduali sua natura imperium petens, ventura in corpus dignum prius metatur hospitium; non quod iuxta exigentiam naturæ suæ petat in illo corpore creari, quod nobilissime sit ornatum, & dispositum. Cui, vt vnita est, simul & perficit totum illud ornatum, & dispositionem, naturæ suæ, & exigentiæ correspondentem. Talis erat anima Dauid, quæ corpus exigebat adeò perfectum in nobilissima dispositione, & attemperatum; vt vix in illo Deus inueniret aliquid virtutum exercicia prohibens. Plane qui hanc habet animam, merito dicatur sortitus animam bonam. Nec longe abest ab hac Philosophia Eumenius in Paneg. ad Constantinum inquiens: *Eumen.* *Non frustra enim doctissimi viri dicunt: Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominum, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cœlestis spiritus iurarit habitator.* Vt enim dies, & attenta hospitij præparatio index est venturi principis; sic nobilis dispositio qualitatum, corporeique temperamenti indicat inhabitantis animi perfectionem, qua se super alios superponit. Explico rem, Exod. 2. vbi de matre Moysis dicitur: *Peperit filium, & videns eū elegantem, &c.* Ecce tibi Moyses recens natus elegantem iam formam præseferebat. Et quid hæc elegantia formæ dicebat? Ait Rup. *Reuera tanta fuit elegantia, quanta diuinum illum splēdorem præsignari decuit, quo postea facies eius ex colloquio Dei splendida facta est.* Nemo ignorat, vt Moyses ex Dei collocutione splendorem in facie acceperit, in quem Israelitæ non possent intendere. Decuit ergo ex sententia Ruperti, quod facies tantum splendorem receptura formaretur in ea elegantia, & pulchritudine, quę iam posset credi illius receptatrix. Sic putāt dicti sapientes, quod corpora receptura præstantem, & plus solito splendentem animā debeant etiam pulchra formari, & in ea elegantia parari; qua pateat ingressæ ibi animi elegantia. Præstantia enim animæ est, quæ se per nobiliora organa insinuat, ad aspectus gratiores, Can. 1. dicebat illa: *Nigra sum, sed formosa.* Mirabar in nigro colore pulchritudinem esse posse, qua vere aliquis dicatur formosus. Et vnde cum nigredine formositas? Quando cum nigro colore potest esse nobilissima dispositio membrorum, placidissimūque qualitatū temperamentum, quod trahat animum longe alijs perfectione superiorem; ille iam corpori assistens, sic acuit pulchritudinis decorem, vt vel inter aliquos næuos intuentiū magis arripiat oculos. Quod docte tractans, Cyprianus Cistercienſis tātem ait: *Quia gratia illa in pulchris corporibus instar salis est, qui cibis, aut condimentis gratissimum tribuit saporē. Nascitur autem (quantum arbitror) gratia ista ab anima ipsa, quæ cum lucidissima sit, in corpus materiale radium quendam sui splendoris transfundit.* Inuenit author hic in corporibus illis, quæ pulchritudinem magis allectiuam habent, aliquid, quo magis anima se insinuet, splendoremque suum diffundat, & incorporalibus triumphet, seruiat nulli.

Exod. 2.

Rupert.

Cant. 1.

Cyp. Cist.

§. XXVII.

Formæ præstantia suffragatur principibus.

NEc dissimulo, quod illud imprimis Deus velit notari de suo principe, nimirum: *Erat autem rufus decoraque facie:* vt ostendat, quam deceat imperaturo

ratutō præstantiæ vultus. Aiebat Latinus Pacat. in Paneg. ad Theodosium, post eius
Theod. commendatam formam: *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri, hæc vt deceret.* Sanè ad maximam principatus decentiam facit formæ in Principe
Psal. 92. elegantia. Quo Psalm. 92. spectans ait: *Dominus regnauit, decorem indutus est; induit dominus fortitudinem, &c.* Nullo enim priùs regnaturum ornauit, quam decore, quasi hic non parum conducat ad venerationem maiestatis. Vt Constantino dicat Eume-
Eumen. nius in Paneg. *Tum te magis nomen, tua de memoria patris authoritas, tua ætatis gratia, tua denique ista venerabilis forma commendat. Puchrum & cœleste miraculum, Imperator adolescens, in quo illa, quæ iam summa est fortitudo, adhuc tamen crescit, in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter, & grata maiestas præstringit simul, & inuitat aspectus. Talem magnum illum regem, talem Tessalum virum mente concipio, quorum summa virtus pulchritudini coniuncta celebratur.* Expende illud de pulchro aspectu dictū: *Hæc veneranda pariter, & grata maiestas*: quippè nulla potest concipi à carneis oculis venerāda maiestas, nisi in eleganti corporis figura Hinc Baruch, vt venerationē Idolorum exsufflet ait, cap. 6. *Nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit. Supra corpus eorum, & supra caput eorū volant noctuæ, & hirundines, & aues etiam similiter, & cattæ. Vt sciatis, quia non sunt dij.* Ecce tibi, vel ex fuligine, vel ex malarum auium stercore conspurcata idola, aperte ostendunt se omnino carere maiestate diuina. Quæ enim maiestas veneranda ostenditur, & non potius ridicula, & contemnenda in conspurcato fuligine, & stercore vultu? Quo respiciens Athenagor. Philosophus Christianus in sua Apollog. sic idola ridet.
Apoll. *Primum enim figuras corporibus eorum indignas tribuerunt: vt qui de Hercule scripserunt: Deus draco volubilis; & qui centimanos quosdam finxerunt; & filiam Iouis, quam e matre Rhea suscepit, oculos secundū naturam duos habere dixerunt, & insuper duos in fronte, & in capite cornua::: Et quidnam boni ad huiusmodi traditiones sequitur? Quæ inde dijs vestris accedit maiestas? Aut quid nā est, quod nobis persuadere possit, vt eos vere Deos esse credamus? Corporum ne figuræ?* Sanè in turpibus figuris nulla queit inueniri maiestas; nihil ibi venerandum, sed ridendum. Merito vir sapiens, & maiestatem, & venerationem negat esse posse ijs figuris, quæ fœditatem, & turpitudinem præseferebāt. In forma enim præstanti, & decora, ibi maxime claret veneranda maiestas.

§. XXVIII.

Colendæ formæ cura cauenda, quæ laborem tollat honestum, & otia generet.

NOn prætermittendum est de hoc pulchro, decoroque puero Dauide, vnde adducatur ad Prophetam: dixerat enim Pater eius, *Reliquus est adhuc paruulus, & pascit oues.* Et statim addit textus: *Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher, &c.* Cur in ouium pastore oris pulchritudinē notat? Qui speciei præstantia cum ducatu ouium? Maximè in eo commendabatur pulchritudo, quæ minime faciebat desidiosum, sed laboriosum in custodiendis ouibus. Formosus itaque, & pulcher iuuenis non otiosus agebat, sed ouibus paternis pascendis erat intentus. Quem vtinam imitarentur nostrates formosuli, & formosulæ: quarum studium, & cura acuendæ pulchritudinis, & decoris eò peruenit, vt nihil, nisi inertia otia meditentur. Sanè si boni auspicium à corporea pulchritudine summendum est, ab illa sola summi debet, quæ otia fugit, & laborem amplexatur honestum. Cum seruus Abrahæ venisset quæsiturus spōsam Isaacō, ait Gen. 24. *Ecce Rebbecca egrediebatur filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua; puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritque ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit, Bibe domine mi, celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibāt. Effundensque hydriam in canalibus recurrit ad puteum, vt hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens virum prosperum iter suum fecisset Deus, &c.* Expende hæc vltima: *Scire volens vtrū prosperum iter suū fecisset Deus.* Et quando hoc scire cupijt? An quando primo vidit puellam pulcherrimam decoramque nimis? Minime; vidit *Gen. 24.*

enim eam pulchritudine eximiam; & nihilominus nullum summit auspicium suæ prosperitatis. At vbi vidit puellam adeò pulchrã, sic officiosam, vt nulli labori parcat, nec detrectet camelos per se ipsam adaquare; tunc pulchritudo eius cæpit illi esse auspicata, & indicium magnæ fœlicitatis. Et quando non auspicata sit pulchritudo in eo, qui otia refugit, laboremque honestum amplectitur? Aiebat Theodor. serm. 7. de Prouid. *Rebbeccam filiam Bathuelis, nubilem iam, & forma præstantem vide; quæ nequaquã in thalamis purpurata desidere sustinet, sed aquas gestat, & ad fontem extra vrbem excurrit. Quæ, inquam, & aquas affert, & tam hospitibus, quam camelis offert, & pulchrũ illud continentiæ donum incolume custodit, & virginitatem illibatam cõseruat. Interim vero laboribus omni alacritate studet, his potius conspicua esse, quam formæ dono splendere desiderans.* Huc vocarim puellas omnes, quæ sua gloriantur pulchritudine; vt discerent â pulcherrima Rebbecca, in quo maior gloria fœminarum sit. De illa enim dicit: *Laboribus studet, & his potius cõspicua esse, quam formæ dono splendere desiderat.* Ex laboribus manuum suarum, nõ ex oris splendore conspicuæ esse desiderent. Sed magis huc vocarim formosulos illos, quibus scatent vrbes; qui à calceorum forma, à lineis sub ore alis, à vestium præcinctu amant noscí, & sciri. Proh quam fœda virorum notitia! Puella pulcherrima laboribus potius conspicua esse, quam formæ dono splendere desiderat; & vir amabit ab intortis crinibus, â calceo, à præcinctu esse conspicuus? Dicatur de viro, quod pulcher sit, elegantique forma emineat, sed quando prius dictum de illo sit, quod mille tunsarum greges in pascua mittat, quod torcularia repleat vuis, quod noua horrea ædificet, quæ ingentes messes sustineant. Ex fructiferis laboribus amet bonus magis esse conspicuus; de rege Ozia dicit, 2. Paral. 26. *Appendebant Ammonitæ munera Oziæ, & diuulgatum est nomen eius, vsque ad introitum Ægypti propter crebras victorias: Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora tam in campestribus, quam in eremi vastitate. Vineas quoque habuit, & vinitores in montibus, in Carmelo. Erat quippe homo agriculturæ deditus, &c.* Bonus princeps nõ sic in ornatu, cultuque corporis, quam in calybe gladiorum, & in ferro aratrorum amabat cognosci, & publicari. Vt pudefaceret formosulos nobiles, quorum inertiã, & desidiam traducẽs Plinius, lib. 11. cap. 23. agens de Bombyce ait: *Nec puduit has vestes vsurpare etiam viros, leuitatem propter æstiuam. In tantum â lorica gerenda discessere mores, vt onori fiat etiam vestes.* Hoc pudori ducit viris bonus philosophus, quod leuissimum sericarum vestium ornatum amplexantes, pondus loricarum effugiant; quando viros plus labor, & gemitus sub loricis, & ferro commendat, quã corporis cultus. Hinc Isaias, cap. 2. de summa pace regni christiani ait: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Nõ equidem pacifici illi gladios conflabunt in calamistros, nec hastas in pumices, vt lasciuientes, & æffœminatæ facerent; sed gladios conflant in vomeres, & hastas in falces, hoc est, labores bellicos in labores agriculturæ mutãt, vt qui ament de laboribus commendari? Quid magis virile? Aiebat Marius in Iugurtha apud Salustium: *Sordidum me, & incultis moribus aiunt; quia parum scite conuiuium exorno, neque histrionem vllum, neque pluris prety coquum, quam villicum habeo. Quæ mihi lubet confiteri, Quirites, nam & ex patre meo, & ex alys sanctis viris ita accepi: Mundicias mulieribus, viris laborem conuenire.* Equidem nihil magis è mundialibus commendat viros, quam laboris honesti indefessum studium. Desidiosæ autem pulchritudinis cura nunquã non ominosa est viris fortibus, D. namq; Synesius in caluitij encomio ait: *De Hectoris vero Cæsarie mentionẽ facit Homerus:*

Et cærula passim
Cæsaries raptata.
Euphorbo deinde Troianorũ formosissimo occumbẽte, nihil præter comã aliud deploratur:
Sanguine sparsa coma est, Charitumque simillimus illi
Crinis, & intorti argento que auroque capilli.

Sic & curata Cæsaries, & capilli intorti raptantur; vt intelligant nuperi calamistrati, qualis conditio spectet suas curas. Quid enim forte, & inuincibile speretur in viris ex formæ cultu? De Hiperborea gente locutus, Sidon. Appoll. car. 2. in Anthemium ait:

Tum ut per malas exerescat fistula duplex,
Obtuudit teneras circumdata fascia nares,
Vt galeis cedant: Sic propter prælia natos,
Maternus de format amor.

Amor equidẽ matris est, qui natos ad prælia infantes de format; nunquam enim formæ cultus tenet in prælijs sortes. Ne miremur, quod sacri Ordines suos tyrones formẽt, & vilibus assuescant, vt qui docentur fortia peragere. Nil enim forte sperandum est de cultioribus.

Theod. Isai. 2. Synes. 2. Par. 26 Sid. Ap.

1. *Reg.* 16. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus est Spiritus domini à die illa in Dauid, & deinceps; surgensque Samuel abijt in Ramatha.

§. XXIX.

Internæ sanctitatis signum minus fallaciæ expositum, est amor in fratres.

E Multis vnctis in reges vnus Dauid dicitur vnctus in medio fratrum suorum; ait enim: *Et vnxit eum in medio fratrum eius.* Non sic Saul; non sic Iehu: imò de hoc dicit, 4. Reg. 9. *Eliseus autem propheta vocauit vnum de filijs prophetarum, & ait illi::: Videbis Iehu filium Iosaphat filij Namsi; & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum. Tenensque lenticulam olei fundes super eum, &c.* Ecce tibi, vt Iehu vngatur, iubetur à fratribus separari, & in secreto cubiculi solus constitui. Dauid autem in medio fratrum inungitur. Et quãdo Iehu, & alij separãtur à fratribus; cur Dauid medius inter fratres constituitur, vt vnctionem regni capiat? In Dauidis electione nõ solum designabatur rex, sed rex sanctus, & vir secundum cor Dei, intime dilibutus oleo Spiritus Sancti. Quod, vt ostẽdat dominus, dicit illum vnctum in medio fratrum; de amore enim fraterno minus fallaciæ expositum summitur signum internæ sanctitatis. Dicebat Apostolus ad Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis, nisi, vt inuicẽ diligatis. Qui enim diligit proximum legem impleuit.* Et mirabar, quod Paulus totam legis impletionem, & internæ sanctitatis signum constituat in sola proximi dilectione; præcipue cum maior sit, & præstantior dilectio Dei. Cur pro signo sanctitatis non magis meminit dilectionem Dei, quam dilectionem proximi? Inseparabiles quidem sunt inter se hæ duæ virtutes nimirum dilectio Dei, & dilectio proximi, in dilectione autem Dei potest is homo aliquando fallere, credens se Deum amare, quem minime amat, præcipue cum non crebra sint externa exercicia diuinæ charitatis. Dilectio autem proximi patentissima est in frequentissimis occasionibus benefaciendi proximis, & eos sustinendi; ideò Apostolus prosigno sanctitatis ad proximi dilectionem occurrit, vt in qua minus esset fallaciæ. Ait D. Ansel. ibi: *Cur Apostolus solã proximi dilectionem commemorare maluit, qua legem dixit impleri; nisi quia in dilectione Dei possunt homines mentiri, quia rariores tentationes eã probant, in dilectione autem proximi facilius conuincuntur eam non habere, dum scilicet inique omnibus, vel aliquibus agunt? Cum ergo alterum dilectionis præceptum sine altero tenere non possit, etiam vnum eorum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus iustitiæ, sed opportunius illud de quo quisque facilius conuincitur.* Plane in dilectione Dei, anagogicisque virtutum actibus & mentiri, & se fallere possunt homines; ideò, vt eorum intima sanctitas comprobetur, ad proximorum charitatem recurrẽdum est, de qua facile conuinci possunt. Quippè qualis sis in corde tuo erga Deum, in eo aperte, & sine fallacia ostendis, quod est circa proximum. Dauide latente in spelunca, 1. Reg. 24. ingressus est Saul, vt purgaret ventrem; quẽ vt interficeret Dauid, multis cogebatur; sed ille elegit parcere homini sibi infenso: dixit enim: *propitius sit mihi dominus, ne faciam hanc rem, &c.* Quid tunc? Sapienter ait D. Basil. Sel. orat. 17. *Dauidem mulctat exilio, & dum ei Saulem instare malus iubet, in solas terras proturbat, vt iustus ignauescens virtutis abyciat clypeũ. Sed vitæ aspera amoris in Deum fuerunt exercicia; cũ enim in spelæo quaritantem se deprehendisset, parcit.* Expende vnde flammas diuini amoris in Dauide ostendit, nimirum ab illis: *Cum enim spelæo quaritantem se deprehendisset, parcit.* Vbi enim ostenditur proximo parcens, apertissime comprobatur eius in Deũ charitas intima. Crede mihi, multus probatur esse ad Deum, qui multus est ad fratres suos, ad proximos suos.

4. *Reg.* 9.

Ad Rom.

1. *Re.* 24.

Basil. Sel.

§. XXX.

Totus tibi Deus aderit, si vel minimum eius digne accipias.

VIx sacri vnguenti in se Dauid excepit guttulas, & statim dicit textus: *Et directus est Spiritus domini à die illa in Dauid, &c.* Continuo post vnctionem impleuit Dauidem Spiritus domini, nimirũ, vt ait Carthus. Spiritus gratiæ gratum facientis,

D. Ans.

cientis, quæ saltem tunc iuxta Salianum aucta fuit; siue iuxta Lyranum, Spiritus prophetiæ, aut iuxta Gregor. Spiritus fortitudinis, aut Spiritus prudentiæ iuxta Vatablum. Ego autem libenter acciperē totum Deum, qui omnimodis gratijs, & donis cæpit implere regem suum, ne quid illi ad munus deficeret. Nec mirarer, quod post regiam vnctionem præstitam; ita totus Deus adsit Christo suo; quando is est Deus, qui totus veniat ad eum, qui vel minimum eius accipit dignè, Gen. 1. ait Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli:: Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, &c.* Sic posuit Deus in homine imaginem suam; ex quo autem accepit homo in se Dei imaginem; Deus ipse per se in hominem venire decreuit. Quo spectans D. Chrysol. serm. 148. ait: *In te imaginem suam posuit Deus, vt terris inuisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret:: Et si ista ita sunt: quare modo putatur iniuria, quando Deus, quod per se fecit in te, in te clementer excipit, & in homine se vere videri voluit, in quo ante imaginario voluit se videri: dedit que, vt proprietas esset ipse, qui ante, vt similitudo esset, accepit:* Sic ex quo Dei similitudo, vel vmbr hominem attigit; illud euenit, vt Deus totus ad hominem diuerteret, & caperet totum Deum, qui eius, vel vmbram cæperat. Fac homo, vt inte, vel minimum Dei digne consistat; & sallar, nisi te Deus suis donis impleat, Matth. 9. *Ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: Domine filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Ibat ergo cum principe hoc Iesus; & interea mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur; *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se, si tetigero tantum vestimenta eius, sanabor.* Compone modo principem illum cū muliere hac; ille totum Iesum curabat adducere in domum suam, vt sanaret filiam: hæc vel tenuem fimbriæ Iesu filum cupiebat tangere, vt inde haberet salutem. Et vt cupiebat, sic tetigit fimbriam, & salutem obtinuit, & Iesum sibi applaudentem. Et cur hæc sic in habenda salute, & Iesu principem vicit? Ille dū curabat totam Iesu præsentiam necessariam filiæ saluti, indigne sentiebat de Iesu: hæc dum solius fimbriæ tactum requirebat, dignissime de Iesu cogitabat; & ideo digne tangēs, vel fimbriā, & salutem, & totum Iesum sibi acquisiuit. Circa quæ ait D. Chrysost. homil. 32. in Matth. *Vides mulierem Archisynagogo præstantiorem: non apprehendit, non quic quā detinuit, digitis solum tetigit, & ideò cum vltima venisset, prima curata recessit: & ille quidem medicum ipsum ducebat ad domum; huic vero solus tactus sufficit.* Equidem solus fimbriæ tactus digne exhibitus sufficit fœminæ, vt sibi & salutem præriperet, & Deum. Vt Deus totus adest ijs, qui vel minimum Dei acceperunt, habes, Tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 15. §. 27. & cap. 6. §. 13. & Tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 10. §. 31. & Tom. 3. de Christo Fig. lib. 7. cap. 5. §. 17.

Genes. 1.

Chrisost.

Matth. 9.

Chrysost.

§. XXXI.

Inchoata beneficia nunquam Deus non auget, & in perfectum deducit in electis suis.

ACcedens Spiritus domini ad Dauidē nō in limine hæsit, sed vsque in perfectum in illo auxit dona sua. Dicit enim: *Directus est Spiritus domini à die illa in Dauid, & deinceps.* Non equidem semel accessit, & statim abijt; sed vt vsque in finem adfuit Spiritus domini Dauidi, sic in dies augebat in illo, & perficiebat dona sua, donec vltimum complementum acciperent. Dicebat Elizabeth Mariæ, Lucæ, cap. 1. *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Et post pauca addit textus: *Mansit autem Maria cum illa quasi mēsibus tribus.* Nec explicat, quid Mariæ præsentia tribus illis mensibus fecerit, vel in matre, vel in puero. Et quando in primo accessu Mariæ dicitur tanta gratia data infantulo Ioanni, cur non explicatur quanta illi data fuerit tribus illis mensibus? An quia Maria in primo ingressu suo Ioannem exornans, & illuminans, nil illi deinceps præstitit? Absit; nescit enim Deus in electis suis incipere dona præstare, & statim desinere, imo eo ipso, quod dicatur Deus suis electis adfuisse, illosque in primis illuminasse; intelligendus est semper in illis sua dona auxisse, & in perfectum deduxisse. Ex quo Orig. hom. 9. in Lucam ait de re præsenti: *Si eo, quod tantum venit Maria ad Elizabeth, & salutauit eam exultauit infans in gaudio, & Spiritu Sancto plena Elisabeth prophetauit, & in vna hora*

Luc. 1.

Orig.

tantus

tantus profectus habuit: *nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecerit assistente Maria Elisabet. Valde quippe indignum est, in punto horæ exultare infantem, per tres vero menses Ioannem ex vicina matris domini, & ipsius saluatoris præsentiâ nihil profecisse. Exercebatur ergo, & quodãmodo in athletico per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus, mirabilius nutriretur.* Quid pulchrius in rem præsentem? Est Dauid, est Ioannes Dei electus; vtriq; adest Deus; Ioanni in matris vtero existenti; Dauidi inter fratres suos, & iuxta patrem suum. Vtrique gratiam suam, dona sua abunde largitur, sed in ea gratia largiẽda cessauit? Absit; qui enim in primo Dei accessu tanta acceperunt, in diutina eius assistentia mirum in modum replebantur, & ducebãtur in vltimam perfectionem sui muneris. Ioannes ergo in vtero matris, & Dauid adhuc sub patris potestate quodammodo in athletico vrgebantur, & præparabantur Dei assistentia, vsque dum sui muneris perfectionem complerent. Nescit quidem Deus nos deducere dona sua in perfectionem in suis electis. Quo respiciens Paul. ad Rom. 9. ait: *Reliquiæ Israelis saluæ fient. Verbum autem consummans, & abbreuians in æquitate.* Circa quæ D. Anselm. ait: *Ideò saluabũtur, quia verbum euangelij, quod eis tradetur, erit consummans hominem in iustitia, ideſt, perfectionẽ iustitiæ dans, & ea consummans, ac perficiens, quæ lex non potest.* Quando Deus Israeli dederat promissiones suas, & dona sua; rectè concludit fieri non posse, quin plures Israelitæ salui fiant, quia is est Deus, qui nesciat non consummare, & perficere dona in electis suis. Nihil enim magis à Deo alienum quam pœnitudo beneficiorum, quæ electis proficiant. Hinc Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Et quando insipiens sic desipuit, vt Deum esse negaret? Ait D. Aug. ibi: *Pharisæi dicunt: Si filius Dei est, descendat de cruce. Ecce aperte dixerunt, Non est Deus.* Tunc equidem apertissime dicitur Deus non esse, quando petitur, ne perficiat, & consummet opus suum, sed ab inceptis donis desistat. Inseparabilis enim est Dei proprietas, quod benefacere electis suis non desistat. Act. 16. dicitur de Apostolis: *Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* Quæ verba sic leguntur à D. Cyrill. Alex. lib. 2. Thesauri, cap. 4. *Et cum transissent Asiam, & regionem Galatiæ tentabant recedere in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* Iter in Bithyniam iuxta Cyrillum non erat accessus, sed recessus ab incepta prædicatione, ait enim: *tentabant recedere in Bithyniam*, ideò eos cohibuit Spiritus Iesu, cuius est non recedere ab incepto beneficio, sed illud in electis suis, vsque ad perfectionem deducere. In quo videtur superare vniuersas creaturas, & sese ostendere Dei filium. Aiebat enim de se, Matth. 12. *Ecce plusquam Salomon hîc.* Quod si quæras, vnde Salomone maior appareat? Ait D. Irinæus, lib. 4. cap. 21. *Vnus autem, & idem dominus, qui plusquã templum, & plusquam Salomon donat hominibus, ideſt, suam præsentiam, & resurrectionem à mortuis, sed non Deum immutans, nec alium prædicans patrem, sed eumdem ipsum, qui semper habet & plura metiri domesticis, & proficiente eorum erga Deũ dilectione plura, & maiora donans.* Ecce Dei inseparabilem proprietatem, nimirum qua semper habet, *plura metiri domesticis, & proficiente eorum dilectione erga Deum, plura & maiora donans.* Sic Deus, sic filius Dei Iesus, vbi se præsentem facit suis nescit cessare à beneficijs, sed plura, & maiora in dies tribuit. Remitto hunc eumdem locum aliò latius expendendum. Trahenda huc etiam sunt dicta infra, cap. 3. §. 58.

Ad Rom. 9. D. Ans. Psal. 52. D. Aug. Act. 16. Cyr. Al. Cyrill. Matt. 12 D. Irin.

1. *Reg.* 16. Spiritus autem Domini recessit à Saule, & exagitabat eum Spiritus nequam à domino. Dixeruntque serui Saul ad eum: Ecce Spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat dominus noster, & serui tui, qui corã te sunt, quærent hominem scientẽ psallere cithara; vt quando arripuerit te Spiritus domini malus, psallat manu sua, & leuius feras. Et ait Saul ad seruos suos, Prouidete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me.

§. XXXII.

Qui perdit Deum malis patet.

COmmunissimum est vniuersis, quod Sauli accidit; de quo ait text. *Spiritus*

tus autem domini recessit à Saule, & exagitabat eum Spiritus nequam, &c. Patet equidem malo, qui Deum perdit. Vt dicat D. Basil. Sel. orat. 14. *Spiritus autem gratia à Saule translata Spiritui nequam habitationē concedebat*: quasi necessum esset, quod abeunte bono, malus appropinquaret. Expressius in rem, Theodor. quæst. 13. ait: *Cum diuinus recessisset Spiritus, locum est sortitus malignus Spiritus. Hinc autem docemur clamare cum Dauide, Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Sic cum apostolica gratia Iudam reliquisset, in eum ingressus est diabolus.* Sic & singulis accidit hominibus, qui cum Deum à se faciunt abire, statim vniuersis malignis incursibus patent. Dicebat Gen. 27. *Vix Isaac sermonem impleuerat; & egresso Iacob foras, venit Esau.* Dum Iacob intus erat, minime accedebat Esau; at cum primum Iacob egreditur, tūc statim Esau accedit. Quod meditatus, Philo lib. de Temul. fatur: *Iacob exiū, introitum Esau legimus dicente scriptura: Et factū est, quādo exiuit Iacob, venit Esau frater eius. Quantisper inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus insipientiæ, sed quā primo illa migrat, alter reuertitur.* Nescit cor humanum esse sine hospite, malo aut bono, Deo, aut diabolo. Dum bonus implet hominem, nullus accessus patet malo: at abeunte bono statim malus hospitium capit. De immundo Spiritu ad domum cordis humani accedente ait D. Luc. cap. 11. *Cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit & assumit septē alios Spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Quid est, quod domus cordis humani inuenitur ab immundo Spiritu scopis mundata, & ornata? Quod est ad alliciendos habitatores domus ornata, & mūdata, id est cor humanum vacuum Deo ad alliciendum immundum Spiritum. Sicut enim curritur ad præoccupandum mundū & ornatum hospitium, sic malus currit ad possidendum cor, in quo nihil videt diuinum. Vt dicat Author Cat. Græcæ in D. Luc. *Quos, vt reperit nihil amplius diuini in se habentes, sed desertos omnino, & vacuos, in ijs cum omni sua potestate sibi habitaculum fecit.* Væ tibi homo, qui Deum perdidisti; sanè ad te quam primum accedit malus cū omni potestate sua. Clamabat Spōsa, Cāt. 4 *Surge Aquilo*; qui ventus à nautis solebat vocari Dexter. Et quid Aquilo cum dextera? Sanè Aquilo recedentibus ab Oriente dexter est; sic & malus recedentibus à Iesu dexteram eripit, eosque misere, vt subiectos premit. Quo spectans D. Nyss. hom. 10. in Cant. ait: *Aquilo est durus, & asper ventus. Vocatur autem dexter nomine. Sed non est dexter Aquilo, nisi quis à tergo habeat Orientem peragens cursum ad occidentem. Omnino autem intelligis ænigma eorum, quæ dicuntur, quod scilicet, qui recessit ab Oriente, sic enim dominatur Christus à propheta, & se protrudit ad occasum lucis, vbi est potestas tenebrarum, sibi dexterum habet Aquilonem, improbis insultibus eum excipientem, per quos cursus conficitur ad tenebras.* Caue homo, ne deseras Orientem Iesum, primo enim in gradu, quo Deus tibi cæperit à tergo esse, dexter tibi aderit Aquilo, dexteram tuam malignus tenebit, qui te in æternas tenebras impellat.

Basil. Sel. Thead. Gen. 27. Phil. Luc. 11. D. Luc. Cant. 4. D. Nyss.

§. XXXIII.

Regi minime auaro non serui sunt, sed amici.

NOta fuit auaritia Saulis, qua 1. Reg. 15 optima quæque spolia Amalechitarum sibi reseruauit, ob quæ reprobatus fuit à Deo; Huic ergo auarissimo regi Spiritu maligno agitato remedium quærebant eius domestici: de quibus ait text. *Dixeruntque serui Saul ad eum: Ecce Spiritus Dei malus exagitat te, &c.* Et mirabar non filijs, nec cognatis, nec amicis Saulis, sed solis eius seruis solicitudinem fuisse de salute eius. An non, & filij, & cognati, & amici Saulis soliciti erant de eius salute? Cur ergo soli serui dicuntur de illius cogitasse remedio? Notanter non filiorū, nec cognatorum, nec amicorū, sed seruorū tantum meminit textus; auarissimo enim homini non filius, nec frater, nec amicus est, sed omnes putat seruos, qui pro lucris laborent sibi acquirendis. Quo spectabat Ecclesiastes, cap. 4. quando de auarissimo hominum dicebat: *Vnus est, & secundum nō habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare nō cessat.* Campensis legit: *Solus est sine socijs, sine liberis, sine cognatis, & sibi laborat.* Et quī fieri potest, quod quis adeò solus sit, vt nullum fratrem, aut cognatum, aut socium habeat in quotidiano labore? Non equidem id accidit ex rei veritate, sed ex auarissimi hominis æstimatione, qui nullum ius, siue amicitiæ, siue consanguinitatis agnoscit, sed omnes æstimat seruos, qui suis laborent acquirendis lucris. Tollenda enim est ab animo diuitiarum cupiditas, vt aliquem non seruum, sed amicum habeat.

Eccl. 4.

Matth. 5 habeat. Hinc Dominus, Matth. 5. *Beati pauperis Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et mirabar pauperibus tradi à Deo regni cœlestis clauum. Notissima enim est pauperum principum, & gubernatorum pestis: qui vt acquirendis sibi bonis studeant, nulli subdito parcunt, sed maximè illos exactionibus præmunt, suisque lucris seruire faciunt. Cur ergo domine regnum cœlorum, nimirum regnum liberorum, regnum ingenuorum, regnum amicorum, regnum fratrum pauperi tradis? Vis, vt Regnum cœlorum seruiat tributis sub Principe paupere? Absit: non enim vulgari pauperi illud tradit, sed pauperi Spiritu; nimirum homini, qui nulla afficiatur diuitiarum cupiditate, nulla auaritia teneatur. Qui talis est, solus non seruos, sed sotios, sed amicos, & fratres omnes habet. Persuadebat Regem Maurorum Boccum dux Romanus Sulla, vt sese populo Romano subderet; quod vt conficeret, sic apud Salustium in bello Iugurthino fatur: *Populo* Salust. *Romano iam à principio inopi melius visum est amicos, quam seruos quærere, tutiusque rati volentibus, quam coactis imperitare.* Expende illa: *Iam à principio inopi melius visum est amicos, quam seruos quærere*: quippè ex eo prudens dux ostendebat subditos populo Romano futuros socios, & amicos, non seruos; quia Populus Romanus ab initio sectabatur voluntariam paupertatem, & diuitiarum, delitiarumque contemptum. Amet sibi vniuersos seruos habere auarus homo, diuitiarumque cupidus princeps. At qui voluntarie pauper est, ab omnique temporalium diuitiarum, deliciarumque alienus cupiditate, is nullum amat seruum habere, sed omnes amicos, & sotios, & fratres æstimat.

§. XXXIIII.

Profanorum musica non diaboli expultrix, sed conseruatrix potius est.

QVando Regiæ mundiales frequentissimæ sunt musicis, & cantoribus præstantissimis, cur Saulis serui sic agunt de cantore quærendo, quasi de re minimi præuia? Dicunt namque: *Ecce Spiritus Dei malus exagitat te: Iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, &c.* Et vnde magis quærendus citharædus quàm ex ipsa Regia? Si qui sunt in regno præstantes cantu, vel pulsatu; nonne ij solent certius inueniri in Regijs, apud mundi principes? Nonne & Saul tunc temporis deductus ad summum Regni sui splendorẽ, apud se præstantissimos quosque in arte musicæ haberet; quod commune erat omnibus regibus? Cur ergo serui eius promittunt se quæsituros plallentem in cithara, tanquam si hic ad manum in Regia non esset? Abundabat Regia, vt credo, ijs pestibus, qui frequentissimi sunt in Regijs, nimirum qui prophana canerent, quam dexterrime: at boni ij serui non agebant de quærendo profanorum cantore, sed sacrorum; quod mihi persuadet existimata difficultas inueniendi; tum ille seruus, qui ad rem locutus ait statim: *Ecce vidi filium Isai Bethleemitem scientem psallere ::: & Dominus est cum eo*: non enim illum commendat solum de musica, sed de illa, cui adsit Deus. Insuper, & Iosephus, lib. 6. cap. 9. ait: *Monuerunt vbique inquirendum, qui quoties rex à Dæmone incitaretur, stans ad caput eius, voce, ac fidibus sacros hymnos caneret.* Et quidem pro depellendo Dæmone vnus aptus esset, qui sacra caneret; profani enim cantus magis Dæmonium in animis humanis valent asserere. Merito enim ait D. Valerianus, hom. 6. de Otiosis verbis: *Cum hic agili plectro tinnientis citharæ sonos expedit; ille docili digito laborantis organi blaudimenta componit. Isti sunt laquei, quibus famulantibus inter cætera vulnera diabolus hominum mortes operatur. Nam quotiescumque dulci voce mulcetur auditus, ad turpefacinus inuitatur aspectus. Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamento respiciat; qua cum oblectant, sæuiũt: cum blandiuntur, occidunt. Sic frequenter videmus, blandis sibilis aues decipi, &c.* Quid sapientius? Nescio, an certius diabolus sua iacula dirigat, quam vbi inter blanda profanorum cantuum sibila operatur. Ait Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominũ, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant, &c.* Et mirabar, quod fœminarũ pulchritudo sic filios Dei ad se raperet: Et cur filij Dei sancte, pieq; educatinõ magis restiterunt visæ pulchritudini? Ait Theod. ibi: *Filij etiã Seth dy dicti sunt, eo quod virtutẽ colerẽt, ea ratione, qua principes, & iudices, dy in psalmis, & Moyse dicuntur,* Iosephus. D. Valer. Genes. 6. Theod.

qui quidem generi Cain à Deo maledicto nulla ratione se immiscuerunt per multos annos. Longo tamen post tempore pulchritudine mulierum ex stirpe Cain delectati sunt, & musicis instrumentis, quæ à Iubal è generatione Cain orto, inuenta sunt, atque illis se immiscuerunt. Expende illa: *Pulchritudine mulierum delectati sunt, & musicis instrumentis*; non enim sola pulchritudo, sed & musica instrumenta filios Dei innaserunt, & à Deo separatos in parte maledictorum asseruerunt. Nec illud prætereundum est, quod musicæ inuentores nõ in genere sancto, sed in genere Cain inuenti sint; nec in eo genere apparuerunt, nisi quando voluptas carnis excrescere cœpit. Quippe memorans textus, Genes. 4. stirpem Cainalt: *Mathusael genuit Lameth. Qui accepit duas vxores, nomen vni. Ada, nomen alteri Sella. Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Et nomen fratris eius Iubal; ipse fuit pater canentium cithara, & organo.* Prius voluptas carnalis sic animis hominis insedit, vt non contentus esset vna vxore, sed duas acciperet: & hinc natus est musicæ inuentor. Quod notabat Theophilus Anthioch lib. 2. ad Antolicum factus: *Lameth accepit vxores duas. Eo enim tempore inolenit mos plures habendi vxores. Hoc eodem tempore musica inuenta est.* Simul creuit vxurum numerus inter Caini nepotes, & musicæ inuentio; vt profanorum cantus sint semper bonis viris suspecti.

Genes. 4.

Theoph.

§. XXXV.

Cœlestiũ præcones ægre in principum palatijs admittuntur.

CVm de quærẽdo cantore agunt serui Saulis, quàm id caute tractant, expressum Imperium regis expectantes. Ait enim text. *Dixerunt serui Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, &c.* Non ante regis Imperium quærere musicum hominem audent, sed prius dicunt, vt rex iubeat, & post iussum regis se quæsituros spondent. Longe aliter, 2. Reg. 1. vbi sic: *Rex Dauid senuerat, habebatque annis plurimos dies; cumque operiretur vestibus non calefiebat. Dixerunt ergo ei serui sui. Quæramus Domino nostro regi adolescentulam Virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem.* Sic serui regis tractant de quærenda puella, quæ regem foueat; nec tamen spectant iussum regis; sed nullo explicato regis Imperio, ipsi quærunt, & inueniant, & introducunt ad regem, quam inuenerent. Et cur serui Dauidis sic per se ipsos sine iussu regis quærunt puellam, & intro ducunt eam ad regem; serui autem Saulis non audent quærere, nec introducere musicum virum ad regem, nisi prius ipse Rex imperauerit? Serui Dauidis in puella quærenda nihil non temporale meditabantur; quæ autem temporalia sunt commoda facile admittuntur in Regijs. Serui autem Saulis in psalte quærendo, diu num aliquid meditabantur, quærebant enim non qualemcumque cantorem, sed vt, §. præcedenti probaui, & dixi ex Iosepho, *qui staret ad caput regis, voce ac fidibus sacros hymnos caneret.* Diuinorum autem cœlestium quis concentus, non ita facile, sed ægre & difficulter admittitur in Regijs. Nota est tyrannica illa sententia Nabuchodonosoris aduersus vniuersos sapientes, Daniel. 2. eo, quod ei somnium indicare non valerent. Eam Arioch notificauit etiam Danieli, & sotijs eius. Quid tunc? Ait text. *Daniel ingressus rogauit regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.* Vbi audiuit sententiam nihil moratus, sed statim ipse per se introiit ad regem, vt pote regia familiaris, & notus, vt docet Dionisius Carthusianus in præsenti. Postquam autem, Deo reuelante, cognitionem somnij accepit; venit ad Arioch, & dicit illi: *Sapientes Babylonis ne perdas, introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.* Vt indutus peteret, ipse per se introiuit ad regem, vt somnij autem reuelationem, & mysteria narraret; non ipse per se vult ingredi; sed magis expectat introduci ab Arioch. Et cur etiam modo non magis ipse intrat? Cur qui primo solus ingressus est regis cubiculum; modo intrare refugit sine introductore? Primo nihil in illa recogitabat Daniel futurum nisi temporale; modo autem post somnij reuelationem

2. Reg. 1.

Ioseph.

Dan. 2.

Di. Cart.

scit

scit totum sermonem cum rege futurum esse de regno cœlesti, de lapide primario Iesu, qui abscissus de monte sine manibus ingentia mundi imperia conterat, & sub propria redigat potestate. Cœlestium autem Sacramentorum expositori adeò nouit Palatia Principum clausa, vt illo illo sine introductore non audeat. Et qui de temporalibus acturus facile intrat ad regem, nec in limine moratur; vbi de cœlestibus acturus est, expectat introductoris ingressum, & regis placitum, nec aliter audet coram rege stare.

§. XXXVI.

Qui principes de aliquo malo cõ monere vult impune, simul illis facile aliquod remedium suggerat.

HÆc omnibus aulis communis pestis, qua nemo principem de malo, vel illato, vel imminenti commonere audet, exsibilata est à seruis Saulis; de quibus ait textus: *Dixeruntque serui Saulis ad eum: Ecce Spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat Dominus noster, & serui tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripuerit te Spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras.* Ecce tibi serui Saulis audent aperte illum monere, quod demoniaco Spiritu agitetur. Et vnde tantũ malum adeò aperte dicere Regi audent? Ex adiuncto & facili, & grato remedio, nimirum: *Iubeat Dominus noster, & serui tui quæremus hominem scientem psallere, &c.* Magna hæc fuit aulicorum hominum prudentia; qui eò adducti, vt malum regi vellent renuntiare; non prius malum proponunt, quam remedium facile, & iocundum regi suggerant. Quam prudentiam notauit noster Salianus in præsenti; & illam didicisse fatetur ex P. Petri Cotoni Religiosissimi Societatis nostræ Theologi vsu, colloquioque. Qui cum Henrrico, 4. Regi Christianissimo à contionibus, sacrisque confessionibus esset, nihil illi asperum aut durum renuntiare cunctatus est, sed simul proponebat facile remedium excogitatum. Sic Genes. 41. pauperculus ille Ioseph, & captiuus, è carcere eductus, vt coram potentissimo rege Pharaone staret, eiusque somnium explicaret, non veretur illi vastationem regni per imminentem famem prænuntiare. Et quare non magis veretur pauper homo tanta mala prænuntiare regi? Expende ordinem, quo illa prænuntiabat: *Sequentur septem anni* Gen. 41.
alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram: : : Nunc ergo prouideat rex virum sapientem, & industrium, & perficiat eum terræ Ægypti. Qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui tam futuri sunt, congreget in horrea, &c. Quærebatur ex illo sola somnij interpretatio; at sapiens adolescens dicturus coram rege duritiem imminentis famis, simul ex se addidit remedium perfacile, & regi minime ingratum, de implendis horreis regijs, quibus bis posset Ægypti dominari. Non absimilis Daniel extitit cum Nabuchodonosor, cap. 4. cui ait: Hæc est interpretatio sententiæ altissimi, quæ peruenit super dominum meum regem. *Eycient te ab hominibus, & cum bestijs,* Danil. 4.
ferisque erit habitatio tua, & fœnum, vt bos comedes, & rore cœli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus, &c. Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordia, &c. Sic sapiens calamitati indictæ Regi facilimum addit remedium; quid enim facilius ditissimo regi, quam eleemosynis extremas à se calamitates auertere?

1. *Reg.* 16. Et respondens vnus de pueris ait: Ecce vidi filium Isai Bethleemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum pulchrum, & Dominus est cũ eo. Misit ergo Saul nuntios ad Isai dicens, Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.

§. XXXVII.

Præstantes aulici & in Choraïs, & in castris noti sint.

VNus quærebatur psaltes ad regis leuamen, & offertur, qui rectè sciat psallere, & pugnare. Dicit enim quidam Saulis minister: *Ecce vidi filium Isai Bethleemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, &c.* Et quando sola scientia canendi, citharæque pulsandæ in viro quærebatur, quid necessum fuit virtutem eius bellicam tot tantisque verbis explicari? Factum hoc crediderim diuina prouidentia, ne Dauid crederetur futurus de illis aulicis, qui ad sola choræarum ludrica aptantur; sed ostenderetur sic summum aulicorum honorem pertigisse, vt non solum in choræis, sed & in castris non parum sui specimen præstaret. De illo enim pulchrè canebat Amænus in Euchiridion veteris Testamenti.

Amæn. *Dauid parnus erat, fratrum vltimus & modo Iesse*
Cura gregis citharam formans ad ouile paternum
Inde ad delitias regis, mox horrida bella
Conserit, & fundas sternit stridente Galiam.

Is erat Dauid, qui vt ad regis delicias in citharæ arte, & cantu videbatur efformatus, sic & ad horrida bella; vt cantu oblectaret regem, & pugna defenderet. Conueniant huc formosuli illi aulici domibus regum frequentes, in citharæ ludo multi, in bello nulli. In choræis, in delicijs regijs primi; in arena, in stadio, in pugna nec vltimi. Sanè longe ij amandandi essent à regum præsentia; quorum fauor solos eos deberet implere, qui vt illis ad delicias sunt, in chorearum ludicris; sic in horridis bellis se pro Rege suo strenue gerũt. Exẽplo Dei, cuius est in suis asseclis hæc duo coniuncta ostẽdere; vt dicat Cant. 7. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorũ?* Sic de sibi adiunctis gloriatur dominus, quod illi & de choris sciant, & de castris, quod ex se ostẽdant chorearum disciplinam, & castrorum: duo hæc coniungentes, vt apti appareant ad choræarum delicias, & inde prosiliant ad horrida bella. Id quod in aulicis Sigismeris regis notabat Sidõ. Apoll.

Cant. 7.

Apoll. 4. lib. 4. epist. 20. de quibus ait: *Eo quo comebantur ornatu, muniebantur. Lanceis vncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ, clypeis lauam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus niuea, fulua in umbonibus, ita ceusum prodebat, vt studium. Cuncta prorsus huiusmodi, vt in actione thalamorum, non appareret minor Martis pompa, quam Veneris.* Sic nobilissimi regis, vel in nuptijs ostendebantur aulici, vt non minus deliciarum cultum, quam bellorum virtutem ostentatent. Sic ad regis delicias conueniebant, vt non ad eas solum compositi putarentur, sed & magis ad sanguinolenta conficienda certamina. Ne de illis diceretur, quod de Nerone canit Apollonius Nouar. lib. 1. de Excid. Hieros.

Prælia quamquam--- Apollon.
Oderat, & citharæ tantum & carmina norat.
Luctatosque inter gestu contendere Mimos,
Atque apyn Graiam saltu meruisse coronam.

Sic ille pessimus principum, & palatinorum bella oderat, totus intentus citharæ, & ludis Mimicis.

§. XXXVIII.

Virginitatis cultus nulla nõ audet facinora, nullos non præsefert triumphos. Vbi de S. Xauerio.

PVet sanè erat ætate Dauid iuxta Torniellum, & Serarium, & Lyranum; quando ab aulico illo vocatur bellicosus vir. Dicit enim: *Ecce vidi filium Isai Bethleemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum.* Nec mirandum, quod puer, qui decimum sextum, aut decimum septimum annum forte non excesserat, vocetur bellicosus vir, quando in illo & procera statura, & bellicosissimi cuiusuis viri conueniebant facinora. Non enim is puer iste erat, qui pastorali plectro delectatus canendis amoribus vocaret; sed qui parum recreatus cithara, cum syluę feris sanguinolenta certamina subiret. Ait enim de illo hæc duo: *Scientem psallere, & virũ bellicosum.* Vnus Orphæi, & Herculis facinora superabat; quando & cãtu Inferorũ Diras cõsopiret, & vrsorũ, Leonũq; feritatẽ manibus à deserto abigeret. Huiusmodi erant, quæ de illo vulgò narrabãtur in dies; ne miremur, quod vir dicatur bellicosus, qui in stangulandis feris labo-

res

res ſuperabat herculeos. Illud potius mirandum; vnde puer auderet in facinora adeò virilia? Id quod D. Aldhelmus tribuit eius integritati virgineæ, qua nihil veneris nouerat nec inter cantos ipſos, ſed certamina cum feris meditabatur & pugnas. Quippè ait epiſt. de Virg. cap. 27. *Dauid quoque opinatiſsimus Regum ſub ipſo pubertatis tyrocinio illibata virginitate præditus, antequam copula matrimonij, & connubij nexu innodaretur, nonne arguris fibrarum fidibus limphaticum mitigabat, dira proculterrenorum exploſa ſpirituum veſania: quique etiam ætate tenellus lacertis validis frementium mandibulas leonum dicerpſiſſe, dororũque rictus vrſorum confregiſſe, & enormem Allophilorum gigantem obtruncaſſe deſcribitur: Licet, inquam, quamdiu aura ætherea & vitali flamine veſceretur, ſuperna maieſtati gratiſsimus extiterat: aſt tamen poſt carnalis conſortium copulæ de illo minora virtutũ præconia crebreſcunt.* Quid pulchrius? Componite modo Dauidem cum Dauide; Dauidem nimirum virginem cũ Dauide cõiuge. Plane Dauid nondum coniux, ſed virgineo adhuc candore coruſcus magna, & glorioſiſsima præſtabat facinora. Si lyram pulſabat, Orpheo ſuauior Inferorum ſedibus ſtuporem inferebat, & malignos abigebat Spiritus. Si feris obuiam ibat, non Herculi cedebat, ſed ludus erat puero leones ſtrangulare, vrſos perimere. An talia dicta ſunt de Dauide coniuge? Fallar ſi poſt coniugium Dauid ad ſingulare certamen cum gygante deſcendit; ſi lyra Dæmonem abegit; ſi cum vrſis, & leonibus luſit. Fuerunt hæc Dauidicæ virginitatis inſignia; alma enim virginitas in puero, illum & feris, & Dæmonibus faciebat terribilem. Conueniant huc, qui aduerſus vitiorum feras, aduerſus Dæmones certamina inſtaurant quotidie. Et â puero Dauide virgineum candorem ediſcant, quo ſi muniti appareant, nulla Dæmonum poteſtas non cedet illis. Erat Ioannes in vtero matris incluſus, & ibi ſub poteſtate diaboli deliteſcebat, dum ſub peccati originalis premebatur iugo. Quid tunc? Acceſſit Maria ad Eliſſabeth, quæ ait Luc. 1. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Mirabar, quod vox Mariæ ſic Eliſſabethæ viſcera penetraſſet, vt exiſtenti in vtero Ioanni gaudium inferret. Et quis peccator magis ſurdus eſt ad percipiendam vocem, quam infans adhuc in vtero exiſtens? Et quis obtruſior eſt in cauernis, & præruptis montium ne videat virtutis lucem, quam nondum natus puer? Quomodo ergo ad hunc pernenit vox Mariæ? Equidem, vt vox Mariæ, vox erat virginis ſic nullâ impedimenta non vicit, vt abſtruſtiſsima quæque loca penetraret, & inde Dæmones effugaret, malorum feras comprimeret, & hominem aſſereret in vita. Ait D. Hildephonſus, ſerm. 5. de Aſſump. *Ioannes ad introitum Mariæ exultauit, & luſit; & per os virginis audiebat verba domini, & de vtero matris geſtiebat in occurſum eius erumpere.* Expende illud: *Et per os Virginis audiebat verba domini*; quippè vbi Dei Verbum per os Virginis annuntiabatur, nullus adeò impeditus, & ſurdus, & remotus ab hominum conuictu peccator exiſteret, qui illud non poſſet percipere, & accipere. Vtinam Dei verba per ora virginum prædicarentur, & fallar, niſi in illa ſurdiſsimi, & remotiſsimi peccatores venirent. Quis neſciat remotiſsimos Indiæ Orientalis homines, inſulanos incognitos, intra prærrupta inacceſibilium montium degentes, ferreis Idololatriæ vinculis obſtrictos vnius D. Francisci Xaueri prædicatione in lucem Euangelij veniſſe? Quadringenta millia, & plura pene deploratorum peccatorum per eumdem aquis Sacri Baptiſmatis donata fuiſſe? Nec miror, quod tot regna remotiſsima, tot incogniti mundi in occurſum Chriſti filij Dei occurrant, namque *per os Virginis audiebant verba domini.* Vbi enim Xauerij illibata Virginitas dedit vocem ſuam, abſtruſiſsima, remotiſsimaque penetrat loca mundi, indeque eijcit tenebrarum principem, & cum feris cruẽtiſsimis, tanquam cum agnis ludit.

D. Ald.

D. Hild.

D. Fran.

Luc. 1.

§. XXXIX.

Dei gratia, vel in tyrocinio te faciet implere veteranum.

QVi puer decimum ſeptimum annum vix attigerat, vt præcedenti, §. notabamus, vir bellicoſus ab aulico quodã appellatur. Sic enim dicit: *Ecce vidi filiũ Iſai Bethleemitẽ, ſcientẽ pſallere, & fortiſsimũ robore, & virũ bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & dominus eſt cum eo.* Illud mirandum, quod puer decimi ſexti anni dicatur vir bellicoſus. Et

Et quî fieri potest, vt puer viri bellicosi referat, vel imaginem? Huius subijciens causam merito ait: *Et dominus est cum eo*; vbi enim Dei gratia, vel puerum afflat, non mirer, si illum faciat virtutibus impleri veterani. Nota est historia nuptiarum in Cana Galilææ, quibus Iesus interfuit, Ioan. 2. Deficiente ibi vino, & matris affectu persuasus iubet Iesus impleri hydrias aqua, & inde haurire, & dare Architriclino.

Ioan. 2. *Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, &c.* Architriclino teste, quæ aqua modo erat, iam vinum optimum est. Quantum hoc? Ait Amænus in Euchirid. noui Testamenti

Fœdera coniugij celebrabant auspice cœtu
Forte Galilæis deerant iam vina ministris.
Christus vasa iubet properanter aquaria limphis
Impleri, inde meri veteris perfunditur vnda.

Expende hęc vltima: *Inde meri veteris perfunditur vnda*; nihil sanè recentius illo vino erat, quando tunc temporis denuo factum cernebatur ex aquis; quomodo ergo dicitur meri veteris vnda? Plane hæc erat assistentis Christi virtus, quæ vel in primo existentiæ instanti dabat vino illi implerè veteris vini virtutes. Non espectat Dei gratia semper annos, sed vbi adsit potens est facere in tyrocinio impleri veteranum. Eiusque afflatu minime impedimenta sentiuntur infantiæ, sed ad viriles profectus euolatur, Isaias cap. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.* Nazianzen. orat. de Baptis. & Clemens Alexand. in exhortator. ad gentes putant in præsenti vocari homines ad regenerationis aquas, quibus in filios Dei regeneramur ex fontis vtero. Sed illud notandum, quod simul ad fontis vterum inuitemur, & ad comestionem, dicit enim: *Venite ad aquas, & comedite.* At cùm natiuitate ex matris vtero non iuncta est comestio, sed lactatio. Vbi enim nascimur, non ad cibum, sed ad lac conuolamus, nec comedere, sed suggere valemus. Cibus adultos spectat, lac infantes. Cur ergo qui ad regenerationem inuitat, non prius ad sugendum, quam ad comedendum inuitat? Vt in regeneratione non naturæ, sed gratiæ partus est, sic regeneratos suos non patitur morari in impedimentis infantiæ, sed statim illos in adultorum potestate statuit. Quo spectans D. Zeno lib. 3. ser. 17. ait: *Iam vos sempiterni fortis calor inuitat; iam mater nostra adoptat, vt pariat. Sed non ex lege, qua vos matres vestræ pepererunt, qua & ipsa partus dolore gementes, & vos plorantes sordidos sordidis pannis alligatos huic mundo dedititios intulerunt: Sed læta gaudentes, libera peccatis omnibus absolutos: non fœtidis cunis, sed suaue redolentibus, sacri altaris feliciter nutritos cancellis.* Ecce tibi mater gratia in regeneratione filiorum Dei infantiæ cunas abigit, adultorum proponit mensam; quippè ait: *Nō fœtidis cunis, sed suaue redolentibus, sacri altaris nutritos cancellis.* Qui enim renati Dei gratia aspirantur, infantiæ nesciunt cunabula, sed in aduitorum veniunt stadia, & mensas.

Nazia. Isai. 55. D. Zeno.

1. *Reg.* 16. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui Sauli. Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eũ nimis, & factus est eius armiger. Misitque Saul ad Isai dicens; stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.

§. XXXX.

Mundialis Spiritus totus intentus est externis obligationibus, Christianus domesticis.

VNus Dauid ab Isai requirebatur; Isai autem & Dauidem & multa alia dicitur misisse Regi. Dicit enim: *Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui Sauli.* Nulli parcit Isai substantiæ, vt Saulum cumulatissime muneret; qui alioquin adeò parcus in domesticos suos erat, vt infra, cap. 17. pro tribus filijs bellatoribus dixerit Dauidi: *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre, &c.* Qui vni Sauli asinum onustum panibus, & lagenam vini, & hedum de capris mittebat; is est, qui tribus filijs bellatoribus parum polentæ hordaceæ, & solis decem panes dabat, vt diceret de illo filius, quod dicebat de patre familias alius, Luc. 15. *Nunquam dedisti mihi hædum,*

Isai. 17. Luc. 15.

hædum, vt cũ amicis meis epularer. Est equidem hic mundialium hominum Spiritus, vt externis obligationibus adimplendis sint intentissimi, & largissimi: in domesticis autem parcissimi. Quod minime à Dei Spiritu venit, cuius est largius, & attentius intendere domesticis, Matth. 12. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnauit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hîc.* Matt. 12 Ostenditur ijs verbis Iesus Salomonem superasse in historia Reginæ Austri quando venit ad illum. At scire cupis in quo determinate superauit Salomonem respectu illius Reginæ? De Salomone dicitur, 3. Reg. 10. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiit ab eo: exceptis ijs, quæ vltro obtulerat ei munere regio.* 3. Re. 10. Sanè multi assistebant Salomoni ministri, & principes cognati, insuper erat illi ingens subditorum turba, à quibus ingentia extorquebat tributa; at nullibi inuenies scriptum, quod Salomon dederit, vel ciui, vel cognato, vel domestico vlli, vel minimum donum. Is autem qui circa suos nullus inuētus est, circa Reginam dissitissimæ nationis, nunquam amplius videndā profusissimus fuit. Quid magis mundiale? Sanè in hoc longissime superatur Salomō à meo Iesu, qui mauult multus esse domesticis suis. Accipite D. Irinæum lib. 4. cap. 21. dicentem: *Vnus, & idem dominus, qui plusquam templum est, & plusquam Salomon donat, id est, suam præsentiam, & resurrectionē à mortuis, sed non Deum immutans, nec alium prædicans patrem, sed eumdem ipsum; qui semper habet, & plura metiri domesticis, & proficiente eorum erga Deum dilectione plura, & maiora donans, &c.* D. Irin. Expende in quo Iesus probetur maior Salomone, & filius patris, nimirum in illis: *Qui semper habet, & plura metiri domesticis*: quippè vbi filij Dei dona metienda sunt, nunquam nō inuenitur maior mensura circa domesticos, quam circa extraneos. In hoc enim maximè distinguntur filij huius mũdi, & filij Dei; huius mũdi filij, qui mundiali feruntur aura, domesticos suos, seruos, cognatos, filios contemnunt, destituntque mille necessitates pati; & profusissimi sunt, & oculatissimi in munerandis extraneis. Videbis multos nuditatem filij, ægritudinem domestici minime curantem, & aureas vestes extraneæ dare, preciosa dona externis parare, prætereuntium ægritudines toto conatu leuare. Hoc mundiale est; à Dei enim Spiritu, vt domesticis sit donorum, & obsequiorum mensura maior, Deuther. 15. dicit: *Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ in Terra, quam dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis, &c.* Sic Deus totus intentus erat, vt fideles suis domesticis, & cognatis, & vicinis non deessent, sed illis necessaria ministrarent. Accessit Iesus Matth. 5. & ait: *Qui petit à te, da ei*; non limitat donum nostrum ad fratres, nec ad domesticos, sed cuilibet licet peregrino, licet extraneo dādum asserit. Matt. 5. Hinc Marcion hæreticus aduersum Iesum exurgit, negans eum filium creatoris, ea maximè ratione, quod dona extendat ad extraneos. Quippè de creatoris Spiritu venit, quod dona ad fratres, & domesticos vadant, non ad extraneos. Nō ergo creatoris filius Iesus, qui extraneis fauet? Absit; imò in eo maximè creatoris, quia & si dona sua extendit ad extraneos, ita illa extendit, vt prius pertingat domesticos, & fratres. Ait Tertull. lib. 4. contra Mar. *Non aliud Christus in omnes præcepit, quam quod creator in fratres. Nā & si maior est bonitas, quæ operatur in extraneos, sed non prior ea, quæ ante debetur in proximos. Ita creator, secundum naturæ ordinem primum in proximos docuit benignitatem, & missurus eā postea in extraneos, & secundum rationem dispositionis suæ primo in Iudæos, postea in omne hominum genus. Ideò quandiu intra Israel erat Sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat. At vbi Christo dedit gentes in hæreditatem; exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis cæpit extendere.* Tertull. Plane Iesu minime extendit dona ad extraneos contemptis domisticis, & fratribus; sed prius impleuit omnia, quæ ad domesticos pertinebant, & ex redundanti iuit ad extraneos. Imò non antea ad extraneos iuit, quam vniuersi facti fuissent domestici Fidei, illi in hæreditatem dati, vt inde ostenderetur, quam proprium sit Dei, suis in primis beneficia parare.

§. XXXXI.

Expertis hominibus munera sunt committenda.

SVmma Dei prouidentia fuit, quæ traxit Dauidem à pascuis in Saulis Regiam, vt dicat text. *Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo.* Cur non magis eripitur

Dauid â conſpectu Saulis apud quem tanta mala ſubiturus erat? Cur nō magis ſinitur quietus in paſcuis degere, vſque dum occaſio inſtaret accipiendi regnum? Plane cui regni cura committenda erat, debebat educari in Regijs, vt vel manibus tangeret principum palatinorū ingenia, aulicorum mores experiretur, negotiorum ciuilium expeditiones cerneret, bellorum auditiones ſpecularetur. Nunquam enim fœliciter committuntur munera niſi ex-
Abb. 35. perto. Ait Abbul. quæſt. 35. *Debuit exerciari Dauid ibi, vbi poſſet mores regales addiſcere, & induere animum regis. Hoc autem erat in communicatione cum regibus, & magnis viris, ideò expediens fuit, quod Dauid maneret cum Saule.* Periculoſe iret de pera ad purpuram; de trium ſeruorum œconomia ad Monarchicam policiam. Debet, qui ad magna eligitur, magnorum etiam habere experimētū. Marius homo nouus electus â Senatu in Imperatorem aduerſus Iugurtham, magnâ nobilium inuidia, ſic Senatum alloquitur apud Salluſtium in bello Iugurthino: Bellum me gerere cum Iugurtha iuſiſtis: quam rem nobilitas ægerrime tulit. Quæſo, reputate cum animis veſtris, nū id mutari melius ſit, ſi quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris proſapiæ, ac multarum imaginum, & nullius ſtipendijs; ſcilicet, vt in tanta re ignarus omnium trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem officij ſui. Ita plerumque euenit, vt quem vos imperare iuſiſtis, is ſibi Imperatorem alium quærat. Atque ego ſcio, Quirites, qui poſtquā Conſules facti ſunt, acta maiorum, & Græcorum militaria præcepta legere cæperint, præpoſteri homines. Nam legere, quam fieri tempore poſterius re, atque vſu prius
Salluſt. eſt. *Comparate nunc, Quirites, me hominem nouum cum illorum ſuperbia. Quæ illi audire & legere ſolent, eorum partem vidi, aliam egomet geſſi. Quæ illi literis, ea ego didici militando. Nunc vos exiſtimate, facta, an dicta pluris ſint.* Sic ſapiens deridet eos, qui ad munera euolant inexperti; & ſe aptiorem demonſtrat Imperatorio muneri, vt qui, vel Imperatorijs facinoribus interfuiſſet, vel ea executus fuiſſet. Meritoque præpoſteros vocat homines, qui cum ſunt in dignitatum culmine, tunc primū incipiunt acta maiorum, præceptaque ſapientum circa res agendas conſulere. Qua mente imbutus, D. Bern. lib. 2. de Conſider. dicebat ad
D. Bern. Pontificem Summum: *Sibi iam præceſſiſſe meditatio debet, tempus faciendi præmanibus. Si nunc hæſitare incipias, id quidem ſero.* Satis ſero eſt, quod cum iam es in munere; quæ ſunt muneris, tunc primum noſcere incipias.

§. XXXXII.

Principum affectus inconſtantiſsimi.

VIx Dauid coram Saule apparuit, & regis rapuit affectum, quippè ait: *Venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo, at ille dilexit eum nimis, &c.* Quis Dauidis fœlicitatem ſecuram non crederet videns nimium amorem Saulis erga illum? Qui Dauid timeret à tanto Rege amatore? Sed eu quam ſapiens illud dictum Salluſtij in Bello Iugurthino: *Sed plerumque* Salluſt.
regū voluntates, vt vehementes, ſic mobiles. Multum fallitur, qui Regum, Principum ve voluntatibus fidit; quæ vt vehementiores oſtenduntur, ſic magis mobilitati ſubſunt. Nullus Regū maiori amore proſecutus eſt miniſtrū, quàm Aſſuerus Amanum; de quo ait, Æſther, cap. 3. *Rex Aſſue-* Æſth. 3.
rus exaltauit Aman: & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes. Interea cum Amano iſto iuit Rex ad conuiuium Reginæ, quæ ſic Regem affatur: *Hoſtis, & inimicus noſter peſsimus eſt iſte Aman:* hæc verba ſola protulit Regina; *Rex autem iratus ſurrexit de loco conuiuij: Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo.* Ad ſimplex Reginæ verbum, ſic mutatur Rex contra Aman, vt continuo illum ſuſpendi iuſſerit. Cur non magis cunctatur in amicum procedere? Cur non magis examinat amici cauſam? Cur ſaltem non magis lentat ſupplicium? Pulchrè ait Carthuſ. *Suſpenſus eſt itaque Amā:* Carthuſ.
in qua re patet fallacia proſperitatis humanæ, incertitudo, & inſtabilitas fauoris humani, præſertim principum mundanorum. Nequit in principibus conſtans, & durabilis fauor inueniri. Nihil enim non leue, & volatile ingeneratur in animis principum, Matth. 11. dicebat Ieſus de Ioan. *Quid exiſtis in de-* Matt. 11.
ſertum videre, arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre hominem mollibus veſtitū? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt. Duo propoſuit à Ioanne alieniſſima, & arundinem vento agitatā, & mollibus veſtitum hominem. De hoc dixit eſſe in domo regis, de illa non dixit, vbi ſit. Et quando de mollibus veſtito aſſerit eſſe in domibus regum, cur de arundine agi-

tata

tata vento non explicat, vbi sit? Iam explicauit, quando dixit mollibus vestitum esse in domibus regum; vbi enim est purpura, preciosa, regiaque vestis, ibi & est tota mobilitas, & inconstantia arundinis. Ait D. Cyrill. Alex. lib. 2. Thesaur. cap. 4. *Qui mollibus ornantur, in domibus regum sunt. Qui sicut mollibus vestiuntur, ita & animo leuiores sunt.* Crede mihi ad eumdē pertinet mobilitas, ad quem pertinet purpura; simul sunt & regiæ vestes & inconstantia in fauore, & incertitudo. Quantum fugis à mutabilium affectibus, tantum à purpuratis, tantum à Regijs fuge. Sanè, vt nouum & inusitatū miratur Venantius Fortunatus constantem animum Chariberti Regis. De illo enim ait:

Tempestas nullo penetrat tua corda tumultu
Ne sensu titubes anchora mentis adest.
Cōstantes animos non ventilat aula susurrans,
Nec leuiter facili mobilitate trahit.

Sic ibi.

Cyr. Al.

Venant.

§. XXXXIII.

Potentes viri non qua vtilia, sed qua placentia sunt, attendunt.

DAuid præsentia non paruam vtilitatem Sauli afferebat, quando cithara sua eum à vexatione mali spiritus liberabat. Huius tamen Saul minime meminit; sed ad Isai scribens tantum dicit: *Stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.* Non ait, commodus est mihi, & valde vtilis ad salutem, sed solum dicit; placidus est mihi, & oculis meis gratus. Et cur non magis meminit vtilitatis perceptæ, quam placiditatis, & gratiæ? Hoc est potentium hominum ingenium, vt non vtilia, sed sibi placentia attendant. Aiebat D. Amb. lib. 1. de Abraham, cap. 3. *Villicus non nūquam vtilis est, vel actor agri confertur vrbano. Si insipiens sit electus, aut cocū eligit, aut focalem, quem venustioris gratiæ putat, reputat vtiliorem.* Eu quoties hoc in hominum electionibus accidit. Est domi aliquis vtilissimus familiæ; vtilissimus acquirendæ, & conseruandæ substantiæ; vtilissimus decoti totius domus conseruādo; est in alio aliqua ratio venustatis, seu salis, quo placeat; hic eligitur, hic quæritur, hic præponitur, huius attēduntur merita, ille aut contemnitur, aut præteritur. Id tribuit Ambrosius insipientiæ electoris; ego tribuerim genio omniū pene mortalium, qui in aliquo valent. Nihil enim frequentius vidi, quam vtiles præteriri, & placidos attendi, & exaltari. Hoc vnum attendunt potentes, si placeat, aut displiceat quis, omni alia vtilitate posthabita. Repellebat Achis à se Dauidem sibi amicissimum, & vtilissimum, & repulsæ causam reddens ait, 1. Reg. 29. *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni inte quidquam mali, ex die qua veniſti ad me, vsque in diem hanc, sed satrapis non places.* Sic & rectissimus, & commodissimus repellitur à potentibus sola placentia spectātibus. Sic ditissimus Loth iussus eligere terram, in quam secederet; *Vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequā Dominus subuerteret Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisus Domini :: Elegitque Loth regionem, &c.* Vidit terram illam irriguam tanquam paradisum, & non amplius cogitauit, nec commoda, aut vtilitates alias perscrutatus est, sed ad illam statim euolauit. Sed cur non magis vtilitates attēdit? Vbi amæna, & delectabilis apparuit terra illa; nō amplius Loth requisiuit, placentia secutus, despiciens vtilia. Ait Hugo Victor. lib. de clausto animæ, cap. 3. *Notate fratres, cum separari vellet Loth ab Abraham, regionem aspexit Iordanis, quæ irrigabatur sicut paradisus Domini: & loci pulchritudinem vtilitati præposuit.* Et quando ratio venustatis, & placibilitatis non præponitur à potentibus vtilitati? Sanè si hominibus seruiendū esset, mallem, vel minimum placiditatis, & gratiæ, quam summum habere vtilitatis. Vidi sæpe apud eos, quod vtiles præteréantur, & placida attendantur.

1. Reg. 29.

Hug. Vict.

1. *Reg.* 16. Igitur quandocūque Spiritus Domini arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo Spiritus malus.

§. XXXXIV.

Virginea integritatis suauitas damones abigit.

IAmillud notandum: *Tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu sua, & refocilla-*

focillabatur Saul, &c. Ad citharæ Dauidis sonum Dæmon Saulem dimittebat; non quidem ex virtute citharæ, aut musicæ, vt notat Lyra, sed ex merito Dauidis diuina canentis. At in quo Dauidis merito fundabatur illa fuga Diaboli? Dixi supra §. 38. illam fundari in merito virgineæ integritatis Dauidis, vsq; tunc seruatæ, quod
D. Aldh. docebat ibi D. Aldhelmus. Nunquã enim non virginea suauitas potèns est abigere potestates tenebrarum. Apocalyps. cap. 7. centum quadraginta quatuor millia signa-
Apoc. 7. torum apparuerunt, dicit enim: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoad, vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta millia signati ex omni tribu filiorum Israel:* Sic centũ quadraginta quatuor millia signãntur ex Israelitis, vt possint nociuis resistere potestatibus. At Apo
Apoc. 14 calyps. 14. dicit: *Ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cœlo: :: & vocem quam audiui sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.* Ecce tibi, & modo cum Agno repræsentantur centũ quadraginta & quatuor millia citharizantium in citharis suis, quæ adeò secura sunt ab omni incursu malo, vt nullus appareat, qui ea velit signare. Et cur primis illis signum datur, quo malum incursum arceant; ijs autem secundis nullum datur signum tale? Primi erant è populo Israelita, in quo non vigebat integritas virginalis, & ideò egebant signo, quo malos angelos fugarent. Secundi ij citharædi è nouo Testamento erant pertinentes ad sequelam agni, quibus familiaris erat integritas virginalis, quę ex se potens est abigere mala. Ait Andræas Cæ-
An. Cæs. sariens. ibi: *Certe millia hæc noui Testamenti Virgines secundum vtrumque hominem significant; nam apud veteres Virginitatis decus parum admodum receptum erat. Quare hæc millia alia esse à prioribus illis, qua à duodecim tribus Israel nominatim censebantur, putandum est: siquidem ijs Virginitatis nomen nõ tribuebatur. Horum autem omnium frontes diuini vultus lumine signatæ conspicuntur. Per quod angelis exterminatoribus venerandi ac formidabiles apparent.* Datur equidem coniugatis signum, quo malos angelos arceant, quia illis nomen Virginitatis non datur. Virginibus enim sufficit suæ integritatis melodia, qua victoriosum bellum inferunt diabolo. Quo spectans, Cant. 7.
Cant. 7. ait: *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* De quibus ait Cardinal. Alanus: Cardin.
In Virgine fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum: Castra vero pugnãtium, secundum, quod Virgo circumsepta, & sanctis disciplinis instructa vitiorũ, & dæmonum repellebat insultus. Inueniuntur in Virgine & chori & castra; de virgineæ enim virtutis melodia illud insurgit, quod dæmonibus bellum inferat.

§. XXXXV.

Non sine ingẽti lucro quis virtutem aliquam primus excogitat.

ITaque: *Tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu sua & refocillabatur Saul, &c.* Multi alij citharas percutiebant, & alijs intrumentis musicis vtebãtur, quin dæmones expellerent ab hominibus. Cur Dauidis musicæ singulariter id concessum fuit? Musicam in Dei laudem primus Dauid excogitauit, vnde meruit sic aduersus dæmones potuisse. Ait Procop. in Glossa:
Procop. *Cultus Dei, qui per instrumenta musica exercetur, non quidem à Deo traditus, sed à Dauide religiosè excogitatus est. Diuino enim ardore inflammatus, ea quæ homines ad libidinem accendunt, ad pietatem traduxit. Cantum articulatæ vocis diuinis hymnis temperans, vt melos sensum, intellectus vero vnâ, eãdemque ope, erâ diuinum ardorem exsuscitaret. Dauid itaque diuini Spiritus vim, atque efficaciam acceperat, quo operante, Spiritus malignus quiescebat.* Merito Dauidi datum est, quod plectro veteretur aduersus dæmones, illoque melodia citharæ à mortalium corporibus abigeret; quando ille primus excogitauit in laudem Dei conuertere, quæ instrumenta musica in lasciuiam excogitata fuerant. Nunquã enim aliquis primus virtutem aliquam mundo inuexit; cui Deus largissimam non pararit mercedem. Apocal. 13. de diuinissimo Agno dicitur: *Qui*
Apoc. 13 *occisus est ab origine mundi:* Hoc est iuxta
D. Anſ. D. Anſel. & Amb. qui in Abelle occisus est, primo in orbis halitu. Nec erat paruus Abelis honor, quod eius mors habeatur quasi mors innocẽtissimi fili Dei. Sed vnde ad tantum honorẽ deuenit Abel? Inuenio ab illo prima munera fuisse oblata, quæ Deo placuerunt. Vnde ait D. Aldhelmus epist. de Virg. cap. 28. *Gratia diuinis*
D. Aldh. *cõspectibus holocaustomata Abel primus mortalium offerre promeruit, & huius rei gratia, à perfido*

perfido & nefando fratre inextricabile germanitatis vinculum, contra ius diuinum, & fas humanum rumpente crudeliter cruentatus futuram in fine seculorum pij redemptoris nostri passionē purpureo precioſi sanguinis astro præfigurauit. Sic qui primus munera Deo grata obtulit, accepit, quod morte sua moriēs filius Dei figuraretur. Ne sine ingenti mercede tantæ virtutis primus inuentor maneret. Huc trahe dicta, tom. 2. in Vet. Test. lib. 5. cap. 3. §. 40. & Tom. 1. in Vet. etiam Test. lib. 1. cap. 3. §. 6. & lib. 4. cap. 1. § 45. Tom. 3. in Vet. Test. lib. 6. cap. 13. §. 11.

§. XXXXVI.

Sancti viri nulli parcunt labori, vt saltim impiorum pœnas minuant, si omnino eas tollere nequeunt.

PErtinacissimum erat Saulis malum, nec semel, aut bis canente Dauide tollebatur omnino, Dicit enim: *Quandocumque Spiritus Domini arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, &c.* Non ait, quod canente Dauide omnino sanabatur Saul, sed tantum, quod refocillabatur, & leuius habebat. Et mirabar, quod Dauid notans integram sanitatem â cantu suo in Saulem non venire, sed aliquale tantum leuamen, nihilominus ab officio non desisteret, sed quotiescumque malum recrudesceret, statim ad plectrū iret. Et cur non magis Dauid tanta mali pertinacia lassatur? Cur malum minime expulsurus adhuc instat fidibus? Non curabatur Saul omnino, sed refocillabatur, & leuius habebat; sancti autem viri non cessant instare, vt saltem impiorum mala leuentur, si tolli omnino non possunt. Apocal. 7. felicium exercitus ostendebatur, qui in ea erat fœlicitate, in qua nullus indigebat. Ait enim: *Apoc. 7.* *Ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno habitauit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus. Quoniã Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorũ.* Quid felicius? Quid inde exoptandum amplius? Sed & statim. cap. 8. ait: *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora: Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium, &c.* Quando sancti iam ostendebantur in fœlicitate æterna, vbi neque Sol, neque æstus, neque lachryma, neque vllum timetur malum; ad quid adhuc eorum orationes diuinum pectus pulsabant? Eorum fœlicitas secura erat, reliquorum reproborum damnatio deplorata; cur orationibus insteht? Cur non magis requiescunt ab orando? Forsam impij adhuc in stadio repræsentabantur, quorum damnatio licet esset certa; tamen instant sancti orare, vt saltem supplicium aliquod accipiat leuamen. Ait ibi Andreas Cæsarien. cap. 21. *Inxta igitur mysticam* *And. Cæ.* *Angelus stetit aram, acerram thurisve receptaculum manu tenens, precesque Sanctorum tanquam quædam suffimenta Deo efferens. Per quæ petebat, vt orbe consummato, pœnæ & flagella, quæ impijs & prævaricatoribus hìc inferuntur, supplicia in altero sæculo in illos cõstituta diminuerent.* Repræsentatio hæc erat anticipata, in qua Sanctorum fœlicitas post consummationem orbis futura repræsentabatur; quorum orationes eo spectabant, vt qui relinquebantur in stadio impij de laboribus, & pœnis mundialibus hoc tõmodum perciperent, vt leuius in futuro sæculo affligantur. Sic sancti viri omnia sanari nequeant, saltem leuius quid patiãtur. Sic etiam, Apocal. 8. *Accepit Angelus* *Apoc. 8.* *thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.* Nõ cessat Angelus vexare terram, illamque magnis tempestatibus quatere. Et cur bonus sic instat inferendis malis? Ait Andreas Cæsar. vbi supra: *Angeli autem harũ* *And. Cæ.* *rerum administri tanquam misericordes condolentesque medici, dum ad Christi exemplum cauteria, & sectiones illis adhibẽt, qui grauiore peccatorum morbo tenentur, aut omnino curant, morbamque profligant, aut ignauis certe ingratisque hominibus futurum supplicium non nihil subleuare, moderatiusque reddere satagunt.* Eo intendunt sanctissimæ mentes, vt impios omnino â malis curent; quod si id non fiat, minime â curatione desistunt; satagentes, vt vel in supplicijs aliquod leuamen percipiant.

CAPVT

CAPVT III.

Goliath interimitur.

Textus Historia.

IAM Saul creditur à dæmoniaca vexatione leuatus, Lyræ pulsu Dauid impurati Spiritus dominationẽ fregerat; sed conflictus cum Philisthim Dæmonum pugnæ successit. Ferratarum hostium processerãt agmina à Socho Iudæ, vsque ad fines Domim; quibus vt occurreret Saul, dum pugnatores colligit, parenti seni permittit filium Dauid minimum, ad exercitum vocans Eliab, Aminadab, Semma tres maiores, & strenuos filios Isai. Interea Philisthim superato montis vertice ibi fixerunt castra; multaque inde Israelitis minabantur; qui media valle relicta ex aduerso in alio montis vertice stabant. Par vtrisque situs, sed longe dispar erat animus; in Philisthæis maxima alacritas, in Israelitis non paruus timor visebatur. In causa erat Goliath à parte Philisthinorum procedens, vir ingens robore, grauis adspectu, immane spirans, neque incessu dispari, altum vociferans, & vociferationem adspectu comprobans. Qui cum instar montis extaret, hostem ante conflictum, cogebat pugnam detrectare, scuto, galea resplendens; qua vtebatur hasta erat pro modo corporis, tantoque hastæ communis modum superabat, quantum supra humanæ naturæ terminos ille se efferebat. Alienigenarum exercitu in orbem, & stationem composito, Israelitarum optimos ad singulare certamẽ euocabat, victorum seruitute in præmium victori promissa. Terribilis adspectu, at voce tertibiliorterrorem terrore geminabat, lateq; spargebat. Saul interim in tumultu erat, Israelitæ in expectatione seruitij, terror eorum vires iam fregerat.

Dum hæc in exercitu geruntur, Isai Bethlemites minimum filium Dauid reuocat à pascuis, iubet cibos parare, illosque militantibus deferre fratribus. Non disturlit ingenuus puer mandata perficere patris; aduolat ad castra, fratribus exhibet commeatum, hinc indeque digressus multa à militibus scisscitatur, de belli processu, de timoris causis, de monstro illo, cuius terrore adeò erant vniuersi Israelitæ perturbati. Nec valuit fratrum ira adolescentem ab incepto examine reuocare; imò, vt audiuit regias nuptias propositas illi, qui auderet cum immani illo hosti certare, imperterritus spondet se neci daturum belluam adeò feralem. Simul audiuit, & contempsit Saul Dauidis ausus, minime fidens inexercitatum iuuenem præualiturum hosti tot in bellis exercitato. Instat puer, & vt extorqueat à rege congressus facultatem, in medium proponit suos Herculeis laboribus pares, vt fuerat cum Leone, & vrso luctatus, & vtrumque inter brachia strangularat. Oratione persuadetur Saul, & remisso timore proprijs armis Dauidem loricat, regioque ornamento exuto Dauidem circumdat, simulque ipse Dauidi regiam publicitus adscribit potestatem. Verum minime regijs armis adscribenda erat victoria tanta. Quare arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit, recusat thoracem, galeam abijcit, scutũ deponit, manum hasta liberat, bellicam stolam excutit, stola pastoritia, & virga, & pera quinque includente lapides armatur. Hoc arcano Dauid actus in bellum cum tali habitu in alienigenarum fertur propugnatorem. Deinde Goliath videns puerum pugnæ incensum amore, oculorum elegãtiam, genarum florem, & alienum à belli studijs schema, in risum effusus est. Et certe opera Dæmonum factus elatior superbiloquentia deterrere curabat accedentem, ferarumque ventres ei pro sepulchro promittebat. At qui rugitibus Leonum minime cesserat puer, nec etiam curat arrogantia superbi hostis verba; sed ei prodens arma, quibus intrinsecus munieba-tur, nimirum fiduciam in Deo, lingua cum incredulo de fide disputabat, manus autẽ fundam in vsum certaminis profide suscepti mouebat. Missu igitur lapide, galea rumpitur, plagam caput admittit, & anima de corpore fugit: sternitur mortuus Goliath, sternitur alienigenarum præsidium. Tunc inermis pugnator sublato Goliath gladio caput aufert defuncto. Quale tunc spectaculum? Fugam Philisthæi arripiunt, fugientes insequitur Israel, passimque percutit; à quorum cæde reuersus lætis acclamationis Dauidem in Regiam comitatur. Qui regem veneratus, paternamque ignoranti aperiens prosapiam, Goliath caput Ierosolymis infert, quæ tandem ciuitas sub eius erat redigenda potestate.

PARS MORALIS circa textus literam.

CONFLICTVS Cum Goliath Dæmonum pugnæ succesſit; & quæ non exſpectetur victoria in ſtadio, & lapidis funda, ab eo, qui vel in cithara in fugã Dęmonum phalanges mittebat.

1. *Reg.* 17. Congregantes autem Philiſthim agmina ſua in prælium conuenerunt in Socho Iudæ, & caſtra metati ſunt inter Socho, & Azeca in finibus Dommim. Porro Saul, & filij Iſrael congregati venerunt in vallem Therebinti, & direxerunt aciem ad pugnandũ contra Philiſthim ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſupra montẽ ex altera parte: valliſque erat inter eos.

§. I.

Negligentia in repellendis hoſtibus maxime cauenda.

NOn negem hoc ſtrenui ducis in Saule, quod cum primũ Philiſthiin caſtra mouerint aduerſus illũ; ipſe illis obuiam iret. Ait enim textus: *Porro Saul, & filij Iſrael congregati venerunt in vallem therebinti, & direxerunt aciem ad pugnandum, &c.* De quo Ioſephus, lib. 6. cap. 10. aiebat: *Nec Saulus cunctatus ducto in hoſtem exercitu effecit, vt prioribus caſtris relictis, &c.* Venerunt equidem haſtes in bellum; ſed nec Saul cunctatus in eos direxit aciem; nulla in Saule ſegnities, nullus torpor, nulla mora, ſed quam citiſsime hoſtibus occurrit. Vtinã ſic vniuerſi bellatores impigre hoſtibus obuiam irent; nihil enim tam nocet inter hoſtiles incurſus, quã torpor, & pigritia. Quis ignoret Pharaonis regnum à ranarum exercitu impetitum fuiſſe, Exod. 8.? Agebat ergo miſer ſub ranarũ moleſtia maximè afflictus, contendebatque à Moyſe, vt depelleret calamitatem illam. Rogatus tamen, quando velit tãtam ranarum immunditiem de-

pelli; *Reſpondit, Cras.* Sanè meritò regnum amiſit, qui ſic cunctatur, & differt in Craſtinum graſſanti iam malo occurrere. Ait D. Amb. lib. de Abel, cap. 9. *Cum debuerit in tanta poſitus neceſsitate rogare, vt iam oraret, nec differret, reſpondit: Craſtina die; otioſus, & negligens morę pœnam Ægypti ſoluturus excidio.* Meritiſsime excidiũ regni paſſus eſt, qui ſic procraſtinabat, & cunctabatur graſſanti malo occurrere. Nequit enim negligentia, & deſidia validiſsimis etiam bellatoribus non părere ruinam. Quo notandus venit cantatiſsimus ille Babyloniorũm dux Holofernes, qui dum pauorem Bethulienſibus infert, Bethulienſem puellam in cubiculũ ſuũ admiſit? nec dubitat præſente illa ſeſe ſomno ſepelire. Quid tunc? De Iudith, cap. 13. ait textus: *Acceſſit ad columnã, quæ erat ad caput lectuli Holofernis, & pugionẽ eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit. Cumque enaginaſſet::: ab ſcidit caput eius.* Sic ſic fœmina delicata præualuit aduerſus exercitatiſsimũ ducẽ. Et vnde dux exercitatiſsimus potuit perire in manu fœminæ? Ait D. Aug. ſerm. 229. de Tempore: *Non delicata matrona pugnauit, ſed ſopor tibi, quem ferias, præparauit.* Non miror, quod pereat dux, qui coram habens è ciuitate hoſtili vnam, auſus eſt dormire. Qui ſomno ſe dedit, cum, vel intra cubiculum eſſet manus hoſtilis. Eu quot â pigritantibus, & dormientibus quotidie, & vitæ, & regna perduntur! Principes Ieroſolymitani perſuadebant cuſtodibus dominici ſepulchri, vt mentirentur diuini cadaueris furtum. Aiunt enim, Matth. 28. *Dicite, Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* Efficaciſsima quidem ratio excogitata fuit, vt crederetur ſublatum Corpus Chriſti, nimirum, *Nobis dormentibus.* Vbi enim militesdormiunt, quid non amittant? Ex quo ait D. Auguſt. hom. 1. in Nat. Ioan. *Regnum noſtrum Chriſtus eſt. Rapimus itaque eum illis dormientibus. Surgat ergo qui dormit, ne forte per negligentiam Chriſtum amittat, dum mens eius in infirmitate, & in torpere dormitat.* Qui ſomno ſtertit, qui torpere tenetur, dũ hoſtis inſtat, & regnũ cœleſte, & Chriſtũ, & omnia amittet diuina. Nunquã enim negligentia, & pigritia creberis non caſtigatur ruinis, Gen. 28. Iacob *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram; & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominũ innixũ ſcalæ.* Mirabar, quod per ſcalam, cuius in cacumine Dominus erat, inuenirentur, qui deſcendere velit. Cur nõ

Exod. 8.

D. Amb.

Iud. 13.

D. Aug.

Matt. 28.

D. Aug.

Gen. 28.

magis omnes ascendunt ad Deum, cum scala parata, & facilis sit? Cur sunt, qui descendunt? Metuo ne descensus ille, præcipatatio magis dici queat. Ait enim D. Hieron. epist. ad Eustho. de Epitaph. matris:

D. Hier. *Vidit scalam, vsque ad cœlum tendentem, in qua Dominus desuper innitebatur, ascendentibus porrigens manum, & negligentes de sublimi præcipitans.* Equidē licet in sublimi sis, si te negligentiæ dedas, præcipitaberis à Deo.

§. II.

In fidelibus populis vnitas debet splendescere.

DIcuntur Philisthiin agmina sua congregasse: ait enim; *congregantes Philistiin agmina sua in prælium.* De Israelitis autem solum dicit: *Porro Saul, & filij Israel congregati venerunt.* In Israele non explicantur agmina cōgregata, sed in Philisthinis. Cur ergo non similiter dicuntur Israelitæ agmina congregasse? In Philistinis, vt notat Carthus. & Abbul. erant quinque agmina diuersa interse, à quinque diuersissimis Regulis moderata; in Israele vnum tantum erat agmen sub vno solo rege Saule congregatum; in populo enim fidelium semper vnitas magis claret. Aiebat Ruricius Episcop. epist. ad Cronopium:

Carthus. *Caula gregis dominici possunt esse numerositate multa, non fidei varietate diuersa; vt, sicut ipse Dominus prænuntiauit, non nobis per inuidiam desidentibus, & gregem dominicum diuidentibus multiplex per nos schisma procedat, sed magis per vnitatem fidei simplices oues dominicas congregantibus, fiat in nobis vnus grex, & vnus pastor.* Hoc sit cordi, fidelibus omnibus, ne diuisionem, & diuersitatem in se admittant, sed magis eam in se ostendant vnitatem, qua vnus grex in eis appareat, & vnus pastor. Nunquam enim vnitas non splendet in victore fidelium agmine. Quo spectans Habacuc, cap. 3. de

Habac. 3 feruatore Iesu ait: *Ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Nec immerito triū phatori Iesu quadrigas adscribit; in quadrigis enim præcipue splendet vniformitas equorum, & vnitas eorum in processu. Sic in triumphatoribus fidelibus, qui sub vno Iesu moderantur, nil citius ob oculos prosilit, quam splendor vnitatis, & conformitatis. Vt dicat D. Amb. serm. 4. in Psal.

D. Amb. 118. *O bonorum equorum duodecaiugum mirabile, quibus frana pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & iugo fidei subiecti, bonum aurigam portantes Dei Verbum.* Ecce tibi, vt pax, & charitas, & vnitas, & concordia viget in quadrigis Saluatoris, quando amat de hostibus triūphare. Quas quadrigas adiungit, vt triumphaturum agmen agant, omnes splendent vnitate, concordia charitate. De vna nimitate, & concordia fidelium multa dicta sunt passim per omnes tomos.

1. *Reg.* 17. Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis, sex cubitorum, & palmi: & cessis ærea super caput eius, & lorica hamata induebatur. Porro pondus loricæ eius quinque millia siclorū æris erat, & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypēs æreus tegebat humeros eius. Hastile autē hastæ eius erat quasi liciatorium texentium, &c.

§. III.

Ad magnam calamitatis exacerbationem pertinet, quod ob oculos sint, quæ inferant necem.

NOn otiose dicitur egressus hostis, & tot arma mortes halātia indutus positus Saulis ob oculos. Dicit enim: *Egressus est vir spurius de castris Philisthiin nomine Goliath, de Geth altitudinis sex cubitorū, & palmi: & cassis ærea, &c.* Sed cur tantus hostis, tot mortes halans proponitur in mediū? Faciebat hoc ad maiorē Saulis calamitatē, vt quē antea inuisibilis hostis cōfregerat; iā visibilis alius ob oculos positus eius exacerbaret pœnam. Quid enim acerbius, quā ob oculos habere spicula, & gladios, qui te perdant? Huc spectabat D. Basil. Sel. or. 15. dicēs: *Cōflictus eū Goliath Dæmonū pugnæ succesisit. At iā præsens aderat Goliath ingēs robore, grauis aspectu, immane spirās, neq; ætate par, altū vociferans, & vociferationē adspectu cōprobās. Terribilis adspectu, ac voce terribilior, terrorē terrore geminabat, lateq; spargebat.* In visibilis hostis Dæmō victus à Saule receserat, dauidica

Basil. Sel.

Cyta

Cyra expulsus; cui succesit Goliath, non inuisibilis, sed terribilis adspectu, immane spirans, terrorem geminans, miserum regem maximè excrucians; ad cruciatus enim acerbitatẽ pertinet, quod videas, qui te perdat, Oseas, cap. 10. ait: *Disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel: lappa, & tribulus ascendet supra aras eorum; & dicent montibus, Operite nos; & collibus, cadite super nos.* Cum perditio vrgeat, & ira Dei gladios, & ignes euomat, miseri cupient à mõtibus opprimi, & sepeliri. Sed cur petant opprimi à montibus, quãdo ob oculos iam perditio erit, quæ illos perimat? Si perditio in promptu est, & ob oculos iam versatur, cur clament à montibus operiri? Ait D. Hieronim. ibi: *Dicunt magno horrore metuentes montibus, Operite nos, mori magis optantes, quam cernere, quæ afferunt mortem.* Non tam horrebant mortem, quam horrebant videre ea, quæ mortem inferebant, & dum ab horum visione liberarentur, nihili æstimant mori, & sepeliri cadentibus super se montibus. Adeò, vt nunquam nõ putetur beneficium, si non videas, quæ tibi mortem inferant. Nota est historia Ezechiæ, 4. Reg. 19. vbi perterritus bonus Rex nuntijs Senacheribi venientis cum exercitu hostili, vt perderet Ierosolymitanum Regnum, audit de illo: *Non ingredietur vrbem hanc; nec circundabit eam munitio.* Et statim subditur: *Nocte illa venit Angelus domini, & percussit in Castris Assyriorum centum octingenta quinque millia, &c.* Quæ vltima si componas cum primis; aperte scies occisionem, & perditionem Assyriorum non contigisse iuxta vrbem Ierosolymitanam; sed antequam ad illam peruentum esset. Quod probat Abbul. quæst. 25. & Pater Aluares in Isaiam. Sed cur antequam hostilis exercitus veniret Ierosolymam, & sese daret conspiciendum Ezechiæ destructus, interfectusque est ab Angelo Domini? Cur non magis permittitur accedere ad vrbem, ibique tot inferendæ mortis vasa, ciuibus ostenderet? Sanè fecit id Deus in Ezechiæ beneficium, ne ob oculos haberet tot arma hostilia, tot instrumenta composita, vt mortem illi inferrent, quam citissime. De quo beneficio canit, D. Paulinus in Natali, 8. S. Fœlicis.

Oseas, 10.

D. Hier.

4. Reg. 19

Abbul.

D. Paul. *Intulit Ezechias Domino, lachrymisq; profusis*
Dũ recitat fera verba lauãs prostratus, & orãs,
Atrata eum plebe Deum permouit, & vna
Tam grauis exitij victor prece perculit absens
Assyrios, pugnante Deo, compendia tanta
Promeritus, ne nosset eũ, quem vinceret, hostẽ.

Currentem hostilem exercitum, mortes, crucesque arma minantia auertit oratione Ezechias, nec vidit; promeritus enim, & hoc est, *ne nosset eum, quem vinceret, hostem.* Non equidem nisi magnis sanctissimi regis meritis daretur, ne halans mortẽ exercitus in eius veniret conspectum.

§. IIII.

In mundialibus Regnis vilissima quæque solent præualere; in Regno Christi soli præstantes virtute.

VIde penes quem sit tota res Philisthinorum, nimirum penes hominẽ spurium, in sola carnis mole, & ferro, & ære nitentem. Sic enim ait: *Egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum, & palmi, & cassis aerea, &c.* Spurius vir, nimirum vilissimus homuntio, totus ferro, æreque sepultus egressus, è castris Philisthinorum, sibi parem quærebat, è parte Saulis. Nec miror, quod talis nõ inueniatur in fideliũ Regno, quod est Regni Dei typus. In hoc enim maximè differunt Regnum Dei, & Regna mundi: quod in ijs vilissima qnæque prevalent ait enim, Sap. cap. 4. *Multigena autem Impiorum multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina, &c.* Impiorum segetem inutilia, & spuria vitulamina putans, quæ passim in hoc præsenti mundi Regno visuntur, in illo soli inueniuntur præstantes ratione, & virtute. Nabuchdonosori, Dan. 4. ostendebatur, *Arbor magna, & fortis; & procerita eius contingens cælum: aspectus illius erat, vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, esca vniuersorũ in ea: Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, &c.* Sic ibi sub arboris specie Regnum Nabuchdonosoris exprimebatur; verum, Ezech. cap. 17. ait Dominus: *Summã ego de medulla cedri sublimis:: In monte sublimi Israel plantabo illud, & erũpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnã: & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersa volatile sub vmbra frondium eius nidificabunt.* Ecce tibi arbor magna apud Danielem, & arbor magna apud Ezechielẽ; in vtraque & fructus multus, & multi, qui eum comedant. Sed in Daniele dicit: *Subter eam habitabant animalia, & bestiæ*, in Ezechiele autem

Sap. 4.

Dan. 4.

Ezec. 17.

autem dicit: *Sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile.* Sub illa bestiæ sunt, sub hac volatilia pennata. Et cur sub hac non etiam bestiæ habitant? In Daniele arbor exprimebat regnum mundiale, in quo, & bestiæ, & quadrupedia, & monstra, & viliſsima quæque visuntur in dignitatibus; in Ezechiele autem regnum Christi exprimebatur; quod non in se ostendit nisi pennatos, qui proprijs meritorum alis contẽdant ad alta. Ait enim Theodor. in Ezech.
Theod. sect. 6. *Post passionem, resurrectionem, & Euãgelij propagationem, plantabo eum, & producet germen, & fructum faciet, quem Orbis terrarum vindemians, & depascens æternam vitam sperat. Et requiescet sub eo omnis auis, & omne volatile sub vmbra eius requiescet; nullum neque iumentum, neque reptile, aut abiectum humile, sed siquid alatum est, & in aere incedens, & ad sublimia naturalem habet impetum. Tales enim sunt fidei alumni.* Expende illa: *Nullum neque iumentum, neque reptile, aut abiectum humile, sed siquid alatum, &c.* Quippè in Regno Christi nullus degener, nullus abiectus, & vilis procedit, sed qui alis virtutum ascendat in sublima. Videre est in mundialibus regnis etiam floridiſsimis, reptilia, & abiecta, & spuria progredi, at in Regno Christi, nullum reptile, nullum iumentum, nullum spurium inuenitur. Quid Regnum Christi cum vilibus, & spurijs vitulaminibus? Aiebat,
Malac. 4 Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, sanitas in pennis eius.* Et nihilominus sunt, qui clament, Sapient.
Sap. 5. 5. *Iustitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol non est ortus nobis.* Si iustitiæ Sol promittitur orturus, quomodo dicunt isti sibi non fuisse ortum? Imò video, Matth. 5. dicentem
Matth. 5. de Deo, *Qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos.* Non ergo est vnde Sol non oriatur istis, quando etiam si mali sint, eis oriturus Sol promittitur? Cur negent sibi Solem ortum, qui etiam malis, & discolis, & spurijs, & adulterinis solet oriri? Est Sol mundialis pertinens ad regimen mundi; & est Sol diuinus, qui cœlestis Regnis demonstrat viam. Ille nullum reprobat, vel spuria vitulamina fouet, vel viliſsima, & nocentiſsima reptilia illuminat; hic autum proijcit, nec admittit spurium quid, nec adulterinum. Ad hæc D. August. in
D. Aug. Psal. 80. *Est in scripturis nostris Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Iste est Sol, de quo dicturi sunt impij: Ergo errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non illuxit nobis, & Sol non ortus est nobis, quia cum adorent Solem, quem facit oriri super bonos, & malos, non est eis ortus Sol, qui solos illuminat bonos.* Equidem diuiniſsimi Solis est efficaciter ad vitam æternam illuminare bonos, deijcere in tenebras exteriores spurios, & malos. Ait Isaias, cap. 4. *Si ablauerit Dominus sordes filiarũ Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Et creauit Dominus super omnem locum montis Sion, &c.* Per hanc ablutionem sacrum intelligunt baptiſmum, quo Regnum Christi initiatur, Hieron. Aug. Chryſoſt. apud Leonem de Castro. Sed illud notandum, quod post ablutionem baptiſmi in spiritu iudicij, & ardoris, statim illud addit: *Et creauit Dominus, &c.* Et quid cum ablutione creatio? Plane à baptiſmatis aquis diuino omnes recipiunt natales, nec inde spurium, aut adulterinum apud Deum bene audit. Quo spectans D. Zeno, lib. 3. serm. 26. exclamat. *O bonæ matris charitas pura, diuerso genere, sexu, ætate, conditionem ſuſcipiens, necat odio criminum, vt nouerca, pia seruat, vt mater; necatoſque non antea vinificat, quam omne virus vetuſtatis extinguat. Nequid adulterum pariat, vnam natiuitatem, vnum lac, vnam Spiritus Sancti præstat omnibus dignitatem.* Sic bonus Doctor de baptiſmatis fonte philoſophatur, per quem in Regnum Christi renaſcimur, qui, vt Spiritu Sancto, & igne peccata absumit, necat crimina, filios Dei parturit, sic maximè cauet, ne inde adulterinum quid, & spurium foueatur.

Isai. 4.
Hieron. Auguſt. Chryſoſt.
D. Zeno.

§. V.

In ſolo Ieſu præſidio nil oneris eſt, nihil oppreſsionis.

CAsside, & lorica instructus in bellum venit superbus Goliath, quod notans textus, statim addit: *Porro pondus loricæ eius quinque millia ſiclorum æris erat.* Nihil citius in lorica ostenditur, quam ingens pondus eius; nec miror, in solius enim Ieſu præsidio non pondus est, sub quo gemas. Quo spectans D. Zeno, lib. 3. serm. 26. sic ad renatos in Christo clamat: *Saluete hodie nati fratres in Chriſto, acceptaque indulgentia regale beneficium diligenter, fortiter, ac fideliter cuſtodite. Et enim veſter contractus omnis ablatus est, ſecuri gaudete, nihil ſeculo iam debetis. Ecce nullum pondus: ſtridor nullus est mundanarũ veſtris in cernicibus catenarũ.* Ecce tibi, &
D. Zeno.

sub

ſub Chriſto iubentur eſſe ſecuri, & nihil oſtenduntur ſæculo iam debere. Et quid inde? Continuo ait: *Nullum pondus, ſtridor nullus eſt mundanarum veſtris inceruicibus catenarum.* Quantum de ſæcularibus præſidijs, & ſubſidijs ſumebas; tantum ponderis erat, ſub quo gemas; tantum ferrearum catenarum, quibus conſtrictus, & incarceratus degebas. Sæcularia exuiſti, & Chriſtum induiſti, & ex inde nullum te premit pondus, nullo ſub ferro detineris. Dicebat Cant. 4. ad fideles Chriſtianæ Eccleſiæ:

Cant. 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* Nec immerito, quæ de lauacro aſcendunt, non vocantur oues, ſed tonſæ, vt deſcribantur, quam ſint ab omni, vel velleris onere liberatæ. Ait D. Aug.

D. Aug. in Pſalm. 94. *Tanquam grex detonſarum. Quare detonſarum? Quia ſarcinas ſæculi depoſuerunt.* Quidquid ſæculare eſt, onus eſt, pondus eſt, quod maximè ſuos portitores vexat. Vbi Chriſto nomen dederis, & de fontibus ſaluatoris aſcenderis, ſarcinarum pondus abijcis, & omni onere leuatus pergis. Aiebat Eccleſiaſticus, cap. 40. *Iugum*

Eccl. 40. *graue ſuper filios Adam â die natiuitatis eorum, vſque ad diem reuerſionis in terram.* Circa quæ ait Drogo, ſer. de Sacram. Paſsio-

Drog. nis. *Quandiu ſum filius veteris Adam, graue iugum porto. Si eſſem filius noui Adam, leue iugum portarem. Quod eſt iugum graue? Talentum plumbi. Et quod eſt onus leue? Crux Chriſti. Illud ſubmergitur in aquis vehementibus; iſtud enatat ſuper aquas.* Sanè habes,

Exod. 15. Exodi, cap. 15. vt Ægyptij ſubmerſi ſunt ſicut plumbũ. Qui veteris Adami iugũ portabant. Et, 4. Reg. 6. habes, vt lignum fecit

4. Reg. 6. natare ferrum ad ſe. Sic enim, qui lignum crucis Chriſti habent in animo ſuo, ſuper omnes enatant aquas. Huc trahe dicta, 1. Tom. in Euang. lib. 2. cap. 8. §. 18. & lib. 4. cap. 4. §. 4.

1. *Reg.* 17. Stanſque clamabat aduerſus phalangas Iſrael, & dicebat eis: Quare veniſtis parati ad prælium? Nunquid ego nõ ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul? Eligite vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen. Si quiuerit pugnare mecũ, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui; ſi autem ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis. Et aiebat Philiſthæus: Ego exprobaui agminibus Iſrael hodie::: Audiens autem Saul, & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſtæi huiuſcemodi ſtupebant, & metuebant nimis.

§. VI.

Probroſum eſt ingenuo homini alium Dominum reſpicere, quam Deum.

NOn princeps, ſed ciuis priuatus Geth erat Goliat, quæ ciuitas vna erat de ſatrapis Philiſthinorum; & nihilominus nullius ſe regis principisve ſubditum meminit, cum Iſraelitas ſeruos Saulis nominat. Dicit enim: *Nunquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul?* Vt ſe Philiſthæum nominat diſsimulato Principe, ſub cuius poteſtate erat, poſſet etam hoſtes ſuos Iſraelitas vocare, nulla facta mẽtione Saulis, cui ſeruiebant. Cur ergo ſe Philiſthæum dicẽs, & nullius ſe regis ſubditum memorans, hoſtes ſuos non Iſraelitas, ſed ſeruos Saulis vocat? Quod probroſum eſt homini ſapienti, & ingenuo, id nõ ſibi, ſed hoſtibus tribuebat, quod hominis eſſent ſerui, eumque Dominum præ oculis haberent. Eſt equidem probrum maximè homini ſapienti, & ingenuo cauendum, ne cui domino ſeruiat, niſi Deo. Oſeas, cap. 12. cauebat hoc in Iſraele dicens: *Seruiuit Iſrael in vxore, & in vxore ſeruauit.* Quæ explicatius ſonant apud D. Hieron. fantem: *Seruiuit Iſrael in vxore Rachel ſeptem annis, & pro Lia ſoceri Laban oues cuſtodiuit.* Et quidem pro vtraque vxore cuſtodiuit oues Labani, ſed cum eas cuſtodit pro Rachele, dicitur ſeruiſſe in vxore; cum autem cuſtodit oues pro Lia, non dicitur ſeruiſſe. Et cur cauet dicere, quod Iacob ſeruierit pro Lia, cum dicat illum ſeruiſſe pro Rachele, cum pro vtraque ſimile obſequium præſtiterit? In Rachele contemplatio diuinitatis exprimebatur, in Lia actio ſola, quæ temporalia hæc adminiſtrat. Inde fit, quod de Iacob caueat dicere, quod ſeruierit pro Lia, ne tantum probrum viro ſapiẽti, & ingenuo attribuat, ſi credatur ali, quã Deo ſeruiſſe. Et quis ſapiens, & ingenuus non probrum ducat, alteri quam Deo do-

Oſeas, 12.

D. Hier.

Exod. 25 mino seruire Exod. 25. *Facies, & propitiatorium de auro mundissimo:: Duos quoque Cherubinos aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi:: Virumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, &c.* His verbis duo insinuantur à Sanctis patribus. aliud est, quod propitiatorium sit Christus Iesus: aliud, quod Christus Iesus sit verus Deus. Vnde in ijs verbis ostenditur Iesus Deus? In eo, quod iubet de Cherubinis, nimirũ: *Respiciant quasi mutuo versis vultibus in propitiatorium.* Vbi enim Cherubini ostenduntur ad propitiatorium attendentes, eò que oculos figentes tãquam oculos ancillæ in manibus dominæ suæ, aperte probatur Christus, vt propitiatorium esse Deum. Non enim aliud, quam Deum tanti Cherubini respicerẽt. Ad hæc D. Cyrill. Alex. ibi ait: *Quamuis Verbum factum sit caro, & constitutum à Patre propitiatorium, non abiecit tamen, quod erat, hoc est, deitatem: Sed etiã simpor est assumpsit; & gloriam Deo conuenientem habet, & nihilominus eum supernæ virtutes circumstant, præcepta sibi officia peragentes. Id circo Cherubin propitiatorium tegunt, & ipsum assiduissime intuentur.* Expende abilis: *Id circo Cherubim, &c.* quia nimirum in homine suam deitatem, & gloriam habet Iesus; id circo Cherubim illum assiduissime intuentur. Tanta enim ingenuitas, & sapientia probrum ducerer, si oculos leuaret ad dominum, qui non esset Deus. Tunc enim rationalis creatura suæ ingenuitatis, & sapientiæ munus implenit, quãdo nulli alteri, nisi Deo seruit. Vnde Moyses, Exod. 32. post vindictã sumptam de trãsgressoribus in vituli adoratione, ait Leuitis: *Consecrastis manus vestras hodie domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, &c.* Ex Hebræo legit D. Hieron. *Implestis manus vestras domino.* Nihil prætermiserunt sui muneris, suæ conditionis; omnia, quæ ad se pertinebant, præstantissimi viri impleuerunt. Et in quo sic omnia suæ conditionis munera impleuerunt erga Deum? Ait ipse Hieron. epistola ad filias Geruntij: *Vestros, qui manus sunt, implestis domino, cum nulli præterquam Domino Imperanti seruire annuistis.* Tunc ingenuus, & sapiens homo implet suæ conditionis munera, cum probro ducit alteri seruire, præterquam domino. Hinc monebat Paul. ad Ephes. 2. etiã eos, qui seruire hominibus tenebantur: Ephes. 2. *Seruite domini carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed, vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut domino, & non hominibus.* Sic monet, vt in omni seruitio, & obsequio præstando se habeant, *vt serui Christi.* Quid est, *vt serui Christi?* Ait Ansel. *Nulli alij rei, nisi veræ iustitiæ studentes.* Hoc faciamus in omni obsequio, & seruitio præstãdo, vt non alij, præterquam Deo, & veræ iustitiæ, & virtuti seruiamus.

Cyr. Al.

D. Hier.

Hieron.

Ansel.

§. VII.

Ferissimæ quæque impietas in conspectu virtuosi infirmatur.

FErissimus ille Pharisæus, qui cum ingenti superbia egrediebatur, vt cum Israelitis pugnaret, vt in illorũ conspectum deuenit, constitit, & nihil prius facere quam interrogare Israelitarum animam. Dicit enim textus: *Sanes clamabat aduersus Phalãgas Israel, & dicebat eis: Quare venistis paratis ad prælium?* Non ex abrupto in certamen vocat, non stringit gladium, & mortis minas iactat. Sed nouum aliud præludium inuenit pugnandi, vt interrogationibus de aduentus causa vacet. Et cur non magis ad mortes minantia verba accedit? Cur prius inani interrogationi vacat? Sane & ferissimus, & superbissimus erat, vbi in conspectum fidelis exercitus aduenit, non potuit non aliquid tribuere infirmitati, tempus terens interrogationibus manibus. Non abimilis ille superborum, & ferissimorum princeps serpens antiquus; serpẽtinis squammis armatus prosilit in aream aduersus Euam, quam vbi fuit conspicatus, Genes. 3. statim ad interrogationem declinat, aiens: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Non aperte Marte audet, non virus effundit, sed paulisper differt, vt interrogationibus tandiu vacet. Et cur pessime omnium, non magis instas pugnæ, sed interrogationibus immoraris? Iam ex solo auctæ hominẽ conspectu infirmatur, & timidus redditur, & anceps. Ait Hugo Vict. lib. 1. de sacram. par. 7. cap. 4. in tom. 3. *Considerate, quanta est confusio, & ignominia nequitiæ in conspectu virtutis. Stant coram, & coram fœmina hostis superbus ex solo malitiæ cogitata, nondum dicta confunditur, & quasi se iam prius, quam etiam loquetur, deprehensum metuens, non audet exire in ver-*

Genes. 3.

Hug. Vi.

in verba persuasionis, donec animum tentandæ interrogatione præsentiat. Cur, inquit, præcepit Deus, &c. Tota superbissimæ bestiæ confidentia in timiditatem, & infirmitatē conuersa est, vbi in conspectu virtutis peruenit. Non sustinuit Euam adhuc sanctam videre, quin multum audaciæ perderet, & relictis, vel dissimulatis armis ad interrogationes familiares se conuerteret. Non aliter accidit ferissimis Iudæis, qui ignes crucesque in Apostolos Christi spirantes, tamen vbi eos ligatos coram se viderunt, Actor. 4. Actor. 4. clamant: *Quid faciemus hominibus istis?* Sic dum coram habent Apostolos, à ferro abstinent, & interrogationibus instant, eorum virtutibus victi. Vt dicat D. Isid. Pel. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 182. *Nefarij illi, ac pestiferi Iudæi cum Apostolos tanquam irretitos tenerent, & tamen summa consilij inopia premerentur, ac dicerent: Quid faciemus hominibus istis? Hoc demum erat, quod admirationem afferebat, quod cum eos tenerent, tamen in summa animi anxietate versabantur, eaque, quæ victis conueniebant, voces emittebant.* Sic infirmabantur Iudæi coram Apostolis, vt cum eos tenerent constrictos, adhuc ad eas voces, & interrogationes cōfugiant, quæ magis solent conuenire victis.

§. VIII.

Officium multitudini exhibitum fructuosius apud Deum est.

MIrabar, quod superbissimus iste non magis nominatim expeteret, & prouocaret Saulem regem ad certamen, sed maluerit rem esse cum eius seruis. Quippe ait: *Nunquid ego nō sum Philisthæus, & vos serui Saul? Eligite vobis virum, & descendat ad singulare certamen, &c.* Non regē prouocat, sed singulos eius seruos, singulos nempe milites totius exercitus. Aliter Rex Syriæ, 3. Reg. 22. de quo ibi: 3. Reg. 22 *Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus dicens: Non pugnabitis contra maiorem, & minorem quempiam nisi contra Regem Israel solum.* Cur similiter superbissimo Goliath non placuit magis prouocare in certamen singulare ipsissimum Israelis regem Saulem? Nonne inde maior esset gloria Philisthæo, triumphusque maior, si regem vinceret, & eum regem, qui proceritate corporis, & altitudine ab humero, & sursum excedebat suos populares? Cur ergo tanti triumphi oblitus, magis prouocat singulos milites gregales? Fecit hoc diuina dispositio; ne victoria Dauidis esset solius regis liberatio, sed magis esset vniuersæ multitudini salutaris. Quam rationem reddidit D. Basil. Sel. orat. 15. *Ne soluis Regis sospitator esset Dauid, verum etiam palam de vniuerso Israele benemereretur.* Basil. Sel. Amat equidem Deus in suis illud officium, quod magis est vtilis multitudini. Et qui non vnius, sed omnium curam agit, nihil non magnum à Deo sperandum perhibet. Abrahamo promiserat Deus, Genes. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Genes. 22 Non solum pulueri terræ comparatur Abrahami semen; sed & stellis cœli par futurum ostenditur. Et vnde Abrahā meruit, quod eius semen à Deo inter sydera collocaretur? Ait sapienter D. Leo serm. 3. de Natiuit. *Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fœcunditate generanda. Et ideò stellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre non terrena, sed cœlestis progenies speraretur.* D. Leo. Expende ab illis: *Vt ab omnium gentium patre, &c.* vt enim Abrahā non vnius, aut alterius, sed omnium gentium patrem egit, sic ab illo nihil paruum, aut humile, sed magnum, sed sydereum procedit per Deum. Conueniant huc, & Principes, & Præsules vniuersi, & videāt, qualiter possent non pulueris, sed stellarum principes esse: si nimirum non vnius singulariter curas suscipiant, sed æqualem curam gerant multitudinis vniuersæ. Proh quām Deus promouet eos, qui hoc satagunt, vt multitudini proficui sint, nec se in partes secāt! Hinc Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Psal. 86. Et cur Iacob tabernacula despiciuntur à Deo præ amore portarum Sion? In Iacob tabernaculis solus admittebatur vnus populus; in Sion autem apertæ fuerunt portæ, per quas intraret multitudo gentium. Ne miremur, quod Sion portæ charioresint Deo, quādo non ad vnum singulare, sed ad omnem multitudinem fecerunt patere ingressum. Ait D. Hier. epist. ad Eustoch. in epitaph. matris: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, non eas portas, quas hodie cernimus in fauillam, & cinerem dissolutas, sed portas, quibus non præualebit infernus, & per quas credentium ad Christum ingreditur multitudo.* D. Hier. Quæ non vni partialiter, sed multitudini parant salutem, parant ingressum, maximo Dei in se amore tenētur, ab illoque quæuis magna sperant. Sed & maximè ornant filiū Dei Zachar. cap. 6. Zach. 6.

Summes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu, &c. Vnius capiti vna corona sufficiebat; cur multæ coronæ mandantur fieri? In coronis illi ostendebatur salus populorum, quæ corona est, & gloria Iesu; & ideò non vnius populi particularis, sed omnium populorum ornatus Iesum decebat. Atdicat D. Cyrill. Alex. ibi: *Est corona, & gloria Christi salvatorum ab ipso salus. Saluata est enim non vna gens, quemadmodum scilicet olim per Moysem Israel: sed quidquid etiam gentium sub cœlo est. Hoc quippè Christum decebat.* Non equidem vnius singularis populi salus sic Christum decebat, vt salus omnium populorum.

Cyr. Al.

§. IX.

Diaboli ars est vnũquemque hominum solum appetere, vt perdat.

HÆc erat vox superbissimi Philisthæi: *Eligite vobis virum, & descendat ad singulare certamen. Si quiuerit pugnare meum, &c.* Imò hæc communior diaboli vox est, vt cum homine quoquam amet singularem congressum, ratus sibi victoriam esse certam, vbi quis sibi soli fidens ad pugnam accedit. Ex quo monebat Galfridus in Allegor. Tilmani: *Nullus ex nobis animositate proterua ineat hoc certamen. Non est enim qui ad hoc sufficiat. Non enim timet nos solos aduersarius noster: id circo sidenser prouocat ad singulare certamẽ, sciens, quia va Soli, qui cum ceciderit non habet sublevãtem.* Vt non parua est securitas hominis, quod non solus in certamen cum diabolo veniat, sic magna diaboli fiducia est, quod aliquem solum inueniat, vniuersam enim tunc vim sui effundit veneni, Gen. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, &c.* Duo tantum erant tunc in mũdo, nimirum, mulier, & vir; & nihominus mala bestia minime ad duos illos accedit; sed vbi fœminam â viro separatam, & solam inuenit, tunc accingitur in bellum. Et cur duorum cauit conflictum, & magis vnam solam fœminam expectat? Ait Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. par. 7. cap. 3. in tom. 3. *Primum diligenter solitariam fœminam explorauit, & inueniens, in eam primum omnem suæ tentationis conatum experiri disposuit.* Vt enim totum suum virus effundere disponebat, sic expectabat inuenire solam fœminam. Qui enim solus accedit cum diabolo in prælium, prope necessum est, vt vniuerso illius veneno imbutus dispereat.

Galfr.

Gen. 3.

Hu. Vict.

§. X.

Verba opprobriorum nõ paruã tempestatem excitant ad infirmos perdendos.

COniungenda sunt maxime illa textus verba: Aiebat Philisthæus: *Ego exprobraui agminibus Israel hodie: audiens autem Saul, & omnes Israelitæ sermones Philisthæi huiusce modi stupebãt, &c.* Audiebantur exprobrationes Philisthæi, & Saul, & Israelitæ in magno stupore, & metu erant. Quid enim non metuendum veniat ab exprobrationibus, & opprobriorum verbis? Pulchre ad hæc dicebat D. Basil. Sel. orat. 15. *Terribilis ad spectu Philisthæus, ac voce terribilior terrorem terrore geminabat, lateque spargebat. Saul interim in tumultu erat.* Iactabat equidem superbus exprobrationes, quę quidem tumultus eos in Saulis animo mouebant, quibus maximè periclitaretur. Nunquam enim ex iactatis opprobrijs nõ nascuntur, & tumultus, & tempestates, quæ Respublicas perdant. Luc. 8. dicit: *Nauigantibus illis obdormiuit Iesus, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.* Ecce tibi dum dormit Iesus, & furentes vẽti, & rabida tempestas nauigantes inuadunt; in maximumque homines periculũ trahunt. Sed scire cupis, quæ tempestas, & qui venti tanti sunt, qui vel discipulos Iesu impellant in periculum? Crediderim id non tam posse euenire à tempestate corporali, quam ab ea tempestate, quam in animis hominum opprobria faciunt. Accipite D. August. tract. 49. in Ioan. *Intrant venti cor tuum, vtique vbi nauigas, vbi hanc vitam tanquam procellarum, & periculorum pelagus transis, intrant venti, mouent fluctus, turbant nauem. Qui sunt venti? Audisti conuicium, iraseris: Conuitium ventus est, ira undia fluctus est. Periclitaris; disponis respõdere disponis maledictũ maledicto reddere, iã nauis propinquat naufragio.* Sapiẽter sanctus Doctor, quot conuicia, & opprobia iaciuntur, tot putat ventos furere, qui ingentes

Basil. Sel.

Luc. 8.

D. Aug.

fluctus

fluctus mouẽant in animis humanis, & hominum corda impellant in pene ineuitabile naufragium.

1. *Reg.* 17. Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethleem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros. Abierunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium, & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertius quoque Samma: Dauid autem erat minimus.

§. XI.

Tunc te illius viri filium in veritate ostendis, quando illius virtuti maiore alià respondis.

CVm, cap. præcedenti meminisset Isai Dauidem, solum ait: *Est paruulus, & pascit oues*, non ait, est paruus filius, sed dissimulata notione filij, solum paruulum vocat. Nunc autem pleno ore dicitur Dauid filius Isai. Dicit namque textus: *Dauid autẽ erat filius viri Ephrathai, de quo supra dictum est, de Bethleem Iuda, cui nomen erat Isai.* Et merito Dauid tam aperte ostẽditur filius Isai in præsenti, quando ostendendus erat triumphator de Philisthæis, tunc enim quis vere filius alicuius asseritur, cum maiore virtute respondet virtuti parentum. Luc. 19. hospitatus Dominus in domo Zachæi dicebat: *Hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ.* A filio Dei vocatur Zachæus filius Abrahæ. Et quid fecit tũc homo ille, propter quod ab ipsa veritate filius Abrahæ diceretur? Ait D. Bruno, serm. in Dedication. Eccles. *Tota exterius, & interius sanctificata est domus, eo quod ipse, qui huius domus habitator est, iam non publicanus sit, sed filius Abrahæ. Abrahæ namque filij sunt, quicumque Abrahæ immitantur, & Abrahæ opera faciunt: & Abraham quidem Angelos, Zachæus vero Angelorum dominum hospitio suscepit.* Inde quidem Zachæus filius Abrahæ dicitur, quia non solum Abrahami virtutes fuit æmulatus, sed & illas superauit; quando Abraham hospitalis fuit in Angelos; Zachæus autem in Dominum Angelorum fuit hospitalis. Sic verus filius virtutibus superat virtutes parentum suorum. Dan. 1. tres pueri fugientes Regiæ Babylonicæ cibos dicebant: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendũ, &c.* Mirabar tantam puerorum abstinentiam in aula delicioſissimi regis, sed, vt mirer magis ait de illis D. Isidor. lib. de vita, & morte Sanctorum, cap. 60. *Tres pueri, stirpe regia clari, paternarum quoque memores legum, & á cibis gentilium, vel immolatis nequaquã polluti, leguminibus vitam degentes, & oleribus.* In eo dicuntur memores paternarum legum, quod abstinentes à cibis gentilium, & immolatis, leguminibus, & oleribus viuebant. At leges paternæ solũ postulabant, ne immolata dijs comederẽtur, nec obligabat Iudæos solis vesci leguminibus. Cur ergo, vt illi ostenderentur legum paternarum memores, non solum abstinent ab immolatis, sed solis leguminibus vescuntur? Equidem veri filij Abrahamidum, se ad tantos patres pertinere ostendebant, si & virtutes illorum adimplerent ab immolatis abstinerent; & in super maiora adderent sola legumina comedentes. Ille enim verus filius probatur, qui parentes virtutibus excedit. Huc trahenda sunt dicta Tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 17. §. 17.

Luc. 19.

D. Bruno.

Dan. 1.

D. Isidor.

§. XII.

Principis perituri sub aulis nullo in pretio sunt cani, sed absconduntur, vt viles.

ILlud notat textus quasi rarum, & inusitatum de Isai patre Dauidis, nimirum: *Erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros.* Expende illud, *in diebus Saul*, quod nulla alia ratione positum videtur, nisi ad ostensionẽ raritatis, & nouitatis. Quippè rarum, & nouum erat, quod vel vnus vir senex appareret in diebus Saul, regis iam iam perituri, & prorsus deplorati.

plorati. In diebus enim principum, qui ad perditionem ruunt, nullus senex apparet, prorsus absconduntur cani, ne videantur. Huc adest Roboam, de quo ait textus, 3. Reg. 12.

3. Reg. 12 Reg. 12. *Iniit consilium Rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret, & ait, Quod datis mihi consilium, vt respondeam populo huic? Qui dixerunt, &c. Qui de reliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi, dixitque, &c.* Duo genera consiliariorum conuocat, nimirum, & eos, qui adstiterant parenti Salomoni; & eos qui sibi adsistebant. Illos vocat textus senes, hos vocat adolescentes. Et mirũ est, quod vbi Roboam quærit senes, non de sua, sed de Salomonis aula eos quærat. Et cur non de sua etiam aula quærit senes? Quippè ipse quadragenarius erat, & qui cum illo nutriti erant, vel quadragenarij, vel quadragenarijs maiores erãt, vt bene notat Glossa, & Caiet. Qui autem quadragenarijs maiores erant, iam senectuti magis propinquabant, quam adolescentiæ, & multi iam canis albescerent. Cur ergo de ijs non dicitur Roboam quæsisse senes; sed ad aulam defuncti patris recurrit, vt inde senes quæreret? Equidem in perituri huius regis aula, in vanum senes quærerentur, non enim cani venerationi erant, sed flauæ cæsaries, sed crispantes, intortique cincinni. Et ideò etiam ætate prouectiores, senectutis signa horrebant, & quam natura iam demonstrabat, arte, & pictura abscondebant, nequid in eis videretur, quod non adolescentiam referret. Ecce tibi principatus perituri clarissima signa; quod nec maiores natu velint senes videri, sed & moribus, & cultu corporis mentiãtur adolescentiam. Quo spectabat Ecclesiastes,

Eccl. 10. cap. 10. dicens: *Væ tibi terra, cuius Rex puer est; & cuius principes mane comedunt.* Non equidem de ætatis pueritia loquitur; sed de illa mentita, & figurata pueritia in cultu, in moribus. Quando, & in grãdioribus annis, quidquid senectutis est, absconditur, vt contemptibile, & indecorum; & in albente capite adolescẽtia depingitur tam moribus, quam coloribus. Quod, vt explicaret Chaldæus Complut. ait: *Væ tibi terra*

Chald. *Israel in tempore, quo regnauerit super te Ieroboam impius.* Intelligitur ergo in puero rege Ieroboam; cuius pueritia, & adolescentia non ætatis, sed mentis erat; vt qui, vel grãdæuus, & moribus, & cultu pueritiam referebat. Vt exclamet, Tertull. lib.

Tertull. de cultu fœm. *Prò temeritatem. Erubescit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adolescentia in qua deliquimus, suspiratur, occasio prauitatis interpolatur. Absit à sapientia filiabus stultitia tanta.* Sic apud stultos, & perituros erubescit ætas matura, nec prodire audet, suspiratur, anxieque quæritur adolescentiæ acerbitas, nec quid non iuuenile placet. Vt sic iam omnium ruina proxime videatur. Dicebat enim, Psalm. 72. *Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* Dixisset clarius eos ad nihilum rediges, cur nõ illos destrui mandat, sed eorum imagines? Loquebatur, credo, de ijs qui, vt adolescentiam mentiantur, capillos colorant, cutem extendunt, & nihil non iuuenile moribus pingunt, & referunt facie. Hi veri homines non sunt, sed imagines adumbratæ à sapiente ciuitate exterminandæ. De illis ait Clemens Alex. 3. Pædag. 3. *Putant se, sicut serpens, posse senium capitis exuere, dum se ipsos pingentes transformant :: Fieri autem non potest, vt veram ostendant animam, qui caput habent adulterinum.* Expende illa: *Fieri non potest, vt veram ostendant animam*: qui enim, & in facie, & in capite adumbrant adolescentiam, & picturam ostẽtant, ij veram non habent animam, nec veri homines sunt, sed picti, sed adumbrati, sed imagines; ne miremur, si Deus illos à ciuitate sua æterna exterminet, vt qui magis ad perituram regnum pertinent. Crede mihi in sola peritura ciuitate florent, qui senectutem abscondant, & mentiantur ædolescentiam. Verum fœliciſsimi Regni auspicia inde summebat S. Venantius Fortunat. lib. 7. carm. de Condano Principe agens:

Psal. 72.

3. Pæd. 3.

Instituit cupiens, vt deinde domesticus esses
Creuisti subito, creuit & aula simul
Florebant pariter veneranda palatia tecum
Plaudebat vigili dispositore domus.
Actibus eximijs sic publica cura fouebas
Vt iuuenem regem, redderes esse senem.

S. Venant.

§. XIII.

Iesus est, qui puero gratam faciat frequentiam senum.

ADhuc expendendum est illud, quod de Isai dicitur, nimirum: *Erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros.* Quasi ad miraculum dicitur, quod, vel vnus senex erat in diebus Saul; nec mirror, vocatur enim Saul à Iosepho in assump-

ſumptione Regni, iuuenis. Dicit namque, lib. 6. Antiq. cap. 5. *Cum viritim ſortitio fieret, ſors Saulem regem prodidit: Iuuenis vero, qui hæc præſciebat, abdiderat ſe, &c.* Vt autem iuuenis, & vocatur, & habetur Saul in Regno, ſiue quod iuuenis ætate fuerit, ſiue quod affectibus; ſic nõ mirãdum, quod inſtar rari caſus dicatur, quod vnus ſenex fuerit in diebus eius. Nũquam enim iuueni, aut puero, qui Ieſus nõ eſt, aut eius ſpiritu impletur, grata fuit ſenum frequentia. Hinc Dan. 7. *Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda:: Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millium aſſiſtebant ei, &c.* Sic ibi de throno, in quo antiquus dierum ſedit, at Apocal. 5. alius etiam thronus Agni diuini oſtenditur, dicit enim: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum:: Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum; & erat numerus eorum millia millium, &c.* Compone modo thronum, & thronum; in altero ſedit antiquus dierum, in altero Agnus eſt tanquam occiſus. In illo cani mirifice ſplendent, in hoc fulgidiſsima iuuentus: in vtroque apparet ingens multitudo miniſtrantium, aſsiſtentiam. Sed in throno antiqui dierum non explicatur ætas aſsiſtẽtium; in throno autem Agni expreſſe notantur ſeniores eſſe, ait enim: *Ecce in medio throni, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem, &c.* Et cur cum Daniel nihil dicat de ætate aſsiſtentium throno; Ioannes maluit explicare, vt Agni thronus frequens erat ſenioribus? Quod antiquus dierum miniſtris ſenibus gauderet, nil magnum erat, & ideò præter mittitur à propheta: at quod Agnus, quod princeps iuuenis frequentiam ſenum amaret, hoc ſummæ erat laudis, & quod non inuenitur niſi in Agno diuiniſsimo Ieſu, vel in ijs, qui eius ſpiritu gaudent. Et quidẽ magnũ eſt, quod Agnus, quod princeps puer non niſi inter plures ſenes thronum ſtatuat. Quis metuat ſibi à pueritia regis, qui non apparet in throno niſi circumdatus ſenibus? Luc. 2. puerulus Ieſus cum duceretur à parentibus in templum; ſtatim illi aſsiſtunt ſenes; ait enim: *Ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, &c.* & in ſuper: *Et erat Anna prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis.* Ecce tibi, qui pueruli Ieſu latera cingunt, vbi ad templum peruenit, duo ſancti ſenes, Simeon, & Anna; ne de principe etiã puero talibus ſeptus lateronibus, non magna omnia ſperentur. Pro quo elegantiſsime Guarricus Abb. ſerm. de Purificat. ait: *Ecce habes parturturum, ſenem inſtũ, & viduam anum, vtrumque caſtum, vtrumque deſiderio redemptoris gemebũdum:: Mihi omnino celebris eſt iſte conuẽtus, vbi hinc adoenit puer, & puerpera, Ieſus, & Maria; inde occurrit ſenex, & vidua, Simeon, & Anna; hinc mediator, & mediatrix, inde tam fideles teſtes, & miniſtri. In hoc conuentu miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi; miſericordia redemptionis in Ieſu, veritas confeſsionis in ſenibus. In hoc occurſu, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, dum iuſtitia piorum ſenum, & pax reconciliantis mundum conſotiatæ ſunt.* Quid pulchrius? In conuentu Ieſu pueri, & ſenum iuſtorum, & miſericordia, & veritas, & iuſtitia, & pax conſotiantur. *Veritas in ſenibus*, ſenilis enim maturitatis eſt minime mendacijs ſeruire. *Iuſtitia*, item, *piorum ſenum*, à canâ enim prudentia procedit iuſtitia. Miſericordia, & pax in Ieſu; nequit enim, & pace non florere, & multa ſuis nõ impertiri princeps, qui talibus frequentatur miniſtris, in quibus, & veritas, & iuſtitia inuenitur.

6. Ant. 5

Daniel. 7

Apoc. 5.

Gu. Abb.

1. *Reg.* 17. Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem, abijt Dauid, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret greges patris ſui in Bethleem. Procedebat vero Philiſthæus manu, & veſpere, & ſtabat quadraginta diebus. Dixit autem Iſai ad Dauid filium ſuũ, Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra, ad fratres tuos; & decem formellas caſei has defer es ad tribunum, &c.

§. XIIII.

Perfecta obedientia æquanimiter arripit munus, vel infimum, vel ſublime. Quod fauſtiſsimum eſt.

DVm citharæ pulſandæ vacabat, apud ſe Dauidem Saul retinebat; vbi autem

tem ad bellum ventum est, tres maiores, & præstantes filios ab Isai requirit, & ei petenti Dauidem remittit. Sic factum putat Salianus noster iuxta verba textus dicentis: *Tribus ergo maioribus secutis Saulem, abyit Dauid, & reuersus est à Saule, vt pasceret oues patris sui.* Petēti prius Sauli annuit Isai, & illi misit Dauidem, puerum à pascuis ad Regiam dirigens, in qua non paucos dies mansit, Regem citharæ somno recreans, multis ab illo fauoribus delinitus. Verum imminente bello, petijt rursus Saul ab Isai tres alios maiores filios, qui similiter Regi annuens, dum dat tres maiores filios, petit sibi reddi Dauidē, quem ad seruandas oues remittat. Quid ad hęc Dauid? Regiæ ambitione captus, refugijt viles pastoris curas? Absit, imò Rege concedente, *Abyit Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret greges patris sui.* Vt missus à patre venit ad Saulem, illique astitit non ignobili munere inter palatinos, sic reuocatus à patre aulæ deserit delicias, & viles ouium accipit curas. Quantum hoc in Dauide? Hinc notarim in puero perfectissimæ obedientiæ exemplar singularissimum; quando ad nutum patris æquanimiter Regiam colit inter aulicos principes; vel paternas oues custodiens desertum incolit. Nec negarim id fuisse Dauidis gloriarum faustissimum prænūtium, Prouerb. 6. ponunt Septuag. in Aldinis, & Vaticanis codicibus illud apud Patres cantatissimum nimirum: *Vade ad apem, & disce quomodo operaria est:* Prou. 6. *operationem quoque quam venerabilem facit; cuius labores Reges, & idiotæ ad sanitatem asferunt. Appetibilis est omnibus, & clara, etiā cum sit robore infirma, sapientiam honorans euecta est.* Vide quanta dicantur de ape; quod de eius labore Reges, & idiotæ sanentur; quod sit omnibus appetibilis, & clara; quod honoret sapientiam, & sic efferatur. Et cur breuis apicula ad tanta extollitur? D. Aldhelmus, lib. de Virgin. cap. 11. Id tribuit obedientiæ, qua apiculæ sequuntur principis nutum, siue considendum domi sit, siue peregrinandum, vel exulandum. Quippè ait: *Illud etiam commemorandum de apum concordi sodalitate, & stupendum autumo, Vltroneum scilicet voluntariæ seruitutis affectum, quem erga suorum obsequia principum exercere noscuntur.* D. Ald. Et quantus hic affectus obedientiæ in apibus? Pergit ipse: *Quandiu antiquas inhabitare sedes, & exigua fouere tuguria gracillimis contexta viminibus, ille, qui inter cæteros magistratus officio fungitur, decreuerit, nulla eximmensa multitudine, fugitiuis discursibus, & lasciuis volatibus per æthera vagatur. At si certis exigentibus cansis, illa, cui consulatus vice regimen cæterarum commissum est, externa quærere regna maluerit. Nusquā apud mortales videas extorrem propria pulsum patria, tam densis exercituum agminibus, tamque spissis legionum cohortibus constipari, ita prorsus, vt multo libentius ob reuerentiā principis ad incolatum peregre proficiscantur, quā domesticis assuetum delitijs, & vernacula contentum quiete in cellulis commeretur.* Quid pulchrius? Expēde ab illis, *Vt multo libentius ob reuerentiam principis, &c.* Ea enim sunt obedientia erga principem, vt dum eius nutum sequantur, eligant libentius exulare à proprijs, per deserta errare, quā elaborata in domo opulentè conquiescere. Et quid inde? Pergit ipse: *Vt merito propter spontaneum deuotæ subiectionis famulatū, quo exemplum obedientiæ mortalibus præbet, præ cæteris creaturis nectareum conficiat edulium, & mulsæ dulcedinis alimoniam flauescenti cerarum gurgustio recondat, &c.* Sic obedientiæ præmium est, & mel dulce, & illuminans orbem cera. Nihil enim non suaue, & clarum obedientia perfecta auspicatur. Duodenis Iesus à parentibus elapsus monebat in templo disputans cū doctoribus; ibi autem requisitus à matre ait, Luc. 2. *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Et statim subdit textus: *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Ecce tibi, qui Ierosolymis erat, & in patris diuini domo, hoc est, in templo versabatur, magnam de se opinionem doctoribus ingenerans: ad nutum mortalis matris, non dubitat magna illa relinquere, & Nazareth paruam ciuitatulam contendere, ibique occultus degere. Cur non magis amat Ierosolymis, in tēplo esse? Sanè perfectè obediens æquanimiter siue magna, siue humilia respiciebat, ostēdens in obedientia illa omnium bonorum auspicia esse. Vt dicat D. Thom. in Cat. ex D. Nyssēno: *Cum pertigisset duodecimum annum pa-* D. Thom. *ret parentibus: vt ostendat, quid quid quid per promotionem perficitur, antequam ad finem perueniat, obedientiam tanquam perducentem ad bonum viriliter amplexatur.* Ecce tibi, vt promotioni cuilibet obedientia æquanimis siue ad alta, siue ad infima auspitium præbeat. Hic Luc. 5. Iesus *Vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad Telonium, & ait illi, sequere me. Et relictis omnibus surgens secutus est eum.* Ad nutum domini publicanus mensas pecuniarum plenas reliquit, & ad pauperem vitam se contulit. Ne miremur

mur in tanta obedientia positam fuisse Apostolatus gloriam. Dicit enim D. Chrysost. in Psalm. 5. *Sicut latro confessionem intulit, sic publicanus obedientiam suam, & meruit in apostolatus ordinem collocari.* Obedientia enim æquanimis ad quam te gloriam non promoueat? D. Chrys.

§. XV.

Filij Dei proprius Spiritus est parentibus deferre obsequium.

MIrabar Dauidem à Saulis fauoribus venire, vt paternas ouiculas custodiat. Dicit enim: *Abijt Dauid, & reuersus est à Saule, vt pasceret greges patris sui.* Et quidem facilius inuenies in Regijs, qui regalibus fauoribus attoniti parentum obliuiscantur, illosque contemnant. Qui ergo fieri potuit, vt Dauid regem sibi placidum, & Regiam dimittat, vt patris ouibus curam impendat? Non id humanum erat in Dauide, sed diuinum; Filius enim Dei, qui de illo oriturus erat, iam in eo agebat, vt sic parenti amaret deferre. Cantatissimæ sunt nuptiæ illæ in Cana Galilææ, quibus Iesus interfuit, & mater eius, Ioan. 2. Videns autem mater Iesu, quod vini defectus non paruam verecundiam nuptis allaturus erat, Iesum adit, illi defectum vini repræsentat, tantæ verecundiæ expectãs remedium. Cui Iesus: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Proh Deus immortalis sic matrem dissimulat Iesus, vt mulierem appellet, & quasi à se extraneam depellat! Vnde ò bone Iesu sic matrẽ quasi obliuisceris? Ait D. Cyrill. Alex. lib. 10. Thesauri, cap. 2. *Et matri: Quid mihi, & tibi mulier? Vt homo dicebat. Et aquam in vinũ, vt Deus conuertebat.* Duarum naturarũ munus ibi Iesus repræsentare voluit; repræsentabat enim in se esse naturam humanam, qua homo erat, & quia homo matrẽ quasi obliuiscebatur, propriss imũ enim est humani Spiritus in prosperis obliuisci, vel parentum, illosque dimittere. Item repræsentabat naturã diuinã, qua Deus erat; diuinique erat filius parentis; & inde matris votis annuebat, aquam in vinũ conuertens. Propriss imum enim est filij Dei, quod parentibus magna deferat. Hinc Iesus requisitus, & inuentus à Maria in templo, Luc. 2. ait: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quod in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Ioan. 2. Cyril. Al. Luc. 2.

Dum rationẽ facti sui, quod agebat in templo, reddit, merito in patris obsequio se esse confirmat, vt inde se supra hominem, & Dei filium esse ostendat, cuius est, nunquam à patris obsequio abesse. Ait ibi D. Cyrill. in Cat. D. Thomæ: *Hoc igitur dicit ostendens se mensuram humanam transcendere; & innuens, quod sancta virgo effecta sit ministra negotij, cum peperit carnem; ipse vero naturaliter, & vere Deus erat, & filius patris excelsi.* Itaque dum se in patris obsequio debere esse affirmat Iesus, apertissime se humanam mensuram transcendere ostendebat, cuius est, citissime obliuisci parentum; & se filium Dei ostendebat, de cuius spiritu venit, quod obsequia semper deferantur parentibus. D. Cyrill.

§. XVI.

Obedientia promissiones diuinas maximè accelerat.

DAuid promissi regni conscius Saulis dimittit Regiam, & ad patris oues redit custodiendas, iuxta illud: *Abijt Dauid, & reuersus est à Saule, vt pasceret gregem patris sui.* Et cur non magis nititur manere in Regia, qui promissionẽ habebat regni, & se sciebat vnctum in regem? Sanè, vt effectus vnctionis veniret, planior via appareret, si in Regia esset, si cum principibus regni ageret, eorumque negotiaretur affectus, quàm si in eremo inter pauculas oues delitesceret. Cur ergo sapiens iuuenis non magis adhæret ijs, quæ propinquiora videbantur sperato regno; sed potius illis dimissis ad custodiam pergit paterni gregis? Vrgebat ad hoc, & permissio principis, & iussio parentis; cui obedire maluit ingenuus puer, ratus quod obedienti non differenda, sed accelerãda diuina promissio erat. Vtinam sic saperent vniuersi, qui magna à Deo expectãt, & cæco modo se traderent obedientiæ, fallar, nisi per ea, quæ remotiora viderentur, non citius peruenirent in promissi effectum. Nequeũt enim bona retardari obedientibus. Hinc, Matth. 27. crucifixus Dominus clamabat in cruce: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et sanè ex quo bonus Iesus relictus fuerat, & permissus potestati tenebrarum, nondum viginti, & quatuor horarum spatium præterierat. Et tamen se quasi querulum ostendit Deo propter derelictionem adeo breuem., Matth. 27.

Sanè Iob diu derelictus fuit in dæmonis potestate: & filijs, & bonis omnibus spoliatus, & mille doloribus affectus, corrosus à vermibus septem dies iacuit in sterquilinio iuxta amicos dolentes, cap. 2. & nullam de tot malis effudit querelam, sed mutus perseuerat. Cur ergo domine tu intra adeo paucas horas quereris, quod Iob non fecit in septem diebus? Non Iob, sed Iesus in illa mala venit, vt patri se ostenderet obedientem; obedientiæ autem proprium est accelerare bona petenti, nec illa diu differre. Ait Arnol Carnot. tract. in illa Iesu verba: *Quod autem derelictum se filius commemorat, mercedem obedientiæ postulare videtur; nec diu differri beneficium tolerat, quod deberi sibi, obedientiâ morti obuiam procedens, confidenter proclamat.* Vt Iesu res erat res obedientiæ, sic non tolerat beneficium differri; quod enim à Deo venire debet obedientibus, id necessum est, quam celerrime veniat. Crede mihi anteuertit celerrimos quosque auxilium à Deo obedienti præstandum. Mirabar ego Abrahamum, & Isaacũ, vt se parabant ad opus obedientiæ, quod minime volebat Deus, vt veniret ad effectum. Et montem scandũt nobiles athletę, & ara paratur, & strues lignorum apponitur, & dissimulat Deus: insuper Isaac ligatur pedibus manibusque, & super aram constituitur, & adhuc tacet Deus. Quid tunc? Ait Genes. 22. de Abrahamo: *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, &c.* Tunc cum gladius arripitur, & manus extenditur ad feriendum, dicitur auxiliator Angelus clamasse, & non clamasse de proximo, sed de cœlo. Et sanè, vt vox de cœlo ad terram perueniat, non parum temporis spatium requiritur, & maius eo, quod consumittur inter brachij extensi impetum, & vulnus infligendum. Cur igitur expectauit Angelus impetum brachij videre, vt vocem cohibitricem mitteret de cœlo? Cur nõ magis timuit ne vox tardior à cœlo in terram descenderet, quam gladius in iugulum à brachio iam extenso? Erat vox opem ferens obedientibus, quæ in celeritate nullũ aliud, & si celerrimum non valet anteuertere. Vt pulchre dicat D. Basil. Sel. in rem præsentem, orat. 7. *Ille masculâ fortitudine dexteram in filij iugulum extendit, supremè verò missa vox manum sistit, vincitque, vox iugulationem anteuertit, & antè ad aures accedit vocatio, quam in ceruices gladius incubuerit. Ruentem ad iugulum feriendum desuper tenet.* Proh ingentẽ obedientium virtutem, cui celerrimi adstant fauores ex Deo. Plane breuius putaretur spatium inter ruentis iam gladij impetum, & vulnus, quam inter vocem à cœlo ruẽtem, & aures humanas. Et nilominus prius venit vox à cœlo ad aures, quam gladius ad iugulũ; fauor enim obedientibus dandus celerrima quæque alia vincit.

Ar. Car.

Gen. 22.

Basil. Sel.

§. XVII.

Non tam feritas, quam mansuetudo præstantes milites format.

QVando Saul milites conuocat, vt illud certamen ineat cũ Philisthæis, in quo Dauid excitandus erat ad triumphum; ipse Dauid à Saul abijt, vt pasceret greges patris sui. Dicit enim textus? *Abijt Dauid, & reuersus est à Saule, vt pasceret greges patris sui.* Et quando Dauid erat solus, qui in illo certamine pugnaturus erat; cur solus à Deo permittitur ire ad oues custodiendas? Cur non magis Deus militem suum format inter tumultus bellicos? Cur non magis agitur, vt maneat inter arma, inter militares phalanges; quam inter mansuetissimas oues? Non equidem inter furentes phalanges, sed inter mansuetum pecus diuina prouidẽtia suum militem format, vt quæ sciat non de feritate, sed de mansuetudine militarem virtutem procedere. Quò spectans Ioel, cap. 3. ait: *Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini, & ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.* Quæ sic apud Septuaginta sonant in rem nostram: *Congregamini, & introite omnes gentes per circuitum: & congregamini illuc: mansuetus sit pugnator.* Sic Spiritu Dei plenus propheta vbi quærit milites, qui ad triumphum euolent, mãsuetos quærit; virtus enim militaris non parum adolescit de mansuetudine. Nec non, 1. Paral. 5. dicit: *Et transiordanem de Rubẽ:; omnes isti viri bellatores parati ad pugnam mente pacifica.* Præstantissimos Rubenitarum milites extollit de mente pacifica; vt quæ maximè augeat militarem virtutem. Quo spectans D. Synes. lib. de Regno ait: *Bellicosus quidem omnium maximè pacificus fuerit.* Sapienter quidem norat militarem fortitudinem non in furore, sed in mansuetudine consistere.

Ioel, 3.

1. Par. 5.

D. Synes.

§. XVIII.

Lautitiæ ciborum robur militare infirmant, frugalitas auget.

RIdet Salianus illius temporis rusticanam simplicitatem, quando filijs bellatoribus polenta, vel panis mittebatur, & tribuno, hoc est, mille militum principi decem caſei formellæ. Quippè ait: *Accipe fratribus tuis ephi polenta, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos: & decem formellas caſei, has deferes tribuno.* Pro formellis caſei, caſeos lacteos vertit Pagninus ex Hebræo, vt recentes, & paruulos intelligere posſimus cum Comestore. Sic simplicitas rusticanior Saliano appareat, quod mille virorum principi tantulum caſei munus remittatur. Ego potius rem tribuerim militari frugalitati, qua qui in arena erant, fugiebant lautitias omnes escarum. Alioquin promptum erat Isai mittere, vel agnum de grege, vel vitulum de armento, sed præstantissimi bellatores vna gaudebant ciborum frugalitate. Id persuadet Synesius, lib. de Regno duorum Imperatorum exemplo; alter erat Carinus expugnator Parthorum; Epaminondas alter, qui Ageſilaum prostrauit. Ad Carinum cum venirent Parthorum legati, ait Synesius. *Syneſ.* *Sub id forte tempus accidit, vt Imperator cœnaret. Purpurea vestis humi per herbam iacebat, cibus autem erat pridianum expiſti elixis pulmentum, inque ijs frusta quædam, & inueterata porcinarum carnium salſamenta. Legatos ergo cum vidiſſet, neque surrexiſſe, neque quicquam mutaſſe fertur, sed è vestigio vocatis dixiſſe, se quidem illos scire ad sese venire, se enim Carinum esse, inuenique regi, vt eadem die renuntiarent, iubere, ni saperet, omnem illorum campum intra lunare spatium Carini capite fore nudiorem. Ac siquidem esurirent, vt manum vna in ollam immitterent permiſſurum.* Quid inde legati? *Hæc cum populo, principique renuntiata essent, horrorem, metumque omnibus iniecerunt, si cum huiusmodi hostibus dimicandum sit, quorum Rex, neque se regem esse, neque calcium pudori habeat, ollaque insuper appoſita compransores inuitet, moxque superbum regem accesſiſſe, nihil non cedere paratum.* Non equidem renuntiarant legati se vidiſſe Imperatorem armatum, acriter belligerantem, sed cœnatem vilibus, & ad ollam appositam inuirantem. Et inde solum apparuit insuperabilis, & sibi subiecit fortiſsimos Parthos. Sed accipe alterum; is erat Epaminondas, qui Ageſilaum vicit, de quo ait idem D. Syneſ. vbi supra: *Ab eoque solo homine Ageſilaus in certamine victus est, à quo præcæteris omnibus æquum erat Ageſilaum superari, si de frugalitate contendiſſet Epaminondas is erat, qui quoties ad conuiuium à ciuitatibus vocaretur, ad eãsdem ventitans acre acetum potabat; ne, inquit, Epaminondas domeſtici victus oblitionem capiat.* Sic à solo Epaminõda potuit Ageſilaus viribus superari, à quo victus frugalitate superabatur. Longum esſet recenſere, quod victores duces peperit mensæ frugalitas; & quot lautitia ciborum eneruauerit. Modo illud sufficiat, quod Psalm. 68. suis hostibus imprecatur; *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* *D. Syneſ.* *Psal. 68.* Alij legunt: *in muscipulam.* Non enim hostibus suis aliud discrimen optat, nisi quod mensa lauta suis epulonibus parit; quod equidem sufficit, vt miseri ad necem capiantur. Vt sapienter dicat D. Augusſt. in Psalm. 100. *Quid dictum sit, de mensa superborum audite. Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, & in retributionem, & in scandalum. Pasti sunt, capti sunt.* Non est medium inter superbum, & delitioſum paſtum, & extremam captiuitatem. Sed illud sẽper est: *Pasti sunt, capti sunt.* Miror, siquis à lauta, & delitioſa mensa veniens posſit aduersus hostes stare. Huc stat illud, Isaiæ 21. iuxta Vatabli distinctionẽ: *Pone mensam, contemplare in specula: comedentes, & bibentes surgite principes arripite clypeũ.* Quibus certũ est nos remitti ad cap. 5. Danielis, vbi Balthasar ostenditur lautiſsimũ suis principibus conuiuium parare, ea ipsa nocte, qua cum hoste Cyro pro aris, & focis erat pugnandũ. Factũ est autem, quod instante iam hoste, conuiuæ ad certamẽ vocarentur illis verbis: *Comedentes, & bibentes surgite principes, arripite clypeum.* Sed illud mihi maxime notandum venit, quod pugnatoribus aduersus validiſsimos hoſtes, vnus mandetur clypeus arripi, & non potius gladius. Sanè clypeus ad deuitanda hoſtilia tela inuctus est; gladius ad percutiendos hoſtes, illoſq; lethalibus vulneribus fugãdus. Sic qui in hoſtes ruunt, citius gladiũ arripiunt, & ſtringunt, quã clypeos capiunt. Cur ergo his bellatoribus nullum verbũ de gladio arripiendo, sed de clypeo mandatur? Verba erant ad principes lautiſsimis, fartiſsimiſque mensis accũbentes; de lauta autem mensa, qui surgit, non manus habet ad gladios mouendos in hoſtes, satis erit; si sciat se sub aliquo clypeo

Daniel. 5.

peo protegere à telis ; infirmantur enim â mensis lautis bellatorum brachia. Ex 3. Reg. 20. Benadab Rex Syriæ cum ingenti exercitu venit aduersus Regiam Achabi, â quo petit immensam argenti quantitatem sibi dari. Renuit Achab; quid tunc?

3. Re. 20. Ait text. *Cum audisset Benadab Rex Syriæ verbum istud, bibebat, & ipse, & reges in umbraculis, & ait seruis suis, Circumdate ciuitatem. Et circumdederunt eam. Et ecce propheta vnus accedens ad Achab Regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus, Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce, ego tradam eam in manum tuam hodie ; vt scias, quia ego sum Dominus. Et ait Achab, Per quem? Dixitque ei, hæc dicit Dominus. Per pedissequos principum prouinciarum :: Recensuit ergo pueros principum prouinciarum, &c.* Pedissequos, & pueros principum discernit Deus à valida exercitus manu ; non enim vocat ad triumphum Principes Israel, nec validos duces, nec exercitatas phalanges, sed pueros principum petit qui primi exeant aduersus Syros ; siue pueri hi intelligantur famuli principum, siue iuuenes filij eorum, vt malunt multi, sanè pars erat exercitus infirmior. Sed cur Deus pueros hos dirigit aduersus validissimum regem? Erat Rex in conuiuijs, & cõpotationibus cum suis, iuxta illud: *Bibebat, & ipse, & reges in umbraculis.* Qui autem bellatores conuiuijs indulgent lautissimis sic infirmantur, vt vel à puerulis possent vinci. Quo aspi-

Ioseph. 8. ciens, Iosephus lib. 8. cap. 9 ait: *Aceitis igitur principum filys, qui triginta duo erant supra ducentos, cognito, quod Syrus ad epulas, & luxum se dedissent, patefactis repente portis Achab emittit iuuenes. At illi repentino impetu in Syros delati, facile eos profligant, &c.* Expende illa: *Cognito, quod Syrus ad epulas, & luxum se dedisset:* Vbi Syros nouit conuiuijs regalibus vacare, non dubitauit, vel pueros educere, tenellosque principũ filios, qui eos expugnarent.

1. *Reg.* 17. Surrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem custodi, & onustus abijt, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. Direxerat enim aciem Israel; sed & Philisthiin ex aduerso fuerant præparati. Derelinquens ergo Dauid vasa, quæ attulerat sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat, si omnia rectè agerentur erga fratres.

§. XIX.

Perfecte obediens id magis satagit, vt seruum adimpleat.

NOtanda veniunt illa verba de Dauide dicta, nimirum *onustus abyit, sicut præceperat ei Isai.* Non ait, sicut præceperat ei pater suus, sed sicut præceperat ei Isai. Et quando Isai præcipiens verus erat pater Dauid; cur non magis dixit, sicut pater præceperat; sed patris vocabulo dissimulato, solũ posuit nomen Isai? Nonne id patris aliqualis erat offensa? Absit, sed Dauidis perfectissima obedientia exprimabatur, qui vt mandata exequeretur, se filium nesciebat, sed famulum agebat, meramque seruitutem profitebatur. Sic, Matth. 27. dum Iesus in cruce erat, clamabat: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matt. 17. Abdubium, quin loqueretur cum patre, quem tamen non patrem suum, sed Deum suum vocabat. In eodem conflictu positus Iesus, Luc. 2. ait: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 2. Et post pauca: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et quando semel, & bis meminit patrem orans cruce; cur vbi derelictionem suam proponit, non patrem dicit, sed Deum suum solitarie clamat? Ortum ne illud est ab aliquo seueriori affectu in patrem? Minime gentium, sed ab affectu obediẽtissimi animi, qui in obsequio præstando solum se seruum profitebatur, cum aliàs, & filium ageret. Pulchrè Arnold. Carnot. tractatu in ea verba ait: *Non improperat patri, nec derelictum se dicit, quasi contumelia crucis contra propositum videatur apposita, vltro enim & vlnas patibulo, & palmas ferro exposuit; sed quantum sit obedientiæ fundamentum, & culmen interrogans innuit, cum se & minorem, & æqualem ostendit. Deseritur humilitas, adest maiestas. Secundum formã serui, legationis suæ ministe-*

Arn. Ca.

rium

rium non erubescit. Expende illud: *Sed quantum sit fundamentum, & culmen obedientiæ innuit*; quippè vbi culmen obedientiæ ostendebatur, vnum memorabat, quod formæ seruilis erat, nec erubescit in obsequio illud solum prætendere, quod merissimi serui protenderent. In hoc est culmen obedientiæ, quod alijs obsequendi rationibus dissimulatis, & prætermissis, vnum spectes, quod solum spectant meri serui, nimirum, quod à superiori veniat præceptum. Ecce tibi Abrahamus paratus, vt iugulet filium, & offerat holocaustum postulatum à Deo. Cui iam parato, Gen. 22. Genes. 22. ait Dominus: *Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam:: Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit, &c.* Dixisset gratius, & suauius parenti, Ne extendas manum tuam super filium tuum; sed super arietem; sed dissimulato nomine filij, ait, ne extendas manum in puerum. Cur occidendus petebatur Isaac, dicit Dominus: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis*; cum autem ab Isaac nece deterrendus erat Abrahamus, & remittendus ad immolandum arietem, tunc non filium dicit, nec dilectum, sed tantum ait: *Ne extendas manum super puerum.* Et cur similiter in præsenti filium suum eumque dilectum non meminit? Culmen obedientiæ in eo exprimebatur, ne Abrahamus aliud respiceret, quam se esse seruum. Et vt seruorum merorum est, nihil aliud attendere, quam Domini præceptum, sic ille omnes alias rationes in illo facinore obliuisceretur. D. Zeno. Ait D. Zeno, lib 2. serm. 3. *A filio ad agnum transtulit dexteram Abrahamus semper lætatus, & gaudens; nec mutatus est vultus eius, cum esset victima commutata. Cum tanta latitia obtulit arietem, cum quanta obtulerat, & filium.* Et vnde hoc fieri poterat? Iam dixerat paulo ante: *O qui seruum Domini ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret.* Sic perfecte obediens omnes alias rationes muneris præstandi præterit, & vnum pro oculis habet, nimirum, se esse seruum, & serui munus à se adimpleri debere.

§. XX.

In maxima quaque festinatione, muneris perfecte adimplendi ratio seruanda. Vbi ne Dei sacra vertentur, propter festinationes negotiorum.

FEstinabat nobilis adolescentis alacritas ad videndum certamen, & intus ad illud conficiendum à Deo trahebatur; sed in tanta festinatione, nihil prætermittit muneris à parante mandati. Accipite textũ: *Surrexit Dauid mane, & commendauit gregem custodi.* In super vbi accessit ad exercitum: *Derelinquens ergo Dauid vasa, quæ attulerat sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum, &c.* Quanta festinatio, quæ post viam confectam non paruam, iuuenem cogit currere ad locum certaminis? Sed nihilominus media hac festinatione, nihil præterit mãdati muneris; ponit allata vasa circa militum asinas; rursus custodem adhibet, qui omnia asserat in tuto, & tunc currit ipse, vt exercitum videat. Vtinam hanc omnes Dauidis imitaremur virtutem; cui nulla festinatio curam muneris eripuit, nec inter currendũ præterijt aliquid debiti officij, quo minus omne custodiret. Pater Abraham, Gen. 18. vt tres illos peregrinos hospitio excepit: *Festinauit in tabernaculum ad Saram,* Gen. 18. *dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce: Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, &c.* In tanta festinatione, inter currendum alius, quem primo inuenisset vitulum, tulisset, verum Abrahamus licet festinato omnia faciat, & currat, vt paret cibos, nihil præterit Angelis exhibendi muneris. Vt dicat Orig. in Cat. Lypom: *Tulit inde* Orig. *vitulum? Sed qualem vitulum? Forte qui potuit primus occurrere? Non ita, sed vitulum bonum, & tenerum. Et licet per cuncta festinet, scit tamen, quæ præcipua, & magna sunt Domino, vel Angelis offerenda.* Illud maximè notandum: *Licet per cuncta festinet, scit tamen, quæ præcipua, & magna Domino, &c.* Festinatio nihil debiti officij eripit bono viro; sed inter festinandum, eo maximè intentus est, vt Deo, Angelis ve suus integer honor deferatur, nequid illis mutilum, aut imperfectum maneat. Huc etiam affero cantatissimum illud pascha Hebræorum, quando in Ægypto immolabant agnum.

Quippè dum de Ægypto egredi festinant, iussi sunt prius agnum immolare, Exod. 12. ad quem iam præcincti ad viam accè-
Exod. 12 dunt, in super tenētur illud *festinanter*, mā-ducare. Denique occisis Ægyptiorum primogenitis, *Vrgebant Ægyptij populum exire de terra velociter, &c.* Ecce tibi quot aculei adhibiti sunt Hæbræis, vt de Ægypto egrediantur; nimirum, & proprius illorum affectus, & ipse habitus agni manducanda, & ipsa manducationis festinatio, & tandem importunitas Ægyptiorum, quæ illos impellebat ad festinandum. Et quid inter tot aculeos factum est? Nunquid sacrificij aliquid prætermittitur à sic festinantibus? Absit: imò audite S. Paulinum in S. Felicis Natali, 8. sic fantem:

S. Paul. *Paschа sacrū Moyses prima sub lege dicauit,*
Sanctaque tunc Iudæa, domo licet impius illos
Maturare fugam validavi cogeret hostis,
Libertate tamen deuoti pectoris audax,
Nec turbante metu iussum solemne reliquit.
Sed trepidans, fugiensque licet, diuina peregit
Festa, salutifero latis epulatus in agno
Cætibus.

Equidem quantumuis hostis cogeret profectionem maturare; & timor ipse festinātes magis impelleret; tamen nullis vrgentibus aculeis ad festinandum adduci potuit, vt sacri aliquid præteriret populus fidelissimus. Inter tot festinationes, iussum pascha absolutissime peregit; nec, vel minimum sacri epuli prætermisit. Vt erubescat Christianus, quē festinata negotia, vel ab aris arcent; vel in mille defectus cogunt ire.

1. *Reg.* 17. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philistæus, de Geth, de castris Philisthiin, & loquente eo, hæc eadem verba audiuit Dauid. Omnes autem Israelitæ cum vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde. Et dixit vnusquisque de Israel, Num vidistis virum hunc, qui ascēdit? Ad exprobandum Israel ascendit. Virum ergo, qui percusserit eum, ditauit rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei, &c.

§. XXI.

Nulli in hac vita deficit aduersarius.

DIu in arena exultabat Philisthæus singularis nullum patiens aduersarium, qui cōtra illum auderet aliquid. Sed tandem Dauidem eius verba tangunt, in quo aliqua cæpit cōtrarietas excitari; notanter enim ait text. *Apparuit vir ille Spurius :: & loquente eo, hæc eadem verba audiuit Dauid, &c.* Sunt iam in arena Goliath, & Dauid; nō iam singularis ille exultauit, quasi aduersarium nō habeat; prouidit enim Deus iustum, qui nefario, inermem, qui armato, puerum, qui maximo bellatori valeat aduersari. Crede mihi, nulli in hac vita deficiet aduersarius; nullus adeò erit singularis, aduersus quem nō appareat contrarius. Quo spectans Ecclesiasticus, cap. 33. ait: *Contra malum bonum* Eccl. 33.
est, & contra mortem vita, sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi. Duo contra duo, & vnum contra vnum. Et, cap. 42. in rem præsentem expressius ait: *Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quicquam deesse.* Ne se quis iactet de ea singularitate, qua nullus cum eo congrediatur. Duplicia sunt omnia, vnum contra vnum, & nulli in perpetuum deest aduersarius. Quo refero etiam Ecclesiasten, cap. 7. fantem: *In die bona* Eccles. 7.
fruere bonis, & malam diem præcane. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus. Circa quæ ait lectio Veneta: *In die bono esto in bono, & considera diem malum, fecit enim Deus istum, è regione huius.* Et lectio Syriaca fatur: *In die boni esto melior, & in die mali vide: etiam hoc aduersus hoc fecit Deus.* Nunquam non duplicia inuenies omnia, vt cōtrarijs studijs videantur in se bina, & bina belligerare. Nec vllus inuenietur, qui non sustineat contrarium. Post narrata bella agitata à iudicibus, antequam accederet sacer textus ad Regum gesta explicanda, ingerit breuissimam historiam Ruth; cuius in initio dicit, cap. 1. de Noemi: *Et surrexit, vt in patriam pergeret cum vtraque nuru sua, &c.* Sed quid cū Iudicum Regumque bellis, quod Noemi cum vtraque nuru in patriam rediret? Sanè duæ illæ nurus comitantes socrum Noemi, etiam bella exprimebāt, in quæ diuisus est mundus, ne quis sine contrario existat. Ait enim D. Paulinus in Natali, S. Felicis. 10. D. Paul.

Iam

Iam distinguentē modico Ruth tempora libro
Tempora in dicibus finita, & regibus orta
intentis transcurre oculis: breuis ista videtur
Historia; at magna signat mysteria belli.
Quam geminæ scindunt sese in diuersa sorores!
Ruth sequitur sanctam, quam deserit Orfa parentem:
Perfidiā nurus vna, fidē nurus altera mōstrat,
Præfert vna Deū patria, patriam altera vitæ.
Nonne precor toto manet hæc discordia mūdo,
Parte sequente Deum, vel parte ruente per orbem?

Siccine in nuribus his duabus communis belli toto in mundo feruentis mysteria signantur, vt sese omnes in partes contrarias scindunt. Nunquam enim vnus datur in vnam partem affectus virtutis, quin & statim alter appareat illi aduersaria sectatus. Hæc bella, hæ discordiæ totum implēt mundum, ne quis præsumat se futurum in arena singularem, fieri enim nequit, quod non alium sibi sustineat contrarium.

§. XXII.

Quidquid parentum est, in filijs solet inueniri.

NOn otiose textus in blasphemo, & superbo Goliath toties repetit eius natale, & genus; vt dicat in præsenti: *Apparuit vir ille Spurius, Goliath nomine, Philisthæus de Geth, de castris Philisthim, & loquente eo, &c.* Quid enim loqueretur nisi exprobrationes, & iniurias, & fœtidissima blasphemiæ verba homo Spurius, de Philisthinorum ethnicorum genere? Solent equidem, & ingenia, & verba virorum natalibus respondere. Pelagius ille nefarius diuinæ gratiæ osor, vt Ecclesiæ patres emularetur, epistolam dedit virgini Demetriadi, in qua illam, virginitatis seruandæ modum docebat. Quo in argumento Ægyptiæ fœminæ amores in Iosephum indecoris, imò fœtidissimis describit verbis. Rem indignatus, Paul. Oros. lib. contra Pelag. sic confundit hæreticum: Ad Demetriadem puellam sacram homo verecundissimus scribere non erubuisti; doces, vt credo, reuerentiam castitatis sub Stropha Iosephi, & lasciuientis dominæ suæ; vbi dixisti: Contempta frequenter domina propriores adolescenti tetendit insidias, secretum, ac sine teste manu impudens apprehendit, inopportunissimam historiam obscæniissimo sermone texens; *quamquam hoc, quod neque apte, neque decore dicitur, tibi imputare non debemus, cui neque natales dederunt, vt honestioribus studijs eruditeris.* Sic bonus hæretici vilibus natalibus, defert, quod etiam cum puris, & sanctis locutus ad impura, indecora, & obscæna verba descendat. Solent equidem & verba, & opera hominis natalibus respōdere. Isaiæ, cap. 7. *Dabit Dominus ipse vobis signum; Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Magnum equidem, & inauditum signum erat, quod virgo manens filium conciperet, & pareret. Sed & in hoc aliud etiā magnum inuenit D. Augustinus, nimirum, quod non solum virgo, sed virgo libere, & spontanee virginitatem amplexa ad tātum munus electa fuerit. Sed quando virgo eligēda erat in matrem Iesu, cur magnum erat, quod virgo libere, & spontanee talis magis eligeretur? Eligebatur in matrem filij, qui amabat formam induere seruilem, & ideò, magnum erat, quod in matre aliquid permitteretur liberum. Ait D. Augustinus lib. de Sancta Virg. cap. 4. *Poterat, & tuberi virgo permanere, in qua Dei filius formā serui congruenti miraculo acciperet; sed Virginitatem Deo dicauit illa, vt in terreno corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi: Ac sic etiam in ipsa fœmina, in qua formam serui accepit Iesus, Virginitatem esse liberā voluit.* Mirum sanè, & magnum, quod valuerit in matre esse aliquid liberum, à qua veniebat formam accipere seruilem; quando filiorum forma, & in verbis, & factis natalium solent formæ correspondere. Quid enim fuit in parente, quod non apparuit in liberis? Luc. 1. dicitur de Zacharia: *Factum est, cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem Sacerdotij, sors exijt, vt incensum poneret ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini: ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, &c.* Non patua in præsenti moueri solet quæstio à patribus, qualiter dicatur ab Angelo oratio Zachariæ de puero habendo exaudita; cum Zacharias non ostendatur pro filio orare, sed potius iuxta Sacerdotis officium pro populi salute? Non equidem credendus est tantus vir tempus deputatum peccatis populi expiandis consumpsisse, in emittendis precibus pro filio habēdo. Cur ego dicitur exauditus pro filio, quando ipse pro peccatis populi tollendis offert sacrificiū?

Paul. Oros.

Isai. 7.

D. Aug.

Luc. 1.

Quia filius ei nasciturus totus erat futurus in peccatis populi abolendis; sapientissime attribuitur Zachariæ orati pro populi peccatis; solent enim qui sunt parentũ affectus ingenerari in filijs. Ait Titus Bostrenus, ibi: *Quomodo Angelus Zachariæ pro populo intercedente, proque peccatis illius Deum deprecante, & veniam cum seruis suis deposcente, dicit: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua? Videri hæc possunt parum inter se cohærere. In orationis enim exauditæ argumentum, filium nomine Ioannem ipsi nasciturum subdit. Apte cohærent omnia; quia enim pro peccatis populi deprecabatur, procreaturus erat filium, qui sublata voce clamaret: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Titus. Filius enim pro peccatis populi tollendis clamaturus, tunc sapienter reputatur peti à parente, qui totus est in oratione, qua populi peccata expiet. Affectus enim paterni, & ingenerantur, & ostenduntur in filijs.

§. XXIII.

Præmia ventura pro certaminum meritis à paucis, imò à raris quæruntur.

VVlgatissima erat per ora omnium Israelitarum præmia ingentia à Rege promissa ei, qui Goliathum percusserit. Dicit enim textus: *Et dixit vnusquisque de Israel: Virum ergo, qui percusserit eũ, ditauit Rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei.* Hoc nobilissimum præmium propositum pro nece Goliathi per omnium ora volitabat, vnusquisque Israelitarum illud ponderabat. Et nilominus, vbi Goliath apparebat, omnes fugiebant. Sic enim habes: *Omnes autem Israelitæ cum vidissent virum fugerunt à facie eius.* Omnes fugiunt, nullus restitit, nullus inuenitur inæscatus ambitione præmij. Et cur in re tanti lucri, vbi affinitas regis cum ingenti diuitiarum thesauro erat præmium, non inuenitur, qui stet pro illo obtinendo? Cur è tot millibus nec vnus capitur ambitione affinitatis regiæ; Obtinenda erat hæc affinitas pugnatoris meritis, ad ea autem, quæ meritis pugnatorum adquiri debant, aut rari, aut nulli sunt, qui ament accedere. Querebatur Dominus de Iudæis, Isaiæ, cap. 65. *Vos, qui reliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eã.* Et quidem quæ à Deo sperari possent bona æterna erant, ingentia erant, & quæ humanas cupiditates implerent, imò excederent. At Fortuna autem, vilia, & corruptibilia, & quæ rapidissimo motu voluuntur, venira solent. Et tamen Israelitæ fugiebant Deũ, eiusque promissa cõtemnebant: rarus, aut nullus erat, qui pro illo staret; cum turbatim omnes currerent ad Fortunæ mensam. Et cur aut nullus, aut rarus capitur diuinæ mensæ epulis; & tot currunt, vt Fortunæ mensis recumbant? Rationem attigit D. Zeno, lib. 1. serm. 12. *Illa sine contemplatione meritorum quibuslibet passim sua munera infulsit, maximè indignis, vt ad se colligat turbas. Ille nunquam remunerat quemquam, nisi primo quis victor mortis iura præierat.* D. Zeno. Deus bona sua æterna non præbet, nisi post certamina confecta, post victorias reportatas, post acquisita in duellis merita. Ideò ab omnibus pene contemnuntur, & rarus est, qui stet pro bonis illis obtinendis, quæ minime acquiruntur nisi pugnatorum meritis. Ad fortunæ autem bona omnes currunt, quæ sciant non dari promeritis, sed temere, & indignis etiam dari; quo non mirer, si ad illa turbæ euolent.

1. *Reg.* 17. Et ait Dauid ad viros, qui stabant secum dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit approbrium de Israel? Quis est enim hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis? Referebat autem ei populus eumdem sermonem dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum.

§. XXIIII.

Labor pro religione susceptus regni auspicium est.

AFfinitatis regiæ pro certaminis præmio propositæ desiderium Dauidem oppleuerat, cuiusdum certior fit, sese ad certamẽ disponit religionis zelo. Quo spectant illa verba: *Quis est enim hic Philisthæus*

Isai. 65.

ſthæus in circũciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis? Quibus clare oſtendit, vt notat Salianus, quod non tam mouebatur ad certamen ſpe præmij, quam diuini honoris zelo. Ideò enim in hoſte ponderabat religioſi circumciſionis ſigni defectum, & opprobria in Deum viuentem, ob quæ tollenda non detrectabat ſubire diſcrimen duelli. O virum religioſum, digne electum â Deo, & vnctum regem! Labores enim pro religione ſuſcepti patentiſsima ſunt auſpicia Regni. Hinc Matth. 20. filijs Zebedæi petentibus ſedes Chriſtiani Regni dicit Dominus: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibituras ſum?* Sic Regni ambitoribus proponit paſsionis ſuæ bellum, vt oſtendat triti ſsimam viam ad Regnum in laboribus pro religione ſitam eſſe. Ad hæc enim ait D. Baſil. Sel. orat. 24. *Mater Regnum poſtulauerat, obtentu facile arbitrata, ſperabatque, quod ſperabatur, ex ſola poſtulatione roganibus obuenturum. Chriſtus Dominus Regni acquirendi modum docebat; Poteſtis bibere calicem? Thronus laborum fructus eſt Via eſt paſsio, labores pro religione ſuſcepti Regnum merentur.* Sapientiſsimè, & veriſsime id aſſertum eſt, nimirum: *Labores pro Religione ſuſcepti Regnum merentur*; ſi qui enim labores Regnum auſpicantur, maximè ij ſunt, qui religioni operã nauãt. Quando enim religio, & cultus exhibitus Deo non proſperauit vias ad Regnum? Tres illi Reges, Matth. 2. ſtellæ radijs adducti venerunt, vſque in caſam, vbi puer Ieſus erat; *& procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, &c.* Quid tunc? Ait Heſychius, hom. 1. de Sancta Maria de illis: *Cum taciturni peruenisſent ad ſtabulum, ibi inquiſierunt; decentem cultum exhibuerunt Regi, & Deo cum muneribus, cupientes cum gaudio reuerti in ſuam regionem.* Qui regna reliquerant ſua, vt recens natum puerulum inquirerent, & adorarent; cupientes iam proſpere, & cum gaudio redire ad propria Regna, quid fecerunt? Ait ibi; *Decentem cultum exhibuerunt Regi, & Deo cum muneribus.* In cultu namque, & Religione exhibita Deo, ſapientiſsime fundarunt proſperitatem reditus in propria Regna. Solet enim religio auſpicata eſſe Regnis tenendis. Quo adduxerim hiſtoriam Religioſiſsimi Imperatoris Honorij, dum inſidijs appetitur ab Stilicone; de qua ait, Paul. Oroſ. lib. 7. cap. 38. *Interea comes Stilico Vandalorum imbellis, auara, perfida & doloſa gentis genere editus, parui pendens, quod ſub Imperatore imperabat, Eucherium filium ſuum, iam inde Chriſtianorum perſecutionem à puero, priuatoque meditantem, in Imperio quoquo modo ſubſtituere nitebatur.* Et poſt numeratas innumeras pene gentes ad id tractas, pergit ipſe. *Itaque vbi Imperatori Honorio, exercitui que Romano hac tantorum ſcelerum ſcena patefacta eſt, commoto iuſtiſsime exercitu, occiſus eſt Stilico, qui vt vnum puerum purpuram indueret, totius generis humani ſanguinem dedit. Occiſus eſt, & Eucherius, qui ad conciliandum ſibi fauorem paganorum, reſtitutione templorum, & euerſione Eccleſiarum imbuturum ſe Regni primordia minabatur. Ita minimo negotio, paucorumque pœna, Eccleſiæ Chriſti cum Imperatore Religioſo, & liberatæ ſunt, & vindicatæ.* Expende illa: *Cum Imperatore Religioſo*; Imperatore enim Religioni exhibendæ Deo in Eccleſia Chriſti ſtudente; è contra Eucherius ad Imperium inuadendum incitabatur, quod vt ille conſequeretur, paganorum animos cõciliabat, minitans deſtructionem Eccleſiarum Chriſtianarum. Sed eu ſtultiſsimũ iuuenem, qui inuaſionem Imperij in profanatione Religionis fundabat! Nunquam enim nõ triſte omen eſt Imperaturis Religio profanata; in cuius obſeruatione auſpitium Regnorum capitur. Et ſic factum eſt, cum ſuo enim Stilicone interfectus eſt Eucherius, ante quam Regnum videret; & Religioſus Imperator in Imperio conſeruatur. Simile pene vidimus præterito anno; vbi Religioſiſsimo Imperatore Ferdinan. 2. Religioni propagandæ ſtudente, Suecus Rex Dunſtabus Imperium inuaſit, vnum intendens, vt Auſtrum verteret in Occaſum. In qua inuaſione, quid non licuit Hæreticis aduerſus Chriſti Eccleſiam? Prætereo Sacras Virgines profanatas, Religioſorum adyta in tabernas mutata, & alia innumera ſcelera; hoc dicam, quod ex certa multorum relatione comperui, Vna Germania luxit ſex mille Eccleſias Chriſti ſolo æquatas. Eu triſtiſsimum, & ſiniſtriſsimum Imperij ambitori omen! Occiſus eſt Rex Suecus, occiſſus eſt huic par Freislanus, & *Eccleſiæ Chriſti cum Religioſiſsimo Imperatore liberatæ, & vindicatæ.* Sic Religionis cultus Imperaturis eſt auſpicatus, in Religione enim, & pietate erga Deum eſt radix, vnde Regna naſcantur. Hinc Saul â Regno eiectus eſt, dicente Domino, 1. Reg. 16. *Proiecit eum, ne regnet ſuper Iſrael.* Quo reſpiciens D. Hieron. in cap. 8. Oſee fatur: *Ergo Saul non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore Rex factus eſt. Et quia radicem pietatis nõ habuit: ſtatim, vt regnare cepit, ab impietate ſuccenſus eſt.*

Matt. 20.

Baſil. Sel.

Matth. 2.

Paul. Or.

Euch.

1. Re. 16.

D. Hier.

Expen-

Expende illud: *Radicem pietatis non habuit*; pietas enim erga Deum radix est Regnorum florentissimorum. Dicebat Paul. ad Rom. 2. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco.* Per aduentum Iesu honor Regni primũ vocabat Iudæos. Cur primum Iudæos? Ait D. Cyprian. de Idol. vanit. *Iudæis primum erat apud Deum gratia: sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus seruiebant. Inde illis, & Regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit.* Sic Regni gloria ex religionibus seruatis florebat.

Ad Rom. 2.

D. Cypr.

§. XXV.

Tota mundi valentia sine Deo infirma, & contemnenda.

NOn profuit Goliatho enormis corporis proceritas, non ingens armorum apparatus, quominus contemneretur à puero inermi? Sic enim ad tanti monstri conspectum ait Dauid: *Quis est enim hic incircumcisus, qui exprobauit acies Dei viuentis?* Quæ verba ab omnibus habentur irrisoria, & contemnentia Gygantis. Et quem totus exercitus timet, vnus contemnit, & ridet inermis pastor, & pro nihilo ducit totum illum terribilem armorum apparatum. Dicit enim: Quis est hic? quasi diceret, nullius est hic & nullo æstimandus. Et vnde inermis puer sic contemnit eum, quem exercitus expauent? Ipse indigitat causam aiens: *Quis est enim hic incircumcisus?* Vbi scit in illo non esse circumcisionis signum, nimirum signum Dei assistentis, omnem eius valentiam, & arma pro nihilo putat æstimanda. Et qualis valentia est, in qua nec signum est assistẽtis Dei? Iosue, cap. 2. *Iericho clausa erat atque munita timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat, aut ingredi. Dixitque Dominus ad Iosue, Ecce dedi in manus tuas Iericho, & regem eius, omnesque fortes viros. Circuite vrbem septem bellatores semel per diem, sic facietis sex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in iubilæo, & præcedent arcam fœderis, &c.* Compone modo hinc Ierichò ciuitatem munitissimam, altissimis cinctam mœnibus, fortissimis intus viris plenam; illinc Israelitas pene inermes, qui iussi sunt non arma sumere, sed iubilæi tubas, non præmittere fortes catafractos, sed lineos Sacerdotes, non arietes validos parare, sed arcam circumferre. Quid tunc? Ait ad hæc eleganter D. Paulinus in S. Felicis Natal. 8.

Iosue, 2.

Et perspice, qui potiore--- D. Paul.
Præsidio fuerint, quos vrbs circundata magnis
Abs te, Deo muris, an quos sine mœnibus vrbis
Vallabat sortio virtus diuina fauore?
Illam dico vrbem, quam perdidit acer Iesus, &c.

Plane altissimi muri, validissima arma erant vrbi, sed non erat Deus; nullus apparatus armorum erat Israelitis, sed tamen erat illis Deus. Vtri ergo vtebantur maiori præsidio, qui muris, armis vè gaudebant sine Deo, an qui Deo gaudebant sine armis, sine muris? Equidem ridenda sunt omnia armorum præsidia sine Deo; & amplexanda cum Deo, vel infirmitas. Aiebat ille supra.

Nunc opus adiutore Deo, solusque timendus,
Quo sine & arma cadunt, per quem firmantur & arma.
Ipse intra muros turris tibi, qui sine muris
Murus erit.

Cadant, necessum est, validissima quęque, quibus Deus non adest, à quo & arma firmantur, & qui solus est superior omnibus armis. Credo mihi vna Dei assistentia hominem inexpugnabilem reddit. Scimus aduersus vnum Iobum vniuersas creaturas commotas esse, vt illum funditus perderent. In primis, *Irruerunt Sabæi, & tulerũt omnia*: deinde, *Ignis de cœlo cecidit, &c.* Tertiò, *Chaldæi fecerũt tres turmas, & inuaserunt camelos*; rursus: *Ventus irruit à regione deserti, &c.* Tandem, quis omnes ægritudines eius memoret, quæ totam carnem hominis depastæ fuerunt? Et nihilominus à tot exercitibus petitus, ab igne, à ventis, à vermibus lancinatus victor stetit. Vnde homini tanta valentia? Ait D. August. in Psalm. 103. *Ablatis omnibus remansit Iob cum vxore, per quam tentaretur, & cum Deo, à quo regeretur.* Nudus, & infirmus Iob, vbi ostenditur cum Deo manere, fieri nequit, quod funditus ab hoste expugnetur. Omnia hostilia tela ridebit, quæ solus debet timere, qui cinctus omnibus præsidijs est sine Deo.

D. Aug.

1. *Reg.* 17. Quod cum audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum alijs, iratus est contra Dauid, & ait, Quare venisti, & quare

quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia, vt videres prælium descendisti. Et dixit Dauid, Quid feci? Nunquid non verbum est? &c.

§. XXVI.

Nunquam non sunt pericula à fratribus.

ECce tibi, qui Dauidis persecutiones initiat frater eius est, quippè ait: *Quod cum audisset Eliab frater eius maior, iratus est contra Dauidem, &c.* Nunc primum audimus iras hominum exardescere in Dauidem; & qui primo in eũ irascitur, frater eius est, vt sibi homines persuadeant nunquam sibi defutura ventura à fratribus pericula. Hunc spectãs D. Paul. in illa periculorum suorum summa, 2. ad 2. Cor. 11 Corint. 11. ait: *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, &c.* Vltimo loco percensuit pericula, quæ à falsis fratribus veniunt, vt pote, quæ soleant magis permanere, & vix vnquam desint. Ait D. Ansel. ibi: *Fuere* D. Ans. *falsi fratres, qui dilexerunt hoc saculum, & nunc talibus plena est Ecclesia. Catera enim pericula quiescere possunt, pericula vero à falsis fratribus quiescere, vsque in finem saculi non nouerunt.* Hoc sibi persuadeant homines, quod licet aliæ periculorum causæ desint; nunquam sint defutura pericula ex falsis fratribus venientia. Iob, cap. 1. dicitur de eius filijs: *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnus quisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies conuiuij mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos; consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo. &c.* Non videbat Iob filios suos ire ad aleam, non ad balnea cum amicis; solum videbat illos interse coniungi, vt fraterno amore adunati simul conuiuerent. Cur ergo adeò solicitus est, ne peccarent? Ex adeò fraterno conuictu, quid timet mali accidere? Vnde peccato aditum suspicatur in eis, qui prorsus ab alienis separabantur, vt secum viuerent? Videbat, quod fratres erant, & inde solum erroris occasionem timet, quando enim à fratribus non scaturiunt pericula? Ait D. Chrysost. hom. 1. in Iob: *Vide quomodo omni intelligentia repletus sit sanctus Iob. Putabat enim, quoniam Cain, & Abel duo fuerunt fratres soli per orbem existentes, nullas habentes belli causas: omnis enim terra communiter ambobus subiecta erat: sic par honori Abel Cain inuidus interfecit fratrem. Huius rei gratia beatus Iob pro occultis filiorum Deo sacrificium faciebat quotidie, &c.* Qui nouerat, quam antiquum sit non quiescere pericula à fratribus; solicitus erat pro filijs, & incessanter pro illis sacrificabat, ne forte aliqua scintilla prosiliret, ex eis, quæ frequentissimæ amburunt fratres. D. Chrys.

§. XXVII.

Patientia iustorum in difficultatibus æquari debet præclarissimis eorum gestis.

CVrrens Dauid ad cantatissimum facinus, quo occidit Gygantem, non otiosè depingitur à textu mansuetissime, & patientissime iniuriam passus. Dicebat enim illi frater: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia, vt videres prælium descendisti: Et dixit Dauid, Quid feci? Nunquid non verbum est?* Non, inquam, otiosè tam mansuete iniuriam patitur, dũ currit ad certamen, & manus ad prælium parat; sed vt ostendatur sanctorum patientia æquari posse cum eorum facinoribus, quæ magis celebrantur. Dicebat Spiritus Iesu per Oseam, cap. 12. *Ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum.* Cum Dominus dicit se assimilatum in manu prophetarum, rem deducit D. Hieron. ad prophetam Ionam. Et mirabar, quod in Ionæ manibus, posset dici Dominus assimilatus, quando à Ionæ manibus nil audio illustre factum. Quod passus fuerit Ionas, id ego scio; quod egerit, non video. Cur ergo in Ionæ manibus dicitur Deus assimilari? Id habet patientia sanctorum in laboribus, & passionibus suis, vt possit adumbrare præclarissima quæque facta. Ait ibi D. Hieron. *Nonne in manibus prophetarum assimilatur Deus, quando Ionas tribus diebus, ac noctibus in profundo est,* D. Hier.

vt Dominum significet die tertia ab inferis resurgentem? Cum Ionas in profundo erat, ligatæ & otiosæ erant eius manus; nihil operabantur, sed solum patiebantur strictissimi carceris ligamina. Nihil tunc apparebat in Iona, quod ad meram patientiam, & substinentiam non pertineret. Resurrectio autem Iesu ab inferis opus fuit potentissimæ dexteræ eius. Cur ergo opus tantæ dexteræ dicitur assimilatum in Ionę manibus, eo præcipuo tempore, quo nihil operabantur, sed ligatæ iacebãt in obscurissimo carcere? Sapienter quidem manus patientis dicuntur adumbrare clarissimum validissimæ manus facinus; patientia nãque sanctorum æquari potest cum clarissimis eorum factis. Quis nescit Iobi facinora erga pauperes sustentandos? Ait ipse, cap. 29. *Oculus fui cæco, pes claudo.* Et tamen de illo ait D. Chrysost. hom. 5. *Iob ipse passionibus videtur magis, quam virtutum actionibus profecisse: nam neque ita illustris est habitus cum domum pauperibus referabat, substantiamque erogabat, quã quod audiens ruinam, non se acerbe egit.* Sic patientiæ facinora alia solet excedere.

Iobi, 29.
D. Chrys.

1. *Reg.* 17. Audita sunt autem verba, quæ locutus est Dauid, & annuntiata in conspectu Saul, ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei, Nõ concidat cor cuiusquam in eo, ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. Et ait Saul ad Dauid, Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem vir bellator ab adolescentia sua.

§. XXVIII.

Qui nihil suum in virtute cognoscit, firmat sibi assistentiam Dei.

NOn possum non mirari verba huius adolescentis, & securitatis plena, & humilitatis; dicit enim: *Non concidat cor cuiusquam in eo, Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Omnem metum iubet deponere, & rationem innuens ait: *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo, &c.* Aliter ille aliusbellator, 2. Reg. 17. dicebat Absaloni; *Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte. Et irruens super eum, percutiam eum, &c.* Non ait: Eligam seruus tuus mihi, sed absolute dicit, Eligam, & insurgam, & percutiam. Vterque Regi loquebatur, & Regi solicito de certamine ineundo aduersus hostem; vterque Regi curam, & solicitudinem eripere curat victoriæ certitudine. Sed Dauid nihil promittit, quin seruitutis professionem præscribat, dicens: *Ego seruus tuus vadã, & pugnabo;* Achitophel nullius meminit seruitutis, sed solum ait, *Eligam, & percutiam.* Et cur Dauid cauit promittere aliquid, quin prius diceret, Ego seruus tuus, quod non cauit Achitophel? Plane bonus Dauid cauebat aliquid suum ostentare in re tantæ virtutis, & ideò se seruũ profitetur, vt quidquid faceret nõ suum, sed regij videretur auspitij. Quo sibi assistentem magis confirmabat gratiam diuinam. Confirmatur enim maxime gratia Dei in nobis, si quasi nobis alienũ, & aduentitium ostendamus, quidquid fuerit virtutis. Matth. 3. dicitur de Iesu: *Baptizatus autem Iesus confestim ascẽdit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Quis non miretur, quod dicatur Iesus vidisse Spiritum Dei in specie columbæ descendentem supra se? Nonne ipse verus Deus erat, & qua talis intime secum habebat Spiritum Dei? Ad quid ergo factum est, vt ei extrinsecus videretur venire Spiritus Dei, quasi non magis intrinsecus in illo, vt propriusesset? Pulchram huius rationem reddit in rem præsentem D. Cyrill. Alex. in cap. 2. Ioel prophetæ: *Datus est Spiritus Adamo in principio, sed non mansit natura humana. Postquã autem factus est pauper, qui erat diues; unigenitus, inquam, & nobiscum, vt homo esse cœpit; & proprium sibi spiritum, vt aduẽtitium accepit, mansit super eum, vt in nobis quoque in posterum habitet.* Expende illa: *Et proprium sibi Spiritum, vt aduentitium accepit;* vbi autem ipsissimum suum Spiritum, quasi non suum esse videri voluit, sed illum, vt alienum, & aduentitium extrinsecus referebat, maximè eius confirmabat assistentiã. Docebat enim, vnde in nobis Spiritum diuinum, Spiritum virtutis, Spiritum fortitudinis æternare possemus, nimirum si vel in proprijs nostris virtutibus, nihil non aduentitium, & nobis alienum putemus.

2. *Reg.* 17.

Matth. 3.

Cyr. Al.

Neiciuit

Nesciuit Adam nihil non suum in virtutibus quærere, & inde Spiritum Dei perdidit; sciuit Iesus proprium suum Spiritum, quasi non suum, sed quasi extrinsecus aduentitium prætendere, & inde eius assistentiam omnibus suis maxime asseruit. Caue homo tuum aliquid esse in virtutibus credere, nisi perire velis. Petrus
Matt. 26 aiebat, Matth. 26. *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*: & rursus: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: sed ad vocem puellæ miserè decidit. Vt merito dicat D. August. epist.
D. Aug. 120. *Petrus ex egregio præsumptore, tam creber negator effectus est*: Ex quo suum aliquid præsumpsit in re virtutis, ad miserabilem casum venit. Nequit enim fortitudinis spiritus permanere in ijs, qui sibi, vt proprium bonum aliquid arrogare intendũt. Quo spectans dicebat Gamaliel Act. 5.
Act. 5. *Ante hos dies extitit Theodas dicens se aliquem esse.* Syrus legit: *Et dixit de anima sua, quod aliquid esset ipse magni.* Et quid inde? *Qui occisus est, & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti sunt ad nihilum.* Hæc tota causa infirmitatis, & ruinæ extremæ, quod aliquid magnũ sibi attribuerit. Nescit enim stare, qui sibi magna præripit. Primi nostri parentes, vbi vel manus extensione crediunt se diuinitatem assumpturos, Genes. 3. *Cum audissent vocem Domini Dei ambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius, &c.* Sic validissimi illi principes ad vocem de ambulantis contremiscent, & fugam arripiũt.
Genes. 3. Et vnde sic infirmati sunt, vt ad tenuem vocem fugiant? Ait D. Athan. orat. in Assumpt. D. *Generis nostri origo sub arbore se abscondit, fugit ad strepitum iniuste de diuinitate persuasa.* Hoc ebiberunt virus, quo aliquid diuinum sibi, vt proprium attribuere conati sunt, & inde ad tantam infirmitatem venerunt, vt ad leuem foliorum strepitum, fugam arriperent.
D. Athan.

§. XXIX.

Vel vnus iustus valet stare pro multis.

INgenti Israelitarũ exercitui iubet Dauid timoram ponere, dum ipse pro omnibus pugnat, dum ait: *Non concidat cor cuiusquam in eo, Ego seruus tuus vadam, & pugnabo, &c.* Se vnum offert pugnæ, vt omnes sint securi; nec miror, securi enim erunt populi, si vel vnus iustus stet pro illis. Ex quo dicebat Dominus Ierem. cap. 5. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Itaque, vt Ierusalem propitium habeat dominum, ne funditus perdatur, hoc solum requiritur, vt in ea, vel vnus vir iustus inueniatur. Qui si inueniretur, staret ciuitas; quæ perijt, qui nec vnus fuit iustus inuentus. Pro quo ait
Ierem. 5. D. Cyrill. Alex. in Amos, cap. 6. *Quoniam autem regiones Iacob, nec vnum bonum, & Dei amatorem virum habebant, id circo data sunt in desolationem, & vrbes vna cum incolis interierunt. Vehementer itaque sanctis opus est, seruant enim vrbes, & regiones clade impendente liberant, iram Dei quantumuis feruentem ira claritudine retundentes, seu hebetantes, &c.* Valet equidem vnus iustus iram Dei hebetare, ne populos perdat. Nemo est, qui ignoret pugnam inter filios Israel omnes, & tribum Beniamin, cap. 20. Iudicum relatam. Ibi Israelitæ iram Dei referentes in turpissimos Beniaminitas, lamentabilem cladem vniuersi tribui inferebant, adeò, vt viginti quinque millibus occisis, non multum abfuit, quin & vniuersi alij occiderentur. Erepti tamen fuere sexcenti viri internetioni, ait enim textus: *Remanserunt itaque de omni*
Iudic. 20. *numero Beniamin, qui fugere potuerunt, & fugerent in solitudinem, sexcenti viri, &c.* Sed quando sic diuina ira Beniamitas castigabat, cur sexcentis his pepercit? Cur & sexcenti illi mortem effugerunt? Ait D. Hieron. epist. ad Eustoch. in epithaph. Paulæ: *In Gabaon vrbe ad solum vsque diruta, paululum substitit, recordata peccati eius, & concubinæ in fruſtra diuisæ, & tribus Beniamin sexcentos viros, propter Paulum Apostolum reseruatos.* Nota est historia Gabaon, quando ciues eius vxorem leuitæ stuprarunt, interfecerunt; cuius rei atrocitate commotus leuitæ vxoris cadauer in fruſtra diuisit, & ostendit cæteris tribubus. Quæ accensæ zelo diuino irruerunt in Beniaminitas, illosque funditus perimebãt; sed reseruati sexcenti viri sunt propter Paulum, qui oriturus erat de illa tribu. Vbi enim vnus Paulus iustus apparuit oculis diuinis, iram Dei heuetauit, & saluos reddidit suos contribules. Tantum enim valet, vel vnus iustus, qui stat pro suis; de quo alias plura dicta.
D. Hier.

1. *Reg.* 17. Dixitque Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & Leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur, & Philisthæus hic incircuncisus quasi vnus ex eis.

§. XXX.

A ferarum congressu inuicta fortitudinis aduersus hostes auspitium.

NOn inexercitatus Dauid ad arenam veniebat, qui cum Leone, & vrso pugnarat, & vicerat: iuxta illa: *Veniebat Leo, & vrsus:: & persequebar eos, & percutiebam.* Imò sapienter inde firmabat fiduciam appropinquantis triumphi; non semel enim congressus cum feris dedit nobilibus triumphatoribus auspitium. Sic Sidonij Apollinaris Panegijricus dictus Auito Augusti. socero.

Sid. Ap. *Primus vix caperat esse---*
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque escas ieiuna fauce parantem,
Pluscatulis, stranit,
Arrepta de caute lupam, fractusque molari
Dissiluit vertex, & saxum vulnere sedit.
Sic meus Alcides, Nemeæ dum saltibus errat
Occurrit monstro vacuus, non robora portans,
Non pharetras: stetit ira tremens, atque hoste propinquo
Consuluit solos virtus decepta lacertos.
Iam si forte suem latratibus improbus Vmber
Terruit, albentes nigro sub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vasta per aduersas venabula cogere prædas.

Sic triumphaturi viri pueritiam cum feris luctatam describit; ratus in ijs ferarum cõgressibus à puero exercitis clarissima esse auspicia victoriarum futurarum, cum descendat in arenam vir. Sic de validissimo illo iuuene Samsone, qui ad perniciẽ Philisthinorum nascebatur, ait textus, Iudic. 13. *Creuitque puer, & benedixit ei Dominus.* Iud. 13. *Capitque Dominus esse cum eo in castris Dan.* Assistentia enim Dei cæpit in puero ostendi, dum inter suos agit, vel lusibus dum ingentis virtutis opera efficiebat per lusum, vel serijs, cum in saltibus feras insequebatur, & cum apris, vrsis, Leonibusve pugnabat. Sic statim, cap. 14. *Apparuit catulus Leonis saeuus, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit Leonem, quasi hædum in frusta decerperet, nihil omnino habens in manu.* Sic noster Alcides, Nemeæ dum erraret saltibus, vacuus occurrebat monstris, nõ robora portans, non pharetras, non venabula. Quas feras decerpere ludus puero erat, colluctanti lacerto; & qui triumphi ex viro de talibus congressibus non sperantur? Quo respiciens D. Amb. epist. 70. ait: *Samson* D. Amb. *diuino oraculo prædestinatus, magnus vir, viribus corporis omnium facile primus, eoque in genti admiratione nobis spectandus ab adolescentia, qua in alijs ætas mollior, in hoc egregia, atque supra humanum modum perfectæ virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem futuri regimen, & præsidium suis.* Et post pauca: *Occurrit ei Leo ferus de sylua, agresti libertate saeuior. Comes nullus, telum in manibus haud quaquam suppeditabat: irruentem in se brachijs amplexus necat.* Quæ monstra non tollantur ab hoc Alcide, qui puer scit corua Leonibus mundare?

§. XXXI.

Vir obediens ludibrio habet terrimum humani generis hostem.

DVo semper noto in Dauidis pueri historia alterum respectu Saulis, alterũ respectu Goliath; respectu Saulis nullũ promit verbũ, quo non se eius profiteatur seruum, eius imperio audientem. Sic in præsenti: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem::* cõtinuo subdit: *Leonẽ & vrsum interfeci ego seruus tuus*: in vnius clausulæ dictione se bis vocat Saulis seruum, quasi nihil magis æstimet, quã eius summitti imperio. Respectu autẽ Goliath, semper loquitur cũ ludibrio, & derisu; dũ ait in præsenti etiã: *Erit igitur Philisthæus hic incircũcisus, & c.* quæ verba, & Saliano, & cæteris expositoribus & despectũ, & derisum sonant de hoste Philistæo. Nec miror, quod

se

se seruum profitetur Saulis regis, in omnibusque eius imperio audientem, inde eos animos concipiat, quibus derideat, & contemnat hostem superbo. Qui enim suis maioribus obedientem seruum se præbet, adeo inde confirmatus apparet, vt ludibrio, & risui det hostes etiam teterrimos. A quo sensu non aliena sunt Iosephi verba, lib 6. cap. 10. *Quare accitus Dauid, & iussus, quid vellet dicere. Non est, inquit, rex, cur abjiciamus animos, aut formidemus. Ego congressus cum hoste insolentiam eius compescam, & elatum ac ferocientem prosternam, & ex terribili deridendum reddam.* Qui se Saulis subdebat, sub eiusque imperio degere gloriabatur, non contentus est promittere hostis internetionem, sed magis derisum, & despectum: ait enim: *ex terribili deridendum reddam.* Et quando teterrimus hostis ab obedientibus non deridetur? Aiebat Psalm. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Formatus est Draco magnus, & terribilis in lusum, & ludibrium hominibus. Et quis sic aduersus tantum Draconem prævalebit, vt illum ludibrio habeat? Ait Iob, cap. 40. de Behemoth Dracone magno: *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum: applicabit gladium eius.* Quæ verba sic in rem nostram sonant apud Septuag. *Hoc principium formationis Domini, factum, vt illuderetur ab Angelis eius.* Non quilibet, sed Angelus Dei valet illudere magno Draconi. Et scire cupis, quæ virtus in Angelis inueniatur, ob quam Draconi magno irrideant, illumque habeant despectui. Ea quidem est Obedientia, qua vere Dei nutui in omnibus obediunt, vt promptissimi famuli, & serui eius. Ex quo D. Aug. in Psalm. 103. monebat. *Vis illudere Draconi? Esto Angelus Dei. Sunt Angeli, qui illudant Draconi. Præpositi enim sunt Angeli cœlorum super potestates aereas. Intuentur legem diuinam, legem æternam, iubentem sine scriptura, sine syllabis, sine strepitu, intuentur Angeli corde mundo, & ex illa faciunt, quidquid hic fit, &c.* Angeli intuentes legē Dei, iussa diuina ex illa operantur, eiusque nutum exacuntur in mundo. Fiat ergo homo Angelus, sub lege viuens, mandata Domini obseruans, vt fidelissimus famulus, & officiosissimus seruus, & Draconem magnum ex terribili illudendum reddet. Accedant huc homines, qui velint superbissimum hostem habere despectui; & fiant Angeli in obedientiæ obsequela, in seruitutis professione, & fallar, nisi ferocissimū hostem vilipendant. Aiebat ipse Iob, cap. 40. de Leuiathan serpente; *Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* Non equidem homo tantam belluam ligabit, & tradet illudendam: sed quod non valet homo, valet Deus, de cuius potestate venit, quod ancillæ eius ferocientē belluam, & ligent, & illudēdam reddant. Sed illud notandum, quod bellua immanis à Deo tradenda dicatur *ancillis suis*, vt illudant ei. Non equidem alij nisi qui perfecta ancillarum munus obierint, quorum oculi, sicut oculi ancillæ in manibus Domini fuerint, eius nutui obedientes, habebunt, quod tantam belluam contemtibilem, & illudendam reddant.

Ioseph. 6.

Psal. 103.

Iob, 40.

D. Aug.

Iob. 40.

§. XXXII.

Quod vni euenit, id omnibus similibus sperari potest.

VT impium Philisthæum in nullo à feris, & bestijs differentem Dauid reputat; sic non dubitat illi per manū suam euenturum, quod bestijs euenit. Ait enim: *Erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus quasi vnus ex eis.* Sapienter quidem, quod Leoni, & vrso fecit auxiliante Deo, credit idem euenturum Philisthæo non absimili à feris, qua impius, & infidelis erat. Dicit enim Philo lib. de Abraham: *Nemo iniustus est homo, sed potius bestia* Hoc enim siue in malo, siue in bono omnibus sperari debet, quod vni simili euenit. Clamabat Naun, cap. 1. *Dominus æmulatur, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus & habens furorem, vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis::: Increpans mare, & exicans illud, & omnia flumina ad desertum deducens.* Recolit bonus, quæ fecerit Dominus creaturis suis in supplicium inimicorum suorum, vt mare siccauerit, vt flumina aquis deserta fecerit. Sed illud notandum, quod cum vnum tantum flumen Iordanis aquis desertum factum fuerit à Deo, nilominus dicatur Dominus à Propheta *omnia flumina ad desertum adducens.* Si tantum vnum exiccatum fuit, cur omnia exiccata dicantur? In illo vno omnia creduntur exiccata in duello simili, quando quod vni fit, similiter credi debet faciendū omnibus similibus, D. Cyr. Alex. ibi: *Quoniā dicit omnia flumina ab eo exiccari, quod in vno cōtigit, Deo annuente, cōtingere posse in omnibus credere iubet.* Idē homo crede tibi euenturū, quod alijs tuis similibus euenisse vides; epulonē in tormentis vide, si tu epulo es, similia crede tibi vētura. Et sic puta de singulis vitijs, in quibus deplo-

Naun, 1.

Cyr. Al.

rado alicui similis inueniris. Nec aliter spe-
Psal. 102 randũ in bonis virtutũ; ait enim, Psal. 102. *Notas fecit vias suas Moysi.* An vni Moysi reuelauit Dominus vias suas? Cur ergo nõ magis dicit vias Dei omnibus notas factas? Plane in vno, omnes similes intelligebantur; quidquid enim vni præstatur, omnibus similibus creditur præstitũ. Aie-
D. Aug. bat ibi D. Augustin. *Quas vias suas notas fecit Moysi? Quare Moysen elegit? Ex Moyse in elige omnes iustos, omnes sanctos. Vnum posuit, omnes occurrant.* Quod enim vni iusto fit, id sibi etiam sperent similes omnes. Dice-
Ad Gal. 2. bat Paulus ad Gal. 3. *Credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad iustitiam.* Ex quo sapienter D. Cyprian. ait epist 63.
D. Cypr. *Circa Abraham benedictio illa procedens ad nostrum populum pertinebat. Nam si Abraham Deo credidit, & deputatum est illi ad iustitiam; vtique quisquis Deo credidit, & fide vnit, iustus inuenitur, & iã pridem in Abraham benedictus ostenditur.* Sic ibi: quod vni datum videt, & omnibus arguit dandum similibus. Mutus erat Zacharias, Luc. 1. cum natus esset filius nomen à patre expecta-
Luc. 1. bat; qui scripsit: *Ioannes est nomen eius:* *Apertum est autem illico os eius, &c.* ex quo
D. Enn. D. Ennodius orat. in Dedicat. Templi ait: *Nemo Ioannem nominans post exemplum præcedentis miraculi, pristinam linguæ suspicetur habiturum imperitiam. Post Zachariam cui eliminata post istud vocabulum remeauit vox, ab vniuersis creditur iure Ioannes clauis esse verborũ.* Sic ab omnibus spectatur, quod Zachariæ accidit.

1. *Reg.* 17. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircuncisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuẽtis? Et ait Dauid: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid, Vade, & dominus tecũ sit.

§. XXXIII.

Pro iniuria Dei vindicanda absque vllo alio respectu procedendum.

QVi paulo ante nullum mittebat verbum ad Saul sine seruitutis profes-sione, dum ait: *Pascebat seruus tuus: & vrsum interfeci ego seruus tuus, &c.* modo absolute ait: *Nunc vadam, & auferam opprobium, &c.* Cur etiam modo non dicit: Nunc vadam seruus tuus? Cur non meminit se Saulis seruum, cum iam prosilit in arenam aduersus Philisthæum? Notabat hostem non tam regi, quam Deo iniurium, dum ait: *Ausus est maledicere exercitui Dei viuentis.* Dumque iniurias Deo illatas meminit, nil aliud respicit, sed pro illis prosilit vlciscendis. Sic Herodes primus apud Egesippum lib. 1. cap. 32. suos milites in barbarissimos Arabes accendebat. *Egre-* 1. Eg. 32.
diamur ergo non pro finibus, aut spolys sed pro diuina iniuria præliaturi. Vetat sapiens in eo rex aliud respici debere, quã Dei iniuria n; vbi Dei iniuria noscitur esse. Quæ rationes in alijs solent attendi, minime attendendæ sunt in duellis, quæ pro iniuria Deo illata vindicanda excitantur; sed tota ibi excandescentia insurgat aduersus hostem, qua iniurius in Deum est. Christus Dominus, Matth. 4 tres hostis impetus sustinuit: primum refellit pacificis verbis dicens: *Non in solo pane viuit homo*: ad Matth. 4.
secundum item totus melleus dicit: *Nõ tentabis Dominum Deum tuum.* Sic vel in improbissimo hoste repellendo mansuetudinis meminit. Vbi autem ad tertium ventum est, totus iratus ait: *Vade Satana, &c.* Cur modo rationem non habet mansuetudinis? Cur mansueta verba non meminit, vt doceat homines mansuete etiã hostibus respondere? Modo videt hostem in Deum iniurium, cum sibi adorationem præripere vellet, quo sic irascitur, vt vnã diuinarum iniuriarum vindictam attendat. Imperfect. hom. 5. in Matth dicebat: *Cum Christus in prima tentatione passus fuisset* Matth. 5.
tentationis iniuriam; non est exasperatus, sed sustinuit, & mitis permansit. Similiter & in secunda Nũc autem quando diabolus Dei sibi præsumpsit honorem, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me; exasperatus est, & iratus est, & increpauit eum, & repulit, dicens, Vade retro Satana. vt nos illius discamus exemplo nostras quidem iniurias illatas magnanimiter sustinere; Dei autem iniurias, & contemptum nec vsque ad auditum sufferre. Quoniam in propriis iniurijs esse quempiam patientem, laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. Vtinam tales omnes essemus, vt in Dei iniurijs nullam dissimulationem habeamus, nullius meminerimus rationis, aut respectus, sed acerrimi ad illas vindicandas euolaremus.

§. XXXIV.

Tunc fidutialius aliud magnũ de Deo ſperamus, quando iam aliquid ab illo accepimus.

QVam longe abeſt beneficentia Dei à creaturarum beneficentia! Si à creaturis aliquid accepimus, inde verecundamur ab illis amplius petere; & illæ quaſi ius negandi amplius acquirunt, eo ipſo, quod iam aliquid dederint. Deus autem vbi aliquid præſtat, inde auget fiduciam, qua ampliora de illo expectemus, ſecurius quam ſi nihil antea dederit. Hinc in præſenti Dauid confidenter dicebat: *Dominus, qui eripuit me de manu Leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthæi* Ex eo quod iam ſalutem acceperit ex Deo in congreſſu ferarum, confidentius ſperat, quod eamdem accipiet in congreſſu cum Philiſthæo. Nec fallitur; de Deo enim certius ſperare poſſumus aliud, quãdo vnum dedit, quã ſi nihil dederit, Gen. 12. Abrahano Deum ſequenti, & cognationem abijcienti apparuit Dominus, & ait illi: *Semini tuo dabo terram hanc.* Et mirabar, quod tanto cognationis contemptori propter Deum, ſolam Deus præſtet terram, nec vllam faciat præſtandi memoriam cœli. Cur tanto iuſto non potius cœlum promittit, quam terram? Sufficiebat, quod ſemel aliquid Deus præſtaret homini, ex vno enim dona accepto confidentiſſime iam poſſet ſperare vniuerſa. Aiebat Tertull. lib. 4. contra Mar. *Bene, quod creator minora promiſit, vt facilius illi, & de maioribus credam, quam qui nunquam de minoribus prius fidem liberalitatis ſuæ ſtruxit.* Is eſt Deus, qui ſi ſemel aliquid dederit, iam firmat ſpem, & fiduciam auget præſtantiora ſperandi ex manu eius. Præclare Dei dona inde putantur ſemina, iuxta illud D. Lucæ, cap. 8. *Egit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuũ*: ſemen enim hoc habet, vt ſpes magnorum fructuum colligendorum ſemper alat. Sic donum Dei vnum nos firmat in ſpe recipiendi, quod vis aliud magnũ. Adhæc dicebat Claudius Marcercus contra Poetas vanos:

Tu, cui mens generoſa ſuperni ſeminis ignis,
Ardet in æthereos animo conſcendere greſſus,
In gremio Domini caput inſere; mox inhianti
Proflua lacte ſacro largus dabit vbera Chriſtus,
Diuinoque tuam perfundet lumine mentem.

Dum ſupernum ſemen in mẽte hominis conceptum videt, iam inde iubet homini, vt gremio Chriſti cubet, ſecurus, quod largũ imbrem trahet bonorum à ſacro pectore. Facit hoc primũ ſeminis donum, vt qui primum donũ ex Deo accepit, illud ſemen maiorum putet, & confidentius accedat ad Deum, qui proflua lacte ſacro dabit vbera. Et cur lacteos imbres neget Deus poſt donum, qui nõ negauit ſanguineos? Iſaias, cap. 1. *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quæ ſic apud Tertull. ſonant: *Si fuerint peccata veſtra tanquam roſeum, velut niuem exalbabo. Et ſi tanquã coccinũ, velut lanam exalbabo.* Nec verba inexplicata reliquit, Tertull. ſed ſtatim, lib. 4. in Marc. explicans quid in roſeo, & quid in coccino intelligat, ait: *In roſeo ſanguinẽ oſtendens prophetarum, in coccino Domini, vt clariorem.* Sed cur ſanguis prophetarũ roſeus vocatur, & non ruber? Iam id in meã deflecto excogitationem; terra nãque perfuſa prophetarũ ſanguine, quot recipiebat guttas, tot oſtendebat flores, tot roſas, quę ſpem alerent accipiendi coccineũ ſanguinẽ ſaluatoris. Mittebat Dei prouidẽtia, Iudæorũ ſcelere mediante, ſanguinem prophetarum in terrã; quid inde terra? Ex accepto hoc roſeo ſanguine tota erat in ſpe, & confidentia, quod tandẽ acciperet filij Dei ſanguinem coccinũ. Sic prima Dei dona, & ſemina ſunt, & flores, qui tendant ad maiora. Huc trahe multa ex dictis in præſenti, cap. 2. §. 30. & 31.

Gen. 12.

Tertull.

Luc. 8.

Cla. Ma.

Iſai. 1.

Tertull.

1. *Reg.* 17. Induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eũ lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtẽ ſuam, cæpit tentare, ſi armatus poſſet incedere, non enim habebat conſuetudinẽ. Dixitque Dauid ad Saul; Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo.

§. XXXV.

Accepta ex aliquo munera vehementer nos incitant in defenſionem illius.

ET ſimul Dauidi certamen permiſit Saul,

& illi vestimenta porrexit, & arma; sic enim dicit: *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, &c.* Esto, quod pugnaturo dentur arma; cur vestes etiam illi porriguntur? Cur non magis victoria expectatur, vt detur torques, & pallium victori? Cur etiam ante pugnam ei vestes dantur ex regis decreto? Sapienter rex munera vestium largitur suo militi, vt quæ vehementer incitent accipientis animum, vt stet pro muneratore suo. Dicebat Ioan. 1. de Dei filio: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ioan. 1. Chrysost. in rem præsentem: *Tentoria fixit in nobis*, & pulchra paraphrasi D. Zeno, lib. 3. serm. 6. *In prædestinatæ Virginis templum sibimet castrametatur*: quæ omnia militarem apparatum sonant. Sed quid puero recens concepto cum tentorijs, cum castris militaribus? Equidem cum primum filius Dei ab homine carnē sumpsit, seque indumento nostræ naturæ vestiuit, statim se in prælium dat pro hominibus. Quo aspiciēs dicebat D. Maxim. hom. 1. in Dom. 1. Quadrag. *In vs autem omnibus nostræ salutis est ratio. Nobis saluator est vrit, pro nobis loquitur. Nos illo vincimus, quia nos ei causa sumus pugnandi. Nam quis ambigat vnigenitū Patris, cui nulla obuiare poterat creatura, pro illis misse certamen, quorum se carne vestiuit?* Ecce tibi ex quo Dei filius â nobis carnis indumentum accepit, non dubitati potest, quod pro nobis stabit, nostraque certamina, & pericula suscipiet. Hinc bonus rex, imò rex regum Iesus productur us milites suos in arenam aduersus hostes cauet prius, Luc. 24. *Vos autem sedete in ciuitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Non vult suos milites bellis exponere, quin prius illis indumenta paret, donaria ve tribuat ex alto, quæ pro indumento sint: scions quantum inde roboris, & animositatis adnascatur militibus, vt stēt pro rege suo, si eius in se experiantur iam munera. Quo spectans, Iudic. 6. ait: *Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se.* Erat Gedeon infirmissimus aduersus hostes, quos vehementer timens clauserat se domi ad expurgandum triticum. Et ecce tibi modo excuso pauore in arenam prosilit, pauculos fotios conuocat, & classicum intonat. Vnde tanta fortitudo, & audacia venit homini infirmo? Ait textus: *Spiritus Domini induit Gedeon*: dedit Spiritus diuinus indumentum; & Abbulens. quæst. 24. explicans rem ait: *Deus dedit illi quandam animositatem*, Quod textus vocat indumentum, Abbul. explicat fuisse quandam animositatem; & merito indumenta enim data â principibus militi suo, maximos ei animos indunt, vt stet pro principe suo. Quis enim sanguini parcat pro principe, à quo se muneratum, & ditatum videt? Huc adduco Herodem, qui post occisum à Cæsare Antonium, cuius ipse Herodes sequebatur vexilla, ait ad Cæsarem apud Egesi. lib. 1. cap. 33. *Ego, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, vt pote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo, idque armis probassem, si Arabes non impediuissent. Ea necessitate compulsus arma aduersus te non tuli, non quasi amici desertor, aut præly pauidus, sed quasi domi rebus gerendis occupatus, &c.* Sic apud triumphatorem principem se excusat, quod illi non repugnauerit pro occiso Antonio, â quo purpuram regni acceperat. Purpurea enim clamys accepta, etiā in funere deposita, cogebat hominem non se negare deuicti partiarium coram ipso victore. Caes. Aug.

§. XXXVI.

Dei Spiritus est nihil refugere muneris semel præsumpti.

INduitur Dauid armis de Saulis armamentario sumptis nihil retructans, sic namque text. *Imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio, &c.* Miraberis, quod pastor adolescens, qui inermis leonem, & vrsum occiderat, contra Goliath se armari permittat. Quando discooperto capite, & nudis lacertis in leonem irruit, cur modo sustineat ferro obtegi, vt in Philisthæum irruat? Agebat modo Dauid militem, quod vt suscipit agendum munus, sic nullum militū pondus inexpertū amat relinquere. Est equidem proprissimum diuini Spiritus, cuius plenus erat Dauid, quod nihil oneris, nihil difficultatis in præsumpto munere existens inexpertum relinquat. Matth. 17. Iesus in Tabor totus glorioſus, & splendens apparuit tribus discipulis suis; quorum vnus, nimirum Petrus Iesum in tanta gloria vidēs clamauit: *Domine bonum est nos hic esse.* Quorum verborū occasione quæstio non vulgaris existit. An absolute, & simpliciter bonum esset Iesu in carne glorioſa, & impassibili ad Matt. 17

terras

terras veniſſe? Poſſet equidem Ieſus, quãtum ad pretij valorem æque nos redimere actibus ardentiſsimæ charitatis, feruidiſsimæ orationis, quam paſsione cruciatuũ redemit. Cur ergo non eſſet illi adeò bonum in carne impatibili venire, ac in patibili? Propria erat humanæ naturæ ſeruitutis profeſsio, qua vel verberibus ſubiecta eſſet. Fruſtra ergo Dei filius formam ſerui acciperet homo factus, niſi & omnia quæ ſeruitutis erant adimpleret. Sapienter huc accedit D. Proclus orat. de Tranſfig. impugnans illud Petri aſſertum ijs verbis: *Fruſtra ergo in hanc terram peruenit, ſi perpetuo in hac terra manet: fruſtra ſeſe ipſe exinaniuit, forma ſerui ſponte accepit; niſi permanens id quod erat, factus eſſet id quod non erat: niſi crucem apud nos pertulerit, & proprio ſanguine mundum redemerit.* Fruſtraneum eſſet, & indignum tanto Deo, ſi ita in formam ſerui deſcẽderet, vt ſibi à ſeruitutis proprietatibus caueret: & non magis omnia æquanimiter ſuſtineret. Eſt enim hęc infirmitas vilium hominionum, qui ſe tradunt eis profeſsionibus, eis muneribus, à quorum difficilibus, & laborioſis propietatibus maxime abhorrent, ſub illarumque metu pauidi contabeſcunt. Hi fruſtra religioſam vitam profitentur, ſi quod eſt religioſæ ſeruitutis à ſe depellũt, & ſolum, quod eſt leuaminis acceptant. Hi fruſtra ſacerdotium, vel pontificatum habent, ſi quod eſt in illo laboris fugiunt, & quod eſt honoris, & lucri tantum volunt habere. Longe ab ijs eſt Spiritus Dei, qui accepti muneris difficilia minime refugit, ſed inde ſuam gloriam exaltat, quod ſe in omnibus ſtrenue gerat, Paul. ad Philip. 2. de filio Dei ait: *Formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Humiliauit ſemet ipſum factus obediens, vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Decreuit Deus accipere formam ſerui, ſed id poſſet facere, ſerui honorati, & ab omni malo alieni induẽs formam, vt nunc de facto in cœlo talem habet indutam ſerui formam. Cur ergo non hanc, ſed illam paſsioni, & flagris, & morti ſubiectam à principio intrauit? Is eſt Deus, qui in accepto munere omnia propria illius debeat adimplere. Vnde D. Chryſoſt. ſerm. 6. de Paſſ. *Quare totius Dominus naturæ formam ſeruitutis intrauit, niſi vt totas ſeruitutis iniurias ſuſtineret?* Nihil dimidiatum aſſumere amat Deus, ſed & in eo ſe Deum oſtendit, quod in aſſumpti muneris laborioſis, & vilibus ſe æque ſtrenue gerat, nihil vertus adimplere. Proprium eſt enim diuini Spiritus, quod aſſumpti muneris difficultates non timeat, non fugiat; ſed magis vincat. Subſcribit D. Atha. reddens rationem, cur mortem crucis à Iudæis illatam elegerit Dominus. Ait enim orat. de Verbi Incarnat. *Vt enim abſurdum erat Dei Verbum, quod vita erat, mortem ſuo corpori ſua opera inferre, ita quoque indecens erat, eam alunde illatam defugere, ac non potius perſequi.* Hoc eſt poteſtatis diuinæ inſigne, quod nihil mali pœnalis fugiat, ſed magis perſequatur illud, & de illo triumphet.

D. Procl.

Ad Phil. 2.

Chryſoſt.

D. Atha.

§. XXXVII.

Inexercitatio lethalis in omni conflictu.

ARmorum vſum merito abijcit Dauid, vt nunquam â ſe exercitatum; ait enim: *Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo.* Sapientiſsime refugit deſcendere in certamen cum armis, quæ non norat, nec vllum in illis exercicium haberet. Nunquam enim non lethalis eſt inexercitatio in quouis certamine. Hinc milites Romanos aduerſus Hebræos acuebat Titus Imper. apud Egeſip. lib. 3. cap. 23. *Nec enim vlla in Hebræis, vel rei militaris ſcientia, nullus diſciplinæ vſus, nulla tolerandi patientia. Illi neſciunt arma niſi in bello, nos in pace armis exercemur: vt in bello caſus belli dubios non ſentiamus. Inſuetis enim euentus dubij, Nos progredimur in bello muniti vndique tegitur galea caput, lorica pectus, totumque clypeus corpus, Alijs talia arma oneri ſunt, nos integumento, quia vſu leuantur.* Ecce vt nobilis Imperator totam rem conflictus ad vſum deducit; ſi deficit vſus, & exercitatio, ipſa armorum præſidia potius onere ſuo ad mortem impellunt, quam iuuant. Dicitur, 1. Machab. 8. de Romanis: *Poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & prudentia*: & addit aliquid in rem noſtram explicatius, Vegetius lib. 1. de re militari fatus: *In nullo leguntur Romani orbem terræ ſubiecisſe ſibi niſi prudentia bellica, & exercitio armorum. Nam Græci erant eis aſtutiores, Hiſpani fortiores, Teutonici corpore maiores, & fortiores, Galli plures.* Expende illud: *& exercitio armorum*; quippe exercicium armorum eſt, quod rem conflictus perducit ad victoriam, illud vbi deſit, ſtultus eſt, qui nunquam ſibi armis notis procedit in certamen, magis enim in mortem feſtinabit.

Titi.

1. Mac. 8

1. *Reg.* 17. Et deposuit ea, & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersus Dauidem, & armiger eius ante eum.

§. XXXVIII.

Per id requirenda sunt bona, per quod semel fuerunt inuenta.

REgijs armis depositis ad pastoralē habitum recurrit Dauid, vt in certamen eat cum Philisthæo. Sic dicit textus: *Et deposuit ea, & tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, & c.* Et quid pastoris instrumenta cum sanguinolento bello? Expuisset arma Saulis, vt expeditior procederet! Cur & baculum pastoralem, & peram similiter non expuit? Baculus infirmus, & ineptus, vt armatum feriret, impedimento in manibus erat. Cur ergo ad illum maluit confugere, & ad pastoris perā? Iam equidem inter pastoralia diuinam gratiam senserat, qua vocatus, & vnctus in regem fuerat; ideò prudentissime vbi Dei gratia speranda erat, ad id confugit, in quo iam semel illam perceperat. Ait D. Basil. Sel. orat. 15. *Arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit; Stolà pastoritià, & virgà, & perà armatur, quibus eum rebus ad regnum promouit gratia.* In pastoris habitu promotus semel fuerat à gratia in regnum; merito ergo contemptis alijs, ad pastoralia confugit instrumenta, ratus inde à se diuinum auxilium secundo eruendum, vnde semel illud acceperat. Psalm. 101. clamabat: *Tu exurgens Domine misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur.* Erant equidem in Sion, in Synagoga & lapides, & terra; in lapidibus exprimebantur viri sapientes, & lege structi; in terra autem abiecti, & humiles. Placebant sanè multi sapientes, & insignes viri Hebræorum Deo, & ministris eius; verum non eorum misertus fuit, vt eos in mundi expugnatores eligeret. Ad euangelium euulgandum, euangelicamque perfectionem persuadendam nō lapidum, sed terræ misertus est, hoc est, non sapientes, sed abiectos elegit. Et cur de terra potius, quam de lapide voluit excitare, qui euangelicam perfectionem docerent? De puluere terræ primum hominē fecerat omni virtute perfectum; ideò, & ad terram recurrit, vt inde etiā perfectissimi quique perficerentur. Ait ibi D. Aug. *De illo puluere venit paries tot millium credentium, & pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum ponentium. Subito primo tria millia, postea quinque millia; omnes in vanitate viuentes, omnes venditarum rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum ponentes; vt distribueretur vnicuique, prout cuique opus erat. Quis hoc fecit etiam de isto puluere, nisi qui & ipsum Adam fecit ex puluere?* Qui semel de puluere hominem perfectum effecerat, semel & bis ad puluerē accessit, vt inde educeret homines perfectos. Crede mihi, quisquis bonum aliquod obtinere ex Deo prætendis, & recurre ad id, per quod iam semel expertus es propitium Deum. D. Aug.

§. XXXIX.

Castitas efficacissima apud Deum, vt triumphet.

NOn otiosè textus notat lapides à Dauide selectos fuisse limpidissimos dicens: *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente.* Sæpe alias memorabat scriptum lapides à Patribus electos, Gen. 28. *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supposuit capiti suo*, & Iosue, cap. 4. *Portate inde singuli singulos lapides in humeris.* Itaque & in ijs, & in alijs electi dicuntur lapides à Patribus, sed nusquam dicuntur limpidissimi nisi in præsenti. Cur ergo in præsenti maluit textus notare lapidū exquisitam munditiem? In Genesi eligebantur lapides ad cubitum, in Iosue solum ad signū; at Dauid eligebat lapides ad triumphum; vbi autem lapides eliguntur, qui hostem perimant, qui ex Deo negotientur triumphos, sapienter notatur eorum mundities, est

Basil. Sel.

Psal. 101

Gen. 28.

Iosue, 4.

est enim casta corporis mundities efficacissima, vt à Deo negotietur triumphos. Mirabar sæpe cantatissimæ Iudithæ ausus, vt fœmina prodit aduersus armatos viros, vt castra hostium intrat, vt ferocissimo adstat duci, vt gaudet apud illum morari, circa lectum eius dormire, & tandem illi caput auferre. Ait enim textus, cap. 13. *Percussit bis in ceruicem eius, & abscidit caput eius.* Vnde sic fœmina præualuit ferocissimo duci? Ait D. Paulinus in D. Felicis Natali, 8.

D. Paul. *Terrentemque manu late populos Holofernem*
Arte pudicitiæ deceptum callida Iudith
Risit, in impuro, quæ non polluta cubili
Barbara truncato victrix duce castra fugauit.

Expende quodicatur Iudith Holoferni irrisisse, nimirum, *arte pudicitiæ*, quippè eius pudicitia, & limpidissima castitas, in causa erat, ne paueret terribilem hostem, sed eius rideret ferociam, illumque misere occideret. Quid enim virtutis non impetret à Deo castitas, vt hostes vincat? De matre Iesu dicebantur illa, Cant. 4. *Quæ est*

Cant. 4. *ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra, vt Luna, electa, vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Et quidem noui apertissime in Maria pulchritudinem, & splendorem, quibus fulgentissima sydera superet, at terribilem illam speciem castrorum militarium æmulam, qua hostes fugat, & perterrefaciat, vnde in tenera puella potest excogitari? Ait Guillielmus

Guill. apud Delrionem nostrum: *Ex quo Dei filium peperit, terribilis dæmonibus fuit, sed ipso clarificato multo magis. Cum enim viderent eam integritate simul, & prole gaudentem, vehemens illis suspicio incidit, ne forte illa genuisset tot prophetarum vocibus olim prænuntiatum, per quem eorum imperium rueret. Itaque virginitate illius puerpera nihil eis tunc terribilius.* Nihil tunc dicitur cogitatum in Maria terribilius, quam eius immaculata virginitas, quæ aereas potestates contunderet. In Dei paræ virginitate validissimi exercitus aderat contra mundi principes. Felix, qui ex hoc limpidissimo fonte Marianæ puritatis lapides eligit, quibus de hostibus triumphet. Ex quo enim in montibus æternis hic viuidissimus fons in nos munditiem exundat, omnia inde impetrabimus, quibus æternemus triumphos. Dicebat enim merito S. Hildephōs.

S. Hild. serm. 1. de Assumpt. Mariæ: *Illo mente fugite, quo peruenit sexus fœminarum, & virginitas Domino consecrata habens supra se illum, à quo diuinitus de medio Cherubim responsa dantur fidelibus. Et ideò quodcumque Deo mente offerre vultis, illuc fide transmittite, illuc vota inferte, inde precibus impetrata reportate.* Quando virginitas Deo consecrata præfulget, accedamus nos sub illius enim radijs, nihil non impetrabimus virtutis.

§. XXXX.

Tota securitas, & valentia hominis in vno Iesu.

REpulsi regijs Saulis armis ad limpidissimos lapides confugit Dauid, illisque securus, & valens non timet exire aduersus communem inimicum. Dicit enim text. *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum: & processit aduersus Philisthæum.* Pro lapidibus abiecit arma regis, & securus, & volens procedebat; omnimodam securitatem, & valentiam præmonstrans fidelibus si pro vno lapide angulari Iesu alia contemnant. Reliquerat Iacob domum paternam, & cum solus peregrinaretur, nocturnis tenebris prapeditus est, ne vltra procederet. Munit itaque bonus in vastissima solitudine solus. Quid tunc? Ait Gen. 28. *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.* Solus Iacob in vasta solitudine tenebris nocturnis obsitus lapidem sellegit, quem capiti supponit, & securus se tradit somno. Cur non magis timet nocturnas ferarum inuasiones? In lapide electo Iesum præ oculis habet, pro quo valedicens, & affectibus, & timoribus securus, & imperturbabilis dormit. Ait Rupert. lib. 2. in Ioan. *Lapis autem ille, quem capiti suo supposuit, vt dormiret, hic eumdem Christum significat, lapidem angularem. Hunc enim quicumque supponit capiti, id est, cordi suo, dormit securus, quia mundi diuitias contempsit, & ideò passionibus mundi non perturbatur, nihil habens in sæculo, cur gaudeat, cur timeat, cur speret, cur doleat. Secura namque mens est, vbi propter Christū hæc desunt.* Vbi propter lapidem electum, hoc est, propter Christum Deum, contentus illo renuntias cæteris bonis sæculi, nihilque mundiale aut amas, aut metuis; plenam in eo securitatem habes, & valentiam. Tota securitas, tota valentia hominis in eo est, quod sæcularia contemnas propter vnum Deum, & Christum eius, Cant. 6. dicebat: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut* Cant. 6.

Ierusa-

Ierusalem; terribilis, vt castrorum acies ordinata. Inter pulchritudinem, & suauitatem genij illa securitas, & fortitudo affulgebat, quæ instar structilissimi exercitus terrorem incutiat hostibus vniuersis. Et ex quo conflabatur tanta illa fortitudo & valentia? Ait sapientissime Guilliel. Abbas

Guil. Ab. apud Delrium nostrum: *Vt ostenderet eam esse veraciter fortem, dixit esse terribilem, vt castrorum aciem ordinatam. Qui fortiter agit non propter Deum, is tali fortitudine non fit hosti terribilis, sed potius amabilis, cui concordat peregrino sine actionis, quamuis ipsa actione ei resistere videatur; sicque resistendo non victum, territumque compellit in fugam, sed potius ita se illi turpiter subiecit. Veram enim fortitudinem, qua fugat hostem, animamque illi facit terribilem, comparat aciei castrorum ordinata, qua in humanis nihil est terribilius, talem Propheta insinuans, Fortitudinem, inquit, meã ad te custodiam: quasi dicat, Tu dator est fortitudinis, & id circo ad te, quasi ad debitum finem fortitudinem meam alligabo, propter te scilicet, & non propter aliud fortiter agam.* Quid sapientius? Piaculum duxi aliquid subtrahere sapientissimis verbis, quibus ostenditur tota hominis terribilitas, & fortitudo in eo consistere, quod sæcularia pro Christo relinquamus, vnumque Deum in omnibus operibus nostris respiciamus, vt vere cum, Psalm. 58. clamare possimus:

Psal. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quid

Guill. est, *ad te custodiã?* Ait Guilliel. *Ad te quasi ad debitum finem fortitudinem meam alligabo, propter te scilicet, & non propter aliud fortiter agam.* Dum enim in vno angulari lapide spem figimus, vnum Iesum spectamus, totam fortitudinem habemus, qua hostes perimamus.

§. XXXXI.

Eucharisticus cibus fortiter operantibus paratur.

SElecti lapides ad tantum facinus mittuntur in peram pastoralem iuxta illud: *Et misit illos in peram pastoralem:*

Carthus. nimirum, vt ait Carthus. *In qua victus necessaria deportauit; dum exiuit cũ grege ad pascua.* Et cibi, & lapides simul in eadem pera asseruantur. Et quid mysterij, quod lapides ad tantum facinus electi cibis, panibusque apponantur? Fallar, nisi iam ibi adumbretur cœlestis, viuificusque panis, qui solis apponitur, & datur ijs, qui ad magna facinora operanda parantur. Dicebat Iesus ingenti Iudæorum turbæ, Ioan. 6. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit. Hunc enim pater signauit Deus.* Huc, inquam, cibum, qui manet in vita signauit Deus, id est, multis sigillis seruatum muniuit, ne passim sumeretur, sed magis custoditetur, defenderetur. Sic Dan. 6. dum tantus propheta cibus datur leonibus, lapis ponitur in ore laci, *quem obsignauit rex annulo suo, &c.* Sic Iudei, Matth. 27. *Munierunt sepulchrum, signantes lapidem cũ custodibus, &c.* Quibus patet, vt obsignatio ponitur pro custodia, ne aliquid omnibus pateat. De cibo ergo, qui permanet in vitam æternam, peculiariter dictũ est: *Hunc pater signauit Deus,* nimirum hunc maximè custodiuit, sub multis vectibus, sigillisque clausit. Et cur tanta custodia adhibita est huic pani, nisi, ne ab otiosis, & indignis, sed à validis fortiterque operantibus capiatur? Ait Rupert. lib. 6. in Ioan. *Hunc*

Ioan. 6.

Matt. 27.

Rupert. *pater signauit. Id circo nõ nisi operantibus dabit hunc cibum filius hominis, quia pater hunc signauit, hunc à communibus certo, & proprio signo suo distinxit: vt cum alios cibos omnes bonis, ac malis operantibus, & otiosis communes fecerit eadem largitate, qua solem istum visibilem facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos; solum hunc panẽ hunc cibum, nunquam dare velit, nisi dignis, id est, operantibus opus Dei. Ita signauit, ita clausis cœli portis muniuit, vt non cum cibis communibus patiatur à porcis, & canibus inueniri.* Mundiales escæ in aperto sunt omnibus volentibus illas, siue boni, siue mali, siue desidiosi, siue operantes sint, iuxta illud, Psalm. 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione:* sic reserata sunt, & aperta horrea bonorum pereuntium, vt vel canes, vel porci inde manducent. Panem autem viuificũ signauit Deus, clausisque portis muniuit, ne detur nisi illis, qui operãtur opera Dei, longeque sunt à desidia. Crede mihi homo, & non desidiosus in diuinis operibus cœlesti cibo edas; sed de tanti cibi appositi præsentia ad illa te apta opera, quæ Dei gloriã cedãt. Nota est historia serui illius ab Abrahamo missi, vt sponsam filio Domini sui quæreret, is cum ad Rebeccæ domum peruenerat, ibique hospitatus non parua circa se officia tacitus excipiebat. Tandẽ, Genes. 24. *Introduxit eum in hospitium, ac deuitauit camelos, deditque paleas, & fœnũ, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo. Et appositus est*

Psal. 144.

Gen. 24.

in conse-

in conſpectu eius panis: Qui ait: Non comedam donec loquar, &c. Ecce tibi, vt hoſpitium tacitus recipit, imò multa obſequia circa ſeruos ſuos experitur, & tamen tacet quietus. Vbi autem panem circa ſe poſitum videt, non patitur quieſcere, ſed totus effunditur in enarranda ea, quæ Dei gloriæ cedant. Nequit enim, vel vmbra diuiniſsimi panis homines ſuſtinere, qui non aptentur diuinis operibus. Ait Rup. lib. 6. in Gen. cap. 41. *Cum gratus eſſet hoſpitibus, ſiluit adhuc, donec in conſpectu ſuo panis poneretur, & tunc demũ inter maxima fœdera hoſpitij, ideſt, in præſentia panis appoſiti ſermonem ingreſſus eſt, à veris incipiens laudibus Dei.* Non admittit cœleſtis cibus otioſos, ſtertẽteſque conuiuas, ſed vt primum apponitur, facit, vt hoſpites quietem rumpant, & in diuina, vel prædicanda, vel efficienda ſeſe accingant. Dum debite accedas ad mẽſam hanc, iam non deſidioſus jacebis, ſed & intelligeris aptatus perficiendis diuinis. Ioan. 4. dicebat Ieſus Samaritanæ: *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aqua ſalientis in vitã æternam.* Non equidem fiet lacus, aut ſtagnum aliquod quietum; ſed fons ſemper exundans nouoſque latices emittens ſalientes in æternam vitam. Tantus enim calix neſcit non impellere ſuos in noua facinora. Vt dicat Ruricius, lib. 2. epiſt. 33. *Hanc aquam ſi quis fidelis non guſtu tantum ſummo tenus ore libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetens conuiua ſorbuerit, protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet; & hoc incipiet ructare, quod biberit: ſicut beatiſsimus Euangeliſta, qui ſuper pectus Domini recumbere meruit, myſteria regni cœleſtis audiuit, & in illam vocem, quam antea nullus audierat clamauit: In principio erat Verbum, &c.* In voce, & in opere oſtendes ad quem cibum, potumve acceſſeris; menſa enim cœleſtis, calixque diuinus digne guſtatus, non patitur quieſcere ſuos conuiuas, ſed eos in diuina impellit facinora.

Rupert.

Ruric. 2.

§. XXXXII.

Frugalis parſimonia cibi pene inexpugnabilis cuſtos virtutum.

TRiumphaturos de hoſte lapides peræ paſtorali Dauid committit, in qua cibos portauit, cum ad paſcuam iuit, vt paulo ante vidimus. Dicit enim: *Et miſit illos in peram paſtoralem.* Et quid frugalius quam paſtoris pera? Fallar, ſi alicubi ſint parciores cibi; vt appareat, quam ſapienter Dauid triumphaturos lapides petæ cõmiſerit, in qua parciſsimi aſſeruantur cibi. De ciborum enim parcitate venit pene inſuperabilis cuſtos virtutum, Geneſ. 2. dicit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illũ. Præcepitque ei dicens: De ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas.* Itaque poſitus eſt homo in paradiſo, vt operaretur, *& cuſtodiret illum*, & quid facturus erat pro tanti cuſtodia loci? Inſinuabat ipſe Dominus præcipiens: *De ligno autem ſcientiæ ne comedas*: quaſi nullo tutius poſſit tantam poſſeſsionẽ cuſtodire, quàm parcitate cibi. Vbi enim cibi parcitas, ibi & cuſtodia inexpugnabilis pene virtutum inuenitur. Ait Ruricius, lib. 2. epiſt. 14. *Adam paradiſi cuſtos delegatur, & colonus, ſcilicet, vt haberet operandi materiam libertas arbitrij, & quod orationum obtinuiſſet induſtria, parcitatis abſtinentia cuſtodiret.* Sapienter quidem parca ciborum abſtinentia ponebatur pro incõcuſſa cuſtodia paradiſi. Dum enim parci cibi frugalitas viget, vix patet aditus hoſtilibus incurſibus. Matth. 4. fameſcenti Ieſu in deſerto ſuggerit hoſtis, vt panes faciat de lapidibus, & nihil panum propoſitione aduerſus Ieſum proficiens ſubito tranſit ad aliud. Statuit enim Ieſum in templi pinnaculo, & cæpit ſuadere præcipitium aiens: *Mitte te deorſum.* Quæ verba miratus D. Max. manifeſte inde probat diaboli turbationem, & ſtultitiam, quod credat ſe poſſe perſuadere præcipitium, ei cui non potuit perſuadere cibum. Ait enim, hom. 1. in Dom. 1. Quadrag. *Quam turbatus hoc loquitur, qui putat ei ſe præcipitium perſuadere poſſe, à quo nihil potuit de panibus impetrare.* Sanè qui circa cibos adeo frugalis extitit, ſtultiſsime in præcipitium impellitur à diabolo, in concuſſæ enim eſt fortitudinis, qui tanta munitur cibi parcitate.

Geneſ. 2.

Ruric. 2.

D. Max.

§. XXXXIII.

Suauitas diuina patet etiam in malis temporalibus illatis.

IN pera paſtorali ponuntur lapides, qui parantur ad interfectionem Goliath, iuxta illud: *Et miſit illos in peram paſtoralem*: quæ iuxta Rupertum pro lacte ſuſcipien-

cipiendo parabatur. Quippè ait, lib. 2. in
1. Reg. 5. libros, Reg. cap. 5. *Pera namque vas pastoritium est, in quo lac mulgeri solet.* Sed quid lac cum lapidibus electis ad perdendum Goliath? Credo mihi, lacteus, & suauis est Deus etiam cum impijs immittenda tela parat. Quo spectans dicebat D. Paulinus in S. Felicis Natali, 8.

D. Paul. *Credite non armis, neque viribus esse timendos*
Allophilum populos, quos propter crimina nostra
Offensi monet ira Dei, vt formidine mortis
Excitet ad curam vita torpentia corda.
Ergo Deum mitem sæuo timeamus in hoste.

Expende hoc dictum: *Deum mitem sæuo timeamus in hoste*; cum enim sæuus hostis adest, qui nostra petat, qui nos irreconciliter perimat; non hostem sæuum tunc timeamus, sed mitem Deum sese ostendentē in illa sæuitia hostis. Sed qualiter Deus mitis dicatur posse esse in sæuo hoste, ab eius ira excitato in nefariorum perditionem? Quid mititas, & suauitas cum Deo adeo irato, quod sæuos excitet hostes, qui perdant peccatores? Plane de magna Dei mititate, & suauitate venit malū quoduis temporale, quod infertur peccatoribus. Id
Psal. 118 clamabat, Psalm. 118. *Deus noster tu exaudisti eos, Deus tu propitius fuisti eis, & vindicans in omnes affectiones eorum.* Ecce, vt propitius dicitur fuisse Deus etiam dum vindicabat peccata. Circa, quod ait D. Aug.
D. Aug. ibi: *Non solum donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Illi Deus irascitur, quē peccantem non flagellat. Nam cui vere propitius est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum saeculum, sed etiā castigat, ne semper peccare delectet.* Nunquam mala temporalia non exire solent â Deo & propitio, & mitissimo in peccatores. De lacteo benignitatis diuinæ fonte, vt exundant bona sic tela in impios contorqueri solent.

1. *Reg.* 17. Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat autem adolescens rufus, & pulcer aspectu. Et dixit Philisthæus ad Dauid, Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me in baculo? Et maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis, dixitque ad Dauid: Veni ad me & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ.

§. XXXXIV.

Inuincibilis est fortitudo illius, qui totus intentus est inuisibilibus.

IN ipso Dauidis cum Goliath congressu moratur textus in explicanda Dauidis pulchritudine, præcipue, quæ circa eius erat oculos. Ait enim: *Erat autem adolescens rufus, & pulcer aspectu.* Theodor. legit: *Rufus cum pulchritudine oculorum.* Sed quid ad tam cruentum congressum oculorum pulchritudo? An fascino pugnandum erat? An Dauidis oculi instar Basiliſci iaculaturi erant venenum, quo caderet Golias? Cur ergo memorantur tunc temporis oculi Dauidis? Erat equidem in Dauidis oculis aliquid, quod hominē faceret inuicibilem, sed in oculis animi, qui in certamine visibili toti erant intenti inuisibilibus. Et cur inde non triumphent? Accipite Theodoretum, quæst. 40. tantem: *Cum Dauid esset nudus, vicit armatum, & qui pascebat oues, eum qui exercitatus erat in bellis, & trophæis: & qui erat paruus, & iuuenis eum, qui de tanta se iactabat pulchritudine. Vidit enim eum, inquit, Goliath, & eum nihili fecit, quoniam esset puer, & ipse rufus cū pulchritudine oculorum. Imitabantur enim animi oculos oculi corporis. Illi enim acutiū cernebant, & contemplabantur eum, qui non cadit sub aspectum.* Sic virtutem triumphatricem in Dauide comendans, vnam proponit virtutem, & pulchritudinem oculorum. Sed quæ erat hęc vis oculorum in Dauide adeo potens? Ait: *Contemplabantur eum, qui non cadit sub aspectū.* Sint tibi oculi intenti inuisibilibus, & fallar, si ab hoste superari possis. Desint alia arma, gladius, clypeus, hasta: desint corporis vires, habeas oculos, qui in ijs, quæ cernuntur exterius, magis ad inuisibilia ferantur, & superabis validissima quæque. Ad hæc aiebat D. Paulinus in S. Felicis Natali, 8.

D. Paul. *Ergo fides innixa Deo trepidantia firmet*
Pectora, & in mastos securum tempore tempus
Præsumat; confisa Deo, quia non metuendi
Causa timere Deum, quem quisquis non timet vnum,
Omnia iure timet; fidant legionibus illi,
Perfugioque parent reparatis mœnia muris,
Nulla salutiferi, quibus est fiducia Christi:
Nos crucis inuicta signum, & confessio munit:
Armatique Deo mentem, non quærimus arma

Corpo-

Corporis, & quãquã mẽbris videamur inermes
Arma tamẽ gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Quando nos contra incorporeos, & inuisibiles hostes magis stamus, ad illos potius attendimus, licet omnia alia arma desint, licet nudi simus, superiores illis euademus. Est equidem triumphatrix virtus, in oculis, qui inter hæc visibilia, sciant esse intenti ad inuisibilia, & incorporea: qui coram visibiles inimicos, magis aspiciant ad inuisibiles.

§. XXXXV.

Sũma feritas hominis, quæ inimici morte non placatur.

EA erat feritas Goliath, quæ non contenta ostendatur Dauidis morte; sed adhuc se in eius cadauer sæuituram decernit. Ait enim: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestijs terræ*; quibus, vt bene notat Salianus noster, nõ solum mortem minatur; sed insuper cadaueris inhonestam laceration em, qua non sepulchro inferatur, sed bestijs detur. Quo nescio, si truculentius aliquid in homine cogitari potest? Magna est feritas, quod hominem neci dedas; at quod post necatũ adhuc in eum desæuias, sepulturamque neges, id ferale quodvis ingenium excedit. Prophetam Deo inobedientem inuadens leo, 3. Reg. 13. occidit eum; at post occi-
3. *Reg.* 13. sum ait text. *Leo stabat iuxta cadauer*: honorem cadaueri deferebat instruens homines, quam supra bestiarum feritatem est, inimico occiso sepulchralem honorem nõ deferre. Matth. 26. Iudæ inuidenti profusionem vnguenti, qua mulier Iesum vnge-
Matt. 16 bat, ait Iesus: *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me: Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Qui coram tondente se obmutuit, coram Præsidem tacebat, & inter flagra, crucifixionisque tormenta, nullam querellam dedit. Nunc contra vnguenti effusi murmuratorem queritur, illumque interpellat. Et cur, qui mortem sustinuit tacitus; nunc de hoc murmuratore queritur? Hic non quiescebat in morte inferenda magistro, sed adhuc in ijs, quæ post mortẽ sunt, sęuiebat, volẽs tollere vnguentũ, quod ad sepulchralem honorẽ cõferebat. Ex quo D. Basil. Sel. orat. 31. ait:
Basil. Sel. Tantũ non hæc affatus ad Iudã Iesus: *Ne mihi ritus sepulchrales invideas, licet vita spolianeris. Nã mulier hoc sepulchrali ritu mortẽ, cuius tu author fuisti, præuertit. Honorẽ tu-*

to sepultura mea hoc esse: & si eadem apparet, tumulum sane concede. Sane hoc in Iuda intolerabile bonus Iesus ostendebat, quod eius furor vltra mortẽ magistri procederet, & nec defuncto parceret, sed illi sepulchrales ritus tollere vellet. Et quis supra omnes feritates rabiem non execretur, qua quis adhuc post mortẽ sibi infensi hominis in eum sæuit? Cain truculentissime intulerat fratri necem, sed post occisum fratrẽ requisitus à Deo de illo ait, Gen. 4. *Nũquid* *Genes.* 4.
custos fratris mei sum ego? Sic quẽ occisum iã viderat, adhuc despicit, & se custodem eius negat. Quod miratus D. Basil. Sel. orat. 4.
ait: *O vecẽ ipsa cade magis execrabilẽ! Nõ vero* *Basil. Sel.*
cade ipsa consopiunt inuidentiã: odia etiã nũs renouat, cumq; exosum Abelũ non videat, cõtra fratris animũ stomachatur. Merito putatur execrabilius morte illata; quod post mortẽ non quiescat, sed adhuc in defunctũ odia conseruet, & in cineres furorẽ exerceat. Quod in omniã truculentissimis tyrannis vix inuenietur. Quis neget summã feritatẽ regis Israelitæ, qui serrã excogitauit, qua Isaiã secuit medius? Quis ignoret immanẽ sæuitiã Antiochi, dũ tot inaudita, & horrenda excogitat tormẽta, vt Machabęos perdat? Tamen nec primus, nec secũdus in mortuos sæuierunt, qui in vivos tã crudeles fuerunt. Rẽ pondetat Prudẽtius, dum corpus S. Vincentij obiectum feris à Tyranno canit: *Ast ipsum Dei* *Prudent.*

Sedes receptum continet
Cum Machabæis fratribus,
Sacro Isaiæ proximum.
Simplex, sed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præstitit,
Mortis supremus exitus.
Quid tale sector ausus est?
Truncata nunquid corporis
Segmenta post serram feris
Obiecit, aut vinclis dedit?
Num Machabæis martyris
Linguam tyrannus eruta
Raptam ve pellem verticis
Auibus cruentis obtulit?

Expende ab illis: *Quid tale sector ausus est?* Quippe qui serrã excogitauit, qua Isaiã secaret; qui vngulas, qui sartagines ardentes inuenit, quibus Machabæos perderet; vbi eos defunctos viderunt, non amplius ausi sunt in eorũ cadauera. Vt videas, quam supra crudelissimos tyrannos sit, qui infensũ sibi hominis morte non quiescit.

1. *Reg.* 17. Dixit autem Dauid ad Philisthæum: Tu venis ad

me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine domini exercituum Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: & dabo cadauera castrorum Philisthiin hodie volatilibus cœli, & bestijs terræ, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, neque in hasta saluat Dominus: ipsius est enim bellum, & tradet vos in manus nostras.

§. XXXXVI.

Nomẽ Dei validissimum omnium tutamen.

MErito Dauid armis Goliath vnũ opponit nomen diuinum, quo ipse solo munitior ad est, quam omnibus armis ille. Ait enim: *Tu venis ad me cũ gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini, &c.* quasi vnum Dei nomen solũ pro omnibus armis sufficiat, vt inexpugnabilem reddat suum alumnum. Et quidem, quî pro se habet nomẽ diuinũ, nõ mirer, si armatas omnes potestates rideat, vt qui fortiori gaudeat munimine.

Ioan. 6. Ioan. 6. aiebat Dominus: *Operamini non cibũ, qui perit, sed qui manet in vitam æternam: quem filius hominis dabit vobis. Hũc enim pater signauit Deus.* Itaque viuificũ cibũ dicit esse à Deo signatũ, hoc est, ob signatis clausstris custoditũ, ne pateat malis incursibus. Sed quo illũ obsignauit pater? Matth. 28.

Matt. 28 de Pharisæis audio: *At illi munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.* Quia timebant, ne latronũ manus raperẽt corpus Iesu de sepulchro, lapidẽ signauerũt armatis custodibus adhibitis. Pater au tẽ cum quo signauit panem viuificũ, ne eũ porci inuaderẽt? An catafractos adhibuit? An apposuit armatos milites? An Cherubin posuit flammeã rompheã vivrans? Nil horũ posuit, sed vnũ nomen suũ super posuit, quod pro omnibus armis valuit, ne quis hostis auderet in panem viuificũ. Ait Rup. lib. 6. in Ioan. *Ita signauit, ita clausis omnibus cœlorũ portis apud se continuit, vt nõ patiatur acanibus, vel poreis inueniri. Quo autem signo hunc signauit? Magno plane, & reuerendo signo, scilicet, nomine suo. Dixit enim de hoc pane vivo; & est nomen meũ in illo. Nomẽ, quod est Dominus Deus, ac Dei filius, huius panis proprium signũ est.* Proferreis vectibus, pro catafractis, pro armatis militibus, siue Cherubinis, qui viuificũ panẽ à noxis custodirẽt; nomen suũ posuit in illo, quo solo ab omnibus manet liber periculis, nullum malũ incursum timet. Quo respiciens Isaias, cap. 51. *Populus meus, lex mea in corde eorũ: nolite timere opprobrium hominũ, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lana, sic deuorauit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit.* Quæ verba sic legit D. Ephrem Parenes. 40. de Pietate, &c. *Populus meus, cuius nomen meũ in cordibus vestris, nolite timere opprobriũ hominũ, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum in veteraſcet tempore, & sicut lana comedetur à tinea, ita destruentur obuentura mihi mala, &c.* Expende illud, vnde nec blasphemiæ, nec contemptus hominũ timendi sunt, nimirum: *Cuius nomen meum in cordibus vestris*, vbi enim tibi cordi sit nomen diuinũ, nil tibi restat metuendũ, cedentibus enim, imo euanescentibus malis omnibus salus tua inconcussa manebit.

Rupert.

Isai. 51.

D. Ephr.

§. XXXXVII.

Fides valentior armis.

DIuini nominis fidẽ opponit Dauid Goliath armis, cũ ait: *Tu venis ad me cũ gladio, & hasta, & clypeo, ego autũ venio ad te in nomine domini, &c.* Quid est: Ego venio ad te in nomine domini? Ait D. Chrysost. hom. de Dauid, & Goliath: *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo. Tu terrenis dimicas, ego cœlestibus pugno. Tu in lãcea, ego in fide.* Et sapiẽtissime armis Philisthinorũ vnam fidem opposuit; fides enim valentior omnibus armis est. Dicebat in rem præsentem D. Paulinus in S. Felicis Natali, 8.

D. Chrys.

Super omnia semper Arma fides valuit, tali puer ille pusillus
Robore grandis erat, qui spretis fortior armis
Perculit armatum, simili virtute gygantem
Arma fide semper, nũquã cognouimus armis
Indiguisse fidem.

D. Paul.

Vbi fides est, infirma sunt quæuis arma; fides sine armis potẽs est armatos prosternere; nescit enim de val. dissimis omnibus nõ

trium-

triũphare. Felices vos, quos fides implet, vel nudi poteſtis aduerſus ingentes hoſtiũ exercitus ſtare. Hinc Venant. Fortun. lib. 11. dicebat ad Chilpericum Regem.

Noxia dum cuperent hoſtes tibi bella parare
Pro te pugnauit mortis in arma fides.

Cinctus Chilpericus hoſtilibus exercitibus ad vnum fidei confugit armarium, & dum ſecum fidẽ nouit ſtare, protinus deſpexit hoſtilia arma. Vidit Ezechias immenſum pene hoſtium exercitum exultãtem contra ſe, & ciuitatem ſanctam. Quid tunc? Procelsit nox, & ait Iſaias, cap. 37.

Iſai. 37. *Surrexerunt mane, & ecce omnes cadauera mortuorum.* Et quibus armis bonus rex tot millia armatorum trucidauit? Ait D. Paulinus vbi ſupra:

D. Paul. *Nuda fides armata Deo eſt, fideique vigore*
Fortior Ezechias paucis, quam millibus ille
Senacherim, cuius Babylon, & opima Niniue
Regnum erat.

Induit Ezechias fidem, & inde fortior apparuit Babylonio Rege millibus armatis ſtipato. Nec ſolum Ezechias fide præualuit denſiſſimis hoſtibus, ſed & fœmina validiſſimum ducem peremit. Ea fuit Iael, de qua Iudicum, 4.

Indic. 4. *Tulit itaque Iael vxor Haber clauum tabernaculi, aſſumẽſque pariter, & malleum, &c.* ſicque confixit cantatiſſimum Syſaram. Et vnde fœmina hic fuit auſa? Ait ipſe S. Paulinus ſupra:

S. Paul. *Fœmineas quoque perſonas virtute virili*
Induit alma fides, mulier qua ſancta peremit
Terribilem Syſaram, tranſfixũ tempora palo.

Longum eſſet ire per ſingulos fidei triumphos; illud certũ nobis ſit, quod nulla inuenta ſunt arma, quæ non cedant fidei virtuti. Quis neget potentiam Fidei? De forti muliere dicebat Prouerb. 31.

Prou. 31. *Sindonem fecit, & vendidit, cingulum tradidit Chananæo.* Per traditionem cinguli, forte aliquid militare innuitur, quando vt eſt Gen. 49. accincti præliantur. Et mirabar, quod fortis mulier viliſſimos Chananæos ad militiam vocet. Cur hæc fortis mulier vtitur adeo vilibus militibus? Exprimitur in hac muliere Fides, quæ potens eſt quoſcũque debiles aduerſus fortes erigere. Ait Rup.

Rupert. lib. 7. de Gloria Trin. cap. 7. *Valde ergo cõtemtibilis Chanaam cuius ſeptem gentes ad introitum filiorum Iſrael terra euomere debuit, quod & fecit. E contra Fides valde potens, & & valde nobilis, quæ Chananæo tali homini, vel cuilibet ſimili huic cingulũ tradere potuit, vt præcinctus ambulet ob meritum fidei, filijs regni, qui fidem non habent, iacentibus, & diſcinctis, aut etiam in captiuitatem euntibus.* Sic ibi de Fidei potentia.

§. XXXXVIII.

Hoſtis noſter ſentit in ſe pœnam, quam nos pro Deo patimur.

CVm dixerimus ſupra, §. 45. ſæuiſſimum eſſe, quod in defuncti cadauer deſæuias, nihilominus Dauid dicit Philiſthæo; *Auferã caput tuũ à te, & dabo cadauera caſtrorum Philiſthiim hodie volatilibus cœli, & beſtijs terræ.* Et cur Dauid rem adeò ferã minatur hoſti? Cur non cõtentus eſt eius internetione? Cur etiã poſt mortẽ in cadauer ſæuit, quod ferũ valde erat? Similẽ cõminationẽ hoſtis Dauidi paulo ante fecerat; vnde nõ miror, quod ſibi denũtiatam comminationẽ Dauid hoſti referat. Tritiſſimũ enim eſt, quod hoſtis noſter patiatur, quidquid nos patimur propter Deũ. Hinc Sidon. Apollin. celebrat, vt dæmonia eijciebantur à corporibus obſeſſis per oſſa Sãcti Epiſcopi defuncti in exilio propter Deum. Ait enim lib. 7. epiſt. 16.

Quaque venis, Lemorũ ſe clamat cedere turba
Dæmonas ire iubes, exul in exilium.

Expende hoc nimirum: *Dæmonas ire iubes, exul in exilium*; quippè quia ipſe exul erat pro Deo, exulare cogebat Dæmonas à corporibus, quæ obſidebant. Nullã enim pœnã patiuntur ſerui Dei propter Deũ, cui ſimilẽ non inferant hoſtibus antiquis. Habes, 2. Mach. 7. cantatiſsimam pugnã ſeptem fratrũ cũ Antiocho tyranno, quorum cõſtantiã, vt confringeret, multis illos tormentis vexabat. Imò, & *inſsit ei, qui prior* 2. Mac. 7. *fuerat locutus, amputari linguã, & cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus, & pedes ei præſcindi.* Et quis magis torquebatur ijs ſupplicijs? Ait D. Amb. lib de Bonomor. cap. 11. *Exuebant immanes beſtiæ coriũ capitis, & pardalicis feritatibus ſæuiebãt; at ille deficiens, Quã dulce, inquit, mori pro religione: quã ſuauis omnis acerbitas mortis pro pietate: quia manet horũ remuneratio laborũ. Tua sũt, rex, grauiora tormẽta, tutuis vehemẽtius torqueris ſupplicijs, quia vides te vinci in poteſtate.* Et quidẽ ſapientiſsime tormẽta pro religione ſuſcepta nõ tãſo, quam inferentẽ vexabãt. Nil mali patitur Dei ſeruus ab hoſte, quod nõ magis in ipſum hoſtem retorqueatur. Quis neſciat paſsiones Iobi? Percuſſus à diabolo fuit, cap. 2. vlcere peſsimo â pedibus vſque ad verticẽ capitis; *Qui teſta ſaniem radebat.* Et quid inde? Ait Tertull. lib. 4. in Mar. *Quale in illo viro Deus feretrum de diaboli extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ exiuit? Ridebat Deus, diſſecabatur Malus, cum Iob immundam vlceris ſui redundantiã magna æquanimitate diſtingueret.* Expende: *diſſecabatur*

D. Amb. 2. Mac. 7. Iobi, 2. Tertull.

Malus: vbi enim Iob propter Deū in tantum malum erat redactus, quod testā saniē radēs, dissecaret suas ipsas carnes, ipse magis hostis illius dissecabatur. Matth. 2. de
Matth. 2. ludibrijs Iesu meo factis ait: *Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.* Spinæ ponūtur in Iesu capite, sed quæ magis pungant hostem humani generis. Ait
D. Atha. enim D. Athan. serm. de Pass. *Quas spinas cū ille gestasset, tunc demū recepit serpens spinas suas, sed iam innoxias nobis, & illius tantummodo sceleris indices. Nūc enim diabolus in spinis, velut in stimulis calcitrat contra nos; sicut olim irritans carnifices contra saluatorē, in spinas quasi in stimulos calcitrabat, magisque pungebatur, quā pungebat.* Sic quas Iesus pro iustitia spinas patiebatur, immittebat in diabolum. Affligitur enim diabolus in pœnis iustorū. Dicebat Dominus diabolo
Iob. 1. de Iob, cap. 1. *Ecce in manu tua est.* Et cur iustū hominem sic in manus tradit diabo-
D. Aust. li? Ait D. Aug. in Psal. 120. *Permissus quidē à Deo diabolus, vt iustus probaretur, & impius puniretur, abstulit omnia.* Vt enim cladibus iustus Iob probabatur, sic impius
Psal. 88. diabolus puniebatur. Et Psal. 88. dicitur Iesu: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbū.*
D. Aug. Vbi D. Aug. *Humiliatus es, & humiliasti, vulneratus es, & vulnerasti.* Sic quæ mala in se Iesus excipiebat, diabolo inferebat.

§. XXXXIX.

In quauis victoria agnoscēdus est Deus præcipua illius causa.

SAnctissima illa verba Dauidis sunt, quibus victoriarū prædicat Deū authorē aiens: *Et noverit vniuersa Ecclesia, quia non in gladio, neque in hasta saluat Dominus, ipsius est enim bellū, & tradet vos in manus nostras.* Quę verba miratus D. Basil. Sel. orat.
Basil. Sel. 15. ait: *Goliath verborū fastui Dauid auxiliatorem, quē promulgabat opponebat, ostentans illi de cœlo aduersariū, prædicens victoriā, ac victorē cōtestatus. Gratus seruus, qui vel ante operā operæ fructū offert Domino.* Goliath fastū confringebat bonus Dauid, contestans victorię authorē Deū; nihil sibi arrogabat, sed omnia referebat Domino. Sic Apoc. 4. viginti quatuor seniores, qui coronati adstabant throno Agni, *Mittebāt coronas suas*
Apocal. 4 *ante thronū dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriā, & honorē.* Et cur non magis corā Domino suo retinent coronas?
4. Esd. 2 In 4. Esdræ, cap. 2. dicitur: *Vidi in monte Sīō turbā magnā:: Et in medio eorū erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas.* Nec in tot coronatorū multitudine inuentus est vnus, qui coronam deponeret, nec mitteret ante pedes inuenis illius diuini. Quando ergo in tot milibus nullus deponit coronā, cur duodecim isti seniores vno animo, & eodē voto suas coronas demittunt, & ad pedes Agni deponunt? Ostendebatur in ijs præstātia eorū, quorū ea est cura, vt in omni victoria appareat Deus præcipua illius causa. Ait enim Rup. lib.
Rupert. 4. in Apoc. *Qui in regno, vel pro regno Dei laborauerunt, digne inconspecta regnantis, & sedentis coronati sunt. Verū isti cōsiderantes, quia non suis meritis, sed gratia Dei coronas assecuti sunt, & perpendentes, quia is perquem omnia, author salutis eorū per passionē consummatus est, ipsi suā dignitatē parui fecerunt, & totū, quod meruerunt cū humili reuerētia illi attribuunt. Mittunt ergo ante thronū coronas suas, id est, quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis, Deo cū gratiarū actione offerunt.* Debent hoc præstantissimi quique Deo, nimirū, quod in id incumbant, vt Deus appareat causa principalis in omnibus victorijs suis, & triumphis. Matth. 21. vbi Iesus sedens in
Matt. 21 asino rex mansuetissimus Ierosolymā intraret, notabat text. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autē cædebant ramos de arboribus, & sternebāt in via.* Et quid significabat ista demissio ramorū ante pedes Iesu? Ait Victorius ad cap. 4.
Victor. Apoc. *Alij præcisis ramis palmarū, viā sternebant, alij tunicas suas subyciebant: duos scilicet populos ostendentes, vnūscilicet patrū, & aliū prophetarū magnorum virorū, qui quasi summō habebant palmas victoriarū contra peccatū, Victori omniū Christo eas sub pedibus iactabant.* Expēde illud: *Magnorū virorū, &c.* magni enim viri est, facere, quod vnus Deus causa omniū victoriarum appareat.

1. *Reg.* 17. Cum ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret cōtra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnā ex aduerso Philisthæi. Et misit manū suā in perā, tulitq; vnū lapidē, & funda iecit, & circūducēs percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitque Dauid aduer-

aduersus Philisthæum in funda, & lapide, percussumque Philisthæum interfecit.

§. L.

Nomen diuinum lapis est, quo proterui impij perduntur.

GLoriatus paulo ante fuerat Dauid se abiectis telis, in vno solo nomine Dei exire aduersus Philisthæum. Dixerat enim: *Tu venis ad me cum gladio, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini, &c.* Sic hostis armis, & telis ex parte sua solum opponit Dei nomen. Vbi autem ad rem ventum est, misit manum in peram, sumit lapidem limpidissimum, & positum in funda in hostem iacit. Sic enim ibi: *Misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, &c.* Si pro te nō aliud telum stat, quam nomen Dei, quid recurris ad lapidem? Quid nomen Dei cum lapide? Plane Dei nomen lapis est, qui pertinaces impios amat conterere. Quo spectabat, Apocal. 2. *Et dabo illi calculum cādidum, & in calculo nomen nouum scriptum, &c.* Vbi Rup. *Hoc vtique nouum nomen, id est, ex nouo homine Christo.* Ecce tibi habes datum victoribus calculum candidū, siue limpidissimum lapiem, in quo sit nomen Christi, nomen Dei, sub quo misere conterantur nationes rebellas. Psalm. 109. dicebat: *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.* D. Augustin. legit: *Conquassabit in die iræ suæ reges.* Conquassatio alicuius rei non fit nisi à ponderoso aliquo, & solido instrumento, siue lapide, siue ferro. At Iesus meus quem lapidem habuit, quo reges quassaret? Temporibus Iosue, cap. 10. scio iaculatos lapides grandes de cœlo, qui quassarent reges Chananæos; at à Iesu meo qualis lapis iaculari potuit in impios, & rebelles principes, qui eos quassat, nisi lapis sit nomen eius? Equidem diuinissimum nomen lapis est, qui vi sua, & pondere suo quassat proteruos. Ait sapienter D. Aug. ibi: *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominū, & aduersus Christū eius. Hos reges conquassauit gloria sua, & pondere nominis sui infirmos reddidit reges, vt non possint efficere, quod volebant. Conati enim sunt multum delere nomen Christianum de terra, & non potuerunt, quia qui offenderit in lapidem illū, conquassabitur. Offenderunt ergo in lapidem, & conquassati sunt reges.* Proh diuinissimi nominis valentia! Sanè pondere nominis diuini conquassantur proterui rebelles; & qui aduersus tantum nomen insurgunt, lapidem limpidissimum inueniunt, sub quo misere conterantur. Crede mihi, nulla est contraria potestas, quæ per diuinum nomen in miserrimum casum non deueniat. Aiebat Psal. 113. *Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.* In mari, & in Iordane exprimebat psaltes contrarias potestates, quæ impedimento erant progredientibus ad terram promissam. Hæ autē contrariæ potestates dicūtur vidisse, & obstupuisse, & fugisse. Et quid viderunt, quid sic eas affecit? Ait D. Aug. ibi: *Recordetur vnusquisque vestrū, quemadmodū omnia sæcularia impedimenta cesserunt, dissidentium, & dissuadentiū voces, aut erumpere nō ausæ sunt, aut considerato Christi nomine per omnes terras exaltato, & honorato tremefactæ silenerūt. Ergo mare vidit, & fugit, &c.* Sic ad conspectū diuini nominis aduersariæ potestates tremefactæ, & concussæ fugam arripuerunt.

Psal. 113. D. Aug.

§. LI.

Pericula à longe præcauenda, ni perire velis.

NVdis lacertis ausus fuerat Dauid cū leonibus congredi, dū ait: *Veniebat Leo, & vrsus, & tollebat arietē de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebā, eruebāque de ore eorū; & illi consurgebāt aduersum me, & apprehendebā mentū eorum, & suffocabā, &c.* Qui sic cum leonibus manus conferebat, & similia iactat se facere posse cū Philisthæo; vbi ad rē ventū est, nō nititur brachijs cōprimere hostem, sed à longe stans fundam contorquet, & lapidē iacit in eū. Dicit enim text. *Tulitq; vnum lapidē, & funda iecit, &c.* Cur in Philisthæū à longe iaculat lapidē? Cur nō magis lanceam eius deludit, vt lanceā delusit Saulis; & hominē aggrēditur, & inter brachia comprimit, vt leonē, & vrsum aggressus cōpressit? In leone eruendus erat aries ex ore eius, quod vt fieret, necessum erat, vt Dauid cominus pugnaret cū eo, & prope os accederet. In Philisthæo autē nulla erat talis necessitas; sed sufficiebat, quocūq; modo interficeretur. Vbi autem nō erat necessitas; magnæ prudentiæ res erat, quod non se intromitteret periculis, sed à longe hostem eliminare niteretur. Vtinam sic saperent vniuersi, & non expectarent in hostium manibus se videre, sed à longe pericula

Apoc. 2. Rup. Psal. 109. D. Aug. D. Aug.

diuerterent : ò quam securius degerent!

Luc. 19. Luc. 19. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illã dicens: Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, &c.* Eo spectabant Iesu lachrymæ, vt Ierusalem tunc in illo die cognosceret, quæ ventura illi mala erant, præuideret hostes venturos, qui circumdaturi illam, & afflicturi erant. Nec expectaret, vt hostes iam accederent, & fulminibus plumbeis quaterent muros eius; vt illos conaretur auertere. Quantum autem malum esset, si non à longe hostes, caueret, sed eorum expectaret aduentũ? Ait Orig.

Orig. hom. 38. in Lucam: *Si semel nos exercitus hostilis cinxerit, lachrymas Dei non merebimur.* Equidem dum eminus pugnamus, vt auertantur pericula, vt hostes cedant, spiritus Iesu pro nobis clamat gemitibus enarrabilibus. At dum nihil facientes expectamus hostium aduentum, & quod hostes nos vndique cingant, intereorumque manus periclitemur; metuo, ne tunc Deus nos deserat, nullumque pro nobis Iesus

Ionas, 3. det gemitum. Ionas, cap. 3. *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis.* Post quadraginta dies ruinam venturam annuntiabat; at Niniuitæ minime expectarunt ruinæ aduentum, nec quod labare domus inciperent. Sed cũ adhuc longe à calamitate essent, eo ipso die, quo de illa audierunt, sese pœnitentiæ dederunt, qua immunes euaserunt. Ait D.

D. Epra. Ephræm in Ionam: *Ex quo die Ionas ipsis comminatus erat assidue ieiunabant, & sine intermissione orabant. Lachrymarũ vim quandam inauditam profundebant, & misericordiam per pœnitentiã comparabant.* Nõ sinunt calamitatis dies appropinquare; sed cum primum de illis audiunt; illos à longe stantes nituntur auertere. Metuentes merito, ne calamitatibus medijs, sine remedio perire cogerentur. Quis nollens à longe pericula prospiciens sibi cauere, expectet euadere periculis medijs? Genes. 19. *Do-*

Gen. 19. *minus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignẽ à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, &c.* Et mirabar, quod Sodomitæ isti à tanta tempestate correpti, tot ignibus fulminati, nullum dicantur clamorem misisse in cœlum. Cur miseri saltem in irati Dei manibus non sapitis? Cur hostilibus flammis comprehensi non clamatis ad Deum? Ait Claudius Marius, lib. 3. in Gen.

Fulmineus denso præceps cadit aere nimbus
Inuoluitque vrbes, & totis sæuit in agris
Ac mixto stridore tonat, vincitque querelas
Flammea tempestas.

Quid magis frequens in periculis? Quippè ait: *Vincitque querelas flammea tempestas*; solent equidem iam instantia mala voces intercludere faucibus, & sic opprimere homines, vt maior sit vis earum, quam hominũ sensus, qui remedium quærat. Est enim iustum etiam iudicium Dei, quod qui longe à periculis positi effugia mille patentia contemnebant, instantibus periculis omnia occlusa cernant. Quis nesciat arcam illam Noemi integro sæculo patuisse volentibus ibi pœnitentiæ remedium? Riserunt tamen omnes mundiales tam præcox refugium aquarum, cum serenum esset cœlum, & terra floreret. Quid tunc? Ait Gen.

Gen. 7. *7. Inclusit eum Dominus deforis. Factumque est diluuium, &c.* Expende ordinem; clausit Deus refugij arcam, & factum est diluuium; quasi id soleat esse commune peccatoribus dilarantibus remedium, vsque ad tempestatis iam ingruentis tempus; vt effugia iam clausa inueniant. Et qui à longe non prouiderunt sibi salutem, in ipsis periculis constituti pereant. Vt dicat D.

Basil. Sel. Basil. Sel. orat. 5. *Immanibus vndis immergebantur vniuersa; frequentissimæ gentes vna cum animi improbitate volutabantur in monumentis; quæ enim viuentes se conspurcauerant, ab ea morientes non merebantur abiungi. Ita diluuij sagena comprehensi, inter fluctum vortices rotati, ac muta calamitate puniti miserando mortis genere surripiebantur.* Equidem, quod in vita positus, & securitate contemsisti in peccatorum remediũ; quando periculum mortis accesserit, non inuenies. Sed iam sagena piscatoris comprehensus, mutus, & sine voce ad primas seruaberis æternas.

§. LII.

Humanum est primas in omnibus velle.

QVam certo ictu Dauid lapidem direxit! Ait text. *Misit manum suam in peram, tulitque vnum lapidem, & fundauecit, & circumducens percussit Philisthæũ in fronte.*

in fronte. Longe aliter, Dan. 2. euenit; erat enim ſtatua ingens ex auro, argento, ære, ferroque & testa confecta; *donec abſciſſus lapis de monte ſine manibus; & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter, &c.* Compone modo lapidem, & lapidem, nimirum Dauidis lapidem, & lapidem Danielis, vterque hoſtiles poteſtates confregit, vterque Chriſti imago erat iuxta Drogonem, lib. de Paſsionis Sacramento. Sed Dauidis lapis frontem Philiſthæi petijt; Danielis lapis ad ſtatuæ aduolauit pedes. Et cur in Daniele pedes, in Dauide caput petit? Notanter in Daniele dicitur: *Abſciſſus eſt lapis ſine manibus*, non equidem ab humanis manibus, nec opere humano, ſed diuino lapis Danielis veniebat, ne miremur, quod ſe ſubdat ſtatuæ pedibus, illamque inde perdat. Lapis autem Dauid eius rotabatur manibus, & impulſus ab humanis manibus non ad pedes, ſed ad caput ire amat. Is eſt enim impulſus humanus, qui ſublimia, & prima ſibi amet. Matth. 16. dum Petrus Ieſum curat retrahere à morte crucis, ait ille Dominus: *Abi poſt me Satana, non enim ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Et in quo oſtendebatur Petrus ſcire ſolum, quæ hominum ſunt? Cum Dominum à cruce amouebat, ſibi forſam primatum crucis reſeruabat; hominum enim propriſsimum eſt, in omnibus ad ſublimitatem primatus tendere. Ait D. Auguſt. in Pſal. 62. *Non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Quare, quæ ſunt hominum? Quia antecedere me vis. Redi poſt me, vt ſequaris me.* In hoc Petrus humanum impulſum in ſe ſentiebat, & oſtendebat, quod vel in morte crucis primatum quærebat. Nunquam enim hominis natura manum non mouet ad prima comparanda. Gen. 38. in partu Thamar, *in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens, iſte egredietur prior, Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter.* Duo maxime conſideranda in præſenti veniunt. Alterum, quod puer adhuc in viſceribus matris exiſtens manum ad primatum mittat; alterum, quod manum retrahat, & alteri primatum cedat, naſcens plantam fratris manu apprehendens. Vtrum maius, quod manum prius mittat, an quod manus retrahat; & plantam fratris apprehendat? Sanè prima immiſsio manus à natura ipſa naſcentis potuit eſſe, cuius eſt ſeſe ad primatus ſublimitatem mouere. At retractio manus, & primatus ceſsio, plantæque apprehenſio, non à natura, ſed à Deo venit. Quo ſpectans D. Chryſoſt. hom. 3. in Matth. ait: *Neque erat conſequentia naturalis, vt is, qui emiſiſſet manum, eandem poſtquam eſſet vincta, reuocaret. Nec enim cõſueti motus hoc fuit, ordinisve natura. Nam præciſſa quidem huius manu, alterum egredi, naturale fortaſſe fit: retrahi veroiſtam, & tranſitum alteri cedere, non iam ſit lege naſcentium, ſed profecto ex Dei gratia.* Potuit equidem eſſe humanus motus, naturæque humanæ impulſus, quod manus ad primatum obtinendũ porrigeretur. Verum quod manus retraheretur, primatumque cederet, & pedibus fratris hæreret, id non potuit eſſe ex homi num natura, ſed ex gratia omnipotentis Dei. Tunc enim quis non ad ſublimitates, & primas euolat, cum impulſus Dei adeſt, & humanus deficit.

Dan. 2

Matt. 16

D. Aug.

Gen. 38.

Chryſoſt.

§. LIII.

Cum deſt Chriſtus, vbi eſſe debebat, omnia eo mala facile veniunt.

NOn obſtante ærea caſside, qua Philiſthæi caput erat obuolutum; *infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam, &c.* Sic frontis armatura cerea facta eſt, vt lapis penetrans illam fronti infigeretur. Vnde hoc venit? Ait D. Auguſt. ſerm. 119. de Temp. *Videte fratres, vbi Dauid Goliath percuſſerit. In fronte vtique vbi crucis ſignaculum non habebat.* Quãdo frons carebat ſigno Chriſti, quo ſe homines debent munire aduerſus hoſtes, eo & mors, & extrema ruina contenderunt. Et quæ mala non veniant ad eum, à quo vel Ieſu ſignum abſceſsit? Dicebat Dominus Ieroſolymitanæ vrbi, Luc. 19 *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Tot hæc, tantaque mala Ieroſolymam inuaſerunt, & illam penitus perdiderunt. Sed vnde tot hæc mala miſeros confecerunt? Abſceſſerant ab Ieroſolymis, vel ſigna Ieſu; & ideò non potuerunt non in illam omnia venire mala. Ait D. Paulinus in Panegyr. Cælſi pueri.

D. Aug.

Luc. 19.

Quod ducis Romano docuit poſt exitus ingens,
Euerſis templo, ciuibus, vrbe, ſacris.
Fas etenim, vt Iudæa, ſui ſuus hoſtia Chriſtus
Non erat, & per quã victima Chriſtus erat,

D. Paul.

Sede, loocque simul veterum viduata sacrorũ,
Inficiata fidem, perderet omne sacrum.

Nil enim aliud, quam ruina, & perditio, & mors poterat expectari ab illa vrbe, in qua signa omnia Iesu cessarant, & à qua ipse Iesus auolauerat. Crede mihi, si vel vmbra Dei ibi maneret, posset abigere mala. Daniel, cap. 14. coniectus fuit in lacum Leonum famescentium, à quibus minime
Dan. 14. læsus est, imò ait textus: *Ecce Daniel sedens in medio Leonum*: sic inter Leones erat, quasi inter amicos sederet. Et vnde rabiem Leonum coercebat, ne ab illis discerperetur? Ait Theodor. serm. 8. de Prouid. *Leones*
Theod. *pietatis radys terruit, ac diuina imaginis lineamentis, seu frænis quibusdam rabidà illorum ora constrinxit.* Dei imago in Daniele relucens hominem inuulnerabilem bestijs reddebat. Nullum enim malum prævalet aduersus eum, in quo, vel vmbra Dei effulgescit. Vt dicat D. Paulinus epist. 23.
D. Paul. *Cõtra Danidem Christi imagine semper innixum, nulla magnorum licet hostium manus, virtusque prævaluit.* Non accedit hostilis manus ad eum, qui Christi imagine radiat; at si Christi signum tollatur, tunc vniuersa prævalent mala. Quæ fugiunt, vbi non
Psal. 88. abest Christus: dicebat Psal. 88. *Tu vero repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuũ.*
D. Aug. Circa quæ verba ait D. Aug. *Quamuis tristia quædam enumeret, in hoc verbo reficit nos. Manet omnino Deus, quod promisisti, nam & Christum tuum non abstulisti, sed distulisti.* Dum enim nobis non auferatur Christus; nihil triste expauescimus, nihil lætũ perdimus.

1. *Reg.* 17. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæũ, & tulit gladium, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philisthiin, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. Et consurgentes viri Israel, & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos, &c.

§. LIV.

In solis ijs, qui resurrecturi sunt in vitam mors somnus censetur.

SEcundo iam dicitur Dauid interfecisse Philisthæum, iuxta illud: *Cucurrit, & tulit gladium de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius.* Paulo ante post ictum fundæ, & casum Philisthæi dixerat: *Percussit Philisthæum in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitque Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide percussumque Philisthæum interfecit.* Et quando iam dictus fuerat Philisthæus percussus lapide cecidisse, & interfectus fuisse; cur deinde additum est, vt Dauid cucurrit, & stetit super eum, & interfecit eum? Si in lapidis percussione interfectus cecidit; cur dicitur Dauid adhuc super eũ stetisse, vt ipsum interficeret? In primo posset credi ab aliquibus non tam interfectus, quã sopitus, dicebat enim Iosephus, ibi: *Quo ictu sopitus Goliathus in faciem est prostratus.* Ne ergo tanti impij minime in vitam surrecturi casus crederetur somnus; aut sopor esse; semel & bis repetit textus, vt interfectus est, vt nimirum iacto lapide illum Dauid interfecit, & deinde stans super eum aliud lethale vulnus impegit, & caput abscindit. Nullus enim impius, qui in vitam æternam non surrecturus est, debet credi soporatus in morte, sed interfectus, æternoque in sepulchro iacere. Ait Psalm. 48. *Simul insipiens, & stultus peribũt, & alienis relinquent diuitias suas. Et sepulchra illorum domus illorum in æternum.* Itaque impijs sepultura, & mors, non pro lecto requietis datur, sed pro domo æterna, in qua vsque ad iudicium perpetuo iacebit. Et cur non lectus magis quiescentis, sed domus æternum iacentis dicitur sepultura impiorum? Non haberi potest somni requies in eo, quem non manet resurrectio in vitam æternam. Ait de illis D. Amb. ibi:
D. Amb. *Denique tanquam in sepulchro viuunt, qui possunt dicere: Manducemus, & viuamus cras enim moriemur: resurrectionem ante oculos non habentes, ideoque tumulis suis affixi, atque attumulati adhærent, quia resuscitari se posse non crediderunt.* Vtã resurrectionem in vitam abiecerunt; sic sepulchris affixi, & attumulati adhærent; quasi ibi non soporem quietis, sed æternam perditionem pati debeant. Quo crediderim respexisse illud Iobi, cap. 21. de Impio dictum: *Ipse ad se-*
Iobi, 21. *pulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Sanè vita functos, sepulchroque iam datos vocat Paulus dormientes, vt in 1. ad Thessalon. 4. *Nolumus vos ignorare de*
1. Thess. 4 *dormientibus, &c.* Paulus suos vocat in morte dormientes; Iob dicit impium in morte vigilare. Et cur iste magis in morte vigilat?

lat? Vt oſtendatur longiſsime eſſe à ſomno quietis mors illorum, quos reſurrectio in vitam æternam non manet, ſed æternũ iacebunt in ſepulchri carcere. Quo ſpectans tranſlatio Pagnini ait: *In tumulo iugiter manebit*: vt enim inde non reſurget in libertatem filiorũ Dei, ſed in Inferni carcere, ſemper ſepultus reputabitur. Ponderandum enim maxime eſt, quam ſapienter illa duo in impijs intelligantur, nimirum, *In congerie mortuorum vigilabit*, & illud alterum ibi tranſlatum: *In tumulo iugiter manebit*. Sic nãque manere in tumulo, vt nũquam ad vitam reſurgatur, longiſsime à ſomno abeſt. Tunc quippe non vigilia, ſed ſomnus in morte habetur, quando inde reſurrectio in vitam ſperatur. Ait Pſal. 40.

Pſal. 40. *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius? Et ſi ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem ſibi. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei; aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me; Nunquid qui dormit non adijciet, vt reſurgat?* His cõficiebat Dominus inimicos ſuos, qui illi mortem inferre curabant, quando reſurrecturo mors, nõ erat mors, ſed ſomnus. Vt dicat D. Au-

D. Aug. guſt. lib. 17. de ciuit. cap. 18. *Quando facturi erant, quod moliebantur, id eſt occiſuri erãt eum, oſtendens illos vanà malicia fruſtra occiſſuros reſurrecturum, ſic adiecit dicens: Quid agitis vani? Quod veſtrũ eſt ſeelus, meus ſomnus eſt. Nunquid, qui dormit, non adijciet, vt reſurgat?* Quando enim reſurrectio in vitã immortalem morti aſſurtur, illa mors non mors dicenda, ſed ſomnus. Solius reſurrecturi mors ſomnus eſt; qui vero reſurrectionis gloriam non ſunt guſtaturi, ij non ſopiti, ſed mortui, ſed interfecti cenſentur, & ſepulti. Quo alludit illud D. Luc. 16.

Luc. 16. *Factum eſt, vt mereretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno.* Sanctus mendicus in morte minime dicitur ſepultus, ſed portatus cubitum in Abrahæ ſinum. Impius autem diues, vt qui minime ſurrecturus erat in vitam gloriosam, dum moritur, non it cubitum in ſinu alicuius, ſed it in ſepulchrum, in quo æternum appareat voracibus flammis ſepultus. Et quando ſanctorum mors, non habetur ſomnus, vel profectus ad requiem? Iam defunctus Samuel euocatus apparuit

1. Re. 28. Sauli, 1. Reg. 28. cui dixit: *Quare inquietaſti me, vt ſuſcitaret?* Sic bonus oſtendebat ſe quaſi in ſomno quieſcere, à quo ante tempus fuerat Saulis vocibus excitatus, & ideò inquietatus. Non enim inquietatur, qui opportune ſomnum excutit, ſed qui ante tempus excitatur. Quæ verba ponderans D. Zeno, ſerm. de Reſur. corporum,

D. Zeno. lib. 3. ait: *Samuel mortis iam lege diſpunctus Sauli regi deſideranti non tantum ſuam præſentiam exhibet, ſed etiam ad conſulta reſpondit:: Vadelicet clamare: Profectus potius eſt iſte, quam mortuus.* Plane qui adeo excitatur, vt cum viuis quaſi viuus agat; minime credendus in morte interijſſe, ſed in quietem profectus fuiſſe.

§. LV.

Impiorum terra bella ſanguinolenta germinat pro frugibus.

OCciſo Goliath fugerunt Philiſtiin in fines ſuos, & perſecuti ſunt eos Iſraelitæ. Ait enim: *Perſecuti ſunt Philiſthæos, vſque dum venirent in vallem, & vſque ad portas Accaron, ceciderunt que vulnerati de Philiſthiim in via Saraim, vſque ad Geth, & vſque ad Accaron.* Hoc fecit Philiſthinorum fuga, vt nimirum iij ſuarum notiſsimarum vrbium portis caderent ſub gladijs Iſraelitarum prouidente ſic Deo, vt in ipſis finibus ſuis interficerentur impiorum phalanges. Quid aliud impiorum terra exhiberet, quam morte, quam bella cruentiſsima, quam hoſtium gladios? Notabat id in Roma Paulus Oroſius, lib. 7.

Paul. Or. cap. 8. aiens: *Galba mox, vt Neronis mortem comperit, Romam venit. Cumque omnes auaritia, ſæuitia, ſegnitiaque offenderet, Piſonem ſibi nobilem, induſtriumque adoleſcentem in filium, atque in regnum adoptauit: cuius quo ſeptimo mẽſe Imperij ſui ab Othone iugulatus eſt. Luit Roma cedibus principum, excitatiſque ciuilibus bellis recentes Chriſtianæ Religionis iniurias; & ſigna legionum illa, quæ ſub aduẽtu in vrbem Petri Apoſtoli diuinitus coercita conuelli nullo modo ad excitandum ciuile bellum valuerat, quod per Scribonianum parabatur, Petro in vrbem interfecto, & Chriſtianis pœnarum diuerſitate laniatis, toto ſe orbe ſoluerunt. De Hiſpania ſiquidem illico Galba ſurrexerat, quo mox oppreſſo, Otho, Roma, Vitellius in Germania, Veſpeſianus in Syria Imperium ſimul atque arma rapuerunt.* Hæc gignit ſemper terra, quæ impietati ſeruit. Sed notanda illa hiſtoria notata ab illis verbis: *Signa legionũ illa, & c.* quippe Scribonianus dux male affectus in patriã ſibi vali-

validissimas legiones adiunxerat, quibus repentina inuasione Romam perderet. Res iam erat in promptu, milites accincti omnes, solum restabat, quod signa eleuarentur, vt in apertum certamen irruerent. Tũc temporis simul Petrus in vrbem ingressus, diuinum verbum prædicare cæpit, & rebelles duces ad eleuanda vexilla cucurrerunt. Sed Dei potentia operante, nullavi signa â loco dimoueri potuerunt, quo miraculo sopita fuit coniuratio, & consopitum bellum. Quid tunc? Cæpere Romani laniare Christianos, impietatem crudelissimam exercere; cruci affixerunt Petrum: & ex tunc terra eorum, quæ vexilla retinuerat, ne iretur in prælium, statim illa expiscauit, & vbicumque Romani erant, cæpit atrocia germinare bella. Sic mirabatur
Deut. 28. Deus, Deuther. 28. *Ponam cælum æreum, & terram ferream.* Quid est ponam terram ferream? Plane terra impiorum sic fiet, vt pro fructibus ferrum gignat gladios, spicula, arcum, & bellum. Sic ait D. Amb. epist.
D. Amb. 52. *Iam sic & offensa inhabitantium huiusmodi sit, vt diuina commotione ijs inferantur prælia, vere terra est ferrea, telorũ segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus, fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam.* Expẽde illa: *Telorum segetibus inhorrens*; in terrã enim impiorum sic solet Deus pluere gladios, & bella, vt telorum, & spiculorum appareant segetes in eorum areis, non frumenti. Scio ad hæc ridere hæreticos, & obijcere nobis Angliam tot annis pacifica regnãtem, nec vllum hostile cognoscentem intra se telũ. Sed ad quid in Anglia alienatela, si propria faciunt, quod si hostes fecissent, miserrima esset? Nonne quotidie Angli iugulantur, euiscerantur, suspẽduntur, exulare coguntur, depauperantur? Plena sunt vincula, & carceres, & furcæ sanctissimis, & nobilissimis viris; vt liceat dicere Angliæ, quod Paulus Orosius dixit Romæ, quando integram Romanorum legionem proditionis suspectam ingulare præcepit.
Paul. Or. Ait enim lib. 4. cap. 3. *Genutius Romanos milites integræ legionis Romam misit; qui populi iussu medio in foro virgis cæsi, securique percussi sunt. Visa sibi est tunc Roma vincere, cum legionem suam integram occidit; quæ sine dubio victa fuisset, si eam hostili prælio perdidisset.* Quid pulchrius? Putat equidem Anglia, quod triumphat, in morte, & exilio, & depauperatione, religiosorum filiorum, quos si bello perdidisset, & victa, & lugẽda, & miserabilis fuisset: & ad terram ferream maledictionis diuinæ pertinuisset. Cur & modo non pertineat?

1. *Reg.* 17. Assumens autem Dauid caput Philisthæi attulit illum in Ierusalem, arma vero eius posuit in tabernaculo suo. Eo autẽ tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum ait ad Abner principem miliciæ; De qua stirpe descendit hic adolescens? Dixitque Abner, Viuit anima tua rex, si noui. Et ait rex, interroga tu, cuius filius sit iste puer.

§. LVI.

Vane sibi Dei veri Spiritum attribuit, qui gloriatur cæde hominum.

MVltæ, & nobilissimæ ciuitates erãt Hebræorũ tempore Saulis, in quibus veri Dei florebat religio; Ierosolymis vero adhuc Iebussæi habitabant, adhuc ibi Idolorum sacra peragebantur. Et tamẽ Dauid dicitur intulisse caput Philisthæi Ierusalem, cum ait: *Assumens autem Dauid caput Philisthæi attulit illum in Ierusalem.* Cur non magis in Bethlehen ciuitatem suam voluit illud affigere hostis spolium? Cur non magis in aliam quamlibet Hebræorum ciuitatem, sed in idololatrarum solum illud transtulit? Vt ciuitates Israeliticæ veri Dei cultui addictæ erant, sic minime cæde hominis repræsentata in capite abscisso Goliathi gloriabantur; sed prorsus id abominabantur. Ideo merito ad Idololatrarum solũ transfertur tantæ mortis simulacrum; inde enim falsorum Deorũ cultus maxime claret, quod in humanis cædibus sibi complaceat. Antiquis Iudæis duo propositi fuerant viri, vt viderẽt, vter eorum esset in vitam reseruandus. Alter erat Iesus benignissimus illorum benefactor, alter erat Barabbas homo seditiosus, & homicida. Quid illi? Sic apud Ioan. cap. 18. clamant: *Non hunc, sed Barabbam. Erat autẽ Barabbas latro.* Imò, vt ait Lucas, cap. 23. *Qui erat propter seditionem quamdam, & homicidiũ missus in carcerem.* Mirabar ego, quod homines veri Dei cultores sic afficerentur ad homicidia, vt amplexarentur
Ioan. 18. *Luc. 23.*

Barab-

Barabbam. Vnde fieri potuit, vt in veri Dei cultoribus prævalere posset affectus ad homicidia? Sane misera fallebantur, si à veri Dei cultu stare illum affectum crederent; non enim à veri Dei cultu, sed ab idololatria intimis visceribus insita nascebatur. Quo respiciens Sedulius, lib. 4. Paschali ait:

Sedul. *Similis nam more furentes*
Tunc coluere Baal, nunc eligere Barabbam.

Vt quondam furentes Iudæi in cultū Baal cucurrerant, sic modo homicidam amplexantur. Est enim falsorum Deorum proprium homicidijs delectari, & malis humanis. Vt in nullo pene magis clareat verus Deus, quam in benignitate, & humanitate. Dicebat namque Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Sed scire cupis, vnde adeo apparebat in homine Christo gloria vnigeniti à Patre? Quando eum caro passibilis, & mortalis vndique cingebat, & hominem demōstrabat, vnde diuinæ natiuitatis gloria monstrabatur? Ait Theodor. Dialog. 4. de Impatibili Dei natura ex Irinæo: *Quomadmodum fuit homo, vt tentaretur, ita etiam Verbū, vt glorificaretur; & quiescebat quidem Verbum dum tentaretur, & crucifigeretur, & mortem obiret; homini autem aderat, dū vinceret, sustineret, se benignum, humanūque præstaret, resurgeret, in cœlos ascenderet.* Itaque homo & Verbum in Christo erant, homo, vt tentaretur, Verbum, vt glorificaretur; quando tentatio instabat, & flagellum, & crux, & mors, tunc homo monstrabatur, & Verbum quiescebat, hoc est, latebat. Quādo autem Verbum monstrabatur in glorificatione sua? Dum Iesus vinceret, dum *se benignum humanumque præstaret, &c.* In benignitate enim, & humanitate, non in cæde, & sanguine verus Deus magis mōstratur. Hinc stupefactis Apostolis in gloria Iesu ascendentis in cœlos dicunt Angeli, Act. 1. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* quasi vellent ab Ascendentis gloria oculos eorum reuocare. Sed cur reuocentur à conspectu tantæ gloriæ? Quid magis glorioſum Deo tūc faciant? Ait D. Epiphan. orat. in Ascens. D. *Quid cœlum oculis defixis intuemini? Eum potius, qui cœlum condidit vestræ mentis luminibus vsurpate: atque stupendam illius clementiam, animique demissionem summi miraculi loco ducite.* Expende illud: *Stupendam illius clementiam, &c.* quasi inter glorias Iesu, & eius diuinitatis miracula, præcipua debeat eius clementia spectari. Sic de veri Dei Spiritu venit, non in cæde, sed in benignitatis, & clementiæ gloriari simulacro.

Ioan. 1.

Act. 1.

D. Ppiph.

§. LVII.

Nihil tam deterret peccatores, quam supplicium peccatorum visum.

NOn equidem in Hebræorum, sed in Iebusæorum ciuitatem caput Philisthæi intulit, quippe ait, *Attulit illud in Ierusalem.* In sua enim feritate, & arce cōfisos voluit deterrere bonus, vt sibi prospicerent, & ideo illis absciſſum Philisthæi caput obiecit, maxime enim deterrentur peccatores in conspecto peccatorum supplicio. Sic aiebat in præsenti Lyra: *Attulit caput in Ierusalem. Non tunc, sed postea ad deterrendum Iebusæos, ibi habitantes in fortalitij fortitudine confidentes.* Et quis amplius in feritate, & fortalitio confideret, & non magis deterreretur, & prouideret sibi, videns validissimi ducis, sed blasphemi caput absciſſum? Maxime equidem facit vnius impij supplicium, vt ceteri deterreantur à feritate sua. Rebellis Deo Ionas permittitur nauim intrare, & se vndis committere; inde à tempestate petitur, præcipitatur in fluctus, voratur à ceto magno. Tandem euomitus iubetur ire in Niniuē, & extremam ruinam denunciare vibi. Sic cap. 3. post ingressum ciuitatis *clamauit, & dixit, Adhuc quadraginta dies sunt, & Nineue subuertetur.* Et cur ad tantæ denuntiationem ruinæ eligitur vir, qui Deo rebellis extitit, & pro eo à tempestate fuit absortus, & præcipitatus in fluctus, & voratus à pisce? Plane quo in se clariora ostendebat signa dati supplicij ob inobediētiam Deo exhibitam, eo aptior inueniebatur, vt deterreret rebelles etiam Deo Niniuitas. Ait enim D Irinæus lib. 3. cap. 22. *Patienter sustinuit Deus absorberi Ionam à ceto, non, vt absorberetur, & in totum periret, sed vt euomitus magis subigeretur Deo; & firmam pœnitentiam faceret inimicis, vt cōuertercntur ad dominum, qui eos liberarat à morte, conterritos ab eo signo, quod factū erat circa Ionam.* Expende illa: *Conterritos ab eo signo, quod factum erat circa Ionam*; vbi enim Ionas rebellis Deo tempestate iactatus, naufragus, & voratus à pisce ostendebatur Niniuitis, denuntians eis Dei minas, maxime illi deterrebantur in tanto prophetæ supplicio, & nitebantur suę saluti prospicere.

Lyr.

Ioan. 3.

D. Irin.

Vbi

Vbi Maximus tyrānus victus fuit à Theodosio, & trucidatus; ait Pacatus de illo in
Theod. Paneg. Theodosij: *Pertinet ad securitatem saculorum, quod est factum videri, vt si quis vnquam nefaria vota conceperit, monumentis nostrorum temporū recensitis per oculos hauriat innocentiam. Quisquis purpura vestiri humeros cogitabit, Maximus ei exutus occurrat. Quisquis aurum, gemmasque priuatis pedibus optabit, Maximus ei planis nudus appareat. Quisquis imponere capiti diadema meditabitur, auulsum humeris Maximi caput, & sine nomine corpus aspiciat.* Sic in tyranni ruina, & supplicio innocentiam mundi confirmabat.

§. LVIII.

Beneficia Dei prima multis sequentibus confirmatur vsque in perfectum.

NOn absque mysterio Dauid caput Philisthæi reposuit Ierosolymis, dū ait: *Attulit illud in Ierusalem.* Vt enim hoc facinus fuit quasi primum Dauidici regni crepitacillum: sic asseruatur in ea Vrbe, quę perfectam eius gloriam multis additis ex Deo facinotibus erat repræsentatura. Nunquam enim prima Dei beneficia nō solēt multis alijs additis in perfectionem vltimam deduci; nisi obstet nostra malicia. Ex quo non mirandum est, quod Ierusalem totam dauidici regni gloriam in se videat, quæ in Goliathi capite prima eius cunabula vidit. Sic Matth. 28. notans diem resurrectionis dominicæ, qua humani generis gloria ostendebatur vltima ait: *Vespere autem Sabbathi, qua lucescit in prima Sabbathi, &c.* Dū prima dies Sabbathi, hæc est, dies dominica lucescere cæpit, à tumulo glorioſus exurrexit Dominus meus Christus Iesus. Et cur ad tantam gloriam eligitur dies dominica? Ait eleganter Sedul. lib. 4 Paschali.

Matt. 28

Sedul. *Cæperat interea post tristia Sabbatha fœlix*
Irradiare dies, culmen cui nominis alti
A domino dominante trahit, primusq; videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum,
Septima nam Genesis eū dicit Sabbatha, claret
Hunc orbis caput esse diem, quem gloria regis
Nunc etiam donans propry fulgore trophai,
Primatum retinere dedit.

Expende illa: *Primusque videre, promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum, &c.* Ex quo dies dominicus electus fuit, vt prima mūdi cunabula videret, iam inde crescentibus diuinis beneficijs aptabatur, vt glorioſam, & perfectissimam mundi regenerationē in resurrectione dominica exciperet, & super omnes se extolleret dies. Ea est enim diuina manus, quæ dum incipit, quasi nescia sistere, sed sua beneficia, vsque in summum perfectionis culmen soleat deducere. Vbi Ioannes de sterili natus patri vocem restituit, ait Luc. 2 *Posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo dicentes, Quis putas, puer iste erit? Et enim manus domini erat cum illo.* Non ad pueri præsentia, & si magna obstupescūt dicentes, qualis puer iste est, sed magis obstupescent ad futura eius, dum dicunt: *Quis puer iste erit?* Et cur maiora futura in illo obstupescebant, quam præsentia videbant? Ait text. *Etenim manus domini erat cum illo*: & dum manus domini illi adesse apparebat, iam credebatur non ibi hæsura, sed puerū ductura ad perfectionem vltimam. Quam diuinæ manus naturam comendat D. Irinæus lib. 5. fatus: Et manu itaque reliqua ostensa Dei, perquam plasmatus est Adam, plasmati autem sumus, & nos ostendit manifeste, quod iam non opertet quærere alium patrem, &c. *Neque alteram manū Dei, præter hanc quæ ab initio, vsque in finem conformat nos, & coaptat vitam, & adest plasmati suo, & perficit illud secundum imaginem, & similitudinem suam Dei.* Ecce tibi, vt manus diuina ex quo incipit, non desinit vsque in finem, sed iugiter adstat plasmati suo, continua stillans beneficia donec in culmen perfectionis deducat. Huc trahe dicta supra cap. 2. §. 31.

Luc. 2

D. Irin.

§. LIX.

Sanctorum facinora non tam lapidibus, quam cordibus humanis infigi amant.

PEracta victoria de Philisthæo Dauid eius arma tulit, & reposuit in tabernaculo suo, dicit namque: *Arma vero eius posuit in tabernaculo suo.* Nempe in tentorio, quo se recipiebat cum fratribus, vt vult noster Salianus. Simon Machabæus, 1. Mach. 13. ad fratris Iudæ tumulum, *Circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam æternam.* Quod fieri

1. Ma. 13

solet

ſolet magnis ducibus, quibus eriguntur columnæ armis inimicorum conſpicuæ. Quod ſimiliter deſiderabat in Dauide D. Chryſoſt. hom. 1. de Dauide, & Saule inquiens: *Chryſoſt.* *An non par erat hunc poſt tale facinus ornare titulo domini columnis inſcripto, & publicum ciuitatis ſeruatorem appellare?* Plane par erat, vt arma ab hoſte ſumpta columnis marmoreis Dauidi ponerentur ad memoriam æternam. Cur magis in domus obſcuro aſſeruantur, quam conſpicua ponuntur columnis? Tam ſancti equidem ac religioſi viri nomẽ nõ lapidibus inſcribendum erat, ſed cordibus hominũ viuidis magis debuit ſculpi. Poſt Stiliconis victorias ait Prudentius lib. 2. aduerſus Simachum.

Stelic. *Hi ergo pro meritis, quæ præmia digna repẽdã*
Non habeo, membra ſtatuis effingere vile eſt,
Virtutem nil vile decet, nam vile, quod ætas
Eripit: æra cadunt, aut fuluum defluit aurum
Aut candor perit argenti, ſi defuit vſus,
Et fuſcata ſitu corrumpit vena colorem
Viua tibi princeps debetur gloria, viuum
Virtutis pretium, &c.

Non ſic lapideæ ſtatuæ, columnæ marmoreæ, ſiue æreæ, decent præſtantes virtute viros, vt viuida corda, quibus infigantur eorum facinora. Detrectet magnus ſua nomina pulchris inſcribi columnis; cadunt enim æra, & marmora teruntur, & aurum defluit, viuidis cordibus infigi magis æſtimet. Sic Deus legem ſuam lapidibus ſculpere iam detrectat, vt illam cordibus ſcribat. Et Paul. 2. ad Corinth. 3. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus, manifeſtati quoniam epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Erant equidem Corinthiorũ fideles à Paulo regenerati in Chriſto per Euangelicam doctrinam; quod facinus maxime extollebat Paulum; refugit tamen Paulus, vt illud tabulis ſcribatur lapideis cum atramento, ſed magis amat cordibus viuidæ carnis ſcribi. Circa quæ ait D. Anſel. *D. Anſel.* *Non atramento ſcriptum eſt, id eſt, non ita, vt poſſit deleri, ſicut ea, quæ atramento ſcribuntur, ſed ſpiritu Dei viui, vt æternaliter, & viuaciter, in cordibus noſtris, aut veſtris permaneat, ſicut ille, qui ſcribit æternus eſt. Non in tabulis lapideis, vt antiqua lex, ſed in tabulis cordis carnalibus. Ibi lex extrinſecus poſita eſt, qua iniuſti terrentur, hic intrinſecus data eſt qua iuſtificarentur.* Sic & æternitas, & ſanctitas fugit lapides, & ſolis amat viuidis in cordibus exarari. Vt merito dicat D. Paul. 2 ad Corinth. 6. *Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui; ſicut dicit Dominus, quoniam habitabo in eis.* Non equidem templum Dei ſimile eſſe debet Idolis quæ lapidea, & linea ſunt. Ideo præcipuũ Dei templum, non in lapide, ſed in viuido debet eſſe hominis corde. Ex quo D. Zeno ſerm. de ſpiritual. ædif. domus Dei; ait: *Dicit Apoſtolus; Vos eſtis templum Dei, & verum eſt: nam ſicut Idolis inſenſatis ſimilia templa conueniunt, ita viuenti Deo viua templa ſunt neceſſaria.* Lapideis Idolis, lapides erigantur in titulos, at viuenti Deo magis conuenit viuida corda aptari. D. Paul. D. Zeno.

§. LX.

Cithara ludus alieniſſimus à bellicis laboribus.

NEc Saul, nec Abner agnoſcunt Dauidem in tantum prodeũntem certamẽ. Sic enim dicit: Ait Saul ad Abner principem militiæ; *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? Dixitque Abner, viuit anima tua rex, ſi noui.* Quod magis mirandum accidet; ſi aduertimus paucis ab hinc menſibus Dauidem fuiſſe in Saulis aula, & Sauli valde familiarem. Sic enim ait in præſenti, cap. 16. *Venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo; at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger. Miſitque Saul, ad Iſai dicens, ſtet Dauid in conſpectu meo.* Quando ergo Dauid ſic paulo ante fuerat in aula notus, & Sauli familiaris, qualiter nunc ſic à Rege, & palatinis potuit ignorari? Plena eſt obliuionẽ aula; ſed & Dauid cum in aula erat aulicorum omnium effulgebat habitu, totuſque erat in cithara pulſanda, vt cantu, & fidibus regem oblectaret. Nũc autem paſtorali ſub habitu apparens, formidoloſumque Iſraelitis omnibus ſuſcipiens certamen, omnem ſuæ primæ conuerſationis memoriam auferebat. In cuius enim mentem venire poterat, quod tam ſtrenuus adoleſcens, qui aduerſus Gygantem armatũ audebat pugnare; erat ille citharædus, qui cantu, & fidibus aulã oblectabat; Sanè tãtus belli ardor priſtinæ citharæ, vel ſuſpitioni prorſus occludebat aditũ. Remotiſsimæ erant, & alieniſsimæ voces ſpirantes pugnã, contẽnentes armatũ hoſtem à vocibus modulaminũ. Nec vlluſ eſſet, qui crederet has, & illas ab eodem ore manaſſe. Quo reſpiciẽs Hugo Vict. in Annotat. Elucidat. in primũ Reg. ait: *Non* *Hug.*

mirum est, si eumdem modo ad tam egregium opus procedentem diligentius notatum Saul ignorat. Non equidem mirum si in tanto duelli facinore citharædus ignoratur. Insolita enim est, & pene vnquam visa hæc mixtio citharædi, & maximi bellatoris, & triumphatoris. Cant. 6. dicit: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorũ?* Vbi Aquila vertit: *Quid quasi spectaculum intuebimini in Sulamite, nisi choros castrorum?* Expende illud *quasi spectaculum intuebimini*; nimirum quasi res insolita, & nouæ admirationis est, quod ex cantantium, saltantiumque palatinorum choris victricia castra struãtur. De Impijs dicebat, Iob. cap. 21. *Egredientur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.* Expende illa prima: *Egredientur quasi greges*: explicatissime in rem præsentem legunt Septuag. *Permanent sicut oues æternæ, &c.* qui lusibus exultant & tympanum tenent, & citharam, inter cantusque, & saltus nutriuntur, sicut oues occisionis permanent. Tantum abest, vt ad victricia certamina aptentur, quod magis videantur parari, vt oues ad victimam, seu macellum.

Cant. 6.

Iob. 21.

1. *Reg.* 17. Cumque regressus esset Dauid percusso Philisthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule caput Philisthæi habentem in manu. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, ò adolescens? Dixitque Dauid: Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

§. LXI.

Gratissimus benefactoris cõspectus.

ABner princeps miliciæ introduxit Dauidem ad Saulem, dicit namque textus: *Tulit eum Abner, & introduxit coram Saule.* Putabat enim princeps nullam rem futuram gratiorem Regi, quam conspectum viri, à quo tantum commodum exceperat. Eæ enim sunt mentes humanæ, quæ pluris æstiment benefactoris conspectum, quã ipsa beneficia. Quo spectabat illud notissimum Moysi ad Deum suspirium, Exod. 33. *Ostende mihi faciem tuam.* De quo locutus D. Chrysol. serm. 6. in Annunt. ait: *Hinc est, quod omnes sancti, omnia, quæ meruerant, parua duxerunt, si dominum non viderent. Et re vera, fratres, quomodo pro beneficijs reddet obsequium, si beneficiorum non videat largitorem?* Venit cum beneficijs hic humanis mentibus affectus, vt maxime cupiant suum benefactorem videre, cui par nitantur referre. Nec parũ se nobis gratum facere putat, qui facit nos venire in conspectum, & agnitionem nostri benefactoris Ioann. 9. cæcitatis causas assignans Dominus in cæco nato dicebat eas fuisse: *Vt manifestarentur opera Dei in illo.* Et quæ opera Dei in hoc cæco manifestantur, quorum manifestatione gloriatur Iesus? Opera nimirum, quibus omnes ex luto formamur, manifeste ostendebantur esse operà manus diuinæ, dum Iesus ex luto oculos hominis refinxit. In eo enim, quod lumina facit à luto parturiri, ostendit manifeste, quis sit ille in quo ex luto viuimus, mouemur, & sumus, tantique benefactoris in notitiam venimus. Vt dicat D. Irinæus lib. 5. *Cum ergo in ventre à Verbo plasmemur, id ipsum Verbum est, qui à natiuitate cæcus fuerat, formauit visionem, eum, qui in abscondito plasmator noster est, manifeste ostendens.* Non parum contulit nobis Verbum Diuinum in eo, quod ex luto fecit cæci nati oculos, inde enim nobis præoculis posuit plasmatorem nostrũ, nimirum eum, è cuius manibus ab vtero accepimus tot tantaque commoda.

Exod. 33.

Chrysol.

Ioann. 9.

D. Irin.

§. LXII.

Magnæ mentes nihil ab impuris, & vilibus amant accipere.

IN tanto Dauidis facinore, & populi lætitiâ hæc vna solicitudo Saulem implebat, vt sciret, quis Dauid esset. Id iusserat Abnero, vt inquireret; & modo cum primum Dauidem triumphantem videt ab illo interrogat, *De qua progenie es, ò adolescens?* quasi vereretur tantum commodum vili alicui, aut immundo debere. Eo enim semper magnæ spectant mentes, vt ab impuris, & vilibus nihil sibi metant. Nota est Danielis historia de Susanna, cap. 13. vt adamata à senibus, vt

ab

ab eisdem accusata de adulterio, vt innocens damnata fuit, & ducta ad necem; & vt illa interea tacuit, nec se defendit, nec publicauit facinus senum, sed tandem ipsa Dei beneficio liberata est à mortis pœna dicente textu: *Et saluatus est sanguis innocuus in illa die.* Sed & Iesus meus accusatus fuit à Pharisæis, & ductus ad Pilati tribunal, & ibi multa interrogatus à Præ-
Matt. 26 side, ipse *tamen tacebat*, Matth. 26. & licet suam innocentiam testatissimam iudici videret, nullum pro ea locutus est verbum, sed & damnationem, & mortem pertulit. Quando ergo Deus à populo libertatem Susannæ extorsit; cur etiam eamdem libertatem Iesu à Pilato voluit extorquere? Et Susanna, & Iesus tacuerunt in iudicio; illa tamen liberata fuit ab ipso populo, qui eam damnare volebat; Iesus autem crucifixus fuit à Pilato, qui eum liberare cupiebat. Cur ergo non similiter Iesus voluit liberari suam innocentiam per Præsidem? Magna Iesu mens noluit videri recepisse libertatem, & vitam ab impuro adeo, & vili Præside. Dicebat me-
D. Amb. rito D. Ambr. lib. 10. in Luc. *Susanna tacuit, & vicit. Melior enim causa, quæ non defenditur, & probatur. Et hìc Pilatus absoluit, sed absolui iudicio, crucifixit mysterio. Verum hoc speciale Christi illud humanum, vt apud iniquos iudices magis videatur noluisse, quam non potuisse defendi.* Humanum fuit in Susanna, quod amaret liberari à morte; & speciale fuit Christi, quod videatur noluisse per iniquum iudicem defendi. Non equidem magnæ mentes amant ea, quæ ab impuris, & vilissimis veniunt. Simili-
Mar. 1. ter Mar. 1. *Erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo, & exclamauit dicens: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio quis sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus dicens, Obmutesce.* Et quidem veram confessionem filio Dei dabat homo ille, quam minime Iesus acceptat, sed maxime refugit, eo quod ab immundo esset. Vt dicat D. Athan. orat. 1. con-
D. Atha. tra Arian. *Itidem quoque dæmonibus, ora obturabat, tametsi verum esset, quod ab illis diceretur, neque falsi quicquam in ijs verbis proferrent, Tu es filius Dei. Noluit tamen per os impurum veritatem enuntiari.* Nunquam, equidem placet magno, quod ab impuro, & abiecto venit. De nobilitate manus, nõ parum munera comendãtur. Vt dicat Venantius Fortun. lib. 6. de Horto Vltrogothonis regis:

Venant. *Hac magno inseruit Rex Childebertus amore*
Charius ista placent, quæ manus illa dedit.

De cultore trahit mellitum planta saporem
Forsam & hìc tacitos miscuit ille fauos
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis
Nare suauis odor, dulcis in ore sapor
Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti
Cuius & in pomis tactus odore placet?

Expende illa nimirum, *Charius ista placent, quæ manus illa dedit.* De nobili enim regiaque manu datoris nunquam non beneficia, & obsequia placidiora inuenientur. Hinc Genes. 3. *Eua tulit defructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Vbi D. Ephræm *Genes. 3.* *D. Epha.* orat. de Pœnit. ait: *Non serpens fructum accepit, & mulieri tradidit: non enim volebat fructus malicia hominem esse expertem. Eua itaque eum accipiens, &c.* Qui serpens fructum edere persuadebat, cauit illum suis porrigere manibus, ne à viro repelleretur; magis voluit, vt deferretur Euæ manibus, vnde plus placuit.

§. LXIII.

Natalium præsumptio, vbi opera deficiunt, lethalis est.

ADmiror moderationem Dauidis in referêdo progeniem suam, dicit enim: *Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Non iactat auos, atauosque magnos, iuxta gentis morem; quibus adeo cordi erat maiorum suorum magnitudo, vt vel informa Israelitæ mercenarii apparẽs Angelus dicat Tobiæ, cap. 5. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Morem genti Angelus gerebat, & licet mercenarius magnos proponebat natales. Cur ergo vnus Dauid ab hoc natalium typho abstinet, & parentem quasi abiectum seruulum proponit dicens, Filius serui tui Isaæ ego sum? Cauebat bonæ indolis iuuenis non multum fidere auorum, atauorumque magnalibus, quæ fiducia lethalis est familijs, vbi opera deficiunt. Sic Marius apud Sallustium in bello Iugurthino carpebat sui temporis nobiles: *Cum apud vos, aut in Se-* *Sallust.* *natu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant, quod contra est. Nã quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior; & profecto ita se res habent, maiorum gloria posteris lumen est, neque bona eorũ, neq; mala in occulto patitur.* Quippé, vt flos sub radijs solis omnibus placet, & non paruam sui æstimationem facit; sed

sterquilinium contemnitur, fugitur, conculcatur. Sic sub parentum, auorumque claritudine præstans virtute, & operibus adolescens in admirationem. & cultum sui omnes rapit. At qui nihil virtutis, nihil commendādi operis habet, sed fœdis operibus immersus est, is sub maiorum præstantia, non tam gloriæ, quam conculcationi, & extremæ ruinæ aptatur. Frequens erat Iudæis illa iactatio, Matth. 3. *Patrem habemus Abraham.* Et quid illis profuit illa iactatio? Sanè quia opera eis defuerunt Abrahami, conculcationi sunt dati. Ait enim D. Cyprian. lib. de Idol. vanit. *Iudæis primum erat apud Deum gratia: sic olim iusti erant, sic maiores illorum religionibus obediebant. Inde illis, & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit: sed illi negligentes, indisciplinati, & superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati: dum diuina præcepta contemnunt, datam sibi gratiā perdiderunt.* Expende illud: *Fiducia patrū inflatis*; nihil aliud gignit præsumtio natalium quam inflactionem læthalem, vbi opera non adsunt.

Matth. 3.

D. Cypr.

CAPVT IIII.

Dauidis, & Ionathæ fœdus.

Textus Historia.

INTEREA Dauidis forma ad Ionathæ oculos tota peruenit: & hæsit princeps iuuenis contemplatione perculsus; idque in illo miratur, quo ipse passim mirantes rapiebat. Ætas, forma, arcanus luminū vigor, facinora peracta, & quāuis in vili habitu vna cum principibus Maiestas Dauidem Ionathæ commendabat. Nō viderat adhuc natura tantum par iuuenū in floridis annis, ex quibus arctissimæ amiciciæ caminus vnum cæpit conflare cor, & vnam animam. Noui calore ardore correptus Ionathas vestibus nudatur, & armis, quibus amicum induit, minime passus, quod à se alius appareat. Sed & fœdus init cum illo, interposita religione, ne arctioribus, fortioribusque vinculis corpus, & anima in homine possint colligare. Arctabat iuuenū amiciciam, & Deus prouidens alumno suo in afflictionibus præsidium, & diutina illorum conuersatio, Imperio enim Regis tenebatur Dauid nō redire ad patrem, sed manere in aula. Et dum secundus ab Abnero militibus præficitur, omnia, quæ regiæ gloriæ erant, fœliciter administrabat. Quo sic omnium rapuit animos, vt Philisthæi caput per vrbes circuferentem, vsque leroso lyma prosequerentur virum puellarum, mulierumque cantus. A virginibus, vt creditur, cantu exorto, quæcumque ex mulieribus sciebat, hoc carmen modulabatur. *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Quis exprimat luctum ab hoc cantico in Saule excitatum? Ægerrime ferebat superbus rex, vel ab imprudentibus fœminis tyronni iuueni postponi in re triumphorum. Et intimis iā præcordijs eius fumigantem inuidentiam vehementer malus Spiritus cæpit exsufflare, vt in altissimas iret flammas. Inuidētia occupatus rex locum dedit Spiritui tetrico, cuius furore olim excedebatur; redit enim ad pristinū malum, sed & Dauid resumpsit antiqua aduersus Dæmonem psaltis arma. Furebat Saul, coram furente Dauid citharā pulsabat; & qui dauidicus videbatur cantus, cignæus esset, nisi attentus iuuenis declinatione corporis contortam in se fugeret ab impio lanceam.

Non potuit malus non agnoscere Deū in Dauide habitantem, qui bis certissimū nefariæ dexteræ ictum declinauerat. Nec passus coram oculis habere eum, qui tantę familiæ lumina extincturus credebatur. In stadiū Dauid remittitur ab aula, vt Philisthinorū cæde cōparare amet regia spōsalia, oppressus ingenuis ausis, inter hostium arma infeliciter cadat. Proh fœlicissimi iuuenis ingenium! Non miror, quod tot inter hostiles conflictus vulneribus confossus non cadas; illum mirandum magis, quot toties à te triumphis empta Virgine regia, & alteri tradita, non cadas animo! Merob dicebatur filia regis maior natu, in cuius nuptijs repulsam Dauid passus, adhuc instat mereri sibi secundo natam. Nec displicuit Sauli pertinax iuuenis animus in regia procuranda affinitate, sed iterum per filiarum thalamos benefactoris sui vitæ cæpit insidiari. Spōdet filiam Michol, si centum Philisthinorum præputia Dauidis mānu abscissa coram ponantur. Amat Virginem Dauid, nec refugit regiam puellam multo ēmere certamine; aggreditur hostes, quorum centū trucidatis, deuenit tandem in exoptatos thalamos, sed minime in regis gratiam. Imo ex tunc hostiliter cum Dauide cæpit agere.

PARS

PARS MORALIS circa textus literam.

ANTE Luctas cum rege Dauidi suo Deus præsidiũ parat in Ionathæ amicicia; ne credamus nos in tentationem permitti, quin millia prius à Deo auxilia, & præsidia habeamus.

1. *Reg.* 18. Et factum est, cum complesset loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei, vt reuerteretur in domum patris sui. Inierunt autem Dauid, & Ionathas fœdus, diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliauit se Ionatha tunica, qua erat indutus, & dedit eam, &c.

§. I.

Virtutum etiam diuersarum viri inter se maxime coadunantur.

DAuidi conglutinatum Ionatham lego, dum ait: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid*: & tam diuersorũ geniorũ viros miror, vnde sic potuerint conglutinari. Alter fratrum minimus, & pastoritijs curis innutritus; alter primogenitus regis, aulicis, & militaribus negotijs occupatus erat. Alter citharæ pulsandæ deditus, alter torquandæ lanceæ. Ionatas cum vno armigero, 1. Reg. 14. audet aduersus Philisthinorum exercitum irruere, illumque percutere, & fugare; & non audet ire cum Philisthæo vno in singulare certamen. Dauid autem vnius Philisthæi congressum admittit, illique caput aufert; verum exercitus Philistinorum minime inuadit. Quo ergo glutine tam diuersa ingenia, tam diuersarum virtutum viri potuerunt in vnum copulari? Vtrique fuerant veræ ex Deo virtutes, quibus siue ad fundam, siue ad lanceam; siue ad citharam, siue ad gladium; siue ad vnum, siue ad plures currebant trucidandos. Quibus ergo veræ sunt ex Deo virtutes, quamuis diuersæ, & pene videantur esse contrariæ; tamen habent vnde arctissimè debeant in vnum copulari. Componite mecũ Moysem, & Petrum; vterque virtutes operatur circa mare; vterque securus in mari ambulat, sed quã diuersis callibus? De Moyse ait Exod. 14. *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vertente tota nocte, & vertit illud in siccum, diuisæque sunt aquæ. Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris, &c.* Non audet Moyses mare ingredi, quin prius diuidat aquas, viamque siccam faciat. Petrus autem, Matth. 14. clamabat: *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait, veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquas.* Illeno super aquas, sed diuisis aquis per siccum ambulat; hic gaudet magis non diuidere aquas, sed super illas ambulare. Sunt ergo Moyses, & Petrus adeo inter se contrarij, vt minime possint copulari in vnum? Absit, quando enim in vtroque illæ virtutes ab vno Deo operabantur, iam inde habebant, quo aptissime se se mutuo possint copulare. Ait D. Paulinus in Natali S. Felicis, 8.

Cernite distinctos actus, sed honore ligatos,
Testamentorum veteris, que, nouique magistros,
In quibus una dedit geminas sapientia leges.
Atque ita virtutes varias par gloria pensat,
Nõ Petrus rapit virgà mare, sed neq; Moyses
Æquoris incessit liquidi, tamen ecce virus virisque
Fulget honos, vnus quoniam fuit author vtriusq;
Scindere aquas virga, pedibus calcare fluẽta,
Qui Deus est.

Itaque diuersarum virtutum etiã viri sub vno honore, sub vna gloria, sub vno animo sunt; quia vnus illis est virtutum author, nempe Deus. Quæ verè à Deo veniũt virtutes, & si diuersæ inter se non diuisionem faciunt in sanctis viris, sed vnitatem arctissimam, qua in vno honore, & gloria se se mutuo coniungant. Et nescio, an possit vehementius gluten inueniri, ad coniugendos animos, quam si aduertant singulis ex Deo suos progressus, suas virtutes vnire? Sic vterini fratres diuersæ licet formæ sint, tamen vehementi copulantur amore, ex eo ipso, quod sciant se eidẽ fonti debere, quidquid habent. De cœlitum gloria agens Paul. 1. ad Corinth. 15. ait: *Alia claritas Solis alia claritas Lunæ, alia claritas stellarũ. Stella enim à stella differt in*

claritate; sic & resurrectio mortuorum. Sic asserit euenturum in resurrectione, quando sancti resurgent glorioſi, & incorrupti, alij enim ſicut Sol fulgebunt, alij ſicut Luna, alij ſicut ſtellæ. Sed quomodo pax, & charitas ſanctæ ciuitatis conſtare poterit inter tam diuerſa, & contraria lumina? Sol enim admittit lucem ſtellis; & ſtella, aut Luna Sole cadente fulgent. Erit ergo ſimilis in ſanctis pugna? Abſit, imò eo ipſo, quod Soles, Lunæque, & ſtellæ ſanctorum lumina ſua habeant à Deo vno, ſic inter ſe copulabuntur, quaſi omnino pares ſint, imò, & vnum. Ait D. Paulinus vbi ſupra.

D. Paul. *Omnes, quiſque ſuo, radiabunt lumine ſancti, Diſſimili fulgore pares, nec indiget Chriſto Alter in alterius meriti diſpendia creſcet: Chriſtus erit cunctis regnum, lux, vita, corona.*

Vbi lumina ſanctorum licet diuerſa a Chriſto veniant, nõ pugnas germinabunt, nec Sol lucem ſtellis eripiet; nec ſtellæ de Solis occaſu viuent; ſed erunt omnes *diſſimili fulgore pares*: ſic ex eodem fonte gemelli, vt conglutinati videantur quaſi in vnum. Quo ſpectat quæſtio celebris propoſita ab Authore Operis aurei, ſerm. in Ser. 6. Dominicæ, 4. Quadrag. An vera amicicia, & vnio poſsit eſſe inter diuerſarum opinionum ingenia? Cui reſpondet ex D. Thom.

D. Thom. 22. quæſt. 29. ar. 3. *Nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus diſſentire, nec hoc repugnat paci. Nam Hieronimus, & Auguſtinus in aliquibus opinionibus diſſenſerunt; & etiam Paulus, & Barnabas, vt habetur, Actor.* 15. Quippe cum diuerſa illa lumina opinionum, & ſenſuum ab vno Deo in illos veniſſent, nullũ afferebant incommodum vnioni veræ amiciciæ.

§. II.

Oculorum ductum qui ſequitur, vel lapidi adhærebit, vel ligno.

NOn flauus Dauidis color, non florida ætas, non elegans adoleſcentis forma, nec victrix dextera rapuere Ionatham; ſed quæ per demiſſa verba oſtendebatur animæ virtus. Dicit enim: *Et Factum eſt, cum compleſſet loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid.* Non cum aureus apparuit, non cum caput hoſtis oſtendit abſciſſum, ſed cum poſt tantam victoriã demiſsiſsime locutus ad Saulem, intimam animi oſtendit virtutem; apparenti in verbis animæ hæſit regis filius. Et cur ſolam ad apparentem animam Dauidis dicitur Ionathas affectus fuiſſe? Cur non etiam ad oris ſplendorem, ad elegantiam formæ, ad fulgentes faciei ſoles? Rationem oſtendit textus verbis illis: *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid*; non ſenſus, ſed anima; non oculi, ſed ratio ducebat Ionatham, & ideo nulli hæſit corporeo ſplendori, ſed vni ſpirituali animæ virtuti. Qui enim oculorum ſecuntur ductum, nulli ſplendenti corpori parcunt, ſi enim ſplendeant, æque afficiuntur ad lapides, & ligna. Synagogam antiquam mordens, Ierem. cap. 3. ait: *Macata es cum lapide, & ligno.* Nec miror, quod ſe proſternat lapidi, aut ligno pulchre elaboratis, qui oculorum ductui ſeſe tradit, vt viſibilibus rebus feratur. Niueus enim candor, ſeu oris ſplendor, ſeu elegans forma, quæ oculos rapiũt, æque in ligno inueniri poſſunt, & in lapide. Vt ſapienter dicat Clemens Alex. in Adhortat. ad gent. *Maligna, & ſerpens bellua oculos perſtringens redigit in ſeruitutem, & in hodiernum, vſque diem homines affligit barbarico ritu puniens, qui dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipſis quoque putreſcant. Hic ergo malus tyrannus; & draco, quoſcumque ab ortu ſibi potuerit vendicare, lapidibus, & lignis, & aliquibus eiuſdem ſimulacris viuos adducens, vna cum eis ſepelit, donec vna cum eis interierint.* Ecce tibi dæmon ille, qui vſque modo homines lapidibus, lignis ve adorandis affigit, ille idem eſt, qui oculos Euæ rapuit pulchritudine pomi. Quo ſpectat illud: *Oculos præſtringens redigit in ſeruitutem.* Vbi enim ſemel malus præſtrinxit humanos oculos, vt adhærerent corporeæ pulchritudini, iam inde facile fuit homines affigere, lapidibus, & lignis. Hinc celebris amẽtia Xerxis, qui Platani allectus pulchritudine, ſic Platanum coluit, vt colore ſolebat amicas. Hinc adoleſcentes illi, & Cyprij, & Gnidij, pulcherrimas Veneris ſtatuas marmoreas amarunt. Quod ſapienter ponderans Valer. Max. lib. 8. cap. 11. ait: *Vulcani coniugem Praxiteles in marmore quaſi ſpirantem, in templo Gnidiorum collocauit propter pulchritudinem operis à libidinoſo cuiuſdam complexu parum tutam.* Expenda vltima: *A libidinoſo complexu parũ tutam*; quippe pulchritudo formæ, amœnitas vultus nec in lapidibus, neque in lignis tuta eſt ab illis, qui oculorum rapiuntur ductu. Ex quo nõ inſipienter conficta eſt fabula de Daphne. Hæc enim nimpha cum à Phœbo amaretur, dum importuna eius delide-

Ierem. 3.

Cle. Al.

Val. Ma.

desideria fugit, in lauri arborem dicitur conuersa. Quid ad hæc Phœbus? An vidēs arborem destitit? Pulchre ait Obidius lib. 1. Metamorph.

Obid. *In frondes crines, in ramos brachia crescunt*
Pes modo tam velox, pigris radicibus hæret
Ora cacumen habent, remanet nitor vnus in illa
Hanc quoque Phœbus amat, positaque in stipite dextra
Complexusque suis ramos, vt membra lacertis
Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum.

Vbi nitor in illa remansit, etiam durata in arborem, facta lignum non tuta est ab amplexibus Phœbi. Qui vt oculorum ductu rapiebatur, sic vel in ligno amabat eorum obiectum.

§. III.

Optimum præsidium in vera amicicia est.

DAuidi suo ad pericula inuidentiū accedenti parat Dominus Ionatham, qui illum diligat; ait enim: *Dilexit eū Ionathas sicut animā suam.* In eo autem po-

D. Thom. nit D. Thom. 3. Sentent. dist. 37. ar. 2. rationē veræ amiciciæ, quod quis amet proximum sicut se ipsum amat. Et clementissimè Deus Dauidi suo tantum amicum in aula parauit, cuius præsidio difficilima quæque posset superare. Nec est animus intritissimo amiciciæ verbo immorari, illud solum propono, quod ait Ecclesiasti-

Eccl. 6. cus, cap. 6. *Amicus fidelis, medicamentū vitæ, & immortalitatis.* Et vt ambulantes inter pericula pestilentiæ solent sibi medicamenta parari, quorū virtute immunes euadant. Sic Deus suis alumnis inter mundialia pericula gradientibus fideles amicos parat, quorum charitas nihil non fugat amicis suis contrarium. Pro quo non negabo Drepanij Episcopi Augustudonien-sis pulchra carmina amico suo dicta, quippe ait:

Drep. Ep. *Diligis, & pariter præsens, & diligis absens*
Nec variat castum callida fraus animum.
Siue hostes suè sint chari sine labe sodales
Nos tua corda fouent, nos tua lingua canit.
Istis grata refers, illos ratione repellis
Diuersisque armis dimicat vnus amor,
Et superat; quoniam verax dilectio victrix
Semper in æternum sacra trophæa feret.
Et sincerus amor, cœu lux æterna coruscat,
Nec cedit tenebris, sed tenebrosa fugat.

E quibus illum verissimum notandum nimirum: *Quoniam Verax dilectio victrix semper, &c.* Quippe arma alia, medicamenta alia licet probatissima, frequenter à contrarijs vincuntur. At vera dilectio victrix semper pro amico inuenitur. Quando vbi amicus verus affuit, etiam in acie nauaculæ non patuit latissimus campus amicorum saluti?

§. IIII.

Princeps non quæ sibi, sed quæ populo commoda sunt, despotice exigat.

POst tantam victoriā Dauid in aula retinetur, sic enim dicit: *Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei, vt reuerteretur in domum patris sui.* Cap. 16. vbi Dauid in cithara Regi placuit, non decentus fuit in aula, vsque dum Rex moneret eius patrem. Ait enim: *Misitque Saul ad Isai dicens: Stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.* Modo autem nō mittitur ad Isai, nec eius placitum expectatur, sed absque vlla eius ratione habita Dauid detinetur in aula. Et quando ob citharæ ludum non detinetur Dauid sine parētis eius beneplacito; cur in victoria Philisthæi detinetur prorsus inconsulto patre? In citharæ ludo vnus regis spectabatur leuamen; & ideo rex non sibi præripit Dauidem, sed expectat beneplacitum patris; in victoria Philisthæi communis populo vtilitas eminebat, pro qua asserenda merito non expectat princeps placita parentis, sed despotice, vel eripit filium patri. Sic bonus princeps non in suis, sed in populi commodis procurandis despotica potestate vtitur. Rex regum Iesus meus,

Matt. 21 Matth. 21. ait discipulis suis: *Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea; soluite, & adducite mihi. Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia dominus his opus habet,* Sic cum bona venia dominorum petit sibi afferri asinam, & pullum. Imo tunc illam afferri mandat, cum prius verbis comitate plenis domini eius fuerint deliniti. At Matth. 8. Dæmonibus rogantibus ingressum in gregem porcorum, *ait; Ite. At illi exeūtes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps, &c.* Asinam tolli non permittit, quin Dominis eius prius alloquantur discipuli; gregem autem porcorum rapi à Dæmonibus, & perdi, nulla habita ratione

Matth. 8.

dominorum permittit. Et cur, qui in adductione asinæ curat comiter tractari dominos illius, in perditione tot animalium nullam dominorum illorum rationem habet? Rationem indigitat D. Hieron. ibi dicens: *Non quod concesserit Saluator dæmonibus, quod petebant, dixit, ite; sed vt per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio præberetur.* Equidem in perditione tot animalium, non sibi, sed communi hominum prospiciebat saluti; in adductione asinæ, etiam proprio leuamini attendebatur, vt ipse nimirum equitaret in illa. Vbi autem proprium leuamen erat, diuinissimus princeps valde comes, & suauis ostenditur; vbi autem ratio instat communis hominũ salutis, ibi despotice se gerit, & heriliter.

D. Hier.

§. V.

Charitas vera, vel in primo exortu magna.

VT Ionathas Dauidem amat, statim se nudat, & vestes, & arma præstat amico. Sic enim ibi: *Spoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum.* Ecce tibi, vt Ionathas cæpit Dauidẽ amare, sese spoliat vestibus, & armis, vt amicum induat. Proh veri amoris, veræ charitatis præstantia! in ipso primo exortu nihil nouit paruum, sed sese ostendit in magnis. Nunquam equidem nudatio hæc fieret nisi ab affectu magno. Matth. 21. dum Iesus iret Ierosolymã: *Plurima autem turba straurunt vestimenta sua in via.* Quod ponderans Eutymius ait: *Excellenti modo illum honorauerunt. Nam & modico ante tempore, cum Lazarum suscitasset, magnam apud eos reuerentiam acquisiuit.* Quod se turba nudauit, & vestimenta Iesu strauit in via de magna reuerentia processit. Sed vnde in Ionatha tam magnus affectus ortus est, vt in primo amiciciæ exortu se nudaret, vt illum indueret? Congruitinata erat anima Ionathæ, animæ Dauidis; vbi autem spiritualis amicicia datur, etiã in primo exortu apparet magna. Merito dicebat D. Paulinus epist. 35. *Spiritualis amicicia, quæ Deo auctore generatur, & arcana spirituum germanitate coalescit. Quo fit, vt statim firma, & magna nascatur, quia de pleno incipit orta per Christum.* Expẽde illa: *Statim firma, & magna nascatur*: nullus fœtus est, qui infirmitatem, & pusillanimitatẽ infantiæ non patiatur. Spiritualis autem amicicia, & vera proximi charitas hoc speciale habet, vt firma, & magna nascatur; vt in primo exortu ea præstet, quæ non venire solent nisi à magnis. Perfectorum facinora solent exhibere veræ charitatis cunabula. Cantatissimum facinus fuit illud S. Martini, quo ante regenerationem baptismi dimidium sibi eripuit pallium, quo nudum Christum vestiuit in nudo paupere. De quo ait Venantius Fortun. lib. 1. de vita S. Mart.

Matt. 21

D. Paul.

Martinique chlamys texit velamine Christum Venant.
Nulla Augustorum meruit hanc vestis honorẽ
Militis alba chlamys plus est, quam purpura regis
Prima hæc virtutũ fuit arrha, & pignus amoris.

Quis non tantum hoc Martini miratur facinus? Quis neget magnum, quod Regum glorias valuit superare? Sed hæc magna, & præclara verissimæ charitatis in Martino fuere cunabula. Ait enim: *Prima hæc virtutum fuit arrha, & pignus amoris.* Vbi spiritualis amor proximi nostris animis ingeneratur, eam magnitudinem in facinoribus ostendit, qua nihil paruum nouisse videatur.

§. VI.

A præstantium virtute virorum specimine censetur populi fortuna.

NOn infructuose Ionatha regijs suis vestibus ornat Dauidem; dicit nãque: *Spoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta sua, &c.* Quid enim tantus vir sub regijs vestibus fulgẽs populo protenderet nisi omnimodæ fœlicitatis auspicium? Equidem, quod in præstantibus virtute viris præfulget, id populo euentuum considera. Æstheris, cap. 6. dicitur: *Tulit itaque Aman stolam, & equum, induitque Mardochæum in platea ciuitatis, & imposito equo præcedebat, atque clamabat, Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.* Ex quibus sapienter noster Gaspar Sanchez fortunam populi Israelitici glorioſam odoratur. Vbi enim Mardochæi virtutes non sinebantur iacere, & inter sordes esse; sed eo præmio à Rege donabantur, vt ipse fulgeret sub regio habitu; non poterat non inde magna felicitas populo

Æsth. 6.

pulo nasci. Nunquam non ab specimine præstantium virorũ fortuna populi plaudit. Vt dicant Hispani: *Por el pelo, que cubre à los buenos, se muestra quales la Ciudad.* Hinc Zachar. 3. & cladem populi, & eius resumptam gloriam præcinens ait: *Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo: Et dixit; Ponite cidarim mundam super caput eius: & induerunt eum vestibus, &c.* Ecce tibi, vt Iesus Sacerdos magnus sordidis vestibus exuitur, & induitur splendidis, & glorioſis. Et qui antea sordide stabat, adeò, vt nullus non Satana ad illum appropinquaret vexandum; modo sub regio habitu ostenditur præfulgẽs. Et quantum hoc est, quod Sacerdos hic sordes exuat, & præfulgentem recipiat habitum, vt propheta Dei in eo immoretur explicando? Nonne amens videretur publicus concionator, qui totus esset in explicando populis, vt Sacerdos quidam reliquerit attritas vestes, & induerit nouas, & præfulgentes? Cur ergo Zachariasid, quod amentiæ indicium esset, amplectĩ maluit, & vnius Iesu vestes sordidas, mundas ve, & glorioſas explicare? Erat Zachariæ animo populi miserã calamitatem dicere, ideoque Iesum strenuum virum, & Dei Sacerdotẽ proposuit in sordidis versantem. Quid enim non calamitosum habeat populus, in quo præstãtes virtute viri sordidi, & nudi iacent? Rursus voluit dicere populi gloriam; quam, vt plenissimã monstraret, ostendit, vt Iesus splendidis vestibus induebatur. Nunquam enim non fortuna populi ab specimine virorũ præstantium virtute, aperte monstratur. Ait in præsenti D. Cyr. Il. Alexand. *Innuit propheta ipsis laborum, & casuum finem:: Deinde ait cooperiendum Iesum veste talari, & cidarim mũdam imponendam super caput eius, vt ita legitime eum statu populi gloria Sacerdotum conspiret.* Conexa sunt hæc duo, & populi status, & virtuosorum virorũ habitus. Nec alia certior status ratio inueniri potest, quam ea, quę conspicitur in conditione virorum virtute præstantium. Sordent ij? Sordebit proculdubio, & conculcabitur totus populi, regni ve status? Splẽdent ij? Summum splendorem, & gloriam populus habet. Accipite ex, 3. Reg. 11. vt Achias suum palliũ dilacerauit, ait enim: *Apprehẽdensque Achias palliũ suum nouũ, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes.* Sed Ioan. 19. vbi carnifices ad partiendam Iesu tunicam inconsutilem accedũt, aiunt: *Nõ scindamus eã, &c.* Ecce tibi Achiæ pallium scinditur, tunica Iesu non scinditur, sed integra seruatur. Et cur in Achię pallio scissuræ permittuntur, in Iesu autem tunica minime? In vtroque ostendebatur populi status; in Achiæ, vt dilacerandus, & scindẽdus erat populus Israeliticus; quod apprime ostendebatur, in tanti viri vestibus laceris. In Iesu tunica induisa status apparebat populi Christiani; cuius felicitas recte iam in Iesu habitu videbatur. Ait D. Cyprian lib. de vnitat. Ecclesiæ: *Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimẽtum suum propheta Achias diseidit. At vero, quia Christi populus non potest scindi, tunica eius per totũ textilis, & cohærens diuisa à possidentibus non est.* Sic in virorum præstantiũ habitu populorum fortuna ostendebatur. Cui vestes laceræ erant, simul & populus erat lacerandus. Cuius vestes veneration erant, in proprioque decore sinebantur, similiter sine diuisionis malo præfulsuri erãt populares.

Zach. 3.

Cyr. Al.

3. Re. 11.

Ioan. 19.

D. Cypr.

§. VII.

Glorioſa principibus nuditas ob ſubditos ornatos.

SEmel lego principem nudum, & spoliatum mansisse, vt subditum vestibus suis ornaret. Is fuit Ionatha filius Saulis regis; de quo ait: *Spoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta eius.* Hoc de vno mũdiali principe Ionatha tantum auditũ est; de cæteris autem mundi principibus potius audio illud à D. Bernardo pronuntiatum, nimirum: *Isti moderni Noe, nec pallium nozis reliquere, quo operiri possint.* Plures inuenies, qui subditos spolient, vt se ornẽt, quam qui se spoliẽt, & nudent ob subditos ornandos. Et crede mihi, nunquã magis glorioſus Ionathas, quam vbi nudus apparuit, vestibus Dauidi datis. Illud tamen valde notandum est, quod 2. Reg. 6. vbi Dauid nudauit se, vt facilius coram arca saltaret, ab vxore mordicatus fuit. Ait enim: *Egressa Michol filia Saul in occursum Dauid ait: Quam glorioſus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorũ suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Nudatur Dauid corã arca, & vxor eius filia Saul hominem despicit, & male accipit, ingloriumque ducit propter nuditatem. Nudatur Ionathas, & se vestibus spoliat,

D. Bern.

2. Reg. 6.

spoliat, vt Dauidem induat, & non est, quæ rideat Ionathæ nuditatem. Et cur quando Dauidis nuditas coram arca in gloria visa fuit; & vituperanda; Ionathæ nuditas non magis irridenda fuit? Ionathas nudauit se, vt athletam suum vestiret, quod autē princeps nudetur, vt suos athletas vestiat, adeo glorioſum est, vt non inueniatur, qui id nō tribuat honori, & laudi. Huc spectabat Theodotus, hom. de Nat. Christi habita in Appendice, 5. Concil. Ephes. cap. 2. vbi fatur contra nudam, & abiectam Christi natiuitatem calumniantes. *Quid ergo exprobas Christi in Bethlehem humilitatem? Cur paupertatem ducis in medium, eius lucra non computans? Cur auſers vnigenito causas, quæ tantam salutē hominibus attulerunt? Cur paupertatem indignam dicis Deo, per quam mundus pietate ditatus est? Noli derogare passionibus, per quas impassibilitas nostra generatur. Noli detrahere abiectioni, qua tyrannis diabolica est destructa.* Theod. Equidem in cœlesti principe nec abiectio, nec paupertas, nec nuditas vilipendenda est, sed extollenda, & prædicanda; quando sic nudauit se, vt suos athletas vestiret candida immortalitatis; sic pauper, & vilis factus est, vt eosdem ditaret. Nec vnquā princeps glorioſior apparat quam vbi se nudat, vt subditos vestiat. Episcopus erat D. Martinus, & cum nihil præ manibus haberet, quod præberet pauperi; & exuit tunicam suam, & illū vestiens, ipse nudus māsit. De quo ait Venant. Fortunat. lib. 1. Poemat. cap. 5.

D. Mart. *Hic se nudato tunica vestiuit egenum*
Dum tegit algentem, plus calet ipse fide
Tunc vili tunica vestitur, & ipse Sacerdos
Processitque inopi tegmine summus honor.

Non equidē indecorus mansit tantus Præsul; vbi nudus, vilibus ve opertus apparuit vt subditum pauperem suis indueret; imò ex tunc summus honor impleuit virum. Et quando nuditas, aut paupertas ex donis exhibitis orta hominem non maxime nobilitat? Aiebat Paul. 2. ad Corinth. 8. de

2. Cor. 8. Macedonibus: *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Sic Macedones dabant sua, vt inde ipsi manerent in paupertate. Sed in qua paupertate? Nimirū in paupertate altissima. Vt regij homines altitudinis titulo suam extollunt nobilitatē. Sic nuditas, aut paupertas orta ex donis exhibita altitudinis etiam titulo honoratur, vt nobilissima, & cantatissima.

D. Ans. Quo spectans D. Ansel. ibi ait: *Altissima paupertas, id est, nobilissima, & præconijs extollenda abundauit in diuitias, id est, maior facta est, dū tenderet diuitias dare.* Est duplex in hominibus paupertas; altera orta ex eo, quod nihil bonorum homini obtigit in vita; altera orta ex eo, quod omnia sua dedit quis illis, quos sibi habebat obstrictos. Hæc nuditas altissima est, nobilissima est, & cantatissima in principibus. Dum enim princeps depauperatus, quia diuitias suas dedit suis; talis paupertas præconijs extollenda est, vt quæ alumnum suum, & nobilem ostendat, & diuitem. Hinc, 2. ad Corinth. 8. *Scitis gratiā domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt illius inopia vos diuites essetis.* 2. Cor. 8. Sapienter notat Chrysost. non fuisse dictū, vt illius diuitijs vos diuites essetis, sed vt illius inopia. Sed quomodo quis diuitem se ostendet inopia? Est notissima inopia cœlestis principis, quæ cōsistit in eo, quod ipse nudus gemens in præsepio immortalitatis suæ vestes hominibus præstiterit; & pauper factus in gentes diuitias fuerit largitus? Hæc autem nuditas, & paupertas quem attigerit, ostendet & nobilem, & diuitem. Ait Theodotus in Append. 5. ad Concll. Ephes. cap. 2. *Tu autem respice mihi pauperrimum habitaculum eius, qui ditat cœlum, vide præsepe sedentis supra Cherubin, vide pannis obsitum eum, qui pelagus arenæ tunxit. Sic enim gratia, & clementia videbis magnitudinem, si tantam Dei condescensionem consideraueris. Nam ipsa paupertate diuitiæ eius diuitis ostenduntur.* Theod. Quippe qui pauper, & pannosus sit, cætera omnia suis donis implens, in ea paupertate proculdubio, & nobilissimum, & ditissimū ostendit principem. Ex quo non dubitat Paulus dicere de Iesu ad Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum, &c.* Philip. 2. Et vnde tantum Deum tanta potuit decere exinanitio? Ait D. Achasius Episcop. Melitensis in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 11. *Quo dignam tanta exinanitione beneficentiam in nos transfunderet.* D. Achas. Itaque exinanitioni beneficentia debebat respondere, vt digne appareret exinanitus. Tūc enim, vel ipse Deus aliqne se exinanit, quando hoc facit, vt alios ditet. Ex beneficentia enim exhibita ostenditur exinanitionis virtus, & dignitas. Non enim, qui se exinanit, & nudat; sed qui se exinanit, & nudat, vt alios ditet, ille glorioſus triumphat. Hinc Matth. 5. monebat Dominus: *Tu autem cum ieiunas, &c.* Matth. 5. Quibus ieiunium suadebat, & continuo addidit: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, &c.* Quibus elemosinam persuadebat cū ieiunio. Abstinere enim à cibo, vt augeas substantiam inglorium est, & prorsus illiberale. Abstinere autē à cibo, vt egeno des,

id

id ad gloriam pertinet, & triumphum. Ait
Chryſol. Chryſol. ſerm. 8. *Ieiunium tunc vincit, tunc triumphat, cũ duce miſericordia pugnat. Ieiunium ſine miſericordia, ſimulacrum eſt famis, occaſio eſt auaritiæ, quia parcitas iſta, quantũ ſiccatur in corpore, tantum tumeſcit in ſacculo. Qui ieiunans prandium ſuum reponit, non erogat; cupiditati probatur ieiunare, non Chriſto.* Sic exinanitionis dignitas ex beneficentia deſummitur.

1. *Reg.* 18. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſegerebat: poſuitque eũ Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis vniuerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul.

§. VIII.

Vna virtus hominem vulgarem firmiter in poteſtate poteſt conſeruare.

MIror à paſcuis eductum iuuenem, & palatinis, militiæque præpoſitum, potuiſſe aliquandiu cũ plauſu durare, ibi: Dicit enim text. de Dauide locutus: *Poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis vniuerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul.* Rudis paſtor ſubito bellatoribus, palatinis ve prępoſitus acceptus omnibus durat in munere. Et quis tam nouum, & inuſitatum plauſum potuit firmare in Dauide? Vna hominis virtus, & ſanctitas, & innocentia vitæ hoc potuit in illo efficere. Accipite Marium Romanum apud Salluſtium; qui vbi è fœce plebis ad conſulatum aſcendit, & ſenatus cõſulto præfectus fuit bello Iu-
Salluſt. gurttino, aduocata concione ſic ait: *Neque me fallit, quantum cum veſtro maximo beneficio negotij ſuſtineam, bellum parare, ſimul & ærario parcere: cogere ad militiam eos, quos nolis offendere: domi, foriſque omnia curare; & ea agere inter inuidos, occurſantes, factioſos, opinione aſperius eſt. Ad hoc alij ſi deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, coguatorum, & affinium opes, multæ clientellæ, omnia hæc præſidio adſunt; mihi ſpes omnes in memet ſitæ. Quas neceſſe eſt & virtute, & innocentia tutari, nam alia infirma ſunt.* Quid ſapienti is ponderatum? Militarium, aulicarum ve præfecturarum adminiſtratio, & lubrica eſt, & difficilis etiam illis, qui ab auis, & atauis, & familiarum nobilium potentia trahunt præſidium. Quibus labantibus fulcra ſunt auorum decora, cognatorum lumina, & opes. At nouus homo, omnibus familiæ præſidijs deſtitutus, qualiter inter tot difficilia viuet? Sapienter ait: *Quas neceſſe eſt & virtute, & innocentia tutari, nam alia infirma ſunt.* Infirma quippe ſunt omnia mundi præſidia, vt hominem vulgarem conſeruent inter difficultates culminum: ſola virtus, & innocentia tantam rem valent perficere. Huc accedant, qui à vulgo ad præfecturas euolant, & ſibi euidenter perſuadeant, firmitatem ibi haberi non poſſe, niſi per innocentiam, & virtutem. Eſt equidem magnum operantis Dei inſigne, quod homo vulgaris firmiter in culmine perſiſtat. Dominus Ieſus, Ioan. 1. vbi vidit fratrem Andreæ, quem antea corporis oculis non viderat; ſtatim ait: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaueris Cephas, &c.* Ioan. 1
Duo in præſentibus verbis maxime elucent; altera eſt clariſsima Ieſu prophetia, qua minime vnquam corporis oculis viſum, ſtatim ex nomine, & parente agnoſcit; altera eſt promiſsio de nomine Simonis mutando in nomen Cephas, quod ſonat petram. Et Simon nomẽ erat vulgaris hominis, qui arte piſcaturæ agebat vitam; Cephas autem, ſiue petra iam adumbrabat firmitudinem apoſtolici culminis, dignitatis pontificiæ, iuxta illud, Matth. 16: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matt. 16 Sed vtrum maius fuit in Ieſu, quod nomen Simonis, & patrem prænoſceret, an quod nomen Simonis in Cephas mutandum promittat? Equidem prophetia magnum eſt diuinitatis indicium; ſed maius illud, quod vulgaris homo ad culmen dignitatis deductus ibi lapideam, & immobilem firmitatem acquirat. Ait D.
D. Aug. Aug. tract. 7. ibi: *Non magnum, quia Dominus dixit, cuius ſtilus eſſet iſte. Quid magnum Domino? Omnia nomina Sanctorum ſciebat, quos ante mundi conſtitutionem prædeſtinabat, & miraris & miraris, quia dixit vni homini, tu es filius illius, & tu vocaueris illud? Magnũ, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra, petra vero Eccleſia. Ergo in Petri nomine figuratur Eccleſia.* Expẽde illud: *Magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum, &c.* Id equidem magnum diuinæ gratiæ aſsiſtentis argumentum eſt; quod qui plebeius Simon erat, Petrus fieret in principatu

patu Ecclesiæ, ibique consisteret firmior petra.

1. *Reg.* 18. Porro cum reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, & ferret caput eius in Ierusalem, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, choroſque ducentes in occursum Saul regis in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres laudantes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.

§. IX.

Mulierum lingua soluta nunquam non parit errores: malorum aditum occludit, si taceat.

NOn fuit paruus fœminarũ error, quod vt Dauidem præferant regi, ad ipsum regis veniant conspectum. Ait enim textus de fœminis istis: *Choros ducẽtes in occursum Saulis regis: atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* In occursum exeunt Sauli in tympanis lætitiæ, & sistris, vt Sauli Dauidem in decuplo præferant; quid stultius? Sic semper in fœminarum linga soluta habet dæmõ, vnde trahat malorum semina; quæ eo maxime diabolo aditũ occluderent, si tacerent. Sapienter Paulus, 1. ad Thimoth. 2. doce-

1. *Thi.* 2. bat: *Docere autem mulieri non permitto.* Et cur mulier non doceat, quæ optime nouit de Deo? Crede mihi, in sola silente fœminarum lingua, prorsus desperat dæmon sua desiminare venena. Ait D. Paulinus epi-

D. *Paul.* 4. *Profecto enim valeat ad confusionem malorum, si videant mulierem sensus suos ignorantiæ specie per silentium tegere: disciplinam intellectus sui verecundo habitu conditeri, vt non audeat serpens tentandum rursus aggredi desperatione capienda.* Quippè eo ipso, quod mulier per silentium suos sensus tegit, ea fit, quam aggredi non audeat antiquus serpẽs, sed prorsus desperet de inueniendo in illa malorum instrumento. Vbi autem mulier linguam soluat, quas non aperit fenestras, per quas mors veniat? Merito dicebat Paulus, 1. ad Thimoth. 2. *Volo autem viros orare in omni loco.* Orationem commendans viros meminit, non fœminas. Cur etiam in commendatione orationis fœminarum non meminit? An voluit fœminas prorsus ab oratione arcere? Absit, sed sinẽs illas orare in silentio, cum orationem omni loco faciendam meminit, sapienter illas præteriit, parcens populis, ne si omni loco liceret fœminis linguam, vel orando exerere, locus maligno daretur. Aiebat D. Amb. lib. 6. de Sacram. cap. 4. *Qua ratione viros dixit? Vtique communis est oratio,* D. *Amb.* *& mulieribus, & viris. Quod non inuenio, nisi forte Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres vsurparent, & male intelligerent in omni loco, & inciperent vbique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.* Equidem quæ in Ecclesia in silentio orantes, molestiam gignebant, & offensionem; quid mali non gignerent, si liceret omni clamare loco? Cauit ergo sapientissime Paulus, ne mulierum vox omni sonaret loco, parcens inde populi periculo, & offensioni. Nec miror, quod à lingua soluta fœminarum, vel in precibus malum timeat populo Apostolus. Considero enim in lingua fœminæ aliquid de virulẽtis sibilis serpentis. Sic Clemens Alex. in Adhortator. ad gentes, memorans illos, qui Bacchi Orgia celebrabant, dicit, quod ibant, *Coronati serpenti-* *Cle. Al.* *bus, vlulantes Euam. Euam illam per quam error est consecutus. Iam vero si acurate vox spectetur hebraica, nomen Heva aspiratũ exponitur serpens fœmina.* Est equidem nomen Heua, & fœminarum, & serpentis nomen; ne miremur, quod si earum lingua soluatur, venena spargat, & aditum malis aperiat. In eo autem malorum stabit medela, si serpentũ harum lingua quiescat. Quo spectans Isaias, cap. 11. de aduentu salutari Iesu locutus ait: *Delectabitur infans ab vbere* *Isai.* 11. *super foramine aspidis, &c.* Super quo aspidis foramine? Sunt, qui referant ad cauernam, qua aspis delitescit; verum non absre intelligemus per foramen aspidis, os eius, quo delitescit virulenta lingua. Iesus enim noscens virulentam Heuæ linguam, quæ mundum infecit, & locum hosti dedit; manum mittit ad os harum serpentum, earũque linguam tenet, quo præsentissimum exhibet malis humanis remedium. Ad hęc aiebat D. Athan. orat. 1. in Arian. *Puer au-* D. *Atha.* *tem infantulus Iesus inserens manum suam in linguam aspidum, deridet eum, qui Euam deceperat.* Quid pulchrius? Vt qui per Euam mundum infecit, prorsus excluderetur, paruulus diuinus hoc in primis egit, aspi-

dum

dum linguas tenuit, nimirũ fœminas edocuit silentium. Hic Maria, Luc. 1. audito
Luc. 1. sermone Angeli *cogitabat, qualis esset ista salutatio:* Et cur cogitabat, quando in prõptu erat interrogare? Ait Petrus Dam. ser.
Petr. Da. 3. de Nat. Virg. *Audito Angelicæ legationis mysterio solitum modestiæ silenty rigorem tenuit: & si ipsa enim intra se discutere non potuit, qualis esset illa salutatio, verbis tamen inquirere superfluũ deputauit.* Sic iam iam venturus puerulus diuinus, quasi præmisit manum, quæ in Maria linguam fœminarum teneret, vt penitus hostilibus incursibus aditus intercluderetur.

§. X.

Multitudo non respicit dignitates personarum, sed merita.

CAntantes mulieres Israelitæ Dauidẽ Sauli præferebant, dicit enim text. *Egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israelis cantantes, choros que ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & sistris. Et præcinebant mulieres laudantes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Sic vniuersarum calculo mulierum Dauid præfertur Regi, in ipsis oculis regis. Sed cur non magis verentur fœminæ illæ regiam Saulis dignitatem? Cur sic ad rudem pastorem afficiũtur, vt illum
D. Atha. regi præferãt? Ait de illis D. Athan. hom. de semente: *Ibi tripudiatrices illæ cecinere non ad dignitatem respectantes, sed ad merita rerum: Percussit Dauid per myriades, & Saul per Chiliades, &c.* Nec aliud accidit, vbi multitudo conuenit, quæ sanè nunquam nouit dignitates attendere, sed merita. A nullo enim facilius quàm à multitudine
Apoc. 4. prætermittuntur dignitates, vbi fortia merita eminent. Apocal. 4. *Ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sede sedens:: Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, super thronos viginti quatuor seniores sedentes circũ amicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* In super, cap. 5. ait: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, &c.* Tandem in fine capitis ait: *Et vidi omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes; Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas, &c.* Ecce tibi tota spectaculi compositio; thronus erat principalis, in quo maiestas sedebat Iride circumsepta. In circuitu autem illius throni magni erant viginti, & quatuor alij throni, in quibus totidem seniores erat vestiti albis, & in capitibus coronas aureas habentes. Inter hæc Agnus tanquam occisus apparebat; & statim omnium in cœlo, terra & mari habitantium voces dicebat: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria.* De assidentibus illis viginti & quatuor coronatis nec vllum faciunt verbum. Et cur non magis cantantium voces attendunt ad vinginti & quatuor reges sub auratis coronis splendentes, quàm ad Agniculum, qui quasi occisus apparebat? Cur prætereuntes tot coronas, vnum quasi occisum agnum extollunt? Expende, à quibus voces illæ procedebant, ait enim: *Vidi omnem creaturã, &c.* vbi autem tam multæ creaturæ conueniebant, non miror, quòd dignitatum splendores, & coronas ipsas præterierint, & sola merita attenderent, propter quæ, vel Agniculum super omnia efferrent. Sic cũ Auito Augusto à turba differretur imperium, aiunt apud Sidonium Apollin. in eius paneg. carm. 7.

Aggreditur nimium curarum pondere tristem Sidon.
Gaudẽs turba virũ, procerũ tũ maximus vnus
Dignus, qui patriæ personam sumeret, in fit
Non tibi centurias aurum populare parauit,
Nec modo venales numerosque asse redemptæ
Concurrunt ad puncta tribus: suffragia mundi
Nullus emit; pauper legeris, quòd sufficit vnũ
Es meritis diues.

Quid pulchrius? Expende ab illis: *Suffragia mundi nullus emit. Pauper legeris; quòd sufficit vnũ, es meritis diues.* Clarissime probat iis electionem illã omni esse suspitione liberam, quando à tota multitudine veniebat. Ingens enim multitudo nullo corrumpitur respectu, nullo frãgi potest pretio; si vel in paupere merita videat, hoc sufficit, vt currat ad illũ, dissimulatis proceribus, & diuitibus. Quando mundi, hoc est, ingentis multitudinis suffragia empta pretio sunt, vel respectu aliquo corrupta?
Aiebat Isaias, c. 60. *Omnes de Saba venient,* Isai. 60.
aurum, & thus deferentes, & laudem domino annuntiantes. Quæ verba à Matthæo, cap. 2. referuntur ad Magorum aduentũ ad Ie- Matth. 2.
sum, qui sensus communissimus est in Ecclesia à tempore Apostorum, vt bene probat Leo à Castro ibi. Sed illud difficile, quòd dicantur omnes de Saba venisse; cũ ad Iesum tres tantum conuenerint Magi. Et quando tres Magi tantum venerũt quærentes Iesum; cur maluit propheta

eos non sub trium nomine expresso, sed multitudinis, & vniuersitatis nomine eos exprimere? Quid tres cum omnibus? Aut cur omnes ponuntur pro tribus? Non respiciebat propheta numerum defacto existentem, sed effectum, qui proprius vniuersitatis, & multitudinis erat, quando pueruli pauperis merita adorabantur, contemptis fastibus Herodianæ Regiæ. Dicebat namque D. Fulgent. serm. de Ephiph.

D. Fulg. *Quid est, quòd isti Magi regem Iudæorũ adorandum quærerent, cum ipsi Iudæi non essent? Et quem regem? Vtique non Herodem, sed Christum. Adorare cupiunt infantem lactantem, neque adorant regem populis imperantem:: Archelaus filius Herodis preciosis est inuolutus sericis: Iste vilissimis inuolutus est pannis. Et tamen ille natus in palatio contemnitur: Iste natus in diuersorio quæritur. Ille à Magis nullatenus nominatur: Iste inuentus suppliciter adoratur. Omnino spernitur primogenitus regis, & muneribus honoratur filius pauperis mulieris.* Et sanè vbi præ regibus æstimabantur pauperis pueri merita, & colebantur; tantus effectus merito tribuebatur vniuersitati, & multitudini gentium, cuius est non dignitates externas respicere, sed merita. Fecerunt equidem tunc Magi, quod facerent tota mundi multitudo.

§. XI.

Vbi Iesus apparet, omniũ aliorum disparent triumphi, & gloria.

MVlti, & cantatissimi fuerant Saulis triumphi de Philisthæis, & ille erat recentissimus, quando vnus Ionatha cum armigero irrupit in stationes eorum, & patri gloriosum retulit triumphũ. Vbi autem Dauidis triumphus apparuit, sic disparuere Saulis triumphi, vt canant fœminæ: *Percussit Saul mille, Dauid decem millia.* Et vnde tanti Saulis triumphi sic obscurantur, & minuuntur in conspectu triumphi dauidici? An sæpe vicisse hostiles exercitus, minus est, quam si semel vnũ hostem singularem vincas? An quòd vnus cum vno, & si valido luctetis, plus est, quã si vnus cum toto exercitu confligas? Vnde ergo dauidicus triumphus reportatus de vno Goliath, obscurauit triumphos reportatos de tot exercitibus? Scio prælationem illã factam fuisse à sapientia fœminea, non à virili. Sed quando video tacentes viros, nec cohibentes, nec castigantes voces illas fœmineas, tam à fœminis, quam à viris credo profectas fuisse. Nec miror; in triumpho enim Dauidis ostendebatur aperte triumphans Christus, vt concors est sententia patrum. Vbi autem Christi triumphus apparet, omnium aliorum triũphi obnubilantur. Apocal. 4. *Procidebant viginti, & quatuor seniores ante sedem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum & mittebant coronas suas ante thronum, &c.* Esto, quòd viginti & quatuor seniores coronati procedant, & adorent antè thronum; cur necessum est proijcere à se coronas suas? In throno erat Iesus triumphans, in cuius triumphi conspectu cæteræ omnium vilescunt, & proijciuntur coronæ. Apoc. 4.

Victor. Ait Victorinus, ibi: *Denique & cum venerit, qui mortem disiungeret, & coronam immortalitatis solum dignus sumeret, omnes habentes pro gloria aliqua actus sui optimi coronas, proiecerunt eas sub pedibus eius, id est, propter eminentem victoriã Christi, omnes victorias sub pedibus eius.* Sic vilescunt victoriæ nostræ, si ad Christi Domini victoriam comparentur; & vbi ille ipse Dominus coronatus apparet, non miror, quòd omnes alij coronas suas ostendere detrectent. Similiter Paulus, qui omnibus epistolis suis & nomen, & Apostolatum suum præponere solebat, incipiens: *Paulus Apostolus, &c.* vbi ad epistolam ad Hebræos ventum est, sine nomine proprio, sine Apostolatus cognomine incipit: *Multifariam multisque modis, &c.* Et cur in sola hac epistola à nomine proprio, & Apostolatus cognomine ponendo abstinuit? Rẽ dicit D. Hier. in cap. 1 epist. ad Galatas:

D. Hier. *In epistola ad Hebræos propterea Paulus nec nomen suũ, solita cõsuetudine, nec Apostoli vocabulũ præposuit, quia de Christo erat dicturus; Habentes ergo principem Sacerdotum, & Apostolum confessionis nostræ Iesum: nec fuisset congruũ, vt vbi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiã Paulus Apostolus poneretur.* Dum in suo splendore proponendus erat Iesus sub Apostolatus gloria; Paulus suũ Apostolatũ, & nomen abscondit. Nulla enim est gloria, quæ non obnubiletur in conspectu diuinissimi Iesu gloriæ. Hinc Matth. 24. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cœlo, & tunc apparebit signum filij hominis in cœlo.* Ecce tibi in apparitione gloriosa Christi, omnia cœlestia luminaria disparẽt. Quid hoc protẽdit? Ait Paschas. lib. 11. *Quoniam in eo tremendo iudicio nemo securus erit. Et cum gloria claritatis Christi fulserit, nemo se aliquid esse putabit.* Sese oculis

Matt. 24

Pasca. 11

lis eripiunt aliorum gloriæ, vbi Iesu gloria apparet.

1. *Reg.* 18. Iratus est autem Saul nimis,& displicuit in oculis eius sermo iste,dixitque: Dederunt Dauid decem millia; & mihi mille dederũt:quid ei superest nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid â die illa,& deinceps.

§. XII.

Regnandi ardor nil sanctum, nil diuinum veretur.

VIdit Saul imprudentiam fœminarum Dauidem præferentium in conspectu eius, & iratus est; & forte non iniuste iratus in illas fuisset; at in Dauide nihil vidit non sanctum non Deo plenũ; quod enim inermis in armatum, pastor in bellatorem, iuuenis in Gygantem exercitatum auderet, illũque lapidis iactu perimeret, assistentem Deum clare ostendebat. Cur ergo à mulierum cantu in Dauidem clarissime in se Deum ostendentem commouetur? Cur plus valuit imprudentia fœminarum, quam Deus Dauidi assistens, vt rex moueretur in Dauidem? Ait text. *Dixitque Saul: Dederunt Dauid decem millia,& mihi mille dederunt: quid ei superest nisi solum Regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa.* Expende illa: *Quid ei superest nisi solum Regnum*? quippe cantus fœminarũ Dauidem præferens solicitum fecit Saulem de conseruando Regno; & inde factum est, vt nihil boni in Dauide videret, regnandi enim ardor nihil sanctum, nihil diuinum veretur. Sic Herodes, Matth. 2. audiens Magorũ præconium de stellæ ortu,& ductu; quà trahebantur ad adorandum recens ortum Iudæorum regem: *Diligenter didicit ab eis tẽpus stellæ, quæ apparuit eis*: cogitabat iam pueruluṁ natum perdere, ad quòd diligenter examinabat ortum stellæ. Sed illius stellæ ortus adeò patens testimonium erat de pueri diuinitate adoranda potius; quòd ad id traheret barbarissimos reges. Cur ergo quã Magi, & Idolalatræ homines adorandam pueri maiestatẽ nouerant in stella; non nouit eamdem Herodes, sed magis stellam perquirit, vt puerum non adoret, sed perdat? Pulchrè ait D. Chrysol. serm. 158. *Diligenter Herodes inquirit tempus stellæ; sed cum timet Regno, signũ cœli non timet, temporis non pertimescit authoris.* Expende: *sed cum timet Regno, &c.* quot erant stellæ illi radij, tot erant clarissimi indices diuinitatis pueruli; inter illos tamen Herodes nihil cœleste, nihil diuinum veretur solicitus de Regno. Facit enim Regni ardor in miseris hominibus, quod sub eius splendore, non solum non videant diuina, sed & cõtemnant. Dicebat Dominus Oseas, cap. 12. *In propheta eduxit Dominus Israel de Ægypto, & in propheta seruatus est.* Dum sub prophetæ ductu procedebat populus, incolumis,& fidelis seruabatur; petierũt sibi dari regem, & statim ait Dominus ad Samuelem, 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.* Et cur Deus se abiectũ putat à populo ex eo solum, quòd petierint sibi dari regem? Nonne sub rege possent etiam fidelissime ambulare corã Deo? Equidem nouerat iam Dominus, quanta mala parturit regnandi ardor; & vt cum primum Regni solicitudo intraret in populo Israelis, intraturus etiam erat diuinorum contemptus. Ait D. Cyrill. Alex. in dictum locum Oseæ: *Nec solum ex Ægypto eduxit, sed etiam custodiuit, in vero enim, & naturali Deo colendo perstiterunt. Postquã autem sub Regno fuerunt; dilectioni erga Deum valedixerunt.* Ecce tibi vbi regnandi ardor in populo illo percrebuit, statim exsibilata est Dei dilectio,& quidquid diuinitatis apparebat, fuit contemptũ. Vtinam absit à religiosis familijs hic dominandi affectus, qui prorsus extinguit diuinam dilectionem,& amorem bonorum cœlestium. Nihil enim est, quod sic teneat hominũ animos, vt Deus contemnatur, quam ambitio Regibus gratificandi. Tempore Constantij Imperatoris, Arriani mixti cum gentilibus templum Dei impetiuere. Quorum vnus sellam pontificiam ad terram dejciens, fracmento ligni prosiliente transfoditur, & mortuus est. Alter ramo exaltato, dum sacra ridet, lumina statim perdit. Quid tunc? Ait D. Athanasius epist. ad solitarios: *Quibus conspectis, ethnici quidem in metuerant, neque plura ausi sunt. Arriani autem ne ita quidem repressi, quippe qui & ipsi quoque suas spes humi, & inferne haberent, in Cæsare nimirum, & in eius Eunuchis.* Quid grauius? Diuina miracula ethnicos mouẽt, & Arrianos non mouent, eo quòd oculos in Cæsare haberent, & palatinis. Sic ambitio regij fauoris tenet homines, ne videant diuina.

Matth. 2.

Chrysol.

Oseas, 12.

1. Reg. 8.

Cyr. Al.

D. Athan.

§. XIII.

Regnum Dei in Maria, & per Mariam.

NVnc primum auditur Saul metuisse Regno suo, cũ audit fœmineis cantibus prælatum sibi Dauidem. Ait enim: *Dederunt Dauid decem millia, mihi mille dederunt; quid ei superest nisi Regnum?* Ecce, vt à fœmineo cantu Regno suo trãslationem timet. Et quidem timuerit Saul, si à parte Dauidis videret validissimos duces, munitissimos exercitus, & exercitatissimos; at solas videns fœminarum choreas à parte illius; cur sapiens rex timeat? Vbi nulla virilis vox audiebatur pro Dauide, sed solus cantus fœmineus; cur translationem Regni suspicetur Saul? Nolo id solum dare Saulis ignauiæ, sed & ordinationi diuinæ, quæ Regnum Dei præmonstratum in Regno Israelitico in fœminæ vnius virtute, nempe in Maria, & stabiliẽdum, & æternandum ostenderet iam mundo. Notissimum est illud Ecclesiæ canticum, *Veni electa mea, ponam in te thronum meum.* Quod expendens Guarricus Abbas

Gua. Ab. serm. 2. in Assumpt. Mariæ ait: *Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quamdam Regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam.* Prodiuit equidem Maria, vt in illa diuini sedes Regni constitueretur, qua rex regum Iesus sedens iudicia decerneret, & nostras exaudiret preces. Non enim sic rex benignas præbet aures in suo regio throno constitutus, vt illas Iesus benignas in Maria præbet. Quo respiciens, Psalm. 64.

Psal. 64. clamabat ad illum: *Exaudi orationem meã: ad te omnis caro veniet.* Omnis quippè caro, paruus, & magnus, puer, & senex, Iudæus, & Græcus, Romanus, & Indus sese Iesu regi prosternet, illiusque deprecabitur vultum. Sed quis ad tantum regem tot gentium differentias deducet? Ait D. Au-

D. Aug. gust. ibi: *Cæpit ergo apparere iam rex ille, cũ diceretur; ad te omnis caro veniet. Quare ad illum omnis caro veniet? Quia carnem assumpsit. Tulit inde primitias ex vtero virginali; assumptis primitijs cætera consequentur.* Vt rex inter subditorum coronas, sic Iesus cæpit rex apparere vniuersos homines, quem omnis caro, hoc est, ex omni carnis genere homines adorare cæperunt. Et vnde coaluit tantũ Iesu Regnum? Merito ait: *Tulit inde primitias ex vtero virginali*; ex quo de Maria carnem sui corporis accepit, inde & omnũ hominum concursus ad illũ venit. Nec enim minimus auctus fuit Christi Regno, qui de Maria, & per Mariam non venerit. Angelus dicebat de Ioanne, Luc. 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*: ex quo mater eius dicit ad Mariã: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Debebatur Ioanni ex promissione Angeli ea gratia, qua ex vtero iret ad Christum, eiusque Regno ostenderetur adscriptus. Sed quando illam accepit? Cum primũ matris eius aures tetigit salutatio Mariæ; vt de Maria omnis caro veniret ad Christum. Ait Rupert. in Matth. 1. *De plenitudine gratiæ, quã dictum est: Ave gratia plena, primus Ioãnes accepit, & eodem spiritu sancto ficati sunt, & hæc mater domini, & ille amicus Domini.* Idem riuus gratiæ venit ad Ioannẽ, & Mariam, sed primum venit ad Mariam, in eaque stagnauit plenitudinẽ suam; & de Maria processit ad Ioannem, vt primus omnium haberet de Maria, quòd adscriberetur Regno Christi.

Luc. 1.

Matth. 1.

§. XIIII.

Plausus fœminarũ non ad dandum Regnum, sed ad tollendum aptiores sunt.

INscienter argumentabatur Saul ex fœminarũ plausu facto Dauidi, illi pene Regnũ dandum credẽs; ait enim: *Dederũt Dauid decẽ millia, mihi mille dederunt, quid ei superest nisi Regnum?* Dixisset sapiẽtius, Quid ei superest nisi perditio Regni? à fauoribus, plausibusque fœminarum nil citius accidit regibus, quã totius ruina Imperij. Verisimũ fuit illud Herodis ad Cæsarem dictũ in ruina Antonij Imperatoris apud Egesip. lib. 1. cap. 33. *Vicisti Cæsar Antoniũ legionibus tuis maximis; vero victus est virtutibus tuis, sed magis moribus suis. Vicit eum Cleopatra vxor. Mentẽ eius obstruxerãt Cleopatræ cupiditates; victus est, quia audire noluit.* Sed & illud, quòd de ipso Herode aiebat Egesip. ibi. cap. 36. *Hanc regis potẽtiã prosperis affluentẽ successibus vnus mulieris expetita societas inclinauit.* Et quæ regna non inclinent fœminarũ plausus? Dicebat Dominus per Nathan ad Dauid, 2. Reg. 7. *Suscitabo semen tuũ post te, quòd egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnũ eius. Ipse ædificauit domum nomini meo, & stabiliam thronum eius, vsque in sempiternum.* Quæ verba creduntur pro Salomone dicta, quãdo ipse filius Dauid templum Domini ædificauit; sed D. August. putat minime illa in Salomone

Egesip. 1.

Egesip. 36.

2. Reg. 7.

mone implata fuisse, præcipue ea, quæ stabilitatem Regni promittebant, dum dicit: *Stabilitam thronum eius, vsque in æternũ.* Quando enim Salomonis Regia plena erat fœminarum, nulla eius Regni poterat esse firmitudo. Ait August. lib. 17. de Ciuit. cap. 8. *Hanc ergo tam magnam promissionem qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat. Attendit enim, quod dictum est: Ipse ædificabit mihi domum, quoniam Salomon templum struxit: & non attendit: Fidelis erit domus eius, & Regnum eius, vsque in æternum coram me. Attendat ergo, & aspiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus Deos falsos, & ipsum ab eis Regem aliquando sapientem in eandem idololatriam seductum, & non audeat existimare talem Salomonem, domumve eius futuram.* Equidem qui viderit Salomonis Regiam plenã mulieribus, earumque delicijs captum Regem, minime credet, de illo dictum à Deo, quod Regnum eius in æternum stabiliet. Non enim Regnum durat, sed magis perditur per mulierum plausus, & delitias.

D. Aug.

August.

§. XV.

Affectus ad fœminas respectus omnes alios, & obligationes perdit.

ILlud maximè execrandum de Saule dicitur, nimirum: *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* Viderat Saul Dauidem egredientem ad pugnam, viderat triumphantem de Philisthæo, & nõ inuiderat, sed magis in iuuene, & libertatem suam, & Regni securitatem amabat. At vbi videt iuuenem fœminarum vocibus extolli, ex tunc recruduit æmulatio, & cæpit odisse benefactorem tantum. Sed quando æmulatio nõ præualuit in ipsa victoria, vt Dauid male haberetur à rege; cur in fœminarũ cantu præualuit? Nonne gloriosius fuit Dauidi, quod metuente Rege, & exercitu, ipse solus auderet in hostem, illumque prosterneret; quam quod à fœminis cantaretur? Cur ergo cum se infacinore Dauid superiorem Rege ostenderet, non male fuit habitus; & cum à fœminis cæpit cœlebrari, ex tunc odium Regis in illum exarsit? Crede mihi non æmulatio pro gloria, sed pro fœminis erat, quæ sola perdit respectus omnes, & obligationes alias. Dicebat Oseas, cap. 5. *Quia nunc fornicatus est Ephraim: non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum.* Circa quæ verba D. Hieron. ait: *Spiritus fornicationis possidet eorũ corda captiua; & id circo illo regnante Dominum nescierũt, imo obliti sunt creatoris sui.* Equidem vbi regnat mulier, ibi iste spiritus, omnes aliæ obligationes parentibus, benefactoribus, & ipsi creatori debitæ obliuioni dantur. Quid, quod homini beneficeris? Quid, quod illi securitatem, & vitam dederis? Quid, quod totum illum creaueris, è nihiloque eduxeris ad Regnum? Si pro fœmineis fauoribus interuenerit æmulatio; obliuiscetur homo benefactorem suum, obliuiscetur parentem, obliuiscetur creatorem. Patietur homo pro amico, pro benefactore suo bonis spoliari, imò, & sæpe illi honores cædet; at vbi res est de fœminarũ fauoribus, & plausibus, nullius amicitiæ, nullius debiti habetur ratio, vel creatoris sui obliuiscetur. Vt merito de hoc affectu dicatur illud, Cant. 8. *Dura est sicut infernus æmulatio.* Sicut enim in inferno omnium bonorum est odium, & execratio, nullius officij memoria, quæ non impellat ad blasphemandum, vt etiam patris, benefactoris, creatoris benignissima vocabula odio habeantur; sic in affectu, qui pro fœmineis fauoribus æmulatur. Vt in vtroque dicamus illud, Psalm. 6. *In inferno autem, quis cõfitebitur tibi?* Neq; enim in inferno, neque in æmulatione pro fœminis inueniatur, qui benefactorem cõfiteatur, sed rabido odio illum prosequatur.

D. Hier.

Cant. 8.

Psalm. 6.

1. *Reg.* 18. Post diem autem alterum inuasit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua sicut per singulos dies; tenebatque Saul lanceam, &c.

§. XVI.

Irati, & furentes leniter, & suauiter sunt tractandi, vt eos in sanitatem trahas.

QVasi Phytonis Spiritu correptus sic Saul furebat, & vociferabatur in Aula; quem Dauid citharæ suauitate placabat. Dicit nãque. *Inuasit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ; Dauid autẽ psallebat manu sua, &c.* Cũ audis

Oseas. 5.

audis verbũ *prophetabat*, ne credas à Saule aliquâ prophetiâ de sanctorum prophetarum more editam; sed quod Phytonissarũ voces, furoresque æmularetur. Et merito sic furenti regi medelam proponit Dauid in cantus, citharæve suauitate; iratus enim furens ve animus nullo citius, quam suauitate placatur. Aiebat ad hæc Richard. Victor. lib. 2. Miscellean. 2. cap. 13. *Dum Saulem Spiritus malus inuadit, citharæ Dauid eius insaniam temperauit. Quia cum sensus potẽtium per elationem in furorem vertitur, dignum est, vt elocutionis nostræ tranquillitate, quasi citharæ dulcedine ad salutem reuocetur. Durus adamas incisionem ferri non recipit; sed lenis hyrcorum sanguine mollescit.* Vt enim ad edomandam adamantis duriciem ferreis ictibus minime instas, sed magis mollem aspersionem sanguinis adhibes; sic ad temperandam furentis hominis rabiẽ non durus accedas, sed lenis, sed blandus. Actor. 7. nactus Stephanus Pharisæorum concionem aiebat ad illos: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto restitistis, &c.* Sed inde raptus ad supplicium, à furente turba lapidabatur; *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem::: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Compone illam duritiem, & hanc mansuetudinem: in primis totus ferreus homines confodiebat aiens: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, &c.* modo totus melleus, & suauis illis veniam precabatur. Et cur modo desistit abilla prima seueritate? Cur nõ magis furentes exagitat, durosque vocat, & incircumcisos? Sane vbi placide audiẽtes videt, illos increpauit; vbi autem furentes eos excepit, à rigida increpatione cessauit; & magis suauitate, & charitate illos fouebat, placabat. Ait D. August. in Psal. 132. *Quando debuit plus irasci Stephanus, quando audiebatur, an quando lapidabatur? Ecce mitis factus est cũ lapidaretur, & sanie bat cum audiretur. Venientibus in se lapidibus non victa est charitas, quia vnguentum à capite descenderat, &c.* Proh sapientissimus medicus, vbi placide audientes vidit Iudæos, cucurrit ad ferrum, eorumque duritiẽ duris increpationibus domabat; verum cum illi in furorem versi essent, multaque & clamantes dicerent, & facerent, ipse ferrum increpationis dimisit, ad vnguentumque venit charitatis, quo eorum animos foueret, mollefaceret, vt inde irent in sanitatem. Sic qui furentes, & tumentes amat curare; non ferrum adhibet, sed vnguenti suauitatem.

Rich. Vi.

Actor. 7.

D. Aug.

§. XVII.

Christus dæmonibus exitialis.

DIabolicus Spiritus inuaserat Saulem; illumque maxime agitabat, aduersus quem Dauid citharam parat; sic ait: *Dauid psallebat manu sua, &c.* Sed quid virium citharæ habẽbat aduersus diabolum? Ait Richard. Victor. lib. 7. Allegor. cap. 2. *Dauid adhuc puer in citharæ suauiter, imo fortiter canens malignum spiritum, qui exagitabat Saulem, compescebat: nõ quod eius citharæ tantam virtutem haberet, sed figuram crucis Christi per lignum, & cordarum extensionem gerebat, qua iam tunc dæmones effugabat.* Et cur dæmones nõ fugarentur, & perderentur, vbi vel vmbra Christi monstrabatur? Crede mihi, quidquid Christi est, prorsus est dæmonibus exitiale. Ad hæc Abacuch, cap. 3. locutus cum Christo Domini ait: *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Et quæ erant sagittæ hæ adeo splendidæ iaculatæ in regnum tenebrarum? Accipite D. Cyrill. Alex. ibi fantem: *Electi discipuli iacula, & sagittæ fuerunt, volauere veluti è manu robustissima, & quemuis ad mortem percussum penetrantes. Iacula huiusmodi, vt à manu Christi, fulgent illa quidem, diaboli autem viscera bus infigunturi, draconemque interficiunt. Cõsummantur itaque huiusmodi iaculis dæmonum æternæ, & inimicis exitialia fiunt.* Sic quidquid Christi Domini est, exitiale dæmonibus inuenitur, de quo plura dixi, Tom. 2. in Euang. lib. 7. cap. 3. §. 1. & alibi.

Rich. Vi.

Abac. 3.

Cyril. Al.

§. XVIII.

Verba Dei ita expẽdenda sunt, vt operationum sanctarum fructum faciant.

NOn præteribo mysteriosam illã propositionem in textu dictam nimirum: *Dauid psallebat manu sua:* quippe dum ait *psallebat*, psalmorum cantus videtur spectare; quibus Dauid aduersus dæmonem stabat, vt concors est sententia Patrum. Sed illud inusitatum, quod psalleret manu. Manu enim fides pulsantur, verum psalmi non manu, sed ore canuntur.

huntur. Cur ergo, quod ore fiebat, dicitur manu factum? Scio psalmorum cantum ab ore venire, sed quia psalmorum diuinorum cantus est, sic pronuntiari debet, vt quidquid ore dicitur, manus exequatur, ne verba diuina dentur ad solum aurium solatiũ, sed ad vtilitatem, & operationem virtuosam manuum. Hoc me docuit illud Deuther. 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem, iuxta altare.* Et illud, quod Gedeoni dictum est Iudic. 6. *Nemus, quod circa arã est, succide.* Cur enim Deus tam anxie cauit, ne iuxta altare diuinorum Sacrificiorum nemora, lucique essent? Fateor in nemoribus, & lucis fuisse à gentibus sacrificia data Idolis. Sed id etiam fiebat in aris, & tẽplis; nihilominus Deus non templa abiecit, nec aras. Cur ergo magis se ostẽdit iratum contra nemora, & lucos? Ait Richard. Victor. 2. Miscellean. 2. cap. 20. *Nemus iuxta altare plantari prohibetur; quia infructuosi sermones circa diuina dicta non sunt admittendi.* Vt nemora, & luci infructuosis constant arboribus, quæ frondibus viridantibus amœnant intuentium oculos, nullum tamen fructum proferunt; sic significant Doctores illos, quorum studium totum est circa corticem literæ, vel circa verba, & altissima cacumina conceptuum; quidquid autem morale est, aut allegoricum, aut spirituale, quod vitas componat hominum, spes fultiat, id tanquam venenum expuunt. Sane ij dum solis corticibus, & foliis dant operam, nemora, lucosque faciunt frondosos iuxta altare Domini. Qui minime ferendi sunt, sed prorsus excindẽdi, quæ enim verba Dei sunt, magis fructum spectant, non cortices, non folia. Et sic expendi debent, vt transeant ad manum, nimirum ad sanctarum virtutum operationem. Matth. 21. discipuli domini *adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & Iesum desuper sedere fecerunt.* Ad quæ verba tractanda vbi accedit D. Athanas. per integram homil. in hoc asino à Dominis suis ligato, & ab Apostolis soluto statum naturæ humanæ speculatur sub vitiorum tyrannide, vt se ab illis per Christi discipulos liberabit. Et quid hæc cum litera textus, cum acta rei historia? An nõ satius explicaret, vt tota illa tollendi asini historia paracta est? An non gratius rethorum more, asini venustatem pulchris verborum coloribus delinearet? Absit hoc à tãto doctore, cuius erat textus sacros, & verba diuina, non ad solos cortices, & folia deducere, sed ad fructus operationum sanctarum; ne solum aures, vel oculos amœnarent, sed potius implerẽt operibus manus. Sic ipse aiebat: *Ecce rex vester venit mansuetus sedens in asino. Salua igitur historiæ fide, perscrutor, quæ in ea defossa sunt. Perscrutemur inibi thesaurum repositum, quæramus Spiritus efficaciã: non enim nudæ historiæ attendimus, quæ propria est Iudæorum vesania.* Expende illud: *Quæramus Spiritus efficaciam*; ecce tibi, vt in verbis diuinis, quærendum est, quod reducatur ad manus, quod Dei Spiritu imbuti efficiamus. Væsania iudaica est in cortice hærere, siue in foliis: sapientis doctoris est ad fructum respicere, vt manus virtutibus diuinis impleantur.

Deut. 16.

Indic. 6.

Ric. Vict.

Matt. 21

§. XIX.

Aulæ discrimina lethalissima.

QVid periculosius, quam Aula? Erat Dauid in Aula floridissimus, & adeo securõs, vt citharæ pulsandę vacaret pro Rege recreando, interea lancea illi parabatur, eiusque interitus cogitabatur. Sic enim ait: *Dauid autem psallebat manu sua: tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putãs, quod configere posset Dauid, &c.* Teneat ille in Aula citharam, qua Regi officium præstet gratum; tenebit alius, imo tenebunt mille lanceas, hoc vnum putantes, meditantes, quod illum cõfigere possent. Dum placidior quis est, & gratior in munere suo, in quo anxie curat principem leuare; certiores aduersus eum parantur lanceæ, in certiora discrimina trahitur. Pro infidá conditionem aularum! Nota est Israelitarum expugnatio à Nabuchdonosor peracta: quando vniuersi Israelitæ ducti fuerũt in Babylonicum ergastulum. Et viri, & fœminæ, & senes, & pueri Hebræi capti erant Babylone, & vinculati. Interea Dan. 1. *Ait rex Aspbenes præposito eunucorum, vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, &c. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, vnde bibebat ipse, &c.* Nonne hoc putaretur fœliciſsimum cautiuis pueris, quod de ergastulo tollerentur ad Regiam, ibique alerentur ipsis Regis cibarijs? Sane quos tempestas captiuitatis à vinculis eripit, & in Aula constituit; nonne possunt credi appulisse ad portum fœlicitatis? Absit, imo potius credantur, ad syrtem quam-

Dan. 1.

dam, scopulosque fuisse allisi, & iactati. De ijs D. Chrysost. fatur hom. Quod qui se ipsum non lædit, nemo lædere possit, habita in tom. 6. nuper edito, ex translatione cuiusdam Religiosi è Societate Iesu:

Chrys. *Quia etiam in domum regiam, tanquã in scopulum quendam, ac præcipitium, & pelagus laxus, periculosque sub æqualaribus refertum introducti sunt, sine gubernatore, sine proreta, sine nauis, sine velis sæuum illud mare nauigare coacti.* Equidem, quod accidit nauí à tempestate iactatæ, nautis, gubernatoribus, velis destitutæ, inter scopulos, syrtes, saxaque ingentia receptæ; id ipsum accidit ijs, qui in Aulis Principum recipiuntur, nec gradum faciunt, quin euidentissimum emineat periculum. Nihil ibi securum, nihil non lethale, vndique discrimina, & mortes exurgunt. De quo habes plura, Tom. 2. de Christo Figurato lib. 5. cap. 5. §. 11.

§. XX.

Ab vna Dei potestate venit, quod iteratum periculum euadas.

TAndem Saul cognoscit Dei virtutem assistentem Dauidi; dicit enim text. *Et declinauit Dauid à facie eius secundo. Et timuit Saul Dauid, eo quod Dominus esset cum eo.* Et vade in hoc euentu nouit Saul Deum esse cum Dauid? Cur id non magis antea nouit? Rationem indigitant illa verba: *Declinauit Dauid à facie eius secundo*: non semel Dauid lanceæ iactum declinauerat, sed semel, & bis; quando autem secundo incidens in idem lanceæ periculum, secundo etiam euadit immunis, tunc clarissime ostendit sibi assistentem virtutem diuinam. A sola enim Dei virtute venit, quod quis euadat iterata pericula. Quis ignoret Petrũ ter venisse in baratrum negationis? Post hæc ait Matth. 25. *Recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat, antequam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flenit amare.* Tres negationes lachrymis diluit, & liber euadit. Quo spectãs D. Chrysost. orat. in Apost. 12 habita, 6. tomo: *Petrus cum inficiatur venia dignus est; cum resipiscit admiratione.* Quis hoc credat, quod mirum sit, quod Petrus resipiscat? Cũ discipulus Iesu fuerit, cum in eius schola versatus, cum eius doctrina imbutus, cur tribuatur miraculo eius resipiscentia? Plane cum non semel, sed & iterum ad negationem venerit, & inde euaserit liber, manifeste patet non id actũ esse legibus gratiæ communibus, sed aliquam ibi admirabiliorem concurrisse virtutem diuinam. Vnius enim Dei est mirabilis potestatis; quod iterata pericula euadantur. Hinc sapientes viri maxime cauent, quod secundo ad eadem pericula deueniatur. Sic 1. Reg. 15. Samuel petit ad se adduci Agag Regẽ Amalech; *Et in frusta concidit eum Samuel coram domino in Galgalis.* Et mirabertantam fuisse Dei prophetæ seueritatem, vt regio viro minime parceret. Cur bonę non magis vereris purpuram? Cur tremẽtem regem sub gladio non doles? Ait Prudentius in Psychomachia. 1. Reg. 15.

Nec victum vincere regem Prud.
Incircumcisum patitur; nec præda superstes
Victorem placidum recidiua in prælia pascat
Parcere iam capto crimen putat ille tyranno.

Qui nouerat, quam nisi à Deo periculaiterata euadantur, cum semel Israelem videt à rege Amalech liberum, & victorem, funditus perdit regem, ne iterum prælia instauret, nec secundo vocet in periculosa certamina. Crede mihi, nemo prudens secundo venire in eadẽ pericula non cauet. Stultissimus diabolus nihil magis curabat, quam secundum Adamum in heremo famescentem ad escas trahere clamans, Matth. 4. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Quem deridens D. Maxim. hom. 1. in Quad. ait: *Frustra diabole iterum per escam supplantare conaris.* Quando iam non primus, sed secũdus erat diaboli aduersus hominem per escam conatus, frustra diabolus eadem pericula instaurat, vel enim ex hoc solo capite erant à sapientissimo Iesu eliminanda. Matth. 4. D. Max.

§. XXI.

Vnius Dei est, quod inuidia suis donis non præualeat.

NOuit equidem Saul Deum in Dauide operantem, quãdo vidit eum regiæ lanceæ ictum declinasse; sic dicit textus: *Declinauit Dauid à facie eius secundo. Et timuit Saul Dauid, eo quod Dominus esset cum eo.* Antea viderat Saul declinantem Dauidam à Goliath, quem armatum inermis prostrauerat, nec dicitur inde nouisse Deum esse in Dauide; modo autẽ cum videt eum declinantem indemnem à iactu lanceæ, statim nouit Deũ in Dauide operari.

operari. Et cur cum Dauid euadit ictum lanceæ à Saule iactæ magis ostenditur Dei viribus pollere, quam vbi declinauit Philisthæi arma? Sciebat Saul suæ lanceæ iactum ab inuidia fuisse, qui autem possit facere, ne inuidia donis suis prævaleat, is solus Deus est, non alia potestas creata. Sunt equidem multi principes, qui ingentia dona dederũt suis amicis, atqui potuerint facere, ne inuidia aduersus ea prævaleat, nullum inueni adhuc; solum id puto inueniri posse in Dei aula. Notissimum est illud Spiritus Sancti assertum, quod *inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: quippe aggressus primos hominẽs in Paradiso; illos fecit per vetitũ esum morti subiacere. Sed statim accurrẽs Deus, Gen. 3. ad serpentem: *Ipsa conteret caput tuum.* Hieron. legit: *Ipse conteret*: alij legunt: *Ipsum conteret.* Ex quo ait D. Leo apud Lypom. in Cat. *Ipsum conteret caput tuum, scilicet semen mulieris. Deus omnipotens, & clemens, statim vt diabolica nos malitia veneno suæ mortificauit inuidiæ prædestinata remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit, &c.* Itaque cũ primum inuidia diaboli nos morti dedit, statim bonus Deus accurrit remedium parans, quo viuamus. Sed cur Deus tam velox accurrit, vt genus humanum saluaret, qui Angelos desiuit esse in suæ damnationis malo? Beneficia à Deo in hominẽ profecta occasionem fecerunt, qua diabolus inuidens generi humano illud perdere voluerit. Inde Deus subuenit homine suo, nefas ducens, quod inuidia suis donis prævaleat. Pulchre, & sapienter dicebat Theodotus, hom. 1. de Nat. habita in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 9. *Nefas enim erat, vt inuidia Domini gratiam superaret, sed neque decebat quoque, vt Dei donum diaboli insidijs quasi deuictum caderet.* Mundialium principum dona, & beneficia ingentes nutriũt inuidiæ flammas, nec possunt illas extinguere, sed tandem ab illis superantur. Quis in Regijs mundialibus tandem aduersus inuidos prævaluit? At Dei dona licet inuidos excitent; tamẽ habent Deum qui possit, vel aduersus inuidiam pugnare, & qui nefas putet, quod sua dona, & beneficia ab inuidia superentur, & funditus perdantur. Notus omnibus est ille cæcus à natiuitate, cui Iesus lumina dedit, Ioann. 9. is post acceptum beneficiũ adductus est in Pharisæorum Concilio, ibi interrogatus de illuminatore suo clare confitetur, *Quia propheta est.* Imo semel iam explicato beneficio, cum adhuc interrogaretur, & videret male affectos erga Iesum, ait: *Dixi vobis iã, & audistis, quid iterum vultis audire? Nunquid, & vos vultis discipuli eius fieri?* Et tandem ait: *In hoc mirabile est, quod vos nescitis, vnde sit, & aperuit oculos meos.* Et nemo est, qui non miretur tantam dicendi libertatẽ in mendico homine coram Pharisæis. Cur non magis opprimebatur authoritate tantorum principum pauper homo? Cur non magis obmutescebat, nec loquebatur de beneficio accepto, quod tantorum virorũ animos offendebat? Non id fiebat ab alio, quam ab vno Deo, qui vt vidit Pharisæos inuidia, & æmulatione rem miraculi exagitare, sic mendico affuit, ne diuinum donũ ab inuidia superaretur. Stat enim Deus pro donis suis, ne inuidiæ cædant. Dicebat D. Chrysost. ho. de æmul. & cæco nato habita, 6. tom. *Pharisæi, & principes Iudæorum videntes multos ad Christum Dominum miraculum cæcinati trahere posse, impietatis æmulatione stimulati, & veritatis aculeo compuncti eum, qui cæcus fuerat, intro vocant. Ac videre erat miserum spectaculum, cum pietas exagitaretur, impy iudices disceptarent, magnus athleta certaret, & Deus certamini præsideret.* Quid pulchrius? Ecce tibi, vt Pharisæi impia æmulatione exagitati vocant sanatum cæcum in iudicio, cũ illoque disceptant de signo; & ille acerrime cum illis certat, certamini præsidet Deus; est equidẽ semper Deus pro suo alumno, qui inuidorum substinet tela, ne sua dona inuidiæ prorsus cædant.

Gen. 3. — D. Leo. — Theod. — Ioann. 9. — Chrysost.

1. *Reg.* 18. Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros, & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi. In omnibus quoque vijs suis Dauid prudenter, &c.

§. XXII.

Aulici, & curiales prorsus nesciunt egressum ab Aula, & inde periclitantur.

NOn semel, sed bis, & ter repetitur in hoc capite illud Dauid elogium: *Egrediebatur, & intrabat in conspectu populi*: sic etiam post pauca repetit: *Ipse ingredie-*

grediebatur, & egrediebatur ante eos: & circa capitis initium etiam dictum est: *Egrediebatur quoque Dauid ad omnia, quæcumque miſiſſet eũ Saul.* Sanè qui in curias, aulasve Principum læti, & floridi ingrediantur, multi sunt; at quod æque inde egrediãtur, & sese ad sua sapienter reducant, rari, aut nulli sunt. Aiebat cantatissimus aulicus Petrus Blesensis epist. 150. in qua temperat, quæ alibi de curialibus dixerat: *Sanè*

Pet. Bles. *periculosum est in curia mori, nec leuiter ascendet ad eminentiam perfectorum, qui se castrensibus alligauit vinculis, & curialem incidit labyrinthum.* Non damnat ingressum in curiam, ingressum in aulam, sed putat necessarium inde egressum, quando periculosum est ibi mori. Sed quis, vt ingressus est, sic egredietur? Id Dauid præstaret, & alius quiuis perfectissimus, herculeisque viribus prævalens; quicumque talis non sit, *curialem incidit labyrinthum.* Est equidem curia, & aula labyrinthus, qui facilem præstat ingressum, sed qui inde egrediatur, non inuenietur. Felicissimus erit, qui ab hoc labyrintho se expedierit. O-

Oseas. 2. seas, cap. 2. dicebat: *Dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem.* Alij legunt: *Ad filum spei.* Nec miror, quod vallis Achor, hoc est, vallis turbationis detur ad filium spei. In sola enim perturbatione, & ærumna habent homines filum spei, quo ducti liberi egrediantur à labyrintho curiæ, siue aulæ. Fabulosus ille Hercules labyrinthum ingrediens filum ad limen religauit, quo deinde ducto, totum inambulauit labyrinthum, & cum egredi voluit, facillime fili volumina explicando egressus est. Et quod filum erit, vt ingrediamur facile, & egrediamur à curia? Nullũ aliud inuenies, nisi filum, quod ærumnæ, & turbationes, faciant. Qui in aula turbationem incurrit, filum habet, quo inde exire sperare posset. Qui autem feliciter ibi degit, metuat ibi periclitari. Non ignobilis aulicus Dauid

Psal. 54. clamabat, Psalm. 54. *Ab altitudine diei timebo.* Cur in aula, & cura degens magistimeat sibi ab altitudine diei? Per altitudinẽ diei intelligitur maior diei claritas, & splẽdor, qualis meridie est; & merito à lucis, & fœlicitatis abũdantia timet sibi homo aulicus, illa enim ibi detentus, fiet ne se recipiat ad sua, & ibi in discrimina abeat. Rem pulchro exẽplo exprimit Ænæas Siluius lib. 1. de gestis Alphonsi fatus: *Indicæ testudines meridiano tempore blandiente, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec oblitis sui solis vapore siccetur coriex, vt mergi nequeant, iamque in vita natent opportuna ve-*

nantium præda. Ita quidem spe rerum magnarum allecti in principum aulas sese conijciunt, & adeò deliniuntur aulæ delitijs, donec imprudentes eo redigantur, vt non possint, etiam si velint, in suum otium se recipere. Sanè testudines indicæ à suis latebris exeuntes pomeridiana luce dum aquarum superficie vehuntur, cortices earum pomeridianis Solis radijs sic siccantur, & arefiunt, vt fluitantes de super, nequeant mergi, nec ad sua se recipere, quo fit, vt venatoribus pateant. Sic qui ad splendores aulicos ingreditur, inter fauorum prospera sic arescit, & fluitat, vt minime inde exire valeat, sed magis periculis pateat.

1. *Reg.* 18. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tãtum modo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat dicens, Non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philisthinorum, &c.

§. XXIII.

Quæ Domini sunt non ruinas, sed victorias pariunt.

STultissime Saul morti daturus Dauidẽ, illũ ad prælia Domini agitãda mouet. Dicit enim: *Esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat dicens, Non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philisthinorum.* Plane volebat Saul, quòd Dauid à Philisthæis percussus caderet; & inde inflammabat eũ ad bellum dicens: *Esto vir fortis, & præliare bella Domini.* Quid stultius? Non quæcumque bella, sed notanter bella Domini præliari Dauid monetur, vt ruat, & pereat: quo nihil stultius potuit excogitari. Bella enim Domini, eo ipso, quòd Domini sunt, non ruinas, sed victorias pariunt. Nihil vnquam fuit adeò ad ruinam propẽsum, quòd eo ipso, quòd Deo fuerit appropiatum, non statim magis ad triumphos, & glorias valeat. De Moyse dicebat Paul. ad Hæbræos, cap.

Ad Heb. 11. *Negauit se esse filium filiæ regis Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem; meliores diuitijs æstimans thesauro Ægyptiorũ, improperium Christi.* Ecce tibi Moyses diuina

uina prouidentia deductus fuit ad Regiam Pharaonis, ibique regijs honoribus nutritus, vt populi sui salutem, & libertatem curaret. Ipse autem grandis factus Regiam reliquit, regiosque cognatos adiuuauit, afflictiones autem, & opprobria cum populo suo fuit amplexatus. Et quando à Deo in honores regios fuerat deductus, vt populo faueret; cur ipse afflictiones, & opprobria maluit? Nonne inter opprobria, & afflictiones magis ipse caderet, quàm alios foueret? Cur ergo illis reiectis magis hæc voluit. Insinuant rem illa verba: *Improperium Christi*; non equidem quæuis improperia accepit, sed improperia Christi, quæ autem Christi sunt, non ruinam, sed glorias, sed triumphos pariunt. Ad hæc dicebat Theodot. hom. 2. de Nat. habita in Concil. Ephes. tom. 6. cap 8. de laboribus

Theod. Iesu agens: *In se suscepit crucem, peruli t colaphos, vt huiusmodi perpessiones Dei propria effecta victoriam aduersus passiones nobis obtinerent. Mors nãque ipsius Dei facta mortem demolitur.* Et mors, & colaphi, & improperia eo ipso, quòd Deo appropriata sunt, victorias omnium malorum cæperunt nobis parturire. Vt merito dicat Apocalyp.

Apoc. 5. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, &c.* Leo triumphaturus promittebatur, & agnus occisus exhibebatur. Quid agnus ad Leonẽ? Quid occisi, & defuncti species ad triumphos? Equidẽ agnina infirmitas, & mors in Deo erant, & propriæ Dei factæ ostendebantur, merito simul triumphaturæ promittebantur. Ex quo Theodot. hom. de Nat. habita in Concil. Ephes. appendice. 5. cap.

Theod. 2. ait: *Si non fecisset Deus proprias passiones, vnde passionibus Christi tantarum correctionum facta virtutes? Quomodo peremptа esset morte mors, nisi Deus propriam eam fecisset?* Equidẽ nec improperia, neque mors possent triumphos agere; nisi Dei propria essent facta. Vbi autem mors Dei dicitur, vbi dicuntur Dei improperia; nihil nouerunt nisi triumphos & glorias Dei militibus parere.

§. XXIIII.

Sola æterna spectata nos faciunt, vel in temporalibus securos.

FIliam sponsam Dauidi promittit Saul, vt hominem agat in prælia infelicia, in quibus ruat. Sic ait: *Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem; tantùmodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat dicens; Non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philisthinorum.* Plane intendebat Saul Dauidẽ conijcere in infelicia certamina, quibus manu Philisthinorum periret, & ad hoc illi promittebat filiam suam maiorem. Et cur, vt Dauidem impellat ad certamina infelicia, in quibus pereat; illi pro præmio proponit nuptias filiæ suæ? Equidem merito sperarentur infelicia certamina, & ruinæ Dauidi, si in laboribus suis tẽporalia hæc regalium nuptiarum bona spectaret; sola enim æterna spectata hominem, vel in temporalibus securum, & firmum faciũt. Hinc Magis prædicantibus regis Iudæorum ortum, *Herodes rex turbatus est, &c.* Matth. *Matth. 2.* 2. Et cur ad Magorum vocem solam tantus rex turbatur, & timet regno suo? Nihil in illorum voce non suspicabatur temporale; vtinam ad æterna attenderet; nullam sanè turbationem, nec periculum timeret in temporalibus. Aiebat D. Aug. lib. 4. de symbolo ad catechum. *Quid metuis Herodes talem regem, qui sic venit regnare, vt le-* *D. Aug.* *nolit excludere? Quem quæris, rex regum est, si velles securus obtinere regnum tuum, ipsi supplicares, vt ab illo acciperes sempiternum.* Fallar, si quòd munimẽ fortius regno suo Herodes applicare posset, quàm si coram Deo præ æterno habendo supplicaret. Æternũ præ oculis positum, & sincero corde quæsitum faceret hominem securum, & firmum in temporali. Hinc adolescens cupiens ire ad sepeliendum patrem, & componenda sua, Luc. 9. non permittitur ire à Iesu dicente: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos.* *Luc. 9.* *Tu autem vade, annuntia regnum Dei.* Et cur non permittitur adolescens consulere, vel mortuo parenti? Non permittitur respicere ad temporalem patrem, vt respiciat æternum, in quo solo omnia temporalia firmabit. Ait D. Amb. in Psalm. 48. *Ideò* *D. Amb.* *prohibet, vt discipulus suus sepeliat patrem suum, quia æterno patri sine cessatione esse debet intentus.* Nec enim ad momentum debet oculos

oculos auertere ab æternis, qui amat non perire inter tẽporalia. Qui enim non æternis, sed temporalibus intentus est, non mirẽr, si in perditionem abeat. Matth. 23. *Va vobis Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.* Ecce damnantur à Iesu Pharisæi, eo quòd prophetarum, & iustorum sepulchra ornabant. At religiosum est, & valde religiosum, quòd sanctorum sepulchra ornemus. Cur ergo, quòd Christianis religiosum, & pium est, Pharisæis erat damnabile? In sepulchris sanctorum exornandis nihil æternum meditabantur, sed toti erant intẽti rebus, quæ corruptioni subiacent, & ideò dure à Iesu tractabantur. Aie D. Amb. in Psalm. 48. *Non otiosè Dominus eos arguit, qui ædificabant sibi sepulchra, vel tumulos prophetarum, & exornabant ea. Condemnantur ergo Iudæi, qui prophetis, quos occiderant, terrena solatia, non æterna præmia deferebant.* Et cur nõ pereat, qui nihil æternum, sed totum temporale meditatur?

Matt. 23.

D. Amb.

1. *Reg.* 18. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor. Dilexit autem Dauid Michol filiam Saul alteram, &c.

§. XXV.

Durissima homini est æmulationis tentatio.

ECce durius aliud spiculum cõtorquet Saul in Dauid; quàm illi promiserat sponsam intra certos dies dandam, cum dies completi sunt, non eam Dauidi, sed alteri tradit. Sic enim dicit: *Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli, &c.* Et esto, quòd Saul filiam non Dauidi, sed Hadrieli nubere vellet; cur nõ antea illam Hadrieli nupsit; sed expectauit, vt tempus promissionis Dauidi factæ adimpleretur? Perfidus homo ad filiæ nuptias expectauit illud tempus, quo magis animus Dauidis æmulatione morderetur, dum videret sibi tam debitam puellam alteri tradi. Et fallar, si quòd telum durius à Saule in Dauidẽ contortũ est, æmulationis enim prouocatio maxime adurit humanas mentes. Dicebant illi, Matth. 20. *Hi nouissimi vnam horam fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstum.* Vt ingentem suum laborem, & fatigationem exaggerẽt, supra aliorum fatigationem vocant illam æstum. Et qui æstus sic homines vexabat pios, vt ab eis murmura extorqueret, & querelas? Ait D. Thom. in Cat. *Pondus totius diei vocat ponderosa legis mandata; æstum autem vrentem erroris tentationem, quàm cõflabant spiritus maligni in eos, ad æmulationẽ gentium eos irritantes.* Ecce tibi, vt Spiritus maligni æmulationis flammas in operarijs illis excitabant, ingenti illos æstu premebant, sub quo gemerẽt, & afflictissime quererentur. Est enim homini pro ingenti pœna, & dolore æmulationis prævocatio. Quo spectans Paul. ad Rom. 10. ait: *Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam, in non gentem, in gentem insipientẽ, in iram vos mittam.* Quippe promissa Dei facta Iudeis, Gentibus data maximã æmulationem, & iracundiam in Iudæis excitabant. Et quanta hæc pœna in Iudæos? Ait Deuth. 32. *Ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, &c.* Equidem dum Deus promissa Iudæis facta dans abiectissimis gentibus occasionem præbet æmulationi Iudæorum, sese maxime in illos iratũ ostendit, nisi enim ab ira gehennam halante tanta non veniret pœna, qua Iudæi æmulatione excruciãtur. Vt merito dicat Theodor. in cap. 10. ad Rom. *Sic Deus Iudæos insigni molestia affecit. Neque enim tantum eis dolorem afferri, nec seruitus, nec dispersio, nec templi desolatio, quantum gentium in Deum religio, earumque claritas.* Sic exagitantur humanæ mentes æmulatione, vt præ dolore ab hac profecto, cæteri omnes dolores soleant pro nihilo reputari.

Matt. 20.

Ad Rom. 10.

Deuth. 32.

Theod.

§. XXVI.

Vnus Deus spectatus in laboribus susceptis, & murmurum, & querelarum tollit radices.

OBstupesce illud: *Cum deberet dari Merob filia Saul Dauidi, data est Hadrieli Malathitæ vxor. Dilexit autem Dauid Michol, &c.* Quàm sibi promissam iam expectabat Dauid, vidit alteri tradi; nec quæstus

quæstus est, nec ira excanduit, nec vllum verbum malum locutus est, contentus, si vel altera sibi daretur. Nō sic Iacob, Gen. 29. qui cum nō sibi datam Rachelem, pro qua seruierat, cognouit; statim socerum arguit clamans: *Quare imposuisti mihi?* Sic Sāson, Iudic. 15. vbi vidit vxorem suam alteri traditam, licet daretur illi soror eius, & pulchrior, & præstantior; ait: *Ab hac die non erit culpa in me contra Philistheos; faciam enim vobis mala.* Sic Iudæi videntes turbas gentium venire in vnius Dei fidem maxime afflictabantur, dicit enim, Actor. 13. *Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant ijs, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.* Quando ergo promissa sibi alijs data Iudæos in blasphemias trahunt, Samsonē in hostiles minas, Iacobum in iurgia, & querelas; cur à Dauide nec verbulum displicentiæ extorquēt? An Dauid illis hebetior, & vilior homuntio erat? Absit, sed in laboribus suis, & facinoribus non temporalia commoda, sed vnum Deum aspiciebat, qui solus potens est in suis radices tollere murmurū, & querelarum. Ait D. Chrysost. hom. 1. de Dauid & Saul: *Cum victoria præmium non accepisset Dauid, sed omnium illorum periculorum mercedem fraudatus esset, nec verbo quidem expostulauit vnquam, non cum militibus, non cum rege, propterea, quòd hæc non gessisset spe mercedis, cœlitus expectans retributionem.* Pro maximus Dauid! Docuit equidem nos, qualiter radices querelarum, & dolorum in facinoribus nostris tollamus. Si nimirum non spectemus terrenam manum retributoris, sed cœlestem. Si non temporale præmium, sed vnum Deum in omnibus inspiciamus. Est tibi vnus Deus præoculis in officijs, in operibus tuis? O quàm non querulus eis; nullus angulus te ostendet murmurante, sed lætus, sed hilaris semper ages. Respicis quid temporale? Nunquam non plenus eris querelarum, te omnes excipient obmurmurantem! Senior ille filius, Luc. 15. licet in bonis paternis esset cōstitutus, licet omnia patris illi seruarentur, iuxta illud: *Omnia mea tua sunt*, vbi vidit iuniorem fratrem post rēditum paterno conuiuio exceptum, sic statim queritur apud patrem: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.* Et mirabar, quòd qui tantus erat in officijs erga patrem; qui nullum patris præceptum præterierat, nunc ob hædum non datum tot conglomeret querelas in patrem. Tam valida est hædi negatio, vt tantum filium querulum faciat? Non equidem ex hædi negatione, sed ex alio capite hæ querelæ manabant: nimirum ex eo, quòd filius iste in officijs suis non vnū Deum patrem, sed & terrena bona spectabat, quo factum est, vt plenus inueniretur querelis, & murmuribus erga patrem. Hoc tibi persuade homo; quòd si terrena spectas, & non solum Deum, in quacumque prosperitate sis, quamuis se tibi omnes patres ostendant, semper murmurans inuenieris, & querulus. Ait Beda in præsenti: *Neque iste filius in omnibus Israelitis, sed in his intelligitur habere personam, qui nunquā ab vno Deo ad simulacra conuersi sunt. Quānis enim tanquam in agro positus iste filius terrena desideraret, ab vno tamen Dei ista desiderabat bona.* Ecce tibi radicem querelarum: *terrena desiderabat*: & quis terrena spectet, & querulus non sit? Vidi sæpe multōs à suis principibus ditatos, in magnas euectos dignitates; sed nullum non querulū, & principi non obmurmurantem vidi. Est equidem hæc propria passio terreni animi, quòd si, vel minima non accipat, magna obliuiscatur, & in querelas abeat. Dixi, si vel miuima non accipiat, & puto, quòd etiam accipiens omnia non cesset terrenus animus obmurmurare. Matth. 20. de dominicæ vineæ operarijs dicitur: *Accipientes murmurabant, &c.* Non cum non accipiebant hædum expatre; sed & cum accipiebant, in murmura, & querelas abibant. Cur cū accipis, murmuras? Ait Paschas. lib. 9. in Matth. *Propter, quòd idem populus in hoc loco murmurans introducitur, ex more magis eorum, qui semper in lege gloriantur.* Et quidem in querelas, & murmura veniebant, non ex defectu aliquo, sed ex more eorum, qui gloriantur in lege, qui nihil diuinum, nihil spirituale, sed temporalem gloriam legis spectabant. Ijs enim, qui temporalia spectant, mos est, & querelis, & murmuribus semper vacare.

Gen. 29.
Iudic. 15
Act. 13.
Chrysost.
Luc. 15.
Beda.
Matt. 20.
Pasch. 9.

§. XXVII.

In offensa Principis nulli te credas, sine dubio enim manifestaberis.

POst nuptā Merob manifestari cæperūt secūdæ filiæ Saulis, nomine Michol

amores erga Dauidem. Dicit namque textus: *Dilexit autem Dauid filiam Saulis alteram. Et nuntiatum est Saul, &c.* In originibus dicit: *Dilexit autem Michol filia Saul altera Dauid. Et nuntiatum est Saul, &c.* Aut nunquã, aut seriſsime parentes deprehendunt amores priuatarum puellarum; Micholis autem regiæ puellæ amor in Dauid ſtatim patri renuntiatur. Vt dicat Ioſephus lib. 6. Ant. cap. 11. *Dauid nuſquam diuina ope deſtitutus, quocumque mitteretur, rem feliciter agebat: vt ob eximiam fortitudinem non ſolum apud populum gratioſus fieret, ſed etiam Saulis filia virgo amore eius caperetur, ita vt nec patrem quidem latere id poſſet.* Ioſeph. 6.

Hæc eſt notiſsima creaturarum conditio, quòd priuatorũ offenſæ à multis abſcondantur, obnubilentur, at quòd ſit in Regum, potentumque offenſam ab omnibus manifeſtetur, renuntietur, ne poſsit latere. Superat enim regum gratia vniuerſos alios affectus. Quo ſpectans Eccleſiaſtes, cap. 10. monebat: *In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubili tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cœli portabunt vocem tuam, &c.* Eccleſ. 10

Quæ verba ſic pulchra paraphraſi elucidat Nazianzen. *Regi autem, & præfectis, aut proceribus audientem eſſe conuenit, ac non ipſis in offenſam venire, nec moleſtum vllum verbum in eos proferre. Periculum enim eſt, ne id etiam, quòd occulte, & remotis arbitris dictum fuerit, in lucem forte veniat. Etenim ſoli & diuiti, & magno regi nuntij celeres, & pennati omnia perferunt, ſpirituali ſimul, & rationali miniſterio fungentes.* Naz.

Quorum verborum illa mihi maximã admirationem faciunt, quòd qui renuntiant Regibus eorum offenſas factas abſcondite, dicantur *ſpirituli ſimul, & rationali miniſterio fungentes.* Vnde enim rationale, & ſpirituale miniſterium eſſe poteſt; quòd quis fratis ſui abſcondite peccantis in regem offenſam regi deferat? Sanè hoc quaſi carnaliſsimum vitium refutabat Dominus Leuit. 19. dicens: *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo.* Leuit. 19.

Circa quæ ait Dauid Cammius apud Delriũ in Adag. *Vt negotiator ventris cauſa huc, illuoque diſcurſat: ita paraſiti, & criminatores vltro, citroque commeant, vt habeant, quòd in aures auditorum infundant, & ita ſpargentes litium ſemina, amicos inter ſe committant.* Quid carnalius? Sanè carnaliſsimum eſt, & irrationale, quòd alij renuntiẽs, quòd malum de illo ab alio audieris. Quomodo ergo rationi conſentaneum, & ſpirituale putat miniſterium Nazianzenus, illorum qui renuntiant regibus, potentibus ve, quæ ſecreto factæ ſunt illis offenſæ? Plane, quòd carnale eſt, & irrationale reſpectu priuatorũ, vt quod lites, diſcordiaſque ſine vtilitate diſſeminet, forte ſanctum, & rationale erit reſpectu Regum, & principum penes quos ius eſt hominum mores corrigendi. Et adeò inſitum naturæ rationali eſt, quòd conſulat ſuis principibus, vt huic affectui omnes alij affectus cedere ſoleãt, & debeant. Hinc eſt, quòd Sanctus Hieron. referens Eccleſiaſtæ verba ad regem potentiſsimum Deum, aues deferentes illi verba offenſæ bonos Angelos intelligat: ait enim: *Angeli, qui terram circumeunt, & ſunt adminiſtratorij ſpiritus; ad inſtar animæ noſtræ verba, & cogitationes ad cœlum perferunt, & quòd clam cogitamus, Dei ſcientiam non latet.* Et quis neſciat Angelos hominum eſſe amantiſsimos? Nonne pro hominibus tutandis, ſeruandiſque apud nos inſeparabiles comites degunt? Nihilominus vbi aliquod verbum, aut cogitationẽ percipiunt, quæ ſit in Dei offenſam, minime tegunt, ſed ſtatim eã referunt. Nihil enim antiquius eſt creaturæ rationali, & ſpirituali, quàm latentes offenſas reuelare ſuo Regi. Vt dicat D. Auguſt. lib. de ſcala Paradi. cap. 9. *Caue tibi, ò ſponſa quomodo auertat ſe ſponſus. Non longe abijt: & ſi non vides eum, ipſe tamen videt te plenus oculis, ante & retro, nunquam potes eum latere. Habet enim circa te nuntios ſuos ſpiritus, quaſi ſagaciſsimos exploratores, vt videant quomodo abſenteipſe conuerſeris, & accuſent te coram ipſo, ſi aliqua ſigna laſciuiæ, & ſeurrilitatis in te deprehenderint.* Naz. D. Aug.

Eſt equidem Angelicis ſpiritibus in affectu cura hominum, ſed magis ſui principis Dei obſequiũ. Et quamuis amiciſsime nobis adſint, vbi aliquid, vel in receſſu cordis noſtri contra Deum deprehendunt, non celant ob amicitiam, non diſſimulant, ſed ſtatim ipſi renuntiãt ſuo principi Deo. Vt pateat, quàm rationale, & ſpirituale ſit, vt principibus noſtræ offenſæ renuntientur.

1. *Reg.* 18. Num parum videtur vobis generũ eſſe regis? Ego autem ſum vir pauper, & tenuis. Et renuntiauerunt ſerui Saul dicentes, Huiuſcemodi verba locutus eſt Dauid. Dixit autẽ Saul, ſic loquimini ad Dauid: Non habet

habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis, &c.

§. XXVIII.

Temporalium ſplendorum culmen periculoſum.

NOn ſemel regiæ nuptiæ Dauidi propoſitæ fuere, quas ipſe ſemper, vt arduas, & ſupra vires priuati hominis contemplabatur reſpondens: *Num parum vobis videtur generum eſſe regis? Ego autem ſum vir pauper, &c.* Cur non ſe magis audentem oſtendit? Cur rei oblatæ magnitudinem maluit exagerare, quam ſe illius oſtendere appetentem? Sapienter vir iuſtus non ſe offert tanto ſplendori, nõ enim parui, ſed magni roboris rem putabat eſſe in dignitatibus temporalibus ſecure degere. Ait enim D. Chryſoſt. hom. de Imperio, & poteſtate habita, tom. 6. *Magna potentia facere ſuadet, quæ Deo diſplicent: & ad modum forti animo opus eſt, vt quis collato ſibi honore, dignitate, ac poteſtate vtatur, vt oportet.* Equidem admodum fortis animi res eſt, in ſplẽdoribus temporalibus, vt oportet, degere. Vt ægre audaciæ crimen effugiat, qui ſe illis committit. Matth. 17. vbi Ieſus temporariam in ſe gloriam oſtendit, radiorum ſolarium æmulus, ſed Dominus; Petrus tãto ſplendore captus dicebat: *Domine bonũ eſt nos hic eſſe*: quem pungit D. Mar. cap. 9. *Non enim ſciebat, quid diceret*: nec miror, quòd ſtultus notetur homuntio vilis, qui tantis ſplendoribus temporalibus volebat aduiuere. Sed accipite, qualiter hominem corripiat D. Proclus orat. de Transfig. ex ore patris diuini inquiens: *Quid nam Petre; bonum eſſe locum ais? Tui ne ipſius oblitus es?:: Conſtitui te Cœlorum clauigerum, & nõdum audaciam nauticam exuiſti.* Expende pulchra hæc: *nondum audatiam nauticam* Et quid Petri petitio cum audacia nautica habebat commune? Nautæ ſe, & nauem vndis, ventiſque committunt; in ventiſque, & vndis confidunt; Petrus autem non in vndis, ſed in monte firmiſsimo, manſionem petebat; non ratem, ſed tabernacula fabricabat. Vnde ergo in Petro audacia nautica exprimebatur verbis illis? Equidem in eo audaciæ nauticæ notam incurrit, quòd temporarijs illis ſplendoribus viſis velit aduiuere; audacior equidem eſt, & temerarior, qui temporalibus ſplendoribus inhiat, vt in illis viuat, quam qui ſe vnius paruæ ratis beneficio vndis maris, ventiſque cõmittit. Inuenies forſam multos nautas, qui non ſemel ſuperarint maris fluctus, ventorumque rabiem ſecuri; at qui in ſplendoribus temporarijs, vt oportet, vixerit, aut rarus, aut nullus. Miratus Iſaias, cap. 14. Luciferi pulchritudinem, & fortitudinem clamabat eius caſum videns: *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris?* Cui ſtatim D. Hieron. in Pſalm. 81. admirationem tollit aiens: *Propterea cecidit, quia ſemper in cæleſtibus verſabatur.* Sanè fortis erat Angelus, & pulcherrimus, ingentibuſque bonis ditatus, ſed qua totus erat in ſplendoribus procurandis, nil non cœleſte, & glorioſum ſibi meditabatur, inde in miſſerrimum venit lapſum. Vide dicta Tom. 5. de Chriſt. Figur. lib. 9. cap. 3. §. 2.

Chryſoſt.

Matt. 27

D. Mar.

D. Procl.

Iſai. 14.

D. Hier.

§. XXIX.

Principes militibus hoſtes impugnant, diuitijs Deum.

ECce clariſsima optima principis regula inuenta in peſsimo Saule, nimirum: *Non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſtinorum, vt fiat vltio de inimicis regis.* Quæ verba ſic elucidat Ioſephus lib. 6. cap. 11. *Dicite nihil me morari pecunias, aut dona, quæ ſponſæ offerat. Paſcere autem pro nuptijs filiæ non aurum, aut argentum, ſed cladem Paleſtinorum, &c.* Non pecuniæ, non aurum, non argentum Saulem tenebant, ſed vnius hoſtium ruinæ deſiderio afficiebatur. Quòd vtinã in illo eſſet verum, vt eſt omnibus optimis principibus ſanctum, ne donatiuis auri, argentive egeant, ſed vitis fortibus, qui hoſtibus extremas inferant clades. Vt enim milites principem aduerſus hoſtes confirmant, ſic pecuniæ illum aduerſus Deum armant. Quo ſpectans D. Syneſ. lib. de regno ait: *Bono principi vbi nam tantis pecunijs opus eſt? Cũ neq́, inſolenti animi faſtu ſumptuoſa opera moliatur, nec temperati vſus loco inanem atq́, ambitioſam magnificentiam affectet, neque iuuenili conſilio in Scenicos ludos gnauorum hominũ labores conſumat, ſed nec plurimorũ bellorum neceſsitate cogatur.*

Ioſeph. 6.

D. Syneſ.

Rex autem pecuniæ appetens multo est institore turpior: hic enim familiæ egestati subuenit, in illo vero animi nequitia omni prorsus excusatione caret. Itaque cum bono principi nec plurima bella debeant esse, nec ambitiosa, inanisve magnificentia, nec scenicorum ludorum sumptus, nec insolentis fastus sumptuosa opera, non est vnde multis pecunijs, multoque indigeat auro. Et qui princeps auro, pecunijsque inhiat mercatoribus turpior est, & sceleratior; illi enim nummis armantur aduersus familiæ egestatem; principes vero nequitiam animi præseferunt, aduersus Deū armatam. Adest Nabuchodonosor, de quo Daniel, cap. 3. ait: *Nabuchodonosor fecit statuam auream, &c.* qui paulò ante mundialium regnorum statuam in somnijs viderat, non quidem totam auream, sed solum auream in capite, in cæteris & argenteam, & æream, & ferream, & fictilem. Sed quando mundialiū regnorum statuam nouerat tantum aureā in capite; cur ipse totam auream fecit sui regni statuam? Viderat etiam regnorum illam variam statuam à cœlesti regno concuti, & redigi in puluerem, metuesque sibi similia, aurum coaceruauit, & totam suam statuam auream fecit, quæ inde posset stare aduersus regnum diuinum. Ait Theodor. ibi: *Quia Deus in somnis maximam illi ostenderat imaginem è quadruplici materia cōfectam, per quam ipsi quatuor regnorum successiones declarauit, proprium fastum, quasi castra Deo opponens ipse quoque statuam construit: ex vna auri materia conficiendam.* Expende ab illis: *quasi castra Deo opponens*; quippè meditatus castra, quæ aduersus Deum belligerarent, vnam auri materiam quæsiuit, ex qua sola statuam conflauit. Plena enim auro regia statua merito credebatur Deo aduersaria, & contra illum pugnare.

Daniel, 3.

Theod.

§. XXX.

Regius animus alienus sit à diuitiarum cupiditate.

IAm illum sit principibus sanctum: *Non habet rex sponsalia necesse, &c.* hoc est iuxta explicationem Iosephi, non regem morantur pecuniæ, aut dona. Ab ijs enim maxime semper abest regius animus. Quod D. Synesius lib. 1. de Prouident. in suo Osyride primū commendat. Ait enim: *Caterum diuitias ipse quidem neglectas habebat, alijs autem, vt quam amplissimæ essent, omni cura, ac diligentia prouidebat, vir vt in acciptendis muneribus restrictissimus, ita in donandis munificentissimus, ac liberalissimus.* Hoc in primus est regiæ indolis inditum singulare, quòd sibi diuitias contemnat, ne illis inhiet, sed habitas profusissime largiatur. Zacharias, cap. 9. clamat: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper, &c.* Petitur, quòd Ierusalem exultet in aduentu regis iusti, & saluatoris; de quo tamen dicitur: *Ipse pauper.* Et quòd regnum exultet in rege paupere? Nihil equidem magis triste, magis lustuosum, magis infirmum, & deuile in rege quam pauperies. Quomodo ergo sperabit Ierusalem & gaudium, & salutem à rege paupere? Non loquitur vates de pauperie hac vulgari, qua mendici inuiti premuntur, sed de pauperie spiritus, qua ingentia corda nouerunt diuitias aspernare, illasque nō sibi cupere, sed alijs. Hanc qui habet, rex regalissimus est, in magnum gaudium, & salutem populi natus. Nouerat hoc Maiorani mater, quæ sic post consultam filij genesim fatur apud Sidonium Appollinarem in eius Panegyrico.

D. Synes.

Zach. 9.

Et mundo princeps (sic sæcula poscunt) Maioranus erit. Clamant hoc sydera signis,
Hoc homines votis. Isti quid sydera quæro,
Fatum aliud cui fecit amor? Nil fortius illo
Et puer est cupidus nunquam, sed parcus habendi,
Pauper adhuc iā spargit opes, ingentia suadet
Consilia, & sequitur; totum, quòd cogitat altum est,
Vrget, quòd sperat.

Sidon.

Tria, aut quatuor regnaturi in mundo filij proponit, clarissima indicia, & ipsis astris clariora, nimirum, quòd vel à puero ingentia consilia voluit, quòd altum cogitat, quòd nō desidiosus imperat, sed speratum vrget appositis diligentiam medijs. De quibus alibi latius nobis erit sermo; modo ad illud primum omnium regnaturi animi inditium propero, nimirum; *Et puer est cupidus nunquam, sed parcus habendi. Pauper adhuc iam spargit opes.* Quid regalius? Mihi crede, ille manifestissime animum ostendit regium, qui vel in tenui fortuna scit spargere opes, illas sibi contemnens; qui minime cupidus est diuitiarum, sed parcus habendi est; adeò, vt nihil suum sciat habere, sed omnia alijs tribuat.

1. *Reg.* 18. Cumque renuntiassent serui eius Dauid verba quæ dixerat Saul, placuit sermo eius in oculis Dauid, vt fieret gener regis. Et post paucos dies surgens Dauid abijt cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiin ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi, vt esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem.

§. XXXI.

Princeps potius è præstantibus famulis generum, quàm ex principibus externis quærat.

PRiuato, sed præstantissimo duci, & famulo nubit Saul filiam suam, sic enim ait: *Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem.* Et quidem prudentissime; quot enim præstantes subditos ptinceps sibi facit affines, tot tædas amori injcit, quibus gratius colatur, & vtilius. Mamertus in Paneg. dicto Maximiano Imperatori, hæc de illo prædicat: *Tu quidem certe Imperator tantum esse in concordia bonum statuis, vt etiam eos, qui circa te potissimo funguntur officio, necessitudine tibi, & affinitate deuinxeris, id pulcherrimum arbitratus adhærere lateri tuo non timoris obsequia, sed vota pietatis.* Itaque Imperator, vel datis suis, vel acceptis subditorum filiabus, arctiori necessitudinis, & affinitatis vinculo adhærētes sibi ministros magis copulabat, vt sic non â seruis, sed à filijs coleretur, & amicis. Quo forsam spectabat illud, Cant. 3. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Quid sibi vult, quòd dicatur rex Salomon medium, seu intimum sui ferculi charitate constrasse? Crediderim positam ibi Charitatem, pro charis, siue, amicis. Vt enim principes solent in intima ferculi sui admittere præstantes duces, famulos, ministros nobilissimos, quibus stipatus glorioſior princeps appareat: Sic Salamon in sui ferculi intima admittebat nobilissimos suos ministros, sed ita, vt non viderentur serui, sed amici, summo erga principem ardentes amore, & charitate. Et vnde hoc? Sapienter ait: *Propter filias Ierusalem*; quippè filiæ regis datæ subditis; vel filiæ subditorum acceptæ â Rege, erant in causa, quòd lateri regis non adhærerent obsequia timoris, sed vota pietatis, & charitatis. Rem confirmat Sidonius Apollin. in Paneg. dicto Maioriano: ait enim:

Mamert.

Cant. 3.

---------- *Teudosius, quo tempore Sirmi* *Sidon.*
Augustum sumpsit nomen, per vtramque magistrum
Militiam, ad partes regni venturus Eoas,
Maiorianum habuit:::
Hunc socerum pater huius habet, vir clarus & vno
Culmine militiæ semper contentus, vt vnum
Casibus in dubijs iunctus sequeretur amicum,
Nonsemel oblatis tentauit fascibus illum
Aetio rapere aula suo; sed perstitit ille
Maior honoratis, capit precioſior esse,
Sic precio non capta fides.

Quid pulchrius! Theodosij Imperatoris filiam accepit pater Maioriani, habuitque dux priuatus Imperatorem socerum. Et qualis fuit gener iste Impetatori socero? Merito ait de illo: *Vir clarus, & vno culmine militiæ semper contentus, vt vnum casibus in dubijs iunctus sequeretur amicum.* *Theod.*
Non obsequia timoris habebat in illum, sed vota amicitiæ, à qua nullo precio, nullis muneribus potuit disiungi. Aetius enim hostis Theudosij oblato consulatu iurauit ad se hominem rapere, sed non perfecit, adhærebat ille Theudosio amoris illigatus vinculis. Ecce è priuatis inuenimus, qui propter filias regum, ament reges suos, & illis indeficienter adhæreant. At è regibus, & principibus externis adhuc requiro vnum, qui propter filiam acceptam, vel datam regi, ab illo non deficiat. Quin, & de ijs connubijs dictum est illud, Dan. 2. *Commiscebuntur quidem semine humano, sed non adhærebunt sibi, &c.* *Dan. 2*
Nunquam connubia trahent pacem regibus, sed frequentius trahent discidia.

†

§. XXXII.

Tota subditorum valentia ad magna quædam conficienda in rectore consistit, qui illis sciat vti.

QVasi rem facilem amplexus est Dauid regis mandatum de centum præputijs Philisthinorum adducendis. *Dicit enim textus: Placuit sermo eius in oculis Dauid:: Et post paucos dies surgens Dauid abijt cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthæis ducentos viros, &c.* Nō maiorem spectauit manum; sed contentus vna cohorte sua, abijt, & percusit ducentos, &c. Expende maximè illa: *Abijt, & percussit ducentos*: & quando cum suis abijt, cur non dicitur, abijt cum viris, & percusserunt? An solus ille percusit? Quando ipse, & sotij percusserūt, cur de solo ipso dicitur, quòd percusit, & adeò facile, & sinè proprio damno percusit? Equidem, quòd tam pauci milites, tam facilè tot percusserint, ex Dauidis veniebat disciplina, qui sic illos iam nouerat, vt illis ad omnia magna vti valeret, adeò, vt sine Dauide nihil illi potuissent, qui cum Dauide sic valebant. Similia notabat D. Synesius in Elogio Anisij dicens: *Id peregit Anisius nō magnis copijs præfectus, atque instructus, quippe quadraginta tantum viri cum ipso stabant in acie. Verum hic putat Vnnigardarum opera ad omnia esse vtendum. Vnnigardæ ipsius solius bellica acta, & consilia percipiunt. Eorum est manipularius, & cohortis ductor: eorumdem commilito, & Imperator: cum his excurrit in campum cursu in armis cōfecto. Celeriter vbique locorum est: vincit autem, vbicumque assuerit:: Hic Vnnigardis vtendi & indolem habet, & artem; & idem potest viros exarmare, excastrare, & vt lubet regere. Vnnigardæ cum Anisio manus Romana sunt, Romana milicia. Iam sine isto quadragenos etiam præsentes laudare possum ob robur, sed pro ipsorum animo spondere nolo.* Hæc omnia dixi, vt pateat quantum virīū sit in duce, qui nouerit suorum indolem, & iuxta eam illis nouerit vti. Crede mihi, tot agentis valentia pendet à Duce, quem ipsi gratè suspiciant, & quarum ille apprime calluerit indolem, eaque vti sciuerit. Felices illi qui talem nanciscuntur rectorem, quem grate suspiciant; & quorum ille indolem perfectè calluerit, & sapienter nouerit vti illa. Nil non prosperum, vel in magnis ausis experientur quotidie. Sidon. Apollin. de suo Maioriano dicebat in car. 5.

Iam Magister eras, Burconem dirigis illo Sidon.
Exigua comitante manum; sed sufficit istud
Cum pugnare vides: certa est victoria nostris
Te mandasse acies; peragit fortuna triumphū
Non populo, sed amore tuo::
---------- :: *Fœlix te respicit iste*
Euentus belli, certatum est iure Magistri,
Augusti fato.

Quando, & mutuus amor populi, ergaducem, & ducis erga populum non peragit triumphum? Sanè quoties magistri disciplina amatur; eamque & animum regium sequitur populus in duce, non mirer, quòd omnia eueniant fœliciter. Erant equidem in Dauide regnaturi auspicia, erat amor militum, quos ille nouerat, & regerat, & iuxta illorū indolem sapientissime mouebat, inde illi belli euentus erant felicissimi. Vincebat, vbicūque aderat; certa erat victoria ab illo mandari acies; certabatur semper & scientia magistri, & regnaturi fato, ideòque certabatur fœliciter. Sunt vel lepores Leones si sub Leone militent, qui eos sapienter ducat: & sunt Leones lepores, si sub lepore militent. Hinc D. Synes. epist. 110. videbat auxiliū fortissimæ cohortis sub inepto duce, ait enim: *Chilas leno, quem à paucis ignorari præ artis claritate verisimile est: etenim Andromacha mima, quæ pulchritudinis laude, præ omnibus ætatis nostræ mulieribus floruit, de eius cohorte extitit. Hic igitur per adeò præclara studia iuuentutem traducens, anteacta vitæ continere arbitratus est, vt in senectute militaribus gradibus nomen suum illustraret. Nuper igitur venit in fortissimos Marcomanos, Imperiū à rege sortitus, quos credibile est, nobis, cum antea optimi milites fuerint, si iam idoneum ducem obtinuerint, memorabile aliquod, atque egregium facinus edituros.* Sic ibi: vbi nec æstimat fortissimos sine idoneo duce. D. Synes. D. Synes.

§. XXXIII.

Culmina non segnitiē, sed noua facinora pariant.

POst Dauidis regias nuptias, vt hostium nouæ fiebant egressiones, sic Dauid ad noua se accingebat facinora, quippè ait text. *Et egressi principes Philisthim, à principio autem egressionis eorum, prudentius fegerebat Dauid, quam omnes serui Saul, &*

celebre

celebre factum est nomen eius. Non equidem culmina in Dauide pepererant segnitiem, sed magis virum exagitabant, vt noua indies adderet facinora, quibus nomen faceret sibi. Sic de Anthemij Augusti genero ait Sidon. Apoll. in illius Paneg.

Sidon. ---------- *Princeps, cui mundus ab Euro*
Ad Zephirum tunc ceptra dabat, cui nubilis atque
Vnica purpureos debebat nata nepotes,
Elegit generum. Sed non, vt deside luxu
Fortuna soceri contentus, & otia captans
Nil sibi deberet, comitis, sed iure recepto
Danuby ripas, & tractu limitis ampli
Circuit, hortatur, disponit, discutit, armat.

Sic quos boni reges ad sua vocant culmina, non otio stertent; non deside iacent luxu; sed ad magna debent currere; quibus se culmine accepto ostendant dignos. Hinc Theodatus rex, quem regijs nuptijs extulerat, sic affatur apud Cassiod. 10. Var. 11.

Theod. *Considera, quòd meruerit, & dignum te nostra affinitate tractabis. Nam qui familiæ regnantis adiungitur, in laudum gremio collocatur. Nunc maior opera mansuetudini detur: nunc omnibus communio benigna præbeatur, vt talem probemur elegisse, quem nulla posset prosperitas immutare. Humilis age rem gloriæ; supra cæteras virtutes amicã sapientibus ama patientiam, erectus ex nobis sustinendo potius, quam vindicando laudaberis. Caue, ne maior videatur esse fœlicitas moribus tuis, sed qui nostro iungeris generi, proximus glorioſis actionibus comproberis.* Quid pulchrius? Peccabit, qui vel verbulum ex his præterierit; quæ debent aspicere quicũque ad culmina eriguntur; & quæ præstantissime adimpleuit Dauid actibus suis.

CAPVT V.

Michol Dauidem liberat.

Textus Historia.

COGNATIO. Non soluit Saulis in Dauidẽ inimicitias, nec naturæ vinculum dissipauit inuidentiã. Tertiò enim leuatus rex à morbo dauidica Lyra; Tertiò liberatorem suũ adacto impetit telo. Quẽ etiam nunc euasisse prænoscens, & sese in domum recepisse, imperat filiæ, maritum seruet, sed in matutinã mortem. Viduitatem imponit filiæ, & aduersus virum armat vxorem, quòd scelus refutant vxoris mores, nec natura patitur. Illa enim improbatæ parentis furore virumà iugulatione ereptum fuga dimittit, suam in maritum charitatem conteſtata. Simulat Dauidem infirmum, vt iacentis spectaculo, patris inueteratam iram molliret, & fugæ occasiones, & longiora spatia fugienti daret. Imago namque in viri speciem conformata, & in lectulo collocata formæ fictione vidẽtes eludebat, & vestibus motis subiecto recens iugulatæ capræ iecore, res credibilior apparuit. Adhuc enim calens hepar, & supremam palpitationem prodens viri reciprocantis animam speciem dabat eluso sensu oculorum. (Si volumus credere Iosepho, & Theodoreto, & Procopio, quos merito refellit D. Hieron. epist. ad Marcellam.) Eludebantur quidem satellitum oculi; sed Saulis rabies magis acuebatur, qui vel infirmantem, vel animam agentem coram afferri mandat morti dandum. Inuenit tandem filiæ commentum, nec risit, sed elusus maioribus in elapsum odijs exarsit. D. Hier.

PARS MORALIS circa textus literam.

NON Vi, sed astu procurat Michol patris inuidiam in Dauidem curare. Sic sic, & prudentes magistri recurrant ad astum pro peccatoribus curandis.

1. *Reg.* 19. Factus est spiritus Domini malus in Saul, sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porro Dauid psallebat manu sua. Nisusq; est Saul cõfigere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul, lancea autem caso vulnere perlata est in pariete, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.

§. I.

Pessimi mores Dæmonis illices sunt, illi parantes hospitium.

NOn semel malus spiritus à Saule fuerat expulsus, quem nunc denuo cæpit affligere; ait namque: *Factus est spiritus Domini malus in Saule, &c.* Nec miror, vt enim Saul nihil non malum cogitabat, sic vel dissitissimũ ad se trahebat diabolicum spiritum. Ait D. Basil. Sel. orat.

Basil. Sel. 16. *Cum in talibus esset Saul, & eadem Dauidis moliretur, Dæmoni repentinum fit ipse domicilium, morum peruersitate Dæmonem ad opus vocante. Anima enim qua virtute exuta improbitatem induerit, eum vocat ad habitationem, qui malis affectibus gaudeat.* Trahunt equidem mali mores diabolum, qui inter illos commorari gaudet. Sic dicebat Do-

Luc. 11. minus, Luc. 11. *Cũ immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, &c.* Quem hominem reliquerat, iterum repetit, & vt propriam domum repetit. Vnde hoc? Ait Eu-

Euseb. seb. Emissen. ibi: *Facile malignus spiritus, & intrat in homine, & exit ab homine. Quoties enim homo, vel cogitatione, vel operatione nefandum aliquid agit, diabolus adest.* Vbi in nobis cæperit mala aliqua cogitatio, statim diabolus aduolat cupiens inibi morari, qui pessimis hominum moribus gaudet. Profectus ille prodigus in regionem longinquam, vbi consumpsit totam suam substantiam viuendo luxuriosè; in miseram deuenit egestatẽ. Cui, vt subueniret, Luc.

Luc. 15. 15. *adhæsit vni ciuium regionis illius.* Et scire cupis, quis esset iste ciuis regionis illius, in qua adeo vitia exorbitabant? Crediderim fuisse diabolum, in regione enim pessimis florente moribus certissima est diaboli inhabitatio. Ait Asterius in Cat. D.

D. Luca. Lucæ Græca: *Istius regionis à Deo remota, atque sepositæ, incola est diabolus. Etenim peccatorum ciuitas ciuem habet, & gubernatorẽ diabolum.* Nescit abesse diabolus à corde, in quo vitia excrescunt, & semina adolescunt peccati. Hinc Luc. 8. impetrata à Le-

Luc. 8. su facultate; *exierunt dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, &c.* Et cur Iesus dæmonum annuit votis, vt illis permitteret ingressum in porcos? Ait Titus Bostrensis

Tit. ad cap. 15. Lucæ in Cat. Græca: *Eis Dominus concessit, vt ostenderet porcos, vel porcinà indole homines, & ad terram conuersos, atque in peccatorum passionibus volutantes, dæmonum amicos esse. Quisquis igitur porcus est moribus, dæmonum fit hospitium.* Sic ibi.

§. II.

Non sedis præstantia, sed morum coronat hominem.

NIhil in scriptura sacra otiosum inuenio; nec cum rex Saul in Regia sedens inuenitur à Dæmone possessus. Dicit enim: *Et factus est Spiritus Dei malus in Saule, sedebat autem in domo sua, &c.* Quid necessum fuit notari Saulis sedem, cum ostendebatur à Diabolo agitatus, & possessus? Sanè sapienter in ea clade ostenditur Saulis regia sedis; vt discant homines, quam parui momenti sunt gloriosissimæ quæque mundi sedes, vt homines eripiant à crudeli Dæmonũ flagello. Gen.

Genes. 2. 2. *Plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Et quanta erat paradisi sedes, in qua homo posuit hominem? Nulla gloriosior fuit, nulla deliciosior, nulla habita innocentius, & tamen ibi impetitus fuit homo à serpẽte, & inde extractus, & raptatus per spinas, & vepres. Rem miratus D. Chrysost. hom. de cæco nato habita, tom. 6. ait: *Neque paradisus in precio habendus est, nisi Dei mandatum in eo seruetur; neque vilia loca sunt ignominiosa, si in eis sit lex Dei regnantis. Adamus in paradiso propter inobedientiam ignominia afficitur; Iobus autem propter patientiam in sterquilinio coronatur. Nusquam enim locorum dignitas comparatur, nisi bona mens concurrat.* Et Iobus in sterquilinio sedebat, & Adamus in paradiso; vtrumque diabolus impetijt; & è tali conflictu Adamus exijt multa ignominia plenus, Iob autem corona redimitus splendẽti. An quia sterquilinium gloriosius quàm paradisus erat? Absit, sed quia in paradiso Adamus vitio se dedit; in sterquilinio Iob à parte virtutis stetit. Nõ equidem gloriosæ sedes, sed gloriosi mores faciunt, ne homo pessundetur à Dæmone. Dicebat Dominus, Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.*

D. Chrys.

Luc. 10.

Sed & Psalm. 112. dicebat de Deo: *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigẽs pauperem.* Cõpone tibi & stercus, & cœlum; in cœlo cadit Angelus, in stercore erigitur pauper. Cur non magis renuit cœlum Angelum

Psal. 112

gelum ſuum à lapſu? Cur non magis in ſublimi ſtatuit? Non equidem ea erat res locorum, ſed virtutis, vt dicat D. Chryſoſt. vbi ſupra: *Profunda eſt terra, & cœlum in ſublime tollitur, atè cœlo cadit diabolus, poſtquam tranſgreſſus eſt, & exaltantur è terra inopes. Vides non locorum diſcrimen efficere, vt ſuperiores euadamus, ſed vbique fidem, & pattentiam, & ſpem promerentibus coronas acquirere?* Non è ſedium gloria, ſed è moribus metiaris hominẽ; ſedeat licet in ſublimi, ſi vitijs indulgeat, crede illum viliſsimum dæmonum mancipium, & proijciendum ad terræ infima. *Chryſoſt.*

§. III.

Conſtantiſsime inſtandũ contra dæmonem, nec vllis caſibus deſiſtendum.

ILlud mihi admirationẽ facit nõ paruã, quòd ait: *Porro Dauid pſallebat manu ſua, &c.* Non ſemel Dauid Lyræ pulſu recreans Saulem à dæmone agitatum, coactus eſt fugere furentis hominis lanceam. Iam id ſemel, & iterum coactus fuerat facere; & nihilominus adhuc inſtat, & nunc iam tertio redit, vt ſimili hoſtem impetat cantu. Cur non magis à periculoſo munere ſuper ſedet? Cur non magis timet in manu furioſi regis lanceam iam bis in ſe adactam? Præclarus Dei athleta nõ cadit animo, ſed & poſt pericula ſemel, & bis experta conſtantiſsime ſtat aduerſus hoſtẽ. Et quem non vincat iſta ſtrenui ducis conſtantia? Aiebat Paul. Oroſ. lib. 2. cap. 14. de duce Gylippo: *Gylippus Lacedæmoniorum duobus prælijs victus, nec tamen territus, tertio congreſſu Lamacum occidit, hoſtes in fugam vertit*: Maxima hæc præſtantiſsimi ducis laus, quòd duobus prælijs victus, adhuc non terreretur, nec manus hoſti dederit, ſed & tertium pararet congreſſum. Qui talis erat, proculdubio victorijs parabatur obtinendis. Quòd in ſpiritualibus congreſsibus aduerſus dæmonem, adhuc eſt certius, ne victi ſemel, aut ſegrum, aut fugati terreamur, & deſiſtamus à bello, ſed continuo ſtemus cõtra hoſtem, certi, quòd & poſt fugas, & caſus, poterimus illũ perdere. Samaritanæ petenti ex Ieſu aquam viuam dicit Dominus, Ioan. 4. *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Ad quem illa: *Domine, vt video prophetа es tu.* Non iam deſpicit, vt Iudæum, vt antea fecerat, ſed Dominum, & prophetã noſcit, & ab illo ſpiritualia petit. Sed quæ per tot viros errauerat, cur non magis refugit tanti viri præſentiam? Cur ſperat à propheta bonum aliquod accipere, quòd videt ſe inter tot virorum amplexibus cõprehenſam? Iam hoc de Dei virtute acceperat, quòd vel poſt ſex ruinas triumphum ſperet. Ait enim D. Hieron. epiſt. ad Ruſticum: *Quid Samaritana vilius? Non ſolum ipſa credidit, & poſt ſex viros vnum inuenit Dominum, &c.* Errauit, licet, in ſex, ſed tãdem in vno ſalutem inuenit, vtinam, & nos & ruinæ, & caſus, & fugæ præteritæ non deterreant, vt conſtantiſsime ſtemus aduerſus hoſtem, proculdubio etiam poſt ruinas, triumphum agemus. Sic etiam hoſtem aggrediamur, vt nunquam à certamine deſiſtamus, etiam ſi millies ſit nobis cõgrediendum. Dicebãt enim cantatrices, 1. Reg. 13. *Dauid decem millia*: quaſi Dauid ſic pertinaciter cum hoſte fuerit congreſſus, vt vel decem millibus victibus illum impugnaſſet. Ex quo monet Naziantzen. orat. 40. *Contra turbulentos animi motus cũ auxiliaribus copijs in acieſta, in Dei phalange nomen profitere, aduerſus Goliath ſtrenue pugna, mille, vel decies totidem hoſtes cape, ac tibi ſubyce.* Expende illud: *Mille, vel decies, &c.* ne in primo congreſſu conſiſtas, & prima plaga terrearis; ſed vel millies inſtaura certamen, & contra hoſtem ſta; ſic enim tandem victoriam reportabis. *D. Hier.* *1. Re. 13.* *Nazian.*

§. IIII.

Qua Deo ſacraſti, caue in alios vſus conuertere.

TVnc ſolum audio Dauidem pſallentem cithara, cũ malus ſpiritus à Saule erat eijciendus; ſic ſupra, 1. Reg. cap. 16. & cap. 18. & nunc, cap. 19. dicit: *Porro Dauid pſallebat manu ſua*; ſed & capit. 18. introducitur Dauid amator Michol, dum ait: *Dilexit Dauid Michol filiam Saulis*, imò illam ſponſam, & coniugem dicitur accipere, *Dedit autem ei Saul Michol filiam ſuam in vxorem*: & nec dum amat, nec dum nuptias celebrat, dicitur pſalliſſe, nec pulſaſſe citharam. Et quando tantus erat in canendis hymnis, & pulſanda cithara, cur nunquam, vel regina audiebat, vel reginæ nubens, cantu, aut cithara vſus ſcribitur; præcipue, cum adeò frequens in pulſanda cithara exprimatur vbi exhibi- *1. Re. 16.*

laudus

landus erat malus regis spiritus? Qui in regis morbo canebat, psallebat; cur in suis cum regina amoribus, & nuptijs nō canebat, nec pulsabat citharam? Sto à sententia Procopij, & D. Athanasij hom. de semente cantus, & citharam à Dauide fuisse excogitatam in Dei laudem, & cultum diuinitatis. Vnde quando Dei laus apparebat, vt apparebat in expulsione dæmonis, & regis sanitate, ibi Dauid psallebat, pulsabat; in alijs autem minime cantu, & cithara vtebatur, periculosum enim valde est, quæ Deo sacrasti, in alios vsus trahere. Quo spectās Amos, cap. 6. ait: *Væ:: Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocē psalteryſicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici.* Et quale malum erat, quòd Israelitæ canerent ad vocem psalterij, & sicut Dauid haberent instrumenta cantus? Si Dauid in vasis cantici sanctus erat; cur isti, qui Dauidi assimilabantur in cantu, à Deo damnabantur? Ecce tibi, quid coniugat propheta in Israelitis cum cantu, nimirum ait; *qui lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, &c.* inter deliciādum, & comedendum canebant isti: sicut enim Dauid canebat in Dei laudem, sic isti canebant in delicias suas, & voluptates. Ne miremur, quòd inde reseruentur in diē malum, quando ad delicias suas trahebāt, quæ Dauid in Dei laudem excogitarat. Ad quæ ait D. Hieron. ibi: *Vos de populo Israel, qui sēparati estis in diem malū:: vt quòd Dauid fecit in cultum Dei, Leuitas, & organorum varietates reperiens; vos ad voluptatem, & luxuriam referatis.* Equidem non mirer, quòd separetur in diem malum ille, qui inuenta ad Dei cultum, & laudem, conuertit in fomenta delitiarūm suarum, & voluptatum.

Amos, 6.

D. Hier.

1. *Reg.* 19. Misit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane. Quòd cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua, dicens, Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris, deposuit eum per fenestram. Porro ille abijt, & aufugit, & saluatus est.

§. V.

Deplorati animi est virus peccati intra se diu retinere.

METuens Saul, ne Dauid nocturnis tenebris facilius domi absconderetur, & elaberetur, iubet domum custodiri, & necem eius differri in mane. Sic enim ibi: *Misit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane.* Sic in matutinum differebat irarum flammas. Aliter monebat Paul. ad Ephesios, 4. *Sol non occidat super iracundiā vestram.* Vbi D. Ansel. *Non teneatis eū diu, nec in crastinum reseruetis.* Ecce tibi, & Pauli, & Saulis mandata, quam inter se differant. Paulus iubet, ne ira differatur in crastinum, Saul mandat expectari mane, vt exundēt magis eius iræ flammæ. Sed Paulus fœlicium agebat causam, ideoque non patitur, qnòd virus peccati in nobis lucem spectet: Saul autem deploratorum hominum portabat imaginem, quo non veretur diu intra sinum tenere peccati flammas. Est equidem deplorati hominis indicium venenū diu intra se retinere peccati. Hinc fœlicitates suas Deo referens Dauid clamabat, Psal. 17. *Qui perfecit pedes meos tāquam ceruorum.* Et quid sibi boni auspicatur in similitudine ceruorum? De ceruo ait D. Epiphan. in Phisiologo, cap. 5. vt sese occisis serpentibus ingurgitat, & post tā virulentas escas: *Accurrit autem ad fontes aquarum, quòd si trium horarum spatio aquæ se explere non potest, moritur; sin autem aquæ potus obtingat, ad annos denuo quinquaginta vitam protrahit.* Serpentini veneni flammas intra pectus ceruus retinet spatio tantum trium horarum, si diu ibi lateant, nulla inuenta aqua, qua extinguantur, necessum est, vt pereat ceruus; & ideo à natura habet, vt post esum serpentum currat ad aquas, procurans quam citissime venenum extinguere, vt viuus euadat. Hanc sibi ceruorum indolem datam canebat Dauid, qua festinaret opprimere in se venenum peccati. Et vtinam vniuersi hanc habeamus, vt quando antiqui serpentis virus sorbuerimus, non moremur, sed quam primū medelam illi afferamus. Diu enim intra nos tale virus sustinentes extremam, & sine reparatione timeamus ruinam. Quo spectans D. Paul. ad Hebræos, cap. 6. inquit: *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste,*

Ephes. 4. D. Ansel.

Psal. 17.

D. Epiph.

Ad Heb. 6.

& par-

& participes sunt facti Spiritus Sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. Quid seuerius? Crediderim locutũ Apostolum de morali impossibilitate, qua possent quidem tales peccatores resurgere, sed nullus eorum resurget, imò omnes peribunt. Sed vnde tã certa eorum annuntiatur perditio? Rationem inuenit S. Anselm. in verbis illis: *Prolapsi sunt*, quæ non significant lapsum simplicem, sed longi, diuturnique temporis lapsum. Ait enim: *Prolapsi sunt, id est, prorsus lapsi, vel procul lapsi, vel longe lapsi à priori statu, ita vt longo tempore iaceant in ipsis vitijs, ad quæ lapsi sunt. Non enim prolapsos intelligere nunc debemus religiosos, qui in aliqua grauia subito ceciderunt, & cito surrexerunt, sed qui longa deliberatione, & longo vsu vitijs adhæserunt; quia raro quisquam talium inuenitur egisse pœnitentiam, si tamen vspiam inuenitur.* Et quidem, qui longo tempore, longaque deliberatione vitijs adhæret, mirum erit, si non pereat in illis. Pergit idem Sanctus exemplis rem confirmare luculentissimis. *Non ergo prolapsus intelligitur Dauid in perpetratione adulterij, & homicidij, de qua cito pœnitentiam egit: sed Salomon in amore alienigenarum mulierum, per quas à fide separatus est, nec respicere voluit, cum semel, & iterum diuinitus admoneretur. Sic nec Aaron prolapsus intelligitur, dum metu populi fecit vitulum, quia ad primam Moysi vocem fecit pœnitentiam: sed prolapsus est Balaam per auaritiam: Pro nihilo videlicet duxit omnia, vt auaritiæ suæ satisfaceret. Petrus quoque non est prolapsus in illa negatione, quia mox fleuit amarè: sed Iudas & ipse per auaritiam, in illa proditione, quàm diutius excogitauit, & post adimpleuit, nec congruam inde pœnitentiam egit.* Sic ibi: diutina commoratio in peccatis deploratos ostendit.

Anſelm.

§. VI.

Ab honesta fœmina vitam, à voluptuosa nil nisi mortem expecta.

ECce Michol regia fœmina, vt vidit patris satellites pro foribus exubare. Dauid salutem procurat, dicit enim textus: *Quod cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris, deposuit eum per fenestram, &c.* Nec pollura non cum tanta hac heroina componere alteram, nimirum Samsonis vxorem, quæ sciens robur illi circa crines esse, Iud. 16. *Rasit septem crines eius, & cæpit abigere eum, & à se repellere: dixitque: Philisthiin supra te Samson.* Sic hæc tradidit virum hostibus, illa virum eripuit hosti. Vtraque vxor erat, vtraque virum habebat suis exosum; Michol parenti, Dalida suæ genti. Et vnde hæc adeò lethalis viro, illa adeò salutaris extitit? Dicebat S. German. Constantinop. orat. de cruce apud Grethserum, tom. 2. *A Manade illa furiosa Dalida, oculis excæcatus Samson, & alienigenis in iocum, & ludibrium expositus est. Sic enim voluptatis affectiosos amatores honorare solet.* Sanè in Dalida vxor ostendebatur voluptuosa, quàm Samson voluptuosè amabat; in qua enim vna voluptas spectatur, quid inuenias nisi extremam repulsam, nisi mortem? In Michol honesta vxor visitur, quæ honestè, & sanctè à Dauide tractabatur, & inde per eam salus, & vita viro dabatur. Valent equidem voluptuosæ fœminæ ad parandam mortem, honestæ autem ad vitam conferendam. Iusserat Pharao obstetricibus Ægyptijs, vt perimerent masculos hebræos. Quid illæ? Ait Exod. 1. *Non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conseruabant mares. Quibus accersitis ad se rex ait: Quid est hoc, quod facere voluistis, vt pueros reseruaretis? Quæ responderunt; Non sunt hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, &c.* Hebraice leguntur hæc vltima: *Quoniam viuaces ipsæ.* Bonæ fœminæ ad hebræas matres referunt, quòd infantes earũ mares in vitam seruarentur, absque vllo aliarum obstetricum adiumento. Sed cùr supra omnes Ægyptias hebrææ matres credebantur valere, adhoc, vt ipsæ per se mares suos seruarent? Ait Lyppoman. in Cat. *Hebræorum fœminæ sicut castiores erant, sic & in partu fortunatiores, Domino promouente opus suum in fidelibus. Viuidiores esse dicũtur, quia à maritis suis religiosius amatæ, & tractatæ castius.* Quid pulchrius? Sanè è fœminis illius temporis hebrææ, vt castiores, & religiosius amatæ à suis viris, sic aptiores ad seruãdos mares suos, & viuaciores, vt illis vitam præberent. Quid dico, tam præberet? Accipite, quòd dicit S. German. Constantinop. orat. de Imaginibus, de Theodora vxore Theophili Imperatoris: *Cum Deum diligeret, à Deo dilecta est, propterque Deum, virum quoque tam vehementer amauit, vt eum ex inferno, eoque, quòd inibi est, tribunali eripuerit, & ad paradisum traduxerit.* Adeò honestæ fœminæ valent

Exod. 1.

Lyppom.

Ger. Cõſt.

Ger. Cõſt.

Iud. 16.

lent adhoc, vt viros seruent: voluptuosæ autem quando non prodiderunt viros, & perdiderunt? Cantatissimæ sunt Antonij Imperatoris voluptates in Cleopatra; cuius conubium, & amores toto emit Imperio. Ait tamen Plutarch. in Antonij vita:

Plutar. *Dum id contemplatur Antonius, ex templo desertus est ab equitibus, qui transitionem fecere. Peditatu fuso recepit se in vrbem, proditum se à Cleopatra vociferans ijs, inquos illius causa sumpserat arma.* Hoc expertus est, & confessus est Antonius de fœmina, cuius voluptates tot regnis emerat. Nec miror, quòd hoc præstent fœminæ voluptuosæ cultæ; quando nil aliud inuenit miser in dijs, quos etiam voluptuosissime coluerat. Locutus enim de nocte vltima Antonij

Plutar. Imperatoris Plutarchus ait: *Circa noctis illius conticinium fama est, cum silentium, & mœstitia ex metu, & expectatione euentus teneret ciuitatem; repente omnis generis organorum exauditam symphoniam, strepitumque turbæ cum clamore Bacchico, & tripudijs Satyricis, velut sacris Liberi patris coro, non sine ingenti tumultu erumpente: concessisse hanc turbam, quæ ingens erat, media ferme vrbe ad portam, quæ foras ad hostes ducebat, atque ea euasisse. Visum est autem prodigium reputantibus à Deo, quem præcipue effingere, & ad quem consueuerat se accommodare, esse Antonium destitutum.* Conueniant huc, qui Bacchi, Veneriſque spurcissimas voluptates colũt. Ea fuere Antonij numina, in ijs colendis exhausit Imperium; & cum ad periculum ventum est, ea miserum cultorem deseruerunt, & ad hostes eius concesserũt. Hæccine est voluptuosarum affectionum fides, & merces. Caue tibi homo à voluptuosis ijs idolis, ni perire velis. Luc. 8. timebant Dęmones mitti à Iesu in abyssum, & rogabant eum, vt magis permitteret ire in gregem porcorum. Permisit id Iesus:

Luc. 8. quid tunc? *Intrarunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in stagnum.* Fugiebant miserrimi spiritus abyssum; vbi autem ingressi porcos sunt, in id cadunt, quòd fugiebant. Et quando porcos requirunt, vt abyssum fugiant, cur in illis ingressi ad abyssum præcipites veniunt? In porcis voluptuosi homines exprimebantur, ex quorum fide nulli non venit calamitas extrema. Quo spectans D. Ephræm in illud: Attende tibi, cap. 9. sic cum dæmone loquitur

D. Ephr. *O veritatis inimice, vt tu desiderio tuo satisfacias, ego dedecore afficiar? Vade ad tui similes impudicos, & lascivos. Porcorum greges depoposciſti tibi? Demergere in mare cum illis.* Quisquis sit, qui inter sporcissimos voluptatum affectus viuit, eisque se credit, cum illis tandem veniet in præcipitium, & extremam ruinam.

§. VII.

Post Iesum in Maria non plus vltra est nostræ saluti.

IN artissimo vitæ discrimine mirabar non affuisse Dauidi toties iuratũ Ionathæ principis auxilium, sed id à sola Michole venisse, dum ait: *Quòd cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris deposuit eum per fenestram.* Et cur hæc Dauidis liberatio non magis credita est Ionathæ, quàm Michol? Credidit im consultum esse securitati Dauidis, vt habens Ionatham aliàs patrocinantem, modo etiam haberet regis filiam, ne quod maius requireret auxiliũ. In quo maxime enitet nostra Christianorum fœlicitas, quibus post Iesum datum est, per Mariam viuere, ne aliquid amplius valeamus requirere. Paulus ad Gal. 4.

Ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Et quando Deus filium suũ mittebat nos redempturũ, quid necessum fuit, quòd ille fieret ex muliere Maria diuinissima? Adamus non venit ex muliere, nec Eua ex muliere venit, dum principatum accipiunt mundi; & similiter potuisset Dei filius venire homo redempturus hominem, & minime de muliere venire. Cur ergo redemptor noster maluit nobis ex muliere venire? Is animus erat redemptori nostro, quo nos sic redimeret, vt nihil vltra honoris, nihil vtilitatis possemus requirere, & ideò secum nobis dedit Mariã.

D. Irinæ. Ait D. Irinæus lib. 4. cap. 2. *Igitur aduenientę perfecto, non alterum patrem videbimus, sed hunc, quem nunc videre concupimus; Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbimus. Nec alium Christum, & Dei filium expectabimus, sed hunc, qui ex Maria.* Equidem habentibus Christum ex Maria non est plus vltra expectandum. Si Christus solus per se veniret, posset expectari adhuc qui cum tali matre, tam amatrice, & procuratrice hominum veniret. At habẽtes hunc Christum, & Dei filium cum Maria, iam nõ plus vltra requirimus, ibi enim quidquid honorificum nobis habemus, & quidquid vtile. Hinc dicebat Iesus, Matth. 11.

Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.*

ſtris. Ecce tibi, in quo ponit Dominus requiem animi noſtri, qua protinus quieſcat animus, ne deſideret amplius, nimirum in eo, quòd Ieſu æmulemur mititatem, & humilitatē. Sed multę aliæ erant in Ieſu virtutes & glorioſiores, & diuiniores, quibus & cœlos tanquam pelles extenderat, & mortuis vitam donauerat; cur non potius iubet, vt in ijs diuiniſsimis virtutibus, & miraculis eum niteremur imitari? Cur illis dimiſsis, ſolam mititatem proponit, & humilitatem? Illa fiebant, vel ante Mariæ exortum; hæc autē de Maria prodiens habuit, ad quæ nos prouocat, ſi requiem velimus habere noſtris animis. Ait
D. Aug. D. Auguſt. in Pſal. 90. *Nunquid vel adhoc vocat hominem faciens illum imitatorem ſuũ, vt cum illo gubernet cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt? Aut, vt ſit & ipſe creator, per quem fiant omnia, ſicut per Chriſtum facta ſunt? Nec adiſta opera te inuitat Dominus; nec hoc tibi dicit, Nõ eris diſcipulus meus, niſi ambulaueris ſuper mare, aut niſi ſuſcitaueris mortuum quatriduanum, aut oculos cæci nati aperueris. Quid ergo? Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quod factum eſt propter te, hoc in eo debes attendere, vt imiteris. Miracula enim, & nondum natus de Maria fecit.* Expende rationem, quare virtutes diuinæ, aut miracula Chriſti nõ proponantur nobis imitanda, nimirum: *Miracula enim & nondum natus de Maria fecit* quæ ſine Maria erant, non adeò vtilia nobis erant, vt quæ cum Maria poſſumus habere. Hinc Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* In eo in primis amat à nobis in hac valle videri verus Salomon, quòd de matre accepit. Quòd ponderans Hugo Victor. 2. Miſcellan. 1. cap.
Cant. 3.
Hug. 49. *Coronauit eum nouerca, pater, & mater. Nouerca Synagoga, mater virgo, pater Deus. Nouerca coronauit eum corona ſpinea, & miſeriæ: mater corona iuſtitiæ, pater gloriæ: Vt autem ad plenariam cognitionem terty diadematis, quo eum Deus pater gloria, & honore coronauit, peruenire poſsitis; egredimini à vitijs, videte fide, & operatione, & imitatione, eum coronatum corona, qua coronauit eum mater ſua, &c.* Id quòd de Maria exiēs ſibi Ieſus acquiſiuit virtutis, inſpiciat, & æmuletur, qui ad coronā glorię amat peruenire.

1. *Reg.* 19. Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis. Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid, & reſponſum eſt, quod ægrotaret, &c.

§. VIII.

Ærumnoſis, & afflictis caueat quis addere pœnas.

INfirmãtem Dauidem Michol effingit, vt illum morti à Patre intentatæ eripiat. Sic ait textus: *Tulit Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum::: Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid, & reſponſum eſt, quod ægrotaret.* Et quãdo ſciebat Michol Dauidem rapiendum ad mortem, vt de ſolo morbo affecto putabat liberare eum? Nonne & ægrotus poſsit interfici? Sanè ſapiens mulier ægrotantem Dauidē effinxit, vt audita morbi eius afflictione, pater maiorem aliam illi inferre vereretur. Nunquam enim ex Deo malum nõ trahit, qui afflictis, & calamitoſis addit pœnas. Ezechiel, cap. 25. Iſraelitici populi captiuitatē expẽdebat, vt à Babylonio rege expugnabatur Ieruſalē, vt abducebantur captiui vniuerſi Iudæi, & ſtatim ſubdit: *Propterea hæc dicit Dominus, Ecce ego extendã manum meam ſuper Paleſthinos, & interficiam interfectores, & perdam, &c.* Ezec. 25.
Nõ Palaſthini, ſed Babylonij Iſraelitas expugnauerant, ciuitatem ſanctam euerterant, cur ergo non in Babylonios, ſed in Paleſthinos Dominus ſcandeſcit? Fateor cladē illā à Babylonijs fuiſſe peractam; ſed Paleſthini vidētes Iſraelitas tāta clade oppreſſos, ſe etiã ab illis vindicare voluerũt, calamitoſis calamitatē addentes, ex quo præ Babylonijs iram Dei meruerunt. Ait ibi Theod. ex ore Dei: *Calamitatis tẽpus vltionis tempus fecerũt, & in eos inuadentes infinitis eos malis affecere, hac de cauſa ego pœnas ody ab illis exigã, & diuinitus illis plagas infligã, &c.* Theod.
Equidē qui tũc vlciſci de Iudæis voluerũt, quando illos in afflictione, & calamitate viderũt, merito irã Dei ad ſe traxerũt. Vnde monebat Abdias, cap. 1. *Neq; ingredieris portã populi mei in die ruinæ eorũ. Neq; deſpicies, & tu in malis eius in die vaſtitatis illius. Et non emitteris aduerſus exercitũ eius in die vaſtitatis illius.* Abd. 1.
Vbi D. Cyrill. Al. *Neque iam ante grauiter præſſos malis, tu magis oneres.* Cyr. Al.
Eſto, quòd ames perdere hominem, at quando illum in afflictione, & ægritudine, & ærumna vides, caue ne dolori dolorem addas, ni velis tibi reddere

Deum iratissimũ. Iob, cap. 19. vbi in sterquilinio sedẽs, à vermibus depascebatur, & ab amicis mordebatur, ait illis: *Saltẽ nũc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.* Septuaginta in græco habent: *Scitote solum, quia Dominus fecit mihi sic.* Itaque hoc vnũ petit ab affligentibus se amicis, nimirum vt sciant, quòd Deus sic hominem percusserit, sic afflixerit, & tot illum repleuerit ægritudinibus. Et cur solum hoc volebat Iob ex amicis? Pulchrè Origin. in Cat. Græca: *Hoc illis metum infert, quòd nefas est in eos inuehi, inquos diuina animaduersio incumbit: imò vero decet potius eorumdem potius sortem lugere, ac formidare. Quasi hæc vox Iobi esset: Nolite mihi laboranti imminere infesti, ne si nulla vos ærumnosæ meæ conditionis miseratio tangat, similibus malis implicemini.* Plane ægritudo immissa à Deo mollire debet rabidissimos persecutores, ne illam exaperent, sed magis metuant, ne ipsi in similem deueniant. Nõ enim amat Deus, quòd in afflictis augeatis pœnas. Similiter dicebat Iob aduersus amicos suos, cap. 19. *Quare persequimini me sicut Deus?* Græce: *Quare autem me persequimini, sicut etiam Dominus?* Circa quæ Nicetas in Cat. Græca: *Cur meas exagitatis ærumnas? Nec misericordia me vlla complectimini, idque cum malorum atrocitatem intueamini. Cur diuina comite ira in me impetum facitis? In quo sanè ex Dei decreto nequicquam facitis, nam quamuis is puniat, in vobis tamen humanitatem vult residere.* Non à Deo venit, sed magis illi contrariatur, quòd ærumnis afflictum inuadas, quòd percutiente Deo aliquem, tu illi dolorem addas.

Iob. 19.

Origen.

Iob. 19.

1. *Reg.* 19. Cum venissent nuntij, inuentum est simulacrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meũ, vt fugeret. Et respondit Michol ad Saul, quia ipse locutus est mihi, Dimitte me, alioquim interficiam te.

§. IX.

In mũdialibus nulla vera substantia est, sed species tantum, & simulacrum.

QVod tot missis satellitibus sibi rapi, & afferri Saul mandat, inuenitur esse simulacrum quoddam inane; ait enim: *Cum venissent nuntij, inuentum est simulacrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius.* Eu mundialium rerum fallaciã! Pro quibus exercitus armantur, mittũtur classes, ferro, & sanguine pugnatur; si attendas, inueniuntur esse nullius substãtiæ, sed mera, & euanida simulacra. Quo respiciens D. Amb. pulchre dicebat epist. 44. *Vanæ spes hominum in hoc sæculo, quia ea, quæ non sunt, tanquam, quæ sint, sequenda arbitrẽtur. Itaque manes, & vacuæ rerum species tãquam in somno venerunt, abierunt, adstiterũt, euanuerũt. Circumfusæ, & dispersæ sunt, teneri videntur, & non tenentur* Putabant satellites, putabat Saul à se Dauidem teneri, quem & in lectulo afferri mãdabat; sed cũ lectulo inijciuntur manus, non Dauid, sed eius inuenitur simulacrum, Sic sic vniuersa mundialia euanent, nihil in se substãtiæ esse ostendentes, sed solam speciem, & simulacrum. Clamabat Paulus ad Ephes. 5. *Surge, qui dormis,* quasi nullum putaret esse in mundo, qui nõ dormiret. Et quãdo somnium est mortalium vita, ad quid vrgentur homines, vt exsurgant, & somnium excutiant? Vt excitati nihil in mũdialibus prẽter speciem esse videant. Ait D. Amb. supra: *Vbi quis, de sæculi istius somno exurrexit; fulsa hæc intellexit omnia: euigilauit, & fugit somniũ, fugit potestas, abijt cura patrimonij, forma venustas, honorum studiũ. Hæc enim somnia sunt.* Nihil firmum, nihil stabile, nihil verũ inuenitur in mũdialibus, sed in imagine omnia pertranseunt. Quę magna credis, si contrectes manibus, aut nihil esse inuenies, aut inane quodã simulacrũ. Sapiẽter dicebat ille rex Ecclesiastæ, cap. 1. *Ego fui rex in Ierusalẽ;* nondũ exuerat purpuram, & tamen non audet dicere, ego sum rex; sed ait; ego fui rex. Et cur etiã de præsenti non asserit se esse regem? Ait Hugo Victor. hom. 5. in Ecclesiastẽ: *Fui, inquit, quasi dicat, iam non sum. Quia & si sum id ipsum iam nihil esse agnosco, quòd sum.* Ea equidẽ sunt bona mũdialia, quæ si tractentur, deprehendantur non esse. Huc trahe dicta Tom. 3. de Christo Figur. lib. 7. c. 20. §. 4.

D. Amb.

Ad Eph. 5.

D. Amb.

Eccles. 1.

Hug.

§. X.

§. X.

Pietatis opera præsentaneum habent premium ex Deo.

FVtilia erant verba Micholis ad excusationẽ facinoris; dicebat enim: *Quia ipse locutus est mihi, dimitte me, alioquim interficiã te.* Et si enim verisimile erat, quòd metu mortis Dauidem dimisisset; at quòd statuam in lecto poneret, & illa satellites, & patrem deluderet, ægrotum ibi iacere Dauidem fingens, non id factum fuit ex metu Dauid, qui cùm hæc peragebantur, iam aberat minime redditurus. Cur ergo ex hac parte non magis periclitata est Michol apud patrem, qui vel filios fauentes Dauidi odisset? Salianus ex Abbulensi putat id fuisse factum ex Dei prouidentia moderante Saulis mentem, ne malum intenderet filiæ, quæ bonum operata erat in Dauidem. Quæ enim patrem cõtempsit, vt viro suo Dauidi seruo Dei consuleret, patrem inuenit non sibi durum, sed propitium. Sic enim Deus pietatis opera solet remunerare, etiã in hac vita. Iosue, 2. Raab contempsit patriam, vt Dei serui exploratoribus prospiceret; & cum paulò post, illius patria funditus periret, ait textus, Iosue, 6. *Raab vero meretricem, & domum patris eius, & omnia, quæ habebat, fecit Iosue viuere, &c.* Quid fœlicius? Pulchre de hac canit D. Paulinus in Natali, 8. S. Fœlicis:

Iosue, 6.

D. Paul. *Hospitibus, quia fida pijs, in fida profanis*
Ciuibus extiterat vitã, patriamque, domumq;
Prælato contenta Deo; mox cuncta benigno
Reperit in Domino.

Expẽde ab illis: *Mox cuncta, &c.* nõ equidem dilata fuit tantę pietatis remuneratio, sed statim, quæ seminauit hospitibus fida pijs, messuit ex fauore diuino. Similiter,

Lucæ, 21. Lucæ, 21. *Vidit Iesus viduam quamdã pauperculam mittentẽ æra minuta duo. Et dixit: vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquã omnibus misit.* Vt vidit, statim laudauit; non distulit pauperculam illam viduam, sed mox illam laudibus substulit. De quo D. Paulinus in Natali, 6. S. Fœlicis ait:

D. Paul. *Inspiciens viduæ palmam dedit; illam diurni*
Rem victus, geminos (quòd ei substãtia) nũmos
Miserat in sacram, nil anxia corporis arcam,
Propterea ex ipso venturi iudicis ore
Ante diem meruit facti præcerpere laudem,
Præferrique illis, quorum stipe vicerat aurũ.

Sapienter equidẽ notauit illud; *Ante diem meruit, &c.* tantæ enim pietatis, & misericordiæ opus, quo bona vidua victu suo succurrit necessitatibus afflictorũ, non debuit fatigari expectatione mercedis, sed statim, vel ante diem â iudicis ore extorsit premiũ laudis. Sic velociter solent à Deo munerari opera pietatis. Vt e contra castigantur qui ab hac pietate deficiunt. Dicebat enim Mardochæus Æsteri, cap. 4. *Si enim nunc silueris per aliam occasionem liberabuntur, Iudæi, & tu & domus tua peribitis.* Et cur euadentibus Iudæis peraliũ, Æster pereat? Ait Carthusibi: *Deus iusto iudicio permittet te, & domesticos, seu cognatos tuos occidi, eo quòd neglexeris populo tuo in tanto periculo subuenire.* Sic qui negligunt subuenire proximis periclitantibus, cum possunt, in certissimam ruinam ibunt.

Æster. 4.

Carth.

1. *Reg.* 19. Dauid autẽ fugiens saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiauit ei omnia, quæ fecit sibi Saul, & abierũt ipse, & Samuel, & morati sunt in Naioth. Nuntiatũ est Sauli à dicentibus, ecce Dauid in Naioth, in Ramatha. Misit autem Saul lictores, &c.

§. XI.

Non ignobilis est fuga, quæ nihil virtuti propositæ metus subtrahit.

NOn fugit Dauid, vt meticulosi solẽt, virtutis propositæ abijciẽtes; sed vt strenui, & heroici viri fugere possũt, nihil à virtute proposita remittentes. Ait enim text. *Dauid autẽ fugiens saluatus est, & venit ad Samuel, & nũtiauit ei omnia, quæ fecit sibi Saul, & abierunt ipse, & Samuel, &c.* Qui vnctus à Samuele in regem fuerat, videns modo se cogi à Regia declinare, coniugemq; reginã fugere, & in exiliũ agi; non cõtemnit Samuelis promissiones, nec irascitur in senem male ominantẽ, sed magis, vel in ipsa fuga, & exilio illi adhæret, eum suspicit, nihil de præcepta fiducia remittens. Adde quòd tota ratio persecutionis, qua fugabatur, ex eo erat, quòd Saul timebat regnũ suũ in Dauidẽ trasfundendũ. Et quãdo regni inuidia sic Dauidẽ affligebat, nihilominus ipse ad Samuelẽ, cõtendit, à quo regni fiduciã acceperat, vt cũ eo moraretur. Quid præstãtius? Sic fugiunt, qui & strenuos, & heroicos se ostẽdũt in fuga, nulli metui cõcedentes, nihilq; timore virtuti eripiẽtes. Exod. 2. post occisum Ægyptium,

Exod. 2.

ptium, cum se ad mortem requiri Moyses sciret, fugit à Regia. Dicit enim text. *Qui fugiens de conspectu regis moratus est in terra Madiam, & sedit iuxta puteum. Erant autem Sacerdoti Madiam septem filiæ, quæ venerant ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebãt greges patris sui. Superuenere pastores, & eiecerunt eas. Surrexit que Moyses, & defensis puellis, &c.* Hæc in Exodo de fuga Moysi; sed Paul. ad Hebræos
Ad Heb. 12. locutus, cap. 12. ait: *Fide Moyses dereliquit Ægyptum non veritus animositatem regis.* Exodus fatetur Moysem fugisse à rege Ægypti quærente illum ad mortem; & Paulus asserit fugam illam minime fuisse meticulosam, nec ideò Moysem fugisse, quòd vereretur animositatem regis. Sed quando manifeste dicitur fugisse, eo quòd ad mortem quæreretur, vnde constat fugam illam non fuisse metu mortis ab irato rege inferendæ? Ipsa fugæ historia id manifestissimè ostendit; nam cum ob defensum hominem iniuriam ab alio patientem, iram regis incurrisset, quàm fugiebat, in ipsa fuga dum sedet iuxta puteum videns puellas iniuriam patientes à pastoribus, illas itidem defendebat. Qui ergo fugiens nihil primi zeli remisit, sed in eadem virtute præstabat, non fugiebat, vt fugere solent ignaui, sed vt strenui heroes. Ait Rup. lib.
Rupert. 1. in Exod. cap. 10. *Vnde hoc, quòd non veritus sit animositatem regis? Videlicet, quia fugiens animos regis, non tamen armaturam deposuit zeli, eadem quippe iustitia, vel pietate, septem filias Sacerdotis Madiam à pastoribus defendit, & oues earum adaquauit, qua & virum percusserat Ægyptium, eo quòd percussisset quemdam de Hebræis fratribus suis.* Vt etiam fugiens in eisdẽ virtutibus inueniebatur, nec quicquam de virtute remittebat, sic eius fuga meticulosa non erat, nec indigna magnæ, & heroicæ mentis. Magnus ille Elias post occisos quadringentos prophetas Baal, auditis minis Ie-
3. Re. 19. zabel regine, 3. Reg. 19. *Surgens abijt, quocumque eum ferebat voluntas, &c.* Qualis hæc fuga in tanto propheta? Sanè si aduertimus, nullam inde cæpit minutionem zeli, aut virtutis, idem enim aduersus improbos & post hæc inuenitur, nam 4. Reg. 1. quinquagenarios milites Idololatræ regis igne absumebat. Non ergo in illo fuga ignominiosa, sed prædicabilis fuit. Ait D.
D. Atha. Athan. de Fuga sua: *Magnus item Elias post recessum in montem Deum inuocauit; & igne cœlitus euocato centuriones cum suis centurijs ad se missis combussit, atque ita periculis ereptus est, vt Heliseum pro se inungeret, & sese formã conlendi numinis filijs Prophetarũ exhiberet. Non igitur culpabilis, nec otiosa sanctorũ fuga.* Illa sola damnabilis fuga, quæ eneruat hominis constantiam, & facit virtutes dimitti, in quibus inuentum fuit periculum. Quæ autem nihil tollit de constantia, nihil minuit de virtute, ea commẽdabilis est. Hinc Paul. 2. ad Cor. 11. gloriantes ait: *Damasci præpositus Gentis Aretæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorũ, vt me comprehenderet, & per fenestrà in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Sic magnus non veretur publicare fugam suam. Et cur non magis dissimulat fugã? Vnde fuga potuit esse commendabilis in tanto viro? Ait D. Athanasius supra:
2. Ad Corinth. 11.
D. Atha. *Vide igitur, nonita decertantes otiose habuerunt tempus fugæ suæ, aut in persecutione vtilitatis aliorum obliti fuerunt, imò, vt boni verbi dispensatores, nõ veriti sunt omnibus illud cõmunicare, vt qui interfugiendum, Euangelium diuulgarent, confirmarentque exhortationibus fidelium mentes.* Ideò in fuga poterant gloriari, quia in illa, è post illam ijdem circa virtutes inueniebãtur. Monebat Iesus discipulos, Matth. 10. *Cũ autem persequentur vos in ciuitate ista; fugite in aliam.* Quantus dux, qui fugam persuadet militibus? Cur non fuisset illis indecorũ fugere? Hoc sapiẽter explicabat Tertull. inter multa insipienter dicta lib. de Fuga in persecut.
Matt. 10
Tertull. aiens: *Neque enim quasi tacite in aliquã ciuitatem transfugiendum erat, sed tanquam vbique annuntiaturis, & ex hoc vbique persecutiones subituris.* Cum Apostoli clamantes, & annuntiantes Christum persecutionem paterentur, iubentur fugere. Sed qualiter iubentur fugere? An tacentes à prædicatione Euangelij, nec iam audentes de Christo musitare? Absit, hæc enim fuga ignobilis esset, & digna hominibus ignauis; iubentur ergo fugere in eodẽ conatu Euangelicæ prædicationis, Christum inter fugiendum clamantes, annuntiantes. Quæ fuga non potuit non gloriosa videri ipsi Tertulliano. Vide infra, cap. 13. §. 10.

§. XII.

Magna Dei assistentia in ijs, qui iuuenes virtutem docent.

VBi Samuel secum vidit fugitiuum Dauidem, statim deseruit locum in quo erat, & cũ illo sein Naioth recepit, iuxta illud: *Et abierũt ipse, & Samuel; & morati sunt in Naioth.* Cur in Naioth? Sanè vbi

Ange-

Angelum percutientem fugit Senacherib, dicitur in Dei sui templum isse: Isaiæ, cap. 37. *Abijt, & reuersus est Senacherib rex Assyriorum, & habitauit in Niniue. Et factum est, cum adoraret in templo, &c.* Et sanctius de Moyse, & Aarone ait, Numer. 16. *Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis.* Cur Samuel cum fugitiuo suo non magis confugit ad locum tabernaculi, quã ad Naioth? Nonne in loco tabernaculi inueniretur presentior Deus suis fugitiuis, quàm in Naioth? Fateor in loco tabernaculi præsentem Deum esse illis, qui eo confugiunt; at etiam in Naioth suam exhiberet præsentiam, & auxilium. Erat enim Naioth locus scholæ, qua Samuel iuuenes Israelitarũ, puerosque instituebat, vt probat noster Salianus ibi; vbi autem puerorum institutio, & informatio circa Dei cultum, & virtutes capessendas per Samuel florebat, non poterat non ibi manifeste ostẽdi protegens assistentia diuina. Ad ingressum Mariæ dicebat Elisabeth, Luc. 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo.* Sto à sententia Chrysostomi, Amb. Theophilact. Euthymij, qui putant illam Ioannis exultationem fuisse cũ vero, & pleno vsu rationis. Quo posito, inquiro vnde Elisabeth agnouit Mariam esse matrem Dei, intusque in visceribus Deũ habere? Plane eo ipso, quòd vox Mariæ tam efficax fuit erga puerum Ioannem, vt eius rationem accelerarit, & fecerit sapientissime moueri in cultum, & reuerentiam Dei, manifeste ostendebatur in illa Deum esse. Ait D. Ber. ser. in Nat. Ioannis: *Quis tibi indicat matrem Domini mulier sancta? Vt facta est, inquit, vox salutationis tuæ in auribus mei, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Et merito indicatur Deo plena illa mens, cuius vox in paruulis vsum rationis componit, eosque docet Deo præstare obsequium. Quis non Deo plenus operam daret iuuenibus in virtutem instituendis? Imò crediderim apud hunc non solũ Deũ esse, sed nec vllius mali rabiem ad illum accedere. Quo spectans Sophonias, cap. 2. aiebat: *Quærite dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium estis operati, quærite iustum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini.* Quæ sic græcè sonant: *Quærite dominum omnes humiles terræ, iudicium operamini, & iustitiam quærite, & respondete ea, vt protegamini in die iræ Domini.* Expende illa: *Et respondete ea, vt protegamini, &c.* quippè non qui solum facit bona, sed qui ea respondit paruulis, è ignorantibus bonum, ille omnimodam Dei protectionem ab omni malo sibi tenet. Ex quo aiebat D. Cyrill. Alex. in præsenti: *Addendum opinor, respondete eam. Hoc est, alias alloqui, & admonere fratres: ita enim non aliter virtutis numeros cõsequemur. Perfectissimæ igitur religionis iudicium, & ipsum virtutis officia exequi, & explicare alijs, quibus claritatem adipiscantur. Non carituram autem præmijs laborem huiuscemodi declarauit Christi discipulus: Qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Sic Iacobus, cap. 5. vt videas, quantum perfectionis acquiras, quantis malis te expedias, quisquis operam das docendis iuuenibus.

Isai. 37.

Num. 16

Luc. 1.

D. Ber.

Sophon. 2

Cyr. Al.

§. XIII.

Voces Deum laudantes validissimæ sunt, vt nos à malis protegant.

ECce tibi satellites Saul, nec ipse Saul malum aliquod infert Dauid existẽti cum Samuele. Dicit enim: *Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cũ vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, &c.* Hoc vaticinium prophetarum ad diuinarum laudum cantica referunt Chaldæus, Abulen. Vatab. Emanuel Sa. Vt enim diuinas laudes cantari audiunt vniuersi satellites Saulis, nihilminus cogitant, quàm Dauidem rapere, quin & ipsi, & Saul qui superuenit in eosdem effusi cantus, locum dederunt, quo posset Dauid saluari. O vim diuinarum laudum! Hoc cura homo, vt etiam circumcinctus hostibus in laudes diuinas abeas decantandas, & fallar, nisi medijs illis liber euadas. Accipe rem miram, quàm in se ipso expertus fuit D. Athanas. Ait enim in Apolog. de fuga sua: *Nox erat, multique ex populo ad proximam synaxim in orationibus pernoctabant, cum dux exercitus Syrianus ingessit se pluribus, quàm quinque millibus, quorum aly arma, aly strictos enses gestabant, aly arcus, facula, fustes, & Ecclesiam militibus, prope interse conseritis manibus, ne quisquam inde exiret, aut elaberetur, cinxit. Ego autem cum in tanta tribulatione populos deserere absurdũ putarẽ, & rectius esse, vt pro alijs pericula susciperent,* D. Athan.

rent, manebam sedens in cathedra mea, Diacono iusso, vt recitaret Psalmum: Quoniam in
Psal. 105. *saculum misericordia eius: & post recitationem quisque domum abiret. Vbi cum dux istarum cohortium, vi in templum irrupisset, militesque sacrarium ad me intercipiendum obsiderent, quotquot ex clero, & populo residui erant. clamitare, obsecrare, vt me subducerē: ego contra, nisi omnibus ad vnum digressis me recessurum pernegabam, qua propter relicta cathedra, inuictisque precibus obsecrabam, vt abitum maturarēt. Digressis igitur pleriſque, caterisque eos subsequentibus monachi mei, & nonnulli ex clericis inter abeundum me secum abstraxerunt. Atque ita testor veritatem, per milites, quorum alij Sacrarium cingebant, alij per templum oberrabant, in offense transiuimus, domino duce, & protectore, nihilque ipsis sentientibus elapsi sumus.* Sic ibi: quibus nescio, quid mirer magis, an Athanasij securitatem inter tot hostes? An hostium cæcitatem? Tot millia vnum in tēplo clausum tenebant, requirebant, & ille vnus ellabitur. Et quid egit Athanasius, vt
Athan. tot effugeret arma? Ipse ait: *Manebam sedens in cathedra mea, Diacono iusso, vt Psalmum recitaret: Quoniam in saculū misericordia eius.* Vnum præsidium sibi, & suis excitauit, nimirum vocem cantantis, siue recitantis Psalmū; quo sibi comparauit protectionem Dei, ne ab hostibus caperetur. Hinc Iosue, cap. 8. post euersam ciuitatem Hai; cum immensa hostium multitudo in bellum pararetur, primum quidem bene-
Iosue, 8. dixit populo; *Post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta, quæ scripta erant in legis volumine.* Et ad quid tā longa diuinarum misericordiarum lectio? Ait D. Athan. hb. de Interpretat. Psalm.
D. Atha. *Conspecta hostium acie, cunctisque regibus Amorrhæorum ad prælium coeuntibus, ipse pro armis, ac gladijs Deuteronomium recitans in aures omnium, verbaque legis in memoriā reuocans, vsque populum obarmans, hostes superauit.* Quid tunc? Dixerat paulò ante: *Qua propter etiam nunc quisque ea recitans, certus, fidensque sit. Sine in probatione, tentationeve hæc psallat, probatior videbitur, & protegetur à Domino, &c.* Sic laudantium Deum voces possunt nos à malis incursibus liberare. Supra dum pulsat Dauid citharam, melius habebat Saul, cap. 16. Quo
D. Petr. spectans D. Petrus Cluniacens. epist. contra Petrobrusianos ait: *Dum coram Saul citharizabat Dauid, recedebat ab eo spiritus malus. Dum coram Elisæo canit psaltes, aduocatur Spiritus Sanctus. Cantu ergo musico fugatur spiritus malus, cantu musico aduocatur Spiritus Sanctus.* Sic de cantu diuinarum laudum.

CAPVT VI.

Dauidis querelæ ad Ionatham.

Textus Historia.

NOVIT Equidem Ionatha sororis artē in liberādo Dauide, & parente eludendo; quin & parentis bilem vehementius exacerbatam agnouit; & creditur eō statim animo fuisse, vt Dauidem in regis gratiam reduceret. Nec paucis persuasit Patrem, quòd nemo eius rebus erat Dauide addictior, nemo bellica laude præstantior, nemo in rege colendo diligentior. Quibus, vt videbatur, delinitus Saul amicum vultum erga Dauidem induit, sed vt hominem cominus feriret. Facinus multis oppleb at tenebris, sed non potuit effugere Dauidis lumina, qui Ionatham colloquiēs patris reuelat virus, & quàm proximum suum vitæ discrimen. Deinde, Nescio, ait, quę mea culpa tot iras in rege aduersus me excitauit? Vicit meas artes fortunæ malignitas. Actum est, Ionatha, nisi palam audebis Dauidem defendere. Occludet tibi tragediam pater, ne amici discrimine afficiaris; sed patentissime arcana explicabitur ira, si absentiæ meæ in conuiuio calendarum excusationem iniquo ferat animo. Ergo amborum consilio latet Dauid in agro, & in conuiuio regis desideratus regem commouit non parum. Qui vel in filium lanceam contorsit, quòd absentis causam videretur agere. A mensa surrexit Ionatha impransus, vt patris declinaret iram; & in campum egressus sagittarum signo Dauidem ad fugam hortabatur.

PARS MORALIS circa textus literam.

AB Aula exul Dauid cogitur errare per campos, per in hospitalia; in ijs viuat, qui imbidiæ fugere amat rabiem,

1. Reg. 20.

1. *Reg.* 20. Fugit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, venienſque locutus est coram Ionatha. Quid feci? Quæ est iniquitas mea, & quòd peccatum meum in patrem tuũ, quia quærit animam meam? Qui dixit ei: Abſit, non morieris, &c.

§. I.

Prouidentiſsima cura ſalutis eſt in crebra inquiſitione culparum.

DEfenſorem Ionathan ſibi procurans Dauid coram illo inquiſitionem facit culparum, vt pateat, quam ſine cauſa veniat tanta calamitas. Ait enim: *Quid feci? Quæ eſt iniquitas mea, quòd peccatum meum, in patrem tuum, quia quærit animam meam:* Et quam ſalutem, & defenſionem non mereatur iſta inquiſitio culparũ? Felix qui in quauis calamitate, & caſu coram ſaluatore ſuo Ieſu, ſic ſe examinat, & animi lapſus indagat, fallar, ſi quid dignũ pœna in ſe habeat. In tormento crucis cõſtitutus Ieſus Matth. 27. clamabat ad patrem: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Et derelictum ſe intormentis queritur, & cauſam indagat, cur in talem derelictionem venerit, illis verbis: *vt quid dereliquiſti?* Nonne ſibi notiſsima erat totius negotij res? Cur ergo inquirit cauſam coram patre? Plane hominis peccatoris erat ſub larua, cui ſalutaris eſt in omnibus caſibus hæc inquiſitio, & examinatio culparum. Ex quo aiebat Arnoldus Carnot. tract. 1. in hæc verba: *Maneat hoc vnum documentum, & continuæ perſuaſionis ouem plum. Sed, & nobis, qui toties dereliquimur, quoties nos tentamina colaphizant, non negligenda quæſtio eſt, inquirere cur dereliquimur, & intellectis cauſis indagare remedia. Quia non poteſt in illa mente diu labes obrepere, quæ ſe prouida ſtuduerit circunſpectione munire.* Quid pulchrius? Hæc ſit nobis cura crebriſsima in omni caſu, in omni tentatione, & ruina, vt acri diſcuſsione indagemus, quæ ſit noſtra culpa ob quàm in diſcrimina venerimus. Quæ ſi ſemper inquiſitio comitetur caſus noſtros, non longe aberit ſalus, & in priſtinam fœlicitatem reſtitutio. Pergit ibi Arnoldus: *Adhãc inquiſitionis formam propoſita à Chriſto in cruce quæſtio nos inuitat, quoties nos pungit ſtimulus carnis, vel rapit in mirabilibus ſuper nos elatio mentis. Nec tamen peremptorius æſtimandus eſt recrudeſcentis peccati pruritus, cui obuiam pergit ratio, & ſerpenti ſcabiei opponit eauterium.* Equidem non poteſt manere culpa in animo, à quo ſtatim reddenda eius eſt ratio. Ideò qui ſaluti ſtudet, non dimittat hoc examen, quo in omni caſu ſtatim diſcutiat cauſas. Iob, cap. 10. in laboribus ſuis ſic ad Deum clamabat: *Indica mihi, cur me ita iudices?* In pœnis eſt, & credit Deum ſine ratione aduerſus illum agere? Abſit: cum ſe afflictum videt, ad inquirendas in ſe cauſas conuertitur, & ad hoc lucem flagitat. Ait ibi D. Greg. lib. 9. in Iob, cap. 24. *Flagella ad probationem iuſtus percipit, & vitam ſuam ſubtiliſsima inquiſitione diſcutit.* Hoc propriſsimum iuſtorum eſt, qui in ruinis, & caſibus ſtatim ad ſubtiliſsimam ſuorum operum diſquiſitionem conuertũtur. Verentes, ne ipſi in cauſa ſint, qua Deus illos in malis reliquerit.

Matt. 27

Ar. Car.

Arnold.

Iob. 10.

D. Greg.

1. *Reg.* 20. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Neſciat hoc Ionathas, ne forte triſtetur. Quin imo viuit dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego, morſque diuimur, &c.

§. II.

Dei amicis mors ob oculos ſemper eſt.

NIhil proprius ante ſe videbat Dauid, quàm mortem, cum ait: *Vno tantum gradu ego, morſque diuidimur.* Nec miror, adeò ſibi propinquam mortẽ à Dauide conſpici; ſolet enim Deus hoc præſtare valde amicis ſuis, vt ſemper mortem habeant præſentiſsimam. Matth. 27. cũ iam Ieſus meus à Iudæis per iniquorum iudicum tribunalia raptaretur, dicit textus: *Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium congregauerunt vniuerſam cohortem, & exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei, &c.* Hoc primum à carnificibus

Matt. 27

ficibus Iesus in domo Pilati accipit, vt nimirum circum vestiatur coccinea clamyde. Et cur sic voluit coccino circumdari? Sanè bonus Iesus, vt inter carnifices versabatur, sic malebat semper mortē imminentem ob oculos tenere: ob hoc voluit coccino circumdari, vt quocumque in se oculos verteret, cruentam mortem suam posset spectare. Pulchre accinebat Sedul. lib. 4. Paschali.

Sedul. *Cumque datus suis ad pœnam sanctus abiret*
Militibus rubri vilem subtegmine cocci
Vestitur clamydem species, vt cuncta cruenta
Mortis imago foret.

Solet humanus affectus suis eripere, quidquid mortem valet repræsentare, ne tristentur mortali spectaculo, etiam cum in periculis ambulant. At affectus diuinus in charissimis suis hoc satagit, vt semper illis ob oculos versetur mortis imago; nequid videant, in quo instantis mortis non possint recordari. Hinc currens ad passionem Iesus coccineam induit clamymidem; species vt cuncta cruenta mortis imago foret; vt nimirū quot fili coccinei in veste erant, tot mortis essent imagines, quæ sese passim oculis eius præsentarent. Hoc in charissimo filio fecit affectus diuinus, in deploratis enim, & reprobis potius contrarium facit, ne videāt, vel præsentem mortem qua ducendi sunt ad Tartara. Sic 1. Reg. 17. Dauid tulit lapidem de pera, &

1. Re. 17. funda iecit, *& circumducens percussit Philisthæum in fronte: Infixus est lapis in fronte eius, & cecidit, &c.* Vt ictum passus est, statim cecidit sine vllo mortis sensu, & quale hoc? Sanè sic cadunt, qui æternis deputantur tormentis. Ait D. Basil. Sel. orat.

Basil. Sel. 15. *Plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat, fatique celeritate sensu mortis caruit: Hoc fidei spolium est, blasphemiæ coercitio, &c.* Expende, vt blasphemus, & deploratus cecidit, dicit enim: *sensu mortis caruit*, nullum signū fuit illi, per quòd sensus mortem vicinam præsentirent. Tota externa species illi vitam, & triumphum promittebat; erat enim aduersarius rusticus puer inermis, in sola funda confidens; erat ille vir robustus, & bellator ab adolescentia sua aheneis circundatus armis, quibus nulla suspitio mortis apparebat. Sic miseri plectuntur à Deo, ne mortem, vel à longe odorentur, sed sine sensu illius pereant. Quos autem Deus amat, sic facit versari inter mortis imagines, vt singulis horis videantur cum illa belligerare, & de illa triumphare. Hinc Paulus petitus ad mortem â Iudæis clamabat, Actor. 25. *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari.* Act. 25. Et Paulus ille erat, qui dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, & qui mortem cupiebat, mortem modo fugiebat, & declinabat, quàm vt fugeret, longā maris nauigationem, vt Romam iret, amplexabatur. Sed quando mori cupis, cur sic mortē differs? Cur illam iam instātem fugis per maria, per pericula? Non id faciebat in Paulo mortis timor, sed amor, qui ante mortem diu inter eius imagines amabat versari, vt postea de illa triumpharet. Quo spectans D. Athan. in Apollog. de fuga sua ait: *Non* D. Ath. *enim prætimore operā fugæ præbuit, quin potius fugam habebat pro palestra, & meditatione aduersus mortem.* Quando enim in mortis fuga, dum quis fugit, semper ob oculos mortē habet, & vniuersa, quæ videt, mortis repræsentat imagines, sapienter Paulus fugam arripiebat, vt illa mortem frequentius meditatus, se aduersus mortem amaret, de qua facilem victoriam reportaret. Sic 3. Reg. 19. dū Elias audit sibi mortem per Iezabel paratam; *Timuit, & surgens abyt, quocumque eum ferebat voluntas,* 3. Re. 19. *venitque in Bersabeth Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum via vnius diei. Cumque veniſſet, & sederet subter vnam iuniperum, petiit animæ suæ, vt moreretur, &c.* Ecce tibi, qui mortem fugiebat, in fuga mortem appetit. Sed cur modo mortem appetit? Sanè fuga illi pro palestra fuit, & meditatione aduersus mortē. Vt enim fugiens mortem ob oculos habebat, & inter eius imagines passim oculis oblatas ambulabat, eo deuenit, vt mortem iam deuinceret, de illaque triumpharet.

1. *Reg.* 20. Dixit autem Dauid ad Ionatham; Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendū, dimitte ergo me, vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ, si respiciens requisieric me pater tuus, &c.

§. III.

Quidquid Christi fuit, auspicatum est hominibus.

VSque ad vesperam diei tertij abscondi in agro amat Dauid, vt ibi speret suæ salutis

ſalutis auſpicium, dum ait: *Dimitte ergo me, vt abſcondar in agro, vſque ad veſperam diei tertiæ, &c.* Et cur tridui abſconſionem ſibi eligebat Dauid, nonne vel in ſecundæ diei veſpera poterat reſpõſum audire? Cur maluit tertiam expectare veſperam? Nouerat nobiliſsimus vates triduum iam antiquitus eſſe ſacratum ſepulchro, & reſurrectioni Chriſti, quòd autem Chriſti erat, auide arripiebat, vt ſibi auſpicatum, & ſalutiferum. Plane nihil Chriſti Domini eſt, quòd hominum ſaluti non præbeat auſpitium. Iam in patibulo crucis affixus innocentiſsimus Ieſus, cum poſſet credi diuinitatem manifeſtaturus valde in perfidos iratã, ſic clamat, Matth. 27. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Suauius vocaret patrem, cur hoc ſuaui dimiſſo vocabulo maluit vocarè Deum? Cur non in patris inuocatione audientium hominum aures deliniebat? Nõ requirebatur nomen patris ad ſuauitatem in homines oſtendendam, vbi dixit Deum meus, qui enim Deus Chriſti Ieſu oſtendebatur, non poterat non hominibus ſalutaris videri. Ait Arnold. Carnot. in hæc verba tract. 1. *Suum dicit, vt manifeſtum fiat, quòd ille, qui ſuus eſt, in nullo ei contradicere poſsit. Deũ ſuum dicit, vt nobis minime formidandum iudicem intimet, quem ſicut ſuum flectere poſsit, & ad eum tutum eſſe acceſſum, quem non, vt alienum appellat, ſed ſuum.* Equidem quem nobis ſuum proponit Ieſum, iam inde facilem, & benignum hominibus curandis, excipiendiſque oſtẽdit. Nil enim ſalubrius homini, quàm quòd probatur Ieſu eſſe? Ioannis, 1. Andræas adduxit ad Ieſum fratrem ſuum Simonem; *Intuitus autem eum Ieſus, dixit, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas.* Sic nomen Simonis mutat in nomen Cephas, quòd interpretatum ſonat petram. At Simon ille cõſtituendus erat Eccleſiæ paſtor, qui homines ad æterna paſcua duceret, illeſque foueret. Qui ergo adeò blandus, & ſalutaris in homines parabatur, cur vocatur petra? Cur non magis placuit de ſuaui aliquo alio, & blando nomen illi affingere? Cur placuit petræ duricies ad cognominandũ eum, qui amabiliſsimus hominum paſtor eſſet? Petra erat vnum ex nominibus Ieſu attributis; & ideò placuit Ieſu aliquid de ſuis apponere illi, quem ſalutarem, & beneficum hominibus volebat. Ait Tertull. lib. 4. in Mar. *Mutat Petro nomen de Simone:: Sed & cur Petrum? An quia, & petra, & lapis Chriſtus? Siquidem & legimus poſitũ eum in lapidem offendiculi, & in petram ſcandali. Itaque affectauit chariſsimo diſcipulorũ de figuris ſuis peculiariter nomen communicare, puto proprius, quàm de non ſuis.* Quem in diſcipulis chariſsimum habebat, & ſuper omnes conſtituebat, vt hominibus ſalutem negotiaretur, clauſtraque cœli reſeraret, merito non alienis, ſed ſuis nominibus ornauit. Quòd enim Ieſu eſt, non poteſt non in hominum ſalutem inclinare. Plane quæ vel Ieſum tetigit, totus eſt in prouidendo hominũ neceſsitatibus. Luc. 19. Zachæus auariſsimus publicanus excepit Ieſum in domo ſua. Quid tunc? *Stans autem Zacheus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, &c.* Qui homines ſpoliabat, modo illos ſuis bonis ſuſtẽtat. Vnde hoc? Ait Titus Broſtrorum Epiſcop. ibi: *Vt primum Chriſtum Dominum non citra gaudium in domum excepit, ſtatim effectus eſt miſericors, ſtatim ſtudioſus pauperum, &c.* Sic qui ad Chriſtum Dominum cæpit pertinere, nõ potuit non circa homines inueniri ſalutaris.

Matt. 27

Arn. Ca.

Ioann. 1.

Tertull.

Luc. 19.

Tit.

§. IIII.

Quod alicui per Deum auſpicatum creditur, & aliis ſimile futurum poteſt ſperari.

NOn otioſe Dauid occultationi ſuæ triduum deſignat aiens: *Abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ;* & enim perſpicaciſsimus vates nouerat triduum ex Chriſto habiturum, quòd eſſet humanæ ſaluti dicatum. In triduo Ionas è ventre cete exiuit, & filius hominis è corde terræ. Quis ergo non ſperet fœlicem exitum in tridui Sacramento? Quod enim fecit Deus alicui ſalutare, non vane poteſt ſimile à cæteris ſperari. Numer. cap. 35. dicebat Dominus: *De ipſis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata, vt fugiat ad ea, qui fuderit ſanguinem, &c.* Non quiſquis fuderit ſanguinẽ, admittebatur in ijs ciuitatibus, ſed vt Ioſue, 21. explicatur, qui inculpabiliter percuſsiſſet fratrem. Pro illis ergo, qui ob fratrem percuſſum inculpabiliter fugitiui erant, dabantur in parte Leuitarum ſex ciuitates, in quibus ſe poſſent cuſtodire, & tutari. Sed cur pro ijs fugitiuis ciuitates refugij erant in ſola parte Leuitarũ? Ait Philo in Cat. Græca: *Iubet, vt ad ſa-*

Num. 35.

Phil.

cras

eras vrbes Leuitarum confugiat, vbi non modo se quisque facile credere poterat, sed non parum quoque solatij percipere, videns apud eos confugisse, qui premium cadis à Deo ornatissimas vrbes accepissent. Eos enim, qui vitulum pro Deo conflauerãt, etiã consanguineos Leuitæ suis manibus volentes interemerant. Quando Leuitæ proximorum sanguinem non solum innoxie, sed & meritorie fuderant; inter illos iubentur commorari fugitiui illi, qui inculpabiliter occidissent proximos; vt visis Leuitis in dignitate post effusum sanguinem fratrum, ipsi consolarẽtur exilium suum, simile quid sibi euenturum sperantes. Quòd enim ad vnum aliquem ex Deo beneficium venit, ab omnibus in simili constitutis potest sperari. Luc. 3. accessit Iesus ad Iordanem, vt salutarem hominibus baptismum aliquo modo initiaret. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orãte, apertum est cœlum, &c.* Et qui inde non credat sibi cœlum apertum à baptismi aquis; etiã si non baptizetur in Iordane? Ait D. Aug. hom. 1. de Epiphan. *Omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alueũ vnica, ac singulari pietate descendit.* Sic quòd semel factum fuit in Iordane, quotidie speramus fieri nobis in baptismi aquis. Similiter, Exod. 12. vt educeret populum suũ percussit Deus primogenita Ægypti, ex quo Dauid, Psalm. 135. clamat: *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, qui eduxit Israel de medio eorum.* Et cur Dauid adeò nota inculcat? Vt inde discamus nos eadem quotidie sperare in nobis. Vt dicat D. Augustin. ibi: *Qui percussit Ægyptum cũ primogenitis eorum, percussit, & sæculum cum ijs, quæ præcipua putantur in sæculo.* Semel Deus percussit Ægyptum, vt suum saluaret populum, & similiter modo præstantissima mundi percutiet, vt ad cœlum euolemus omnes.

Luc. 3.

D. Aug.

Exod. 12

D. Aug.

1. *Reg.* 20. Et ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israel, Si inuestigauero sententiam patris mei crastino, vel perendie, & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notũ tibi fecero; Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerarit patris mei malicia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, &c.

§. V.

Palatini tardissimi ad alios regi conciliandos, perniciosissimi ad excludendos,

DVo committebantur Ionathæ fides, aliud, si quid boni, alterum si quid mali in Saule erat aduersus Dauidẽ, vt ea reuelaret. Ionathas autem multis se deuouet diris, si bonum tacuerit; mala autem simpliciter promittit à se reuelanda. Sic enim ait: *Si aliquid boni fuerit, super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero, hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malicia aduersum te, reuelabo aurem tuam, &c.* Sanè maius periculum erat Dauidi futurũ, si malum illi imminens taceret & dissimularet, quàm si bonum minime nuntiaret. Et nilominus nullis se maledictis obstringit, si taceat malum, quibus obstringitur, si bonum non statim reuelauerit. Cur ergo non magis ait; hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, si maliciam patris non reuelauero; sed imprecationes illas magis proponit, si bonum tacuerit? In bono Saulis erga Dauid, expectabatur Dauidis cũ rege reconciliatio; cuiusuis autem conciliatio cũ rege cæteris omnibus palatinis grauis est, ab illaque vehementer abhorrent; ideò Ionathas, vt in hac difficiliori parte fidelis crederetur, maledictionum imprecationes promissis addidit. In malo autem nuntiato, sola Dauidis fuga expectabatur; palatini autem adeò prompti sunt ad cæteros fugãdos ex regis cõsuetudine; vt quòd in hoc, vel simplici verbo dicũt, facile credantur. Quis nesciat palatinorum tarditatem, & renitentiam circa ea, quæ alios regi valeãt cõciliare? Supra 1. Reg. 17. pauens Saul Dauidis animositatem ait ad Abner: *De qua stirpe descendit hic adolescens? dixitque Abner: Viuit anima tua, rex, si noui. Et ait rex, interroga tu, cuius filius sit puer. Cumque regressus esset Dauid percusso Philistæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule: & ait ad eum Saul: De qua progenie es, ò adolescens?* Id ante congressum desiderauerat rex cognoscere iusserat Abner, vt ipse interrogaret, & renuntiaret sibi: & tamen

1. *Re.* 17.

nec

nec Abner, neque alius quispiam vllam diligẽtiam fecit, vt id regi innoteſceret, adeò vt poſt victoriam rex ipſe per ſe interrogat de illo! Et cur in re adeò â rege concupita Abner, ſic tardus fuit, nec de illa curauit? Sto à ſententia Lyræ, & Cartuſiani, qui putant regem ideò deſideraſſe cognoſcere progeniem Dauidis, quia illum generũ erat habiturus. Ex quo non miror, quòd Abner, & vniuerſi palatini circa Dauidicæ nobilitatis indagationem ſegnes fuiſſent; nihil enim magis illis exoſum, quàm id, quo alij, in regis amorem, & familiaritatem poſſent venire. Hinc Æſter. 6. cum Aſſuerus noctem inſomnem duceret, & ex adſtantium aulicorum lectione cognouiſſet Mardochæi officium, qui duorũ rebellium proditionem regi aperuiſſet, affectus erga Mardochæum iubet Amano, vt eum induat purpura, & celebri pompa per vrbem ducat. Quid tunc? Ait text. *Tulit itaque Aman Stolam, & equum, induitque Mardochæum, in platea ciuitatis, & impoſitũ equo præcedebat, &c.* Et quòd mirere magis rem tractans Ioſephus lib. 11. cap. 6. ait: *Exiuit eum equo Amanus, purpura, & torque aureo: inuentumque ante aulam Mardochæum ſacco amictum, iuſſit eo depoſito indui purpura. Qui veritatem rei neſciens, & ſibi illudi putans, &c.* Certe res non acta fuit in ſecreto, ſed coram miniſtris illis, qui regi adſtiterant, & hiſtorias legerant, & Amanum vocarunt. Nec ſubito omnia in prõptu apparuerunt, ſed per longum ſpatium, & multis clamoribus, vt in aulis ſolet, parabantur, requirebatur enim qui purpurã è gymnecęo deferret, qui equum ab ſtabulo educeret, ornaretque, quibus officijs multi inſtabant præpoſiti, & ſuper omnes Amanus erat triſtiſsimus. Inter hęc omnia Mardochæus, propter quem fiebant verſabatur in foribus palatij, & tamen cũ poſt omnes illos tumultus acceſsit Amanus, dicitur Mardochæus rem prorſus neſciſſe. Et quomodo id fieri potuit? Quomodo è tot palatinis, qui rem audierunt ex rege; imò qui ornamenta pararunt, nec vnus fuit, qui celeri properaret curſu, vt Mardochæum omnibus notiſsimũ de tam læto commoneret nuntio? Vt nuntium illud nõ parum conciliaret animum Mardochæi cũ rege; ſic non inuenitur in aula, qui de illo Mardochæum moneat; ea eſt enim palatinorum peſtis, quòd nullum vellent videre regi gratum. Sed eo ipſo, quòd regi placeas, inte vniuerſos aulicos armas. Dan. 6. *Rex cogitabat conſtituere Danielem ſuper omne regnum. Vade principes, & ſatrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danielem, &c.* Eo ipſo, quòd in rege cæpit cogitatio adò leſcere erga Danielis bonum; ecce tibi vniuerſi aulici aduolant, vt illam afflictis calumnijs opprimant, & Danielem à regis remoueant iatere.

Lyr.

Ioſeph. 11

Dan. 6.

1. *Reg.* 20. Si vixero, facies mihi miſericordiam Domini; ſi vero mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuã à domo mea vſque in ſempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid vnum quemque de terra, auferat Ionatham de domo ſua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid. Pepigit ergo Ionathas fœdus, &c.

§. VI.

Athæus eſt, hoc eſt, quaſi Deum non credit, qui neſcit proximorum miſereri.

NOn otioſe Ionathas miſericordiã Domini ſibi petit, dum ait: *Facies mihi miſericordiam Domini.* Adeò enim Deus miſericordia affectus eſt; vt athæus ſit, & Deum prorſus neſciat, qui proximorum neſciat miſereri. Pſalm. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Hoc aſſerit pſal. dictum ab impio; ſed Sapiens, cap. 2. alia multa dicta ab impijs ponit; de hoc autem tacet. Ait enim: *Dixerunt enim cogitantes in corde ſuo non recte:: Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum ſit pratũ, quòd non pertranſeat Luxuria noſtra:: Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, &c.* Et multa ijs ſimilia referuntur in hoc capite dicta ab impijs, nec inſinuatur ab vllo dictum non eſſe Deum. Quando ergo certum eſt iuxta pſalmum ab impio dictum Deum non eſſe; cur & Sapiens, qui tot dicta impiorum recenſet, & hoc non refert? Refert equidem; vbi enim ait ab impijs dictum; opprimamus pauperem, non parcamus viduæ, qui, miſericordiam ablegant, ablegant etiam & Deum. Ait ibi D. Auguſt. *Poſt iam deſcriptam latius luxuriẽ, quid ſequitur? Occidamus pauperem iuſtum, hoc eſt ergo dicere, Non eſt Deus.* Vbi miſericordia

Pſal. 52.

Sap. 2.

D. Aug.

cordia proximis præstanda eripitur, & Deus prorsus eripitur; quippe Deus addictissimus misericordiæ est. Amos, cap. 5.

Amos, 5. dicebat: *Pro eo, quod diripiebatis pauperem. & prædam electã tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabis, & non habitabitis in eis, &c.* Et cur sic Deus exardescit in pauperum percussores? Ait ibi D. Cyrill. Alex.

Cyr. Al. *Eodem numero sunt legẽ charitatis in fratres conculcantes, quo qui Deum non cognoscunt.* Qui nesciunt misereri fratrũ profecto habentur pro ijs, qui minime Deum cognoscunt. Cognoscitur enim Deus maxime in misericordia exhibita etiã rebellibus. Quo spectans Habacuc ait: *In medio annorũ notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Septuag. sic transferunt: *In medio duorum animalium cognoscēris.* Quippe dum factus puer in animaliũ præsepio cõstitutus hominum misereris, non potes nõ innotescere mundo, quod es Deus. Ait D. Cyrill. Alex. ibi: *Cognoscēris igitur domine,*

Cyr. Al. *quod eris, nostri similis factus, nempe propitiatorum. Stas enim in medio duorum animaliũ, hoc est, Cherubim, & nomen tibi propitiatoriũ, & verus est sermo. Nam & ipse Christus ait, Non misit pater filium, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Cum natus esset Ioannes, Luc. 1. dicebant mirabundi

Luc. 1. vicini: *Quis putas puer iste erit?* at vbi Iesus apparuit natus in præsepio reclinatus; nõ dicebant, quis puer iste erit? sed statim, cognoscebatur, quid esset; nimirum in misericordia, & propitiatione facta pro nobis, non poterat Deus ignorari. Cuius proprissimum est suis parcere.

1. *Reg.* 20. Dixitque ad eum Ionathas, Cras calendæ sunt, & requirèris; requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes enim festinus, & venies in locum, vbi celandus es, in die quando operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam, &c. Absconditus est ergo Dauid in agro, &c.

§. VII.

Christi Domini humiliati forma auspicatissima homini est.

PLacet Serarij nostri sententia putantis Ezel nomine significari non vulgarem lapidem, sed ingentem siue lapidem, siue rupem; quæ speluncam profundissimam haberet, in qua Dauid latere potuisset, & verba Ionathæ audire. In hac enim iubetur delitescere Dauid verbis illis, *vbi celandus es, in die quando operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen Ezel.* Quo lapidem incluſus Dauid Iesum in Bethleemitica specu natum, & in sepulchro conditum repræsentabat, clarissimumque inde suæ fœlicitatis promebat auspicium. Quam enim fœlicitatem non spiret, qui leté aptat humilibus, & abiectis facinoribus Christi? Ait D. Paulin. epist. 23. *Nulla magnorum licet hostium manus, virtusque prævaluit, quà in alienis grandibus superba diaboli exaltatio deiiciebatur; & in pusillis nostris, humilitate præpotens, salutaris Dei forma vincebat.* Expende, quæ ad victoriam assumatur, non quidem superba diaboli exaltatio, quæ in altis habitat, & in mirabilibus super se; sed *humilitate præpotens, salutaris Dei forma vincebat.* Quippe vbi humilissimi Iesu forma, & similitudo in nobis apparet, nil non fœlix, & victoriosum claret. Tunc iam victorias, tunc glorias cantus, cum ad formam Iesu absconderis, in imisque & abiectis lates. Ioan. 19. *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu: Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primũ.* Duo Iudæorum nobilissimi, & in Iesum pijssimi ab Euangelista notantur, quod non in aperto, sed occultò Iesu adhæresceret. Et cur in adeò clarissimo illorum facinore, quo Iesum glorioſe sepeliant; illos voluit Euangelista notare, quod occultè & latenter Iesum sequebãtur? Nonne hoc illis inglorium erat? Imò crediderim, nunc quidem Christiani triumphi gloriam explicari, quando qui sepulchrum agebant, sub Iesu absconditi, & occulti formam repræsentabant. Aiebat D. Epiphan. orat. in die Pasch. *Pape absconditum inter omnia mysteria mysterium, duo occulti discipuli veniunt, vt eum sepulchro occultent, qui occulte apud inferos degebat: sua illa occultatione docentes id, quod sub carnis integumento occultabatur, Deum esse.* Quod duo occulti discipuli accedunt, vt tractent Iesum, eo tempore, quo ipse occultus in lapide erat seruandus, & apud inferos cum sanctorum animabus latitabat, ad maximum pertinebat mysteriũ. Iam in illis, qui sua occultatione occultum

Ioan. 19.

D. Paul.

D. Epiph.

Iesum

Iesum repræsentabant, victrix omnium diuinias ostendebatur. Quid enim non diuinum, & glorioſum ſub tanta hac conformatione cum Iesu non apparet? Huc trahe dicta, Tom. 3. de Christo Fig. lib. 6. cap. 4. §. 12.

§. VIII.

Vehementiſsima pœna eſt penuria poſt fœlicitatem.

CAlendarum tempore cogitur Dauid latere in antro lapidis Ezel; ait enim: *Cras calendæ ſunt, & requireris::: & ſedebis iuxta lapidem, cui nomen eſt Ezel:: Abſconditus eſt ergo Dauid in agro, &c.* In calendis conuiuia lautiſsima celebrabantur in Regia, quibus Dauid aſsidere ſolebat; & eo ipſo tẽpore in antro lapidis Ezel manere compellitur. Quanta hæc Dauidi pœna? Regiæ antrum ſuccedebat, menſæ dapibus refertæ ſolum ſterile, principum frequẽtiæ ſolitudo, & tenebræ. Credo hæc Dauidi fuiſſe ingenti dolori, & pœnæ. Poſt commiſſum Adæ peccatum, eum ſtatim ſequebatur pœna, ait enim Geneſ. 3. *Et miſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam, &c.* Et quãta hæc pœna, quod homo ſolum eijceretur è paradiſo in terram vicinam? Cur non maioribus vapulat tantus reus? Equidem non parua pœna erat poſſeſſori paradiſi, quod ſe videat conſtitutum in ſolo ſterili, & arente. Rem lepidiſsime tractat Claudius Marius lib. 2. in Gen. aiens:

Geneſ. 3.

Claud. ---------- *Mirabile quali*
Ore rudes ſtuperant tam barbara ruracoloni,
Quæ nõ frugifera, diſtinctaque arbore vernãt.
Nec ſpecies placet vlla ſoli; nam mixta coacto
Pondere congeries confuſa mole locatur.
Ardua cauterigent, ſiluis depreſſa laborant
Plana, carentq́, herbis, horreſcũt edita dumis.
Heu quibus hæc ſpectant oculis, quo pectore cernunt
Quorum animis paradiſus in eſt, quæ cauſa doloris
Vna ſub eſt, dũ cunctorum iam plena malorum
Se pandit facies longe triſtiſsima, poſt tot
Delicias paradiſe tuas, & amæna locorum
Gaudia fertilitũ, quorum vaniſsima præſens
Semper adeſt, triſteſque animos idæa fatigat.

Quid pulchrius? Piaculum duxi, vel verbulum præterire; tu expende ſingula; vt in ſterili, & arente ſolo cõſtitutos Idæa amænorum, & fertilium præteritorum fatiget; vt paradiſi delicię aliàs habitæ nunc dolorem augeant eis, qui ſunt in penuria. Sanè rupes aridæ, obſcura antra, ſterile ſolum non poteſt non vehementiſsime mordere animos, quibus ineſt perditæ abundantiæ cogitatio. Quot ſunt monimenta bonorũ, quibus pribaris, tot ſunt duriſsimi aculæi, qui pectora feriant in penuria. Hinc pergit Claudius eorum dolorem exprimere:

O quam non eadem (exclamant) Paradiſe rependis Claud.
Imo etiam quanto præillis hæc dona beatis
Delicijs pecora facis.

Equidem ſterile ſolum peius longe, & laborioſius erat poſt paradiſi delicias, animus enim memorans tot ditia, tot dulcia; quibus in paradiſo fruebatur; & videns modo ſola ſaxa, arentem terram, ieiuna iugera vehementiſsime infœlices vexabat. Sic fœlicitas prima magis miſeros pungit, & dedecorat. Ait Dominus, 1. Reg. 8. de populo petente ſibi dari regem: *Nunc ergo audi vocem eorum; verum tamen conteſtare eos, & prædic eis ius regis, &c.* Et quando populus errabat, in rege petẽdo, cur Deus eorum annuit votis? Ait D. Zeno ſer. 11. de Iudæis: *Conſecutus eſt regnum, vt poſt regiam dignitatem maiore dedecore Imperio Romano ſeruiret.* Ad ſeueriſsimam vltionẽ pertinuit hæc regni conceſsio. Quando enim ſeruituri erant Romanis, tunc magis eos premeret præhabita dignitas regia.

1. *Reg.* 8.

D. *Zeno.*

§. IX.

Quos ſuperauit Ieſus labores, ſecure ab alijs ſuſtinentur.

IN ſpelunca ſub rupe Ezel iubetur Dauid latere triduo, donec à Ionatha illi paretur effugium, nec dubitat Dauid triſte illud ſpeluncæ adire latibulum. Ait enim text. *Abſconditus eſt ergo Dauid, &c.* Et cur non magis cauit ſibi homo prudens ab illo ſpeluncæ horrido carcere? Cur non timet magis in arcto illo latibulo cõprehẽdi, ſi caſu ab aliquo videretur ingredi? Crediderim tanto viro in ſpelunca illa ſubijſſe cogitationem de ſpelũca Chriſti Domini, qui in ſpelunca excauati lapidis natus eſt, vt putat D. Nyſſ. orat. de Nat. D. Hier. epiſt. 28. ad Marcellã, S. Aug. in dial. cõtra Tryphonem, Epiphan. Her. 20. Euſeb. demonſt. Euang. lib. 7. cap. 5. & alij.

D. *Nyſſ.*

Qui autem mente præuidebat rudem lapidis speluncam à puero Iesu nascenti inhabitatam, non dubitat & illam intrare. Quis enim nō secure amplexatur difficilia quæque à Iesu superata? Dicebat Hannibal apud Silium Italicum lib. 11. belli Punici:

Proinde polo crescăt Alpes, astrisque coruscos
Appeninnus agat scopulos, per saxa, niuesque
Per cœlum, est, qui pandat iter; Pudet Hercule tritas
Desperare vias, laudemque timere secundam.

Sic bonus dum difficilia scopulorum, & rupium ab Hercule iam superata, & trita videt, pudori ducit, si non ipse, vel post Herculem aggrediatur similia, de fœlici exitu securus. Et quanto maiori pudori esset fidelibus, si nō securi arriperent, quæ crederent superata à Christo? Paulus ad Hebræos, cap. 11. agens de ijs, qui fide agebantur, inquit: *Quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Et sto à sententia D. Ansel. Theodor. Remigij, qui putant ijs intelligi Eliam per solitudinem errantem, dum Iezabelem fugit; & centum prophetas in speluncis latitantes sustentatos ab Abdia, 3. Reg. 18. vt eamdem fugerent. Quos multi Christiani imitabantur, in persecutione Constantij Ariani, & ad speluncas, & cauernas terræ confugiebant. Et cur hi omnes à cauernis, & speluncis sperabant effugium? Vt videbant similem Iesu persecutionem adesse, sic sperabant inde consequendam salutem. Ad hæc ait D. Athan. epist. ad solitariam vitam agentes: *Si alicubi Christi studiosi, vt magnus ille propheta Elias abscondũtur, vt & ipsi forte Abdiam aliquem fidelem inueniant, & in speluncas, & cauernas terræ sese abstrudunt, aut in solitudine oberrantes commorantur. Eas enim calumnias afferunt vecordes isti, quales Iezabel contra Naboth confinxit, & Iudæi contra Christum.* Itaque abstrusi in spelūcis, & terræ cauernis, sperabant ibi ereptorem Abdiam. Et cur ereptorem sperabant? Ait ille: *Eas enim calũnias afferunt vecordes isti, quales Iezabel contra Naboth, & Iudæi contra Christum.* Quando enim illorum afflictiones similes erant ijs, quas passus est Iesus, non dubitabant illas amplecti, & inde sperare viam salutis. Puderet enim validissimis Iesu tritas desperare vias, laudemque timere secundā. Merito enim clamat August. tract. 43. in Ioann. *Quando vides Christum mortuum, dedignaris mori?* In magnum equidem hominum pudorem cedit, quod iter à Iesu tritum dedignetur arripere, & perdat laudem secundam post Iesum. In re enim virtutis glorioſum est, vel manere in secundis. Vt dicat Philo lib. de Abrahamo: *Admirandi sunt homines, qui liberales, ingenuosque appetitus secuti, nec imitabantur cæteros, nec per contentionem quicquam sibi agendum putabant, nihil nisi iustum, & honestum sibi optando. Mirandus tamen & ille, qui ætatis suæ præstantissimus, nullis rebus est implicitus, quas vulgus diligebat tantopere. Huic secundæ partes laudes debentur, illorum enim primam palmam natura esse voluit. Magnum tamen fuerit, vel in secundo loco consistere.* Duo proponit hominum genera; alij nullum exemplar imitantes, boni sunt, alij post alios visos, boni. Illi primi, hi secundi putantur, sed & magnum putat esse in in ijs secundis.

Ad Heb. 11.

D. Ath.

August.

Phil.

§. X.

Bonus princeps non solum defensionem, sed & victum suorum prouideat.

AGebat Ionathas Dauidis defensionē, & iubet hominem latere in speluncā dicens: *Sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel*: erat enim Ezel rupes quædam cantatissima habens cauernam, in qua abscondi poterat Dauid ab ira Saulis. Sed Ionathas, qui tantus est in prouidendo securo rupis latibulo, quo Dauid hostium caueat iras; nec verbum facit de commeatu eò asportando; nec meminit, quid comesturus sit Dauid diebus illis. Longe aliter Abdias princeps in Aula Achabi dicebat ad Eliam, 3. Reg. 18. *Nunquid non indicatum est tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauerim eos pane, & aqua?* Compone modo Abdiam hunc cum Ionatha; vterque defendit Domini prophetas, ille Dauidem, hic centum alios. Vterque in speluncis præsidium suis parat, vt regios furores securi caueāt. Sed Ionathas post mōstratā speluncā, nil aliud meminit; Abdias spelūcas prouidet, deinde victū parat, quo possint sustētari. Et cur Ionathas non prouidet escas Dauidi, quas prouidit Abdias suis clausis? Videre est in

3. Reg. 18

Iona-

Ionatha multorum principum errorem, qui toti intenti eo, vt suos ab hostibus defendant; vt hostiles impetus, & furores caueant, nullam curam habent de suorum victu, vt escas ad viuendum habeant. Præstantiorem sanè, & diuiniorem principem agebat Abdias; qui vt rupium præsidium suis parabat, ne ab hoste offenderentur, simul illorum victum procurabat, ne penuriam paterentur. Quod in suis principibus Deus amat. Memorans Ioan. cap. 6. miraculũ illum, quo Iesus saturauit quinque millia hominum, primum ostendit Iesum solicitum de illorũ escis parandis. Et
Ioann. 6. statim ait: *Dicit ei vnus è discipulis eius Andræas frater Simonis Petri, Est puer vnus hic, qui habet quinque panes, &c.* Expẽde illud: *frater Simonis Petri*, nõ enim otiose memoria Petri fit in hoc miraculo. Alias enim memoratur Andræas solus, vt in cap. 12.
Ioann. 12 Ioannis, *Venit Philippus, & dicit Andrææ; Andræas rursum & Philippus, &c.* Ecce tibi, vt in præsenti Andræas solitarie nominatur, & nõ dicitur Andræas frater Simonis Petri. In miraculo autem panum Andræas cum fratre Petro nominatur, quasi aliquid speciatim cum Petro illud miraculum habeat. Vt enim Petrus princeps Orbis à Deo creabatur, sic ad eum docendum principaliter spectabat hoc miraculũ, quo escæ famescenti multitudini in deserto parabantur. Quo spectans D. Proclus serm. de Transfig. audiens à Petro dictum illud,
D. Procl. Matth. 17. *Faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnũ*: sic Eliæ, & Iesu differentiam ostendit: *O Petre discipulorum caput, quid humili intellectu res diuinas infamas, & tria tabernacula te excitaturum in deserto dicis? Elias precatus farinam viduæ multiplicauit, eiusdemque filium à mortuis resuscitauit. Iesus vero postquam à piscatione te auocauit, quinque chiliadas satianit, & ad inferos vsque penetrauit, omnes, qui captiui inibi tenebantur, eduxit.* Expende ab illis: *Postquam à piscatione te auocauit, &c.* quippè Elias nihil expectauit, sed vt primum potuit farinam multiplicauit. Iesus autem non cum primum potuit famelicos saciauit; sed expectauit, vt Petrum à piscatione auocaret, & in suam reciperet scholam; post autem Petrum inter discipulos habitum, quinque millia hominum saciat multiplicatis panibus, vinctos eripit à diaboli tyrannide. Et cur non antea quàm Petrum ad suam scholam traheret, multiplicat panes? Dicam, quod sentio; vt Petrus mundi princeps crebatur, sic expectauit Iesus, vt in schola sua esset, vt eum principis optimam formam doceret; non tantum hostium repellens tyrannidem, sed & prouidens abundantissime escas, quibus asseclas suos satiaret. Hoc equidem primum amat Deus in suis principibus, nimirum, quod subditos suos faciant vitæ alimentis abundare. Vt merito ille, qui principatum effugiebat, diceret Isaiæ, 3. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.* Non ait, Non habeo arma, non gladios, non lanceas, non equos, quibus hostes depellam; sed non habeo panem, neque vestimentum, quasi hæc prima debeat esse boni principis forma, vt possit in suis alimentorum facere abundantiam. Vide infra, cap. 16. §. 26. *Isai. 3.*

1. *Reg.* 20. Venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem. Cumque sedisset rex super cathedram (secundum consuetudinem,) quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionatha, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid. Et non est locutus Saul quicquam in die illa, cogitabat enim, &c.

§. XI.

Abstinentia ciborum validissima ad triumphos comparandos.

NOn possum non mirari qualibus signis diuina prouidentia res Dauidis aspergebat, vt eius indigitaretur salus. Nunc enim illud factum est, quod in die solemnitatis, in regis conuiuio, in mensa Saulis locus Dauidis appareret vacuus. Dicit enim: *Sedit rex ad comedendum panem: vacuusque apparuit locus Dauid.* Et quidem quando cantatissimus Atila Gothorum rex post innumeras victorias, conuiuio perijt, vt author est Iordanis Episcop. lib. de rebus Geticis, & similia de Alexandro vulgo dicunt, non miror, quòd Deus triumphatorem suum conuiuij festiui fuga malit initiari. Cũ pa-

latini omnes epulis farciebantur, vnus Dauidis locus apparuit in conuiuio vacuus, vt qui è totillis vnus ad triumphos seruabatur. Vtinam hoc sibi homines persuadeant, nimirum, quòd conuiuia ad macellum ferant, abstinentia, & ieiunium triumphos parent. Quis ignoret Samsonis victoriam in mandibula asini? Dicit enim,

Iud. 15. Iud. 15. *Inuentam maxillam, id est, mandibolam asini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, &c.* Inermis erat nobilis adolescens, quando in se vidit hostiũ agmina venire, sed aspiciens ad terram vidit iacentem asini maxillam, & arripiens eam occidit cum illa mille viros. Et cur Deus duci suo pro validissimis armis vnam parauit asini mandibulam? Quid mandibula sicca, & arens ad tantam occisionem hostium, & victoriam? Monstrabantur in illà mandibulà hominum arentia ora, quæ vt vacua cibis sunt, sic valent ad comparandas victorias. Ait D. Paulinus epist. 42. de Martiniani naufragio:

D. Paul. *Tunc mille à latere, dena à dextris millia*
Arente maxilla cadent
Si malla nostra salua fiat otio,
Quæ est vsu edendi mobilis,
Quia succulenti corporis licentia
Retunditur ieiunijs;
Et tunc triumphus, fonsque nobis nascitur
In arefactis ossibus
Maxilla telum prælianti quæ dedit
Dat æstuanti poculum.

Quid non inueniãt homines in arenti maxilla? Samsoni periclitanti inter hostes arens mandibula bestiæ dedit victoriam clarissimam, eidem & siti pene enecto eadem mandibula fontem præbuit, quo recrearetur, & biberet. Sic in nobis dũ animalis appetitus arescat ieiunijs, dum ora siccentur abstinentia, & triumphi veniẽt, & alimenta vitæ. Quibus armis, qui careat, nõ mirer, si nequeat de hostibus triũphare. Quis nesciat ruinam domus Heli?

1. Reg. 4. De illa dicit, 1. Reg. 4. vt in prælio, *duo quoque filij Heli mortui sunt Ophni, & Phinees:* & ipse Heli moritur, & eius nurus. Et vnde vnum prælium tantam cladem attulit domui Heli? Ait 1. Reg. 2. *Quicumque*

1. Reg. 2. *immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in leuetem, seu caldariam, aut in ollam, siue in cacabum, & omne, quòd leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi, &c.* Et quando tota cura filiorum Heli in eo erat, vt carnes acciperent, quibus abundantissime vescerentur, cur nõ pereant in prælio? Ait Tertull. lib. aduersus Psychicos: *Filij Heli in acie ruunt, nurus spirat in partu, hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnaliũ defraudatrix.* Quæ Domus sacrificiorum carnibus inhiabat, vt epulas sibi copiosas pararet, non potuit in acie stare, sed funditus fuit dissipata. Vtinam magis ieiunijs vacaret; quibus triumphos ageret. *Tertull.*

1. *Reg.* 20. Dixitque Saul ad Ionatham filium suum, Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie ad vescendum? Respondit-que Ionathas Sauli: Rogauit me obnixe, vt iret in Bethleem, & ait, Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me, nunc ergo, si inueni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis, &c.

§. XII.

Religionis prætextus auspicatus est Regnorum firmitati.

VT Ionathas excusaret Dauidis absentiã, celebrandi cum fratribus sacrificij commentus est causam, aiens: *Rogauit me obnixe, vt iret in Bethleẽ, & ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me, &c.* Et sanè multæ aliæ causæ cõfingi poterant, ob quas Dauidis absentia excusaretur; cur illa elligitur, quæ speciem religionis habebat in sacrificio cum fratribus celebrãdo? Cur non magis ægritudo, vel casus aliquis alius ex multis, qui improuisò ducibus frequenter accidunt? Crediderim id ex magna Dei prouidentia venisse, qui circa electũ suũ illa faciebat cogitari, quæ eius in regno iam iam adueniente ostenderent firmitatem. Nihil enim sic ostendit principes in suo regno & firmos, & fœlices, quam si conueniant cũ suis in sacrificijs peragẽdis, in vera religione obseruãda. Quis regum à religione defi ients non misere perijt? Post quam Iosaphath Rex

Iuda

Iuda iunxerat se amicitia cum Achab Idolatra, 2. Paralip. 19. ait textus: *Cui occurrit Iehu filius Hanani videns, & ait illi, Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & ideirco iram Domini merebaris, &c.* Sic vapulat Rex à propheta Domini, eo quòd Idololatræ principis amicitiã fuerat amplexatus. Sed quantum hoc erat nefas, quòd sibi amicum infidelem adiungeret pro rebus politicis, & minime ad Religionem pertinentibus, sed ad solam rationem status? Crede mihi, quòd, vt tota vera status ratio in Religione fundatur, sic vel irreligiosorum vicinitas suspecta debet esse principibus, qui velint sua regna firmare. Ex quo sapienter Fulco Archiepiscopus Remensis monebat Carolum Regem epist. quæ habetur apud Flodoardum in Histor. Ecclesiæ Remensis, cap. 5. aiens: *Quisquis enim qui vobis sicut oportet, fidelis est, non expauescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem, ac ruinam nominis Christiani pagana arma, & fœdera suscipere? Nihil enim distat, virum quis se paganis societ, aut abnegato Deo Idola adoret.* Nam si, vt ait Apostolus, mores bonos colloquia prava corrumpunt, quanto magis corrumpitur castitas animæ Christianæ ethnicorum consilijs, & Societate? Neque enim poterit non imitari, quòd assidue viderit, quin potius assueſcet paulatim, & quasi vinculo malæ consuetudinis trahetur ad facinus. *Certe progenitores vestri reges, deposito gentilitio errore, diuino cultui se sublimiter subdiderunt, & à Deo vero semper auxilium expetierunt, propter quòd & feliciter regnauerunt, & regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt.* Vos è cõtra nũc Deum relinquitis. Dicam certe, licet nolens, quia Deum relinquitis, cum vos eius hostibus sociatis; vnde & merito prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad regẽ Israel directa est: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deũ amicitia iungeris. *Credite mihi, quia nunquam sic agendo ad regnum peruenietis, imo velociter disperdet vos Deus, quem irritatis. Hactenus quidem de vobis meliora sperabam; nunc video vos cum omnibus consanguineis vestris periturum. Reverà qui tale vobis dant consilium non fideles, sed per omnia infideles esse cõprobantur, quos si audire volueritis, terrenum simul, & cœleste regnum amittetis.* Deprecor itaque vos per Deum, vt tale deseratis cõsilium, neque velitis vos in æternum præcipitare interitum, & mihi, cæteriſque, qui secundum Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. *Melius enim fuerat vos non nasci, quam diaboli patrocinio velle regnare.* Sic bonus præsul suum regem informabat, multa alia addens, quæ prætereo contentus datis. Sufficiunt enim ea, vt probent, quàm sit omnibus insitum fidelibus, quòd regnatium firmitas debeat in vera Religione fundari, adeò, vt vel de irreligiosorum Societate vetustissima, & ampliſsima regna videantur periclitari. Quam valeat religiò ad regna firmanda, videndum est in Tom. 3. de Christo Figurato lib. 6. cap. 10. §. 10. & lib. 7. cap. 5. §. 3. & alib.

2. Par. 19

Fulc. Ar.

1. *Reg.* 20. Iratus autem Saul aduersus Ionatham dixit ei, Fili mulieris virum vltro rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ? Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, &c.

§. XIII.

In lasciuo animo quæcumque alia scelera censentur esse.

VBi noster posuit: *Fili mulieris virum vltro rapientis*, quibus meretricis fœminæ paraphrasim omnes agnoscunt interpretes; ex Hebræo legunt alij, *Fili peruersæ rebellionis.* Nec miror, quòd eisdem verbis proponatur, & meretrix fœmina, & peruersa rebellio; in ea enim, siue in eo, in quo lasciuia est, nullum non facinus creditur & scelus. Dedisti te, homo, lasciuiæ; & eius mancipium crederis, proculdubio, & periurus es, & homicida, & fur; & proditor, & rebellis, nullique parcis sceleri. Samaritana illa fœmina post longum cum Iesu colloquium, de eius diuinitate persuasa, Ioann. 4. *Reliquit hydriam suam, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus; Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Et in quo dixit illi Iesus omnia, quæcumque fecit ipsa? Si enim verba Iesu attendamus circa propria Samaritanæ facta, hoc vnum audimus ibi, nimirum: *Quinque viros habuisti, & nunc*

Ioann. 4.

nunc quem habes, non est tuus vir. Et quando Iesus solum fecit verbum de viro mœcho à fœmina illâ habito, cur illa dixit, non tantum illud facinus, sed & omnia, quæcumque fecerat, dicta, & manifestata à Iesu? Sapientissime id dictum crediderim, eo enim ipso, quòd lasciuiæ facinus dicatur, in illo omnia alia scelera, & periuria, & beneficia, & homicidia, & proditiones dicuntur. Ait Chrysost. tract. 2. de Samarit. habito tom. 6. *Vnum tantum dixit ei scortationis peccatũ Christus, & illa relictâ hydriâ currit ad vrbẽ dicens, Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.* Equidem in solo scortationis peccato, omnia alia scelera dicebantur, vt quæ inseparabiliter comitentur scortationem. Ioann. 8. veniunt ad Iesum Scribæ, & Pharisæi adducentes mulierem adulteram, & dicunt: *Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, &c.* Et post eiectos accusatores ait illi Iesus: *Noli amplius peccare.* Quæ verba communia sunt non solum ad adulterium, sed ad omnia alia peccata. Sed quando de solo accusabatur adulterio, cur non etiam de illo solo cauendo admonetur à Iesu? Cur maluit admonitionem extẽdere ad omnia alia? Quia in vno illo continebantur omnia. Dicit enim Hugo Victorius lib. 1. Miscell. 2. tit. 19. *Venit ergo Iesus, & ita se omni mansuetudine exhibuit, vt peccatricem animam septem dæmonijs adulteram de manibus lapidantium eriperet.* Expende: *Septem dæmonijs adulteram*; quæ enim adultera erat, & septem dæmonijs, hoc est, septẽ alijs erat etiã plena vitijs. Hinc D. Aldhelmus epist. de Virginit. cap. 27. extollens Dauidis virtutes, antequam lasciuiæ nomen dederit, tandem ait: *Tamen relicto à Davide Virginitatis statu Vrias insons interimitur, Bersabæ illegitimo ingalitatis vinculo fœderatur.* Sic lasciuum animum comitantur reliqua vitia. Adeò, vt qui luxuriam frænet, quasi omnia vitia eredatur frænasse. Cum Iacob annuntiatum esset, Genes. 45. *Ioseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti:* statim subdit bonus senex: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus vivit.* Alij legant: *Magnum mihi est, si adhuc Ioseph filius meus vivit, &c.* Audit filium viuere, & regnare in omni terra Ægypti, & in magnum sibi putat Iacob. Et cur magnum viro iusto est, quod filius in Ægypto regnet? Vel vnde sibi tantũ bonum obtigisse credit, quod vnus Ioseph totius dominetur Ægypti? Audiuit bonus totius rei processum: vt filius venditus, vt amatus à fœmina, vt carceri traditus, vt inde eductus ad regnum. Et quando audit lasciuiæ triumphatorem, simul credit vniuersi Ægypti dominatorem; nullum enim est vitium, quòd non frænetur, vbi lasciuia sub fræno creditur. Rem pulchre expẽdit Orig. hom. 15. in Gen. *Hoc vere magnum est ei, quòd inditionem suam redegit Ægyptum. Calcare enim libidinem fugere luxuriam, omnesque voluptates corporis premere, ac frænare, hoc est, principatum gerere totius Ægypti. Siquis vero est, qui aliqua quidẽ vitia corporis subiuget, alijs vero cedat, & subiaceat de isto non dicitur, quòd totius Ægypti principatum teneat, sed vnius, vel duarum ciuitatum videbitur gerere principatum. Ioseph vero, cui nulla corporis libido dominata est, totius Ægypti princeps, & Dominus fuit.* Quid pulchrius? Plane ille omnium vitiorum domitor creditur, qui nullis aduritur lasciuiæ flammis. Vbi hanc tyrannidem vicit, sic omnium aliorum scelerum victor euadet; quæ fere semper lasciuum animum comitantur. De quo videndus, Tom. 3. de Christo Figurato lib. 6. cap. 2. §. 11.

Chrysost. Ioann. 8. Hug. D. Aldh. Gen. 45. Orig.

§. XIIII.

Natales obscuri aptiores ad factiones, & crimina.

ACcusaturus Saul filium, quòd parentis hosti fauerit, ei in primis viles natales ex matris parte adscribit; ait enim: *Fili mulieris virum vltro rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai in confusionem tuam, &c.* Non paterni, & regij sanguinis meminit, sed vilem, & prostitutam matrem commemorat, vt credibile faciat filium paterni hostis fautorem fuisse, & defensorem. Non enim à nobilibus natalibus, sed ab obscuris, & vilibus creduntur prosilire talia crimina. Sic D. Ennodius in Apologet. pro Synodo Romana, 4. conficit fautionarios quosdam schismaticos, inquiens: *Generosam in tali negotio prosapiam non agnosco. Splendor sanguinis, & sit communionem criminum incurrit, nescit tamen ducem se præbere peccantibus. Habet forsitam reatum de neglecta cautione: non habet dignum supplicium de scelerum principatu. Sub quadam verecundia tangitur delinquentibus. Vos potius video, triuiorum germina, vos agnosco: in quibus naturæ vilitas conuenientes sibi moros pepercit, quorum labia nunquam aut honorum sapor tetigit, aut quietis; qui fas omne origini parendo violatis; quos de latebris,*

D. Enn.

bris, aut ſpecubus productos præſens cauſa mõſtrauit. Quid pulchrius? Sic bonus vili origini tribuit inſueta crimina; & quidem ſic facinora abhorrent â nobili, & ſplendenti ſanguine, vt quaſi inſuetum, & graue mõſtrum habeatur, ſi nobilis in tenebras criminum abeat. Nobilitas enim nunquam nõ in virtutibus debet fundari. Ieſus meus antequam prædicationẽ inſtitueret, venit ad Iordanem, Luc. cap. 3. ibi que baptizatus eſt. Deinde primum miraculum fecit, dum innuptijs canaan aquas in vinũ mutauit. Quod notans D. Maxim. hom. 6. in Epiphan. ait: *Quas aquas ſanctificauit in baptiſmo, nobilitauit in nuptijs.* Prius ſanctitatẽ indidit aquis, deinde nobilitatem addidit. Vt videas quam fundetur nobilitas in ſanctitate, & quam graue ſit in nobili peccatum. Hinc Iacob, Gen. 49. ait: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea:: effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, &c.* Cur dicturus peccatum filij præmittit illos nobilitatis titulos, quibus eum vocat & primogenitum, & fortitudinem ſuam? Ait Orig. hom. 17. ibi: *Quod initij laudis ei aliquid videtur adſcribere dicens, tu virtus mea, id circo fit, vt grauius notetur in crimine, qui cum virtus patris haberetur, & initium filiorum, neſcit ſeruare reuerentiam patri.* Sanè grauiſsimum eſt, quòd filius à patre accipiens nobilitatem, in eoque virtutem, & ſplendorem habens, non reſpondeat origini, ſed in facinorum tenebras abeat.

D. Max. *Gen. 49.* *Orig.*

§. XV.

Cæciſsima, & ruinis plena eſt illa ratio ſtatus, quæ damnum infert immerenti ob propriam firmandam ſecuritatem.

VIde, quam antiquitus in perituro Principe inuenitur illa ſtatus ſeruãdi ratio, quæ non dubitat inferre damnũ innocenti, vt propriam ditionem firmius, & ſecurius habeat. Sic enim Saul, vt Dauidem interficiẽdum ſuadeat, dicebat Ionathæ filio ſuo: *Omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adhuc eum ad me, quia filius mortis eſt.* Putabat Saul, quod Dauidis proſperitas impedimento eſſet; ne Ionathæ regnũ cõfirmaretur; & ea ſola ratione, abſque eo, quod Dauid, aliquid mali faceret, in illum arma capit, & nihil non molitur, vt eum morti tradat. Sic politici Athæi eo ſolum, quòd videãt principẽ aliquem nimis proſperari, ſtatim credunt proprij ſtatus incolumitatem non poſſe firmari, niſi illũ curent, aut funditus perdere, aut ſaltem mutilare. Quæ ratio ſtatus ſeruandi ſolidebet placere illi, qui Deum neſcit, curatorem, & prouiſorem rerum humanarũ: vbi enim Deus omnipotens, & ſupremus Dominus aſſeritur, in ſuper creditur rerum humanarum prouiſor, & vindex, nequit fieri, vt credatur ſtatus poſſe conſeruari cum Dei offenſa, & innocentis damno. Sanè Euricus Rex in Toloſæ Gallijs barbariſsime regnabat; qui Nepotis Romani Imperatoris timens fœlicitatem, dicionem cæpit infeſtare Romanam. Deſtinatus ad eum Legatus D. Epiphanius Epiſcopus Ticinenſis, qui hac oratione confregit regem Barbarum. De qua D. Ennodius in eius Panegir. ait: *Quamuis te, ſtupende terrarum princeps, multorum auribus reddat virtutis fama terribilem, & glady, quibus finitimos continua vaſtitate premis, ſegetem quandam inimici germinis metant: nullam tibi tamen ſuperni gratiam numinis dirabellandi præſtat ambitio: nec ferrum vires tuetur Imperij, ſi cœleſtis Dominus offendatur. Regem te habere memento, cui oporteat cõſiderare, quid placeat:: Cuius nos præcepti neceſſe eſt eſſe cuſtodes, præcipue cum nouerimus virum fortem dici non poſſe, quem vicerit indignatio. Deinde perpendere nos conuenit, quòd nemo diligentius propria tuetur, quàm qui aliena non appetit.* Hæc dixit legatus, & ijs confregit animum etiam barbariſsimi regis, ne auderet amplius regnum ſuum firmare damnis immerentium; Non enim ferrum vires tuetur Imperij, ſi cœleſtis Dominus offendatur. Debent enim principes meminiſſe ſupra ſe eſſe omnipotentem regem Deum, cui, oporteat conſiderare, quid placeat, ne diriſsime vapulet, qui illius placitis propria amat præferre. Et hæc optima proprij ſtatus ſeruandi ratio putetur, ſi quis abſtineat à damno alijs inferendo, nec vel in minimis declinet ab eo, quod placeat Deo. Vt merito dicat, Pſalm. 19. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autẽ ſurreximus, & erecti ſumus.* Quibus principes, & principes comparantur; nimirum principes, qui exercitus valentiam, armorumque virtutem curantes, & bellicam omnẽ

D. Enn. *Pſal. 19.*

fortitudinem comparantes, paruam, aut nullam rationem Dei, eiusque diuini beneplaciti habent; & dum sua promoueant studia, quòd ad Deum spectat in vltimis statuunt; & principes, qui nihil antiquius, & charius, & prius habent, quam Dei beneplacitum. Et illi quidem ceciderunt ab initio mundi; hi autem erecti sunt, & confirmati valde. Quo spectans Theodahadus Rex Italiæ apud Cassiod. 10. Variar. 16. fatur: *Talia siquidem qualia promittimus iurantes, eramus acturi: quia debemus ista, non homini. Nam qui per lectiones sacras antiqua regna cucurrimus, quid aliud optare possumus, nisi quòd diuinitati in alys placuisse sentimus? Ipse enim remunerator est bonorũ omnium Deus.* Et sanè qui antiqua regna trãscurrit lectione; sic necessum est affici, (nisi amens omnino sit) regni firmitatem non quæras, nisi per inquisitionem beneplaciti diuini, quòd solum regnorum stabilimentum inuenitur, & humanæ promotionis fulcrum.

Cassiod.

§. XVI.

Innocẽtum calamitatibus proprium lucrum quærere, & abiectissimum, & iniquissimum est.

NOscant principes Regis abiectissimi, & iam iam funditus exterminandi consilium, nimirum: *Omnibus diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adhuc eum ad me, quia filius mortis est.* Nullam iniuriam à Dauide acceptam memorat, & nilominus eum morti destinat, eo solum, quia eius mortem propriæ gloriæ augendæ, & confirmandæ credit profuturam. Eu miserandum perituri hominis consilium, non dubitans propria lucra perquirere, vel de immerentis ruina! Pulchre hoc consilium traducit D. Zeno serm. de Iustitia; dum auaritiæ expendens mala sic inquit: *Inde fraus, periurium, rapina, lites, ae bella; quotidie mugitibus alienis quæritur lucrum: & præscriptio industria vocatur, & appetitio rei alienæ sub prætextu propriæ defensionis, ac diligentiæ calliditissimis argumentis vrgetur, vt quis in defensus, aut innocens, quod habet, perdat legibus. Glorietur, qui volet ista iustitia: verum tamen sciat, quia misero est miserior, qui miseris ditatur alienis.*

D. Zeno.

Quisquam ne iustum putet, qui vtilitatem rei familiaris pietati præponit? Probat Sanctus, vt semper rei temporariæ vtilitas postponi pietati debet, ne prætextu proprij commodi retinendi, detur locus Dei perdendi. Insuper probat, quam sit illè propriæ defensionis iniustus prætextus, qui innocuis iniuriam defert. Cui sanè similis erat ille Iudith, cap. 2. *Factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, vt defenderet se.* Prætextus quidem erat propriæ defensionis, at re verà tyrannica inuasio erat rei alienæ, dum aduersus immerentes parabantur bella. Tandem illud ibi sapientissime alleritur, nimirum: *Misero miserior est, qui miseris ditatur alienis.* Hoc omnium præstantissimum apparet, quòd nullius casu tua gloria firmetur. Hinc de æterni Regis throno ait, Psalm. 88. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cœlo fidelis.* Quæ sic ex Hebræo transfert Vatablus: *Solium eius coram me, vt Sol perstabit. Firmũ, vt Luna manebit, quæ est certus in æthere testis.* Conueniunt cum Vatablo Kimni, & Firminius, dum cum Luna sola coniungunt, quod sit testis in cœlo perfectus. Et cur potius ad Lunam pertinere dicetur, quod æternum, & inuariabilis throni testimonium perhibeat? Cur id nõ magis ad Solem pertineat? Sol sic lucet, vt omnibus syderibus lumen eripiat, dum ipse lucet; at Luna inter alia sydera lucet, nulli lumen eripit, quòd argumentum est regni maxime duraturi. Id quod spectans Plinius in Trajani Paneg. ait: *Est hæc natura syderibus, vt parua, & exilia validiorum exortus obscuret. Similiter Imperatoris aduentu Legatorum dignitas in umbratur. Tu tamen maior omnibus quidẽ eras, sed sine vllius diminutione maior. Eamdẽ authoritatem præsente te quisque, quam absente retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reuerẽtia accesserat, quòd tu quoque illos reuerebare.* Hoc suo Traiano Plinius decãtabat, quòd sciret id conducere ad principem ęternandum. De hoc sæpe aliàs.

Iud. 2.

Psal. 88.

Plin.

1. *Reg.* 20. Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauidis, & puer paruulus cum eo, & ait ad puerum suum. Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum, &c.

§. XVII.

Triumphantium virorum otiũ nunquam imbelle.

DVm ſe bonus princeps Ionathas amænat in agro, non deſidioſus agit, ſed ſagittis certò iaciendis operam dat, ait enim ad puerum: *Vade, & affer mihi ſagittas, quas ego iacio.* Sic triumphatoris viri otia minime imbellia ſunt, ſed bellorum ictus, & congreſſus meditantur. Id quod in Auito ſuo extollebat Sidonius Apollin. in eius Panegir. ſatus:

Sidon. *Iam præfecturæ perfunctus culmine tandem*
Se dederat rari: nunquam tamen otia, nunquã
Deſidia imbellis, ſtudiumque & cura quieto
Armorum ſemper, &c.

Sanè cui triumphi, & victoriæ de hoſtibus cordi erant, non deſidia imbellis placebat, ſed vel quietem, & otia implebat meditamentis certaminum. Huc ſpectent, qui amant aereas de triumphare poteſtates; & vel in quiete iacula tractent, congreſſus meditentur, vt quòd relaxamentum creditur laboris, in veritate ſit ſtudium triũphandi. Ad hæc pulcherrime ait D. Ennodius in Paræneſi de Fide: *Fabricatum Martius campus militem ſuſcipit, quem ſimulacrũ mentitæ dimicationis animauit; nec pedem retorquet à claſſicis; cui buccinarum clangor, & miniſteria belli inter pacis blandimenta crepuerunt. Vſu enim virtus nutrita grandeſcit, & de inſtitutione naſcitur periculorum tolerantia: conſummati roboris viros principia viderunt timentes: Ne manifeſtis cedant ictibus, frequens contulit imago feriendi.* Sic nunquam imbelle otium milites in arena triũphatores præmittit. Quo reducit Quintilianus Declam. 3. Romanorum ſuperomnes fortitudinem. Ait enim: *Si vere æſtimemus, Imperium populi Romani ad hanc diem militari diſciplina ſtetit. Non enim nobis, aut multitudo maior eſt, quam cæteris gentibus, aut vehementiora corpora, quam vel his ecce Cimbris, aut maiores opes, quàm locupletiſſimis regnis, aut mortis contemptus facilior, quã pleriſque barbaris cauſam vitæ non habentibus. Principes nos facit ſeueritas inſtitutorum, ordo militiæ, amor quidam laboris, & quotidiana exercitatione aſſidua belli meditatio.* Expende illam cauſam Romanorum triũphorum, nimirum ait: *Quotidiana exercitatione aſſidua belli meditatio.* Pacifici etiam ludi bellorum erant meditationes: ne vel in quiete à bello vacarent. De quo plura,

D. Enn.

Quintil.

1. Tom. in Euang. lib. 3. cap. 2. §. 2. & Tom. 1. in Vet. Teſt. & alibi.

1. *Reg.* 20. Surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Auſtrũ, & cadens pronus in terram adorauit tertio; & oſculantes ſe alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius. Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace, quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini dicentes: Dominus ſit inter me, & te, & ſemen tuum, & ſemen meum in ſempiternum. Et ſurrexit Dauid, & abijt, &c.

§. XVIII.

Singularia beneficia ſingulari ſunt honore proſequenda.

VEnientem Ionathã Dauid modo pronus in terram ſemel, & ter adorat; de quo ait textus: *Cadens pronus in terram adorauit tertio. &c.* Et ſanè nõ ſic adorauit regem, cum primum in eius præſentiam ab ouibus venit; nec ſic antea vnquã Ionatham adorabat, quem ſæpe conueniebat. Cur ergo quam paſtor, & humilis nec regi præſtitit adorationem, illam modo Ionathæ præſtat? Nouerat modo Ionatham ſingularem benefactorem ſuum, & adeò ſingularem, vt pro illo ſeſe parẽti regi opponeret, nec dubitaret regiam gratiã Dauidis amicitiæ poſt habere. Iure ergo tam ſingularia beneficia à principe Ionatha in ſe profecta, ſingulari veneratione, & honore proſequi gratus Dauid decreuit. Quis enim ferret venerationem erga benefactorẽ non creſcere: quando in eo adeò ſingulariter beneficia conferenda creſcebant? Aiebat Malach. cap. 3. *Statim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituũ: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans.* Mirabar, quod hæc verba à Patribus paſsim aſſumantur, pro Ieſu ad ventu in templum, quando in brachijs Mariæ ſubla-

Malac. 3.

sublatus fuit, vt ibi Deo sisteretur. Et quãdo tunc paruulus, & recens natus intrabat, cur tam acer ostẽditur, vt nemo sit, qui audeat coram illo comparere, vt ignis dicatur omnia consummens, & perdens? Pulchre rem miratus Guarricus Abbas serm. 3. de Purificat. sic philosophatur in rem
Gur. Ab. præsentem: *Te, ò fidelis Sion, thalamus tuus arguit, quod cũ satis tibi prædictum esset. Ecce veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, adorna templum, induere vestimentis gloriæ tuæ ciuitas sancta; tu tamẽ nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, aut alios psalmos, aut cantica, omnino inhonoratum, insalutatum remisisti, qui te saluare venerat. Ideo vtique tuus iste thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur.* Expẽde illam causam desolationis Ierosolymitanæ nimirũ: *Tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipsius addidisti*: quando ipse Dominus tantum addidit beneficijs suis, vt ipse per se ipsum ad templum veniret, Israelitæ nihil cultus, & venerationis adderunt; & ideo periere funditus. Crede mihi, perituri hominis est illa manus, quæ cum multa sit in accipiendis beneficijs, in honore reddendo nihil ostẽdit peculiare. Manus enim Dei illa est, quę auget honorem, vbi experitur in se officia aucta. Danielis, cap. 3. ad ostium fornacis accedens Nabuchodonosor, cum tribus pueris illæsis vidit, & filium Dei: ait enim:
Daniel. 3. *Species quarti similis filio Dei*: & statim totus effunditur in diuinas laudes, cæpitq; Deũ prædicare, eiusque magnalia populis edicere, & scriptis diuulgare. Et vnde rex barbarus tantus in Deo laudando, & prædicando inuentus est? Ait D. Hypolit.
D. Hyp. Mart. orat. de Consummat. sacelli: *Quando scriptum est: Cor regis in manu Domini: hæc profecto est manus Domini, vt cognoscens eum in camino, ipsum glorificares, & prædicares.* In aduentu filij Dei ad caminum Babylonicum, quis numeret honores illi exhibitos à rege Nabuchodonosore? Et eũ prædicauit, & glorificauit multis, in quo sanè ostendebatur diuina manus cor regis moderãs; ea est enim manus diuina, quæ multis auctis honoribus beneficia singularia nos prosequi faciat. Quæ autẽ manus multa est in accipiendo, & parua in dando lõge distat à Deo, & eius salutari. Dicebat,
Leuit. 7. Leuit. 7. *Qui offert victimam pacificorum Domino: tenebit manibus adipem.* Ex græco legitur: *Manus eius offerent hostiam Domino.* Ad quæ verba ait Orig. hom. 5. in Leuit. *Non homo est, qui offert hostiã, sed manus eius, id est, opera eius. Opera namque sunt, quæ commendant hostiam Deo. Si enim attracta sit manus ad dandum, & expansa ad accipiendum, intra te est adhuc lepra tua, & offerre non potest hostiam salutaris.* Quis speret Dei salutare curtas habens manus ad dandum, & largas ad recipiendum? *Orig.*

§. XIX.

Lachrymæ piæ festinatissime nos in bonum deducunt.

MIrabar duos validissimos duces Ionatham, & Dauidem sic teneris vacare lachrymis, vt dicat text. *Fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.* Sed illud mirandum magis, quod Dauid ille gygantum interfector, largioribus detineatur luctibus, eo præcipue tempore cum illi erat magis ad asylum festinandum. Sic enim illum paulò ante monebat Ionathas: *Festina velociter, ne steteris.* Festinare moneris, ò bone, & lachrymis vacas? Cur non magis te expedis à luctu, & viam in asylum aliquod arripis? Non immerito, cum illi festinandum erat, pijs lachrymis vacabat; namque piæ lachrymæ festinatissime suos deducũt in refugij ciuitatem. Dicebat Cassiodor. lib. de anima: *Tunc fœlicior, cum fleuerit: tunc celsior, cum se prostrauerit: lachrymis reparat, quod gaudendo perdiderat; & quæ ad hostem voluptatibus inuitata peruenerat, ad salutarem Dominum prosperrime contristata festinat.* Ecce tibi, vt anima pijs lachrymis vacãs prosperrime festinat in salutate. Quo spectans, Psalm. 125. aiebat: *Euntes ibant, & flebant.* Quæ verba meditatus D. Fulgent. serm. 10. de Marthyr. fatur: *Euntes ibant, & flebãt, & non stabant, sed flentes ibãt, & ad æternam patriam tendebãt. Ciuitas prolongabat, & illi flebant, vt peruenirent, quo tendebant.* Erant equidem illis lachrymæ pro alis, quibus citius ad ciuitates refugij conuolarent. Nec vllo possent impedimẽto retardari, quando lachrymæ, vel altissimos muros quaterent, & superarent. Isaiæ, cap. 38. audito mortis nuntio Ezechias confugit ad lachrymas, vt citius euaderet, dicit enim text. *Conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit, &c.* orauit, inquam, cum lachrymis ad parietem conuersus. Sed cur orans cum lachrymis conuertere se ad parietem maluit? Crediderim ibi ostensam fuisse potentiam piarum lachrymarum, *Caſsiod.* *Psal. 125.* *D. Fulg.* *Isai. 38.*

morum, quæ vel muros valent irrumpere, & superare. Ait Hugo Victor. lib. 1. Miscellan. 2. tit. 11. *His compunctus ad parietem faciem conuertit, quoniam murum peccatorum, quod struitur, cum peccata peccato adduntur, quibus inter peccatorem, & Deum separat, præ oculis ponit, & illud diruendũ tentans, quot fletibus, quasi tot ictibus pulsat.* Sic bonus aduersus murum fletibus instat, vt qui potentes sint murorum impedimenta deprimere.

Hug.

§. XX.

Vnius Dei est in abiectione, & infirmitate præualere potentissimis.

NOn semel Ionathas à Dauide electo pacis fœdus rogat tam sibi, quam semini suo; sed quod mireris magis, nunc quando Dauid lugẽs, & mærens cogebatur in latebras ire; statim Ionathas iurati fœderis mentionem inserit. Ait enim: *Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini dicentes: Dominus sit inter me, & te, &c.* Et quid necessum est, ò bone, modo iurati fœderis meminisse? Quid times ab iecto, & deplorato homine? Si Dauid electus, & profugus à Ionatha requisisset iurati fœderis memoriam, non mirarer; nihil enim non timent miseri à fœlicibus. At Ionathas regis primogenitus, in Regia primus quid timeat à misero, & electo Dauide? Cur instet ipse magis pro obseruatione fœderis iniri? Erat equidem Dauid electus, & profugus latebras requirens, sed & erat Deus in Dauide; cuius solius est in abiectione, & infirmitate metum vniuersis incutere. Quis neget abiectionem, & infirmitatẽ in Iesu, quando expirauit cruci suffixus? Sed accipite, Matth. 27. *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi exciſſum est in duas partes à summo vsque ad deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt::: Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu,:: timuerunt valde.* Quando & crux, & mors, & infirmitas visebatur in Iesu; vnde timent isti? Ait D. Paulinus in Panegyrico de obitu Celsi pueri:

Matt. 27

D. Paul. *Mẽte hominis trepidat vicinæ mortis ad horã:*
Mente Dei nouit tempus adesse necis.
In cruce fixus homo est, Deus è cruce terruit Orbem.

Plane ostendebatur homo in infirmitate mortis & crucis, sed Deus mõstrabatur, quãdo inter ipsam crucis abiectionem, & infirmitatem perterrefaciebat Orbem. Iacob benedicens Iudam dicebat, Genes. 49. *Requiescens accubuisti, vt Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum?* Quæ sic ex græco vertuntur: *Recubans dormisti sicut Leo, & sicut catulus Leonis, &c.* Et multis quæstionem facit, quis sic in somno sit, vt Leo ibi appareat? Origenes hom. 17. in Genesim sapienter probat non hæc de Iuda, nec de aliquo puro homine dici posse, sed de Christo Deo. Sic enim ait: *Mors Christi oppressio, & triumphus dæmonum fuit. Omnem nãque prædam, quam Leo ille contrarius inuaserat prostrato homine, & deiecto, hic Leo interripuit. Quique rediens ab inferis, & ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem; Hoc ergo modo, & somno suo Leo fuit vincens omnia, & debellans, & destruxit eum, qui habebat mortis imperium.* Expende illa: *Hoc ergo modo, & somno suo Leo fuit vincens, &c.* quippe stratus humi, & dormiens aduersus potentissimos hostes præualebat. Solus enim est Deus, qui medijs infirmitatibus, eas vires ostendit, quibus perterrefaciat vniuersos. Vt dicat D. Proclus hom. de Natiu. ostendens Iesu diuinitatem: *Seruus eum colaphis cedebat, & ipsa creatura horrebat.* Sic in tanta abiectionè timorem creaturis incutiebat, quia Deus erat.

Gen. 49.

Orig.

D. Procl.

CAPVT VII.

Dauid apud Achimelech, & Achis.

Textus Historia.

VNA In amplexus, & lachrymas ruentes Dauid, & Ionathas iuxta petrã Ezel discessum acerbissimum maturarũt; inde enim incomitatus Dauid ciuitatem Nobe petit, eo quod ibi esset Achimelechus, alio nomine Abiathar Sacerdos, & Domini tabernaculũ. Sic bonus ab huius Religione, & illius amicitia non parũ cõmodi sibi futurum sperabat. Obstupuit Achimelechus ad Dauidis accessum, vt vidit tantum ducem nullis seruis, nullis militibus associatum; quos à se in diuersa dimissos, & solitudinem procuratam ostendit Dauid, vt vrgentissimo, & secretissimo

Impe-

Imperio Regis operam nauaret. Imò ait, eo rei vrgentia deueni, vt nec alimenta, nec arma licuerit parari. Si ergo tibi in promptu sunt quinque ad minus panes, & hasta, aut gladius, ne quæso moreris, sed quã celerrime poteris, mihi afferantur. Erant tunc temporis in promptu Sacerdoti soli propositionis panes recenter educti à tabernaculo; & in sacrarijs erat vnus gladius, quo nimirum Dauid Goliath percusserat, & Domino sacrarat. Vt panes sacros egentibus laicis daret, prius illorum mundiciem, & continentiam examinat. Nec dubitat testatæ continentiæ panes dare à tabernaculo sublatos; sed & Dauidi porrexit gladium; rem attẽtius notante Doeg Idumeo; qui Saulis pastoribus præfectus forte tunc aderat. Igitur Dauid acceptis panibus, & gladio, diuinoque consulto oraculo de viæ prosperitate, & ciuitatem Nobe, & omne solum Israeliticum fugiẽs ad Achim Gethæorum regem quàm primum transijt. Nullus inuentus fuit è socijs, aut seruis qui cum Dauide in hostili regione auderet commorari, qua propeer solus ingressus Achis Aulam, se Israelitem fatetur, sed à suis offensum velle subtanti regis signis militare. Non fuit ingratum Achis præstantem militem etiam ab hostibus sibi adsciscere, quod minime solet regibus esse ingratum. Non tamen electo à proprijs diu licuit in tuto esse in alienis. Nescio enim vnde rumor quidam exortus cæpit Gethæos solicitare, an aduentitius miles esset Dauid ille cantatissimus occisor Philisthinorum, & potentissimus Israelitarum? Quæ murmura, vt exsufflaret, vel saltem sopiret Dauid eo consilij deuenit, vt se insanum, & amentem simularet. Nec mora aggressus ea, quæ solis fiunt ab insanis, sic affecit regem, vt despectis suspicionibus, amentem contempserit, & à se amandarit.

PARS MORALIS circa textus literam.

NON Otiose cogitur fame Dauid sacratos panes accipere, cũ fugit â Saul; sed vt cognoscant omnes cœlestem panem parari à mundo fugitiuis.

Ex 1. *Reg.* 21. Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eò, quod venisset Dauid, & dixit ei. Quare tu solus, & nullus est tecum? Et ait Dauid ad Achimelech Sacerdotẽ: Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta dederim tibi: nam & pueris condixi in illum, & illum locum.

§. I.

Hominis propriſsimus est perpetuus motus, vt nunquam in eodem consistat.

IN primis ostenditur Dauidis in ciuitatem Nobe aduentus: dicit enim: *Venit autem Dauid in Nobe*; nihil autem magis proprium hominis, quã minime in eodem quiescere, sed in continuo motu esse. Hinc Matth. 20. *Duo cæci sedentes secus viã, audierunt, quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes; Domine, miserere nostri fili Dauid.* Alibi non semel dicitur Iesus à Dæmonibus vocatus filius Dei, &c. à cæcis istis non magis vocatur Dei quàm Dauidis filius? An nequiores erant in Iesu, quã dæmones? Absit; sed cum audissent, *quia Iesus transiret*, ex transitu magis excitati sunt ad conditionem hominis cognoscendam, & prædicandam; hominis enim est in transitu esse, non Dei. Ait D. August. in Psalm. 109. *Denique & illi cæci ad viam sedebant, ibi transeuntem senserunt, & clamando tenuerunt. In via ergo sæculi huius hoc trãsitorium sui Dominus operatus est, & hoc transitorium pertinet ad filium Dauid, ideo illi Domino transeunti clamarunt, Miserere nostri fili Dauid, tanquam dicerent, Filium Dauid transeuntem cognoscimus, &c.* In quo humana conditio est, non potest non in transitu esse, nequit in eodem permanere, sed ad alia & alia transire, & huic adesse, & abesse. Dicebant de Ioanne, Luc. 1. *Quis putas puer iste erit?* At Mar. 4. dicunt de Iesu: *Quis putas iste est.* Circa quæ D. Bonauent. in Lucam, cap. 1. ait: *Recte de Christo dicebant, iste est, tãquam de creatore, cuius est manere;*

Matt. 20.

D. Aug.

Luc. 1.

D. Bon.

nere; De Ioanne vero dicebant, Erit, tanquam de præcurſore, cuius erat pertranſire. De ſolo Deo poteſt dici permanentia,& qui eſt; cętera omnia in motu ſunt. Quo trahenda ſunt dicta, Tom. 3. de Chriſto Figurato, lib. 6. cap. 8. §. 15.

§. II.

Fidelis homo primùm aſylum à ſacris quærat.

PRorſus à Saule reiectus Dauid, & in perpetuũ ab eius aula relegatus nullum prius meditatur aſylum, quam Dei tabernaculum, eiuſque Sacerdotem. Sic namque dicit: *Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem.* Tranſlatum à Silo Dei tabernaculum in Nobe erat, quod ſibi Dauid in ſuis laboribus aſylum primum meditatus fuerat. Et merito, fidelis enim homo nullum aſylum, nullam defenſionẽ inueniet, ſi ad aliud prius, quam ad ſacra perueniat. Pulchre enim ait D. Zeno lib. 1. ſer. 1. de Fide: *O quã debilis eſt fides, cuius quotidie diſsipãtur variis argumẽtationibus membra! O quam indefenſa: quæ regum, iudicum, diuitum, aliquoties etiam, quod peius eſt, gentium, deſiderat patrocinia.* Equidem indefenſus eſt homo fidelis, qui prius ſæculare, quam diuinum, prophanum, quam ſacrum inquirit patrocinium. Erant plane Dauidi à Saule offenſo in promptu regum, potentumque amicorum patrocinia. Nonne tantus homo habebat in vicinis amicos validiſſimos? Nonne, vel à Saulis hoſtibus poterat ſperare refugium? Sed ſciebat, quam indefenſa eſt fides, quæ non prius à ſacris quærit auxilum; ideo ad tabernaculum, & Sacerdotem confugit. Et id quidem ſapientiſſime; fidelis enim homo nunquam non periclitatur, vbi totus prophanis, & ſæcularibus fulcris nititur. Nemini non patet ſacrilega illa ſtultitia, qua Iudæi authorem ſuæ ſalutis morti tradentes, homicidam hominem, & ſedicioſum petierunt donari ſibi. Dicente namque Pilato, vtrum ſibi vellent dimitti Barabbam, an Ieſum? Clamauerunt illi, Ioann. 18. *Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro, &c.* Sed vnde iſti in tantam inſaniam deuenerunt, vt magis ſibi veſlẽt homicidam, & ſedicioſum latronem, quam benigniſsimum Ieſum? Reliquerant in cauſa illa Sacerdotum ſententiam, qui vel muneris ſacri vi conſtricti ſapientius agerẽt, cucurrerunt ad ſæcularis, & ethnici principis prætorium, & quid inde niſi perditionem ellicerent? Ait D. Hieron. epiſt. ad filias Gereuntij: *Barabbam ideo Iudæi Deo cœli præferunt, quia ad iudicem ſæculi conuolarunt.* Minus errarent Iudæi aduerſus ſuam vitam, ſi in Sacerdotum concilio perſtitiſſent, qui licet morti traderent Ieſum, vt erant perditi, ſed tamen ſibi non peterent homicidam, & ſedicioſum. Vbi autem non à ſacris, ſed à prophanis; non ex Deo, ſed ex ſæculari homine ſperant conſequi bonum Reipublicæ, & ſeditiones, & extremas ruinas conſequuntur. Væ ſtulto, qui in laboribus ſuis, ponit prius ſæculi auxilia, quam Dei; ſtat à conſilijs prophanorum, potius quam ſacrorum, piorumque Sacerdotum; fallar, niſi abeat in ruinam.

D. Zeno.

Ioan. 18.

D. Hier.

§. III.

Piorum principum abiectio, & demiſsio dolori eſt Sacerdotibus.

AD ingreſſum Dauidis video Sacerdotem maximo ſtupore correptum; dicit enim: *Obſtupuit Achimelech, eo quòd veniſſet Dauid, &c.* Cuius ſtuporis cauſam expendens D. Athanaſ. orat. de Semente ait: *Venerat Dauid ad Abimelechum Sacerdotem cum paucis comitibus: ibi conſternatus Abimelech, Vnde hoc, inquit, vt dux copiarum ſolus iter faciat? Et vir clariſsimus tam exiguo comitatu vtatur?* Vt magnus princeps in aliquali abiectione, & ſummiſsione apparuit, Sacerdos conſternatur, & ſtupore non paruo afficitur. Habes autem, 4. Iudicum: *Siſara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Heber Cinæi ::: Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ dixit ad eum: Intra ad me Domine mi.* Siſara vir clariſsimus, & multarum copiarum dux venit ad domum Iahelis ſolus, & incomitatus, quales ſolent venire fugientes duces. Nec ad conſpectum eius ſtupet Iahel, nec conſternatur. Cur ergo fœmina videns ſolum, & deiectum magnum ducem non ſtupet, nec conſternatur; Abimelech autem ad conſpectum Dauidis incomitati, & deiecti totus in ſtuporẽ, & conſternationẽ iuit? Priuata fœmina nõ æſtimat deiectionem,

D. Athan.

Iudic. 4.

nem, & desolationem principis; at magnus Sacerdos, cui cordi debet esse populi fœlicitas, nequit non cõtremiscere, & stupere in piorum principum periculis. Hinc
Hieron. Hieron. 4. *Et erit in die illa, dicit Dominus, Peribit cor regis, & cor principum: & obstupebunt Sacerdotes.* Expende ordinem calamitatis, prius enim dicitur impletura cor Regis, & cor principum; vbi autem ostendantur hi in calamitate, statim sequitur: *& obstupebunt Sacerdotes.* Quippè Sacerdotum est dolere in periculis principum piorum; quorum casus nunquam non Ecclesiæ accidit calamitosus. Ecclesiam forte respi-
Thren. 1. ciunt illa verba, Threnor. 1. *Plorans ploranit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius.* Et vnde tantus Ecclesiæ ploratus, vt vtramque repleant lachrymæ maxillam? Accipite D. Ambr. orat. in obitu Valen-
D. Amb. tiniani fantem: *Flet igitur Ecclesia pignus suum, & lachrymæ eius in maxillis eius. Percussa eras Ecclesia in maxilla tua, cum amitteres Gratianum, præbuisti & alteram, quando tibi Valentinianus ereptus est. Merito tibi non in vna maxilla, sed in vtraque sunt lachrymæ, quia pie germanum virumque deploras.* Plane & dolori, & luctui sunt Ecclesiæ casus principum piorum.

§. IIII.

Quæ in gentis proprietate vitia fundantur, excusabiliora sunt, quam quæ arripiuntur mera electione voluntatis.

MIrabar, quam facilis proponatur Dauid isse in mẽdacia; quippe ait text. *Et ait Dauid ad Achimelech Sacerdotem. Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, Nemo sciat rem, &c.* Non hæsitauit, sed vt primum interrogatus est, statim confugit ad mẽdacia; fingens se in Regis venire gratiam, cum ab eo persequente coactus sit fugam capere. Et quis crederet in tanto viro posse inueniri adeo facile mendacia? Ne mireris, & si enim Dauid & regius vir, & sanctus erat, tamen illius nationis homo inuenisebatur, in qua nõ veritates, sed vmbræ, & species tractabuntur. Ex quo non adeo in illis damnabilia erant mendacia. Hinc spectans D. Gregor. lib. 18. Moral.
D. Greg. cap. 4. ait: *Mendacium sub veteri forsam testamento minoris culpæ esse potuit, in quo per taurorum, hircorumque victimas, sacrificium nõ fuit ipsa veritas, sed vmbra veritatis.* Quorum erat non veris operam dare, sed adũbratis, minus damnabiliter declinabant ad mendacia. Summunt enim non paruam excusationem vitia, quæ ex gẽtilitijs nascuntur proprietatibus. Vt inexcusabilia sunt, & duplo maiori pœna digna, quæ in mera fundantur electione voluntatis. Matth. 23. clamabat Iesus: *Væ vobis Scribæ, &*
Matt. 23 *Pharisæi hypocritæ, qui circumitis mare, & aridam facere vnum proselytum: & cum feceritis eum, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos estis.* Proselytus vocabatur ille, qui ex gentibus in religionem Israelitarum conuertebantur; Pharisæi ergo non paruam operam nauabant, vt gentes conuerterent, & in veri Dei adorationem traherent. Et quidem non nullos trahebant; sed quia tracti ab illis non solum illorum religionem, sed & eorum vitiosos mores æmulabantur, simul cũ illis in gehennam rapiebantur. Verum illud maxime venit notandum, nimirum: *Facitis eũ filium gehennæ duplo, quam vos estis.* Si enim proselyti illi, eo quod Pharisæorum vitia æmulabantur, in damnationem ibant, cur non Pharisæi magis? Cur isti duplo maiori pœna digni erant, quam magistri, quorum sequebantur ducatum? Pharisæorum vitia illis adnascebantur, & propria illius nationis erant, illaque vnà ebibebant cum lacte: quę proselyti arripiebant mera voluntatis electione, & inde in illis maioris duplo pœne erat causa. Ait D. August. lib. 16.
D. Aug. contra Faustum, cap. 29. *Qua vero proselytus in non custodienda lege Pharisæos imitabatur, fiebat filius gehennæ. Propterea quantum arbitror, duplo, quam illi, quia hoc negligebat implere, quod propria voluntate susceperat; non ex Iudæis natus, sed sponte Iudæus factus.* Non hunc innata infectio, sed mera voluntas in trangressionem ductabat, & ideo ibat in maiorem pœnam. Quæ enim nationis, gentisve sunt vitia, non sic exacerbant Deum, vt illa, quæ à sola mera voluntatis peccatoris proueniunt.

Ex 1. Reg. 21. Nunc ergo siquid habes ad manũ, vel quinque panes da mihi, vel quidquid inueneris. Et respondens Sacerdos ad Dauid ait illi, Non habeo laicos panes ad ma-

num;

num, sed tantum panem sanctũ, si mũdi sunt pueri maxime à mulieribus?

§. V.

Sobrietas in epulis infert castitatem.

PAnes petenti Dauidi, vt Sacerdos præbeat sacros, prius inquirit de seruorum castitate; ait enim: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum; si mundi sunt pueri maxime à mulieribus?* Non ait; si tu mundus es? Sed illo prætermisso seruorum pudicitiam examinat, fatus: Si mundi sunt pueri? Et quando etiam Dauid comesturus erat de panibus, imò ipse principalius eos sibi petebat, cur etiam non examinat eius puritatem, & castitatem? Rationem huius mihi insinuant illa Dauidis verba, nimirum: *Panes da mihi*: quando enim tantus dux, in Regia versatus solos appeteret sibi panes, merito credebatur purus, & castus. Tanta enim abstinentia in viro regio non poterat non generare in illo purissimam castitatem. Non absimile accidit Samaritanæ fœminæ, quæ cum lasciuiæ rea ad fontem veniisset, & ibi Iesum inuenisset, sic eius doctrina affecta est, vt omni luxuriæ spurcitia abdicata, pudicitiæ christianæ operam nauaret. Et vnde incepit pudicitiæ thesaurum degustare? Ioann. 4. proponitur dixisse ad Iesum: *Domine da mihi hanc aquam*; cum enim altorem omnium suauitatum coram haberet, ab illo solam petiuit, & expetiuit aquam; cur de tanta sobrietate in virgineam pudicitiam non abeat? Ait merito D. Ambr. serm. 1. de Samarit. *Quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit.* Abeant in luxuriem, qui dapibus se ingurgitant, & precios is vinis madent; qui vero sic abstinent, vt aqua, & pane contenti sint, ij totam pudicitiæ acquirunt puritatem. Parum dixi; fallar, nisi abstenuus, & sobrius sic fugias omnia opera carnis, vt totus videaris spiritualis. Hinc Matth. 6. moneris dicere ad Deum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et mirabar, quod qui nos ad sortem angelicam, & vitam prorsus spiritualem vocabat; adhuc moneat, vt panem petamus. Quid panis cum spiritu? Multum equidem similitudinis habet; is enim qui dimisso precio, & suauitate æscarum, pane contentus est; tam lõge abest ab omni voluptate carnali, vt prorsus spiritualis videatur. Ait D. Isidor. Pelus. citatus in Cat. Græca D. Lucæ ad cap. 10. vers. 4. *Oratio, quam Dominus, discipulos suos docuit, nihil terrenum habet, sed omnia cœlestia, & ad animæ vtilitatem tendentia: Etenim nil præter panem requirere, spiritualis proculdubio, ac præclaræ, & philosophicæ mentis fuerit.* Nihil carnalis gustus habet, qui contemptis æscarum delicijs, solo pane contentus est, sed totus spiritualis efficitur.

Ioann. 4.

D. Amb.

Matth. 6

Isid. Pel.

§. VI.

In ijs, quæ ad Deum pertinent, nullus respectus personarum habendus.

NOn semel dubitare sufficit, cur Sacerdos in præsenti, vt panes sacros exhibeat, de seruorum Dauidis mundicie quærat dicens: *Si mundi sunt pueri maxime à mulieribus?* Cur de solis pueris quærit, & non de ipso Dauide? An dignitas Dauidis fecit, ne ab illo peteret Sacerdos, quæ à seruis eius requirebat? Absit; imo seruorum mũditiem requisiuit, vt Dauidis etiam mundities requisita videretur; in rebus enim ad Deum spectantibus, nullus est personarum respectus, in eadem obligatione sunt & Domini, & serui. Quod sic in præsenti insinuabat Caietan. fatus: *Non interrogat de ipso Dauide explicite, sed de ijs, qui cum eo erant honoris gratia: vt tamen intelligat Dauid idem requiri ab eo.* Licet non interrogaret de Dauide expresse, tamen dum de seruis interrogat, idem de Dauide insinuat exquirendum. Ea enim quæ ad sacra, & Deum pertinent, simul obligant & Dominos, & seruos absque vllo personarum respectu. Hinc Pharisæis accusantibus discipulos Iesu, quod in Sabatho spicas admanducandum fricarent, respondit Dominus, Matth. 12. *Non legistis, quod fecerit Dauid; quando esurijt, & qui cum eo erant? Quomodo intrauit in domum Domini, & panes propositionis comedit, quos non licebat edere, &c.* Vt excuset pauperum suorum discipulorum factũ, recurrit dominus ad factũ Dauidis accipiẽtis panes propositionis. Sed quid cũ Dauide com-

Caiet.

Matt. 12.

commune habebant Iesu discipuli? Dauid cantatissimus dux erat, populi liberator, gener Regis; discipuli autem pauperes piscatores, & viles homuntiones. An idem poterat esse respectu vilium hominum, & hominis regij? Equidem respectu Dei, & in ijs quæ ad Deum pertinent, in eodem sunt & plebei, & principes. Adeò, vt vel hinc eamdem in Iesu, & in creatore mundi diuinitatem colligens Tertull. lib. 4. sic pungat Marcionem: *Quoniam Dauid comitesque eius cum discipulis suis æquat in culpa, & venia::: ideo alienus est à creatore?* Non equidem alius est Iesus à Deo creatore; sed prorsus idem Deus est, quando nullum habet personarum respectum, sed & principes, & seruos, siue in culpa, siue in venia, & fauore adæquat. Qui spiritus adeo proprius est Dei, vt non sine reprehensione sit, qui personas in diuinis administrādis respicit. Hinc Paulus ad Gal. cap. 2. *Cum venisset Cephas Anthiochiam, restiti ei in faciem, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat; cum autem venissent subtrahebat, & segregabat se, &c.* Quæ verba expendens Tertull. lib. 4. in Mar. ait: *Porro & si reprehensus est Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui existimabantur columnæ, manifesta causa est. Personarum enim respectu videbantur variare conuictum.* Inde reprehensione digni dicuntur ij Apostoli, quia respectu vnius personæ aliter se habebant, ac respectu alterius. In conspectu Israelitarum scrupulosissime vescebantur, in conspectu autem gentilis omnia indifferenter summebant, permittebant. Quod nec in tantis Apostolis duxit Paulus tolerandum, vt quòd alienum erat à Spiritu Dei; qui personas non respicit. Vnde Deuth. 1. *Non accipies personam in iudicio, quia iudicium Dei est.* Eo enim ipso, quod aliquid ad Deum pertineat, administrari petit sine personarum respectu. Vt merito dicat D. Cyrill. Alexandr. ad cap. 2. Amos: *Qui igitur iustitiæ rationem adulterat, & personam respicit, in diuinam excellentiam contumeliosus erit.* Nunquam non est acceptio personarum iniqua Deo, quando cum hoc scrupulose, & arcte, cum illo latissime tegeris.

Tertull. Ad Gal. 2. Tertull. Deuth. 1. Cyril. Al.

§. VII.

Sacra à castis administranda.

NOlo præterire in præsenti id quod sæpe alias ex hoc loco notaui, nimirum quam sint à castis viris sacra tractanda. Namque Sacerdos hic non antea porrigit panes sacros quam munditiem accipientium examinet fatus: *Si mundi sunt pueri maxime à mulieribus.* Qui autem paratus erat dispensare in lege, vt propter necessitatem laici homines manducarēt sacros panes, id sapientissime cauet, ne manducaturi sint carnalis copulæ fœditate maculati. Amant enim sacra non nisi castis, & puris hominibus communicari. Ideo Ioann. 19. dum Iesus esset in cruce, ne matrem orbam reliniqueret, illam astanti Ioanni commendauit aiens: *Mulier ecce filius tuus.* Et cur Ioanni? Ait Arnold. Carnot. tract. in hæc verba: In cruce debitum matri reddit affectum. Addit quoque & tradit exemplum, quod *ad consecuanda, quæ sancta sunt, debeat eligi sanctitudo: nec sacramentorum arcana impuris sint exponenda conspectibus, nec possit digne sacris ministrare mysterijs, nisi qui in schola studuerit continentiæ conuersari. Decet enim, vt qui mundis officium exhibet, omnimoda splendeat sanctitate; quia omnino huic formæ contrarium, vt contrectet incorrupta corruptus, & purificatorijs muneribus manum apponat impurus.* Refugiunt equidem sacra ab impuris, & libidinis spurcitia fœtidis tractari, sed purissimos, & castissimos amant. Hinc Matth. 1. ait: *Cum esset desponsata Maria mater eius Ioseph, antequam conuenirent, &c.* quibus ostenditur clare connubium Mariæ, & Ioseph nō fuisse ad copulam carnalem; quādo non sola Maria Virgo erat, sed & Ioseph etiam cum Maria degens abstinuit prorsus, vel à cogitatione carnalis voluptatis, & in virginitate perseuerabat. Ex quo in rem præsentem argumentatur Petrus Daminian. epist. 6. fatus: *Si igitur redemptor noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero nascereiur, sed etiam à Virgineo Nutritio tractaretur, & hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnat in cœlis? Si mūdis attingi manibus volebat in præsepio positus, quantam corpori suo*

Ioann. 19 Ar. Carn. Matth. 1. Petr. Da.

nunc

nunc vult adesse munditiem iam in paterna maiestatis gloria sublimatus? Crede mihi, qui diuinis adstas, qui sacris ministras; & renuntia omnibus carnalibus voluptatibus,&indue mundissimam castitatem,qua debite sancta tractantur. Caue ne impurus libidinismacula atratus accedas. Leuit.

Leuit.10. 10. *Arreptis Nadab, & Abiu filij Aarom thuribulis suis posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum::: & egressus ignis à Domino deuoranit eos.* Qui ignis ille alienus fuit adeo abominabilis Deo, qui sic totum sacrificium fœdauit, & Sacerdotes in cineres redegit?

Pet. Da. Ait Petrus Dam.lib.4.epist.4. *Cum ad offerendum Deo terribilis sacramenti libamen accedimus, cauendum valde est, ne alienum ignem,hoc est,libidinis flammam interfalutares hostias deferamus.* Putat Sanctus ignem alienum esse libidinis flammam, qua succensus qui sacris adstat, caueat ne in cineres abeat.

1. *Reg.* 21. Et respondit Dauid Sacerdoti,& dixit ei: Et quidem si de mulieribus agitur,continuimus nos abheri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta, Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis,&c.

§. VIII.

Continētia àvoluptatibus carnalibus sanctitas vocatur.

VNam continentiam nominat, & de illa sola vocat pueros suos sanctos. Sic enim ait: *Si de mulieribus agitur, continuimus nos abheri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.* Ex continentia asserta sanctitatem puerorum asserit. Nec miror, solemne enim est apud sacros scriptores,quod continentia à carnali voluptate dicatur sanctitas. Sic Paul. 1. ad Thessalonicen. 4.

Hæc enim voluntas Dei sanctificatio vestra, 1. *ad Thes-*
vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnus- *sal.4.*
quisque vas suum possidere in sanctificatione, &c. Quæ verba tractans Tertull. lib. 5. in Mar.cap.15. ait: *Quam autem sanctitatem nostram, voluntatem Dei dicat, ex contrarys, quæ prohibet, agnoscere. Abstinere enim, inquit, à stupro. Scire vnum quemque suum vas in honore tractare. Dum non in libidine, quagentes.* Itaque continentia nostra habetur à Paulo sanctitas à Dei voluntate in nos collapsa. Similiter Exod. 19. dicit: *Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eum. Cumque lauissent vestimenta sua ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Dicitur Moyses sanctificasse populum, quem docuit abstinere ab vxoribus triduo illo; vt castitas illa triduana pro sanctitate summatur. Quo respiciens D. Ambros. lib. 1. officior. cap. 50. ait: *Castificabatur etiam populus per viduum,* D. *Amb.*
aut triduum, vt ad sacrificium purus accederet. Qui in textu sacro dicitur sanctificatus, ab Ambrosio, explicationis gratia, ponitur castificatus: idem enim sonat ibi castitas, & sanctitas. Et nescio, an quid gloriosius dici posset de castitate; quę enim de vniuersis virtutibus in vnum cõgregatis dicitur sanctitas, & ea de vnà castitate prædicatur. Matth. 5. dicebat Dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi* *Matth. 5.*
Deum videbunt. Quæ verba explicans D. Chrysost. hom. 15. in Matth. ait: *Mundos vero hic appellabat, aut vniuersalem virtutem tenentes, & nullius sibi mali conscios,* *Chrysost.*
aut continentia conspicuos. Nihil enim nobis est ita opus ad videndum Deum, vt istius puritate virtutis, propter quod Paulus ait: Pacem sectamini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Sub mundorum nomine duas classes sanctorum ponit Chrysostomus; vel qui in omni virtute splendent, vel qui continentia conspicui sint; & hos putat æque posse intelligi per illorum vocabula, & proprietates; quando enim de fulgentibus in omni virtute dicitur, quod sancti sint, & Deum conspecturi; & eadem dicuntur de castis.

§. IX.

Ad perfectam sanctitatẽ pertinet, quod quis se à licitis contineat voluptatibus.

ET si de castis omnibus pẽsit sanctitas prædicari; vt vidimus; tamen in præsenti Dauid aliquod singulare specimen sanctitatis indicabat. Ait enim: *Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta.* Non enim de continentia à fornicatione, & stupro, siue adulterio loquitur; credendus namque est vir bonus, non solum ab heri, & nudius tertius; sed semper vsque tunc abstinuisse à criminibus talibus. Loquitur autẽ de continentia à licita voluptate carnis, quàm de vxoribus proprijs summere vacabat; & cui egressi à domo libero animo renuntiauerant. Ex hac autem renuntiatione à licitis voluptatibus, sapienter vocat pueros suos sanctos dicens, *& fuerunt vasa puerorum sancta.* Ad perfectissimum enim sanctitatis specimen pertinet, quod à licitis summendis prorsus vaces.

Exod. 19 Exod. 19. *Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eum. Cumque lauissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Dicitur Moyses sanctificasse populum, & statim modus sanctificationis proponitur in eo, quod monebantur, vt ab vxoribus abstineret. Quod notans ibi Ru-

Rupert. pert. ait: *Valde autem considerandum, quod sanctificare iussus populum Moyses, eamdem ita sanctificationem determinat: Ne appropinquetis vxoribus vestris. Ergo ne appropinquare vxoribus res est illicita? Non vtique. Sed quid est sanctificari, nisi abstinere etiam à licitis? Nam qui abstinet solummodo ab illicitis, pœnam quidem euasit peccati, sed gloriam non est assecutus sanctitatis.* Et quidẽ gloria sanctitatis perfectæ in eo lucet, qui nouit se etiam à licitis abstrahere. Nonne perfecta sanctitas in similitudine ad Deum consistit? Ait Dominus epist. 1. Petri, cap. 1.

1. Pet. 1. *Sancti eritis, sicut ego sanctus sum.* Sed hæc Dei similitudo præcipue in ijs fundatur virtutibus, quæ licita etiam propter Deum

Gen. 1. reijciunt. Genes. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos.* Primo dicitur creatus homo ad imaginem, & similitudinem Dei; secundo prætermissa similitudine solum dicitur creatus ad imaginẽm. Et cur non dicitur etiam in secundo creatus ad similitudinem? Adiunctum erat illud: *masculũ, & fœminam creauit eos*, quibus homo aptabatur ad coniugia, & ad voluptates, quæ licite in coniugijs nascuntur. Et ijs dum fruitur, perfectam Dei similitudinem non acquirit, cuius est renuntiare etiam voluptatibus licitis. Ad hæc ait Tertull. in

Tertull. Exhort. ad Castit. *Voluntas Dei est sanctificatio nostra. Vult enim imaginem suam nos, etiam similitudinem fieri, vt simus sancti, sicut, & ipse sanctus est. Id bonum, sanctificationem dico, in species distribuit complures, vt in aliqua deprehendamur. Prima species est Virginitas à natiuitate. Secunda Virginitas, cum post matrimonium vnum interceptum, deinde sexui renuntiamus.* Itaque qui ad imaginem Dei nos sumus, vult Deus, vt etiam ad eius similitudinem fiamus, vt inde perfectissimam sanctitatem habeamus. Quod sanctitatis, & similitudinis bonum diuisit in plures species continentiæ, sed quæ omnes à licitis abstineãt; Virginitas enim, quę matrimonium fugit, licitum quid vitat, sed in quo perfectam sanctitatem, & cum Deo similitudinem æmulari dicitur. Quo spectãs S. Sixtus Pap. epist. de malis doctoribus in fine ait: *Nihil est enim tam charum Deo,* *Sixt. Pap.* *quam castitatis bonum, in quo præcipue eius similitudinem gerimus, si incorrupti, & integri iugiter manserimus. Est enim infinita virtus corporis vincere voluptatem; qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero; qui autem libidinem repressit, se ipso fortior fuit.* Sic ibi.

§. X.

Nullum aduersum non facile superat, qui continentiam in se testatam facit.

NOn negat Dauid in via illa triduana multas macularum contrariarũ sacris occasiones extitisse; sed etiam fatetur illas facile depellendas à viris castris. Quo spectant illa: *Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur inuasis.* Equidem vasa, nimirum corpora, quæ sanctitate pollebãt castitatis, facile depellerent vniuersas alias maculas, adhibitis lustra-

Iustrationibus sacris. Aiebat D. Ephræm
D. Ephr. de Humilit.compar.cap. 87. *Seruafrater castitatem corporis tui: quamsi in Charitate Christi custodieris, omnem facile virtutē perfectè exercere,& assequi poteris. Nam qui inte inhabitat Spiritus Sanctus, super te gaudebit, quod templum Domini puritate, ac recta voluntate honoras, ideoque confortabit te ad omne opus bonum.* Hoc à nobis poscitur, vt castitatem habeamus, qua faciles reddimur ad omne opus bonum; imò, & ad remouēdos vniuersos virtutis obices. Sauli dicebat Dominus per Samulem, 1. Reg. 15.
1.Re. 15. *Nunc ergo vade,& percute Amalech, & demoliere vniuersa eius,nō parcas ei,& c.* Vnus Amalech funditus extirpari mandatur. Et cur Amalech sic funditus exterminandus? In Amalech luxuriæ stimuli significabantur; qui si semel eradicati fuerint per castitatem; & cætera Dæmonis pericula facile exsufflantur. Ait D. Paulinus epist. 42. de Martiniani naufragio

D. Paul. *Occidat Amalech;& piesæuus, Deo*
Peccata carnis immolet:
Quibus peremptis interit quoque Zabulus
Inuisus æternum Deo.

Expende illa; *Quibus peremptis, interit quoque Zabulus*; quippe peremptis carnis insultibus, perit diabolus; omnia eius facile depelluntur iacula. Vt merito moneat
Ad Heb. 12. Paul. ad Hæbræos, cap. 12. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam.* Anselmus ait; *Sanctimoniam, id est, castitatem*: & castitate pollenti meritò dicitur, vt pacem habeat: post deiectos enim in sultus carnis per castitatem, sic manes, quasi nullos inde hostes habeas. Dicebat D. Augustinus
D. Aug. serm. 43. de verbis Domini: *Vult homo castus, vt nulla insurgat in membris eius concupiscentia aduersaria castitati. Pacem vult, sed nondum habet. Quando autem ad illud ventum fuerit, vt nulla omnino surgat concupiscentia aduersaria, nullus erit hostis, cum quo luctemur, neque expectatur ibi victoria, quia de hoste iam victo triumphatur.* Expende, quod cum ad id ventum fuerit, *vt nulla omnino surgat concupiscentia contraria, nullus erit hostis, & c.* de extinctis enim insultibus carnis, sic manes, quasi nullos hostes iam habeas. Vt merito ex eo iam victoriam possis canere, vt qui omnes hostes de triumphatos calces.

(†)

§. XI.

Singulariter à Deo pascuntur, qui ad magna Christi mysteria destinantur.

VIde quos panes dederit Achimelech Dauidi famescenti, nimirum ait: *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem, nec enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis.* Prouidit Deus, ne essent communes panes, quibus laici vescebantur, vt esuriens Dauid sanctificatum panem acciperet, qui minime patebat laicis. Nec miror, is enim erat Dauid, qui ad floridissimum Iuda regnum fundandum, ad ad Christi Domini prosapiam regalibus stemmatibus ornandam iam eligebatur. Et non semel Deus eos singulariter, & diuine pascit, qui eliguntur ad mysteria conseruanda Christiana. Notissima est historia S. Fœlicis cantatissimi martyris in ciuitate Nolæ, vt absconditus per manus mulieris ignorantis rem sustentabatur pane, & carnibus, & de vicina cisterna capiebat aquā. Sed factū est, vt cisterna æstibus solis siccaretur. Quid tunc? Accipite D. Paulinum cantantem in eius Natali, 5.

---------- *Christus tempore fertur in illo* D. Paul.
Sæpe sua pauisse manu, cœloque dedisse
Pocula, non pluuialis aquæ, quā nubila passim
Omnibus effundunt, sed quem specialiter vni
Gratia Fœlici mittebat ab æthere rorem,

Nā nimijs, vt fit, tunc torrida solibus æstas
Et puteū quoq; siccarat, qui parca latenti
Pocula præbuerat. *Sed ne sitis vreret illum*
Carnea, qui Christum sitiendo ferebat, & istam
Corporis afflicti pœnam, delata sereno
Inque globū tenuem nubis collecta per arctum
Impluuij dulcem sitientis in ora liquorem
Influxit, quasi pressa manu, cœloque vocandū
Velleris æthereisucco lactente refecit.

Quid pulchrius? Sanè, *qui Christum sitiendo ferebat*, debuit à Deo refici in siti sua, ne penitus periret. Sed qualiter refectus fuit? Accepit equidē à cœlo pocula, *non pluuialis aquæ, quam nubila passim, Omnibus effundunt, sed quem specialiter vni Gratia Fœlici mittebat ab æthere rorem.* Cauebat Deus, ne tantus Christi portator, communibus sustētaretur, sed quid peculiare acciperet ad sustentationem suam. Vt nimirum nubes in glouum coacta ad eius labia accederet, & in ore rorem instillaret diuinū; vt quasi

applicitus ad cœlestia vbera videretur alimenta suxisse. Sic qui ad Christum pertinent peculiari prouidētia nutriuntur. Audisti etiā de Romulo, & Remulo, vt proiecti in flumen ex vtero matris, & inde eiecti accurrentis lupæ vbera hausisse, & inde intātos viros, Romę fundatores creuisse. An hoc vera est historia, an fabula? Ait D. Aug. lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 21.

Augusti. *Si ad arguendum hominem regem, qui eos in aquam proyici crudeliter iusserat, eis infantibus, per quos tanta ciuitas condenda erat, de aqua diuinitus liberatis, per lactentem feram Deus voluit subuenire, quid mirum?* Merito Augustin. nō putat mirū, quod Deus prouideret lupam, quæ vbera præberet, & lactaret esurientes illos infantes, qui ordinabātur ad fundandam Romam, Romam, inquam, quam caput Imperij Christiani modo veneratur mundus. Similiter cum audio Isaiæ, cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes::: Propter seruum meum Iacob, &c.* Quibus ostenditur Cyrus ordinatus à Deo in regnum, & triumphos, vt Israelis populum solueret à seruitute, & suæ libertati, & splendori restitueret. Auditis, inquam, ijs, non miror, quod vbi Cyrus infans à crudeli auo expositus fuit, vt voraretur à feris, à cane lactatus fuerit, quod refert ex Pōpeio Trogo Rupert. lib. 7. de Vict. Ver. Dei cap. 24. Sic enim mirabiliter prouidet Deus illis, quorum vtitur opera in protegendo populo suo.

Isai. 45.

1. *Reg.* 21. Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa, intus in tabernaculo Domini; & nomē eius Doeg Idumæus potentissimus pastorū Saul. Dixit autem Dauid ad Achimelech, si habes hîc ad manum, hastam, vel gladium, quia gladium meū, & arma mea non tuli mecū, sermo enim regis vrgebat.

§. XII.

Temporalium bonorum cultor ad vtrumque promptus inuenitur, siue ad pietatem, siue ad impietatem.

CVrsim, & quasi per parēteſim in præsenti notat textus sacer præsentiam Doeg in tabernaculo, dum illa inter Dauidem, & Sacerdotem aguntur. Quippè dicit: *Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini, & nomen eius Doeg Idumæus potentissimus pastorum Saul.* Dum Doeg dicitur potentissimus pastorum Saul, creditur à Iosepho & alijs præfectus fuisse omnibus, qui regalium gregum curam agebat. Sed à pluribus cum Caietano, & Saliano nostro putatur fuisse maximus iudicum, & pacificorum magistratuum. Et valde notandum, quod qui magistratibus omnibus præfectus erat, & ipse potentissimus apud Regem; nunc esset *intus in tabernaculo Domini*, siue vt vota Deo redderet, siue vt à diabolica lue curationem acciperet, siue vt per Sacerdotem oracula Dei inquireret; & paulò post ille ipse met, vt regi irato morem gereret vniuersos Sacerdotes trucidaret manu sua. Nec inuentus est alius, nisi iste, qui id auderet. Vt habes cap. sequēti. Quis magis pius Doeg intus tabernaculum Domini orante: & quis magis impius illo omnes Sacerdotes percutiente? Suspectos inde habe homo potentes viros, aulicos præfectos, qui vt temporalia anxie colunt, pro vt par putant, & faciem religiosi induunt, & sacrilegi. Et videntur intus in tabernaculis Dei, in oratorijs, multa peragere pia, orationes fundere, & egressi inde ad nutum oculi omnem pietatem conculcant, Sacerdotes trucidant. Est, est bonorum temporalium nimius cultor simul in cultu religionis, & in culcatione illius. Hos abominabatur Dominus, Apocal. 3. dicens: *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Plane in frigido solum inuenitur frigus, & calor solus in calido; in tepido autem simul calor, & frigus inuenitur, & inde nauseam prouocat. Sic in luxurioso, in latrone, in homicida, sola malicia inuenitur; in religioso autem viro sola virtus, & iustitia. In temporaliū bonorū cultore nimio, omnia inueniuntur simul, & pietas, & impietas, & sacrilegium, & religio, vnde Deo est abominabilior. Ait Victorinus Episcop. Pitabionensis: *Septima classis declarat homines locupletes, apud quos in cubiculo quædā scripturæ tractantur, foris autem an sint fideles, à nemine intelligitur. Et ideo ait ad illos, neque frigidos, neque feruentes illos esse, id est, neque incredulos, neque fideles, ad omnes enim omnia sunt. Et quoniam tepidus es, & nauseam facis; vomam, inquit, te de ore meo.* Expende

Caiet.

Apoc. 3.

Victor.

illa

illa tẽporalis animi indicia clarissima nimirum: *Ad omnes enim omnia sunt*: videlicet omnium facies habent & vultum, siue religiosi, siue sacrilegi: aut pij hominis, aut impij. Videbis illos lætissimos in religione, & pietate; sed statim vbi afflet ventus alius, religionem vniuersam conculcant. Hos etiam depingebat Dominus, Matth. 23. dum sementis in petras decisi parabolam explicans dicit: *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud, non habet autem in se radicem, sed est temporalis, facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.* Læti, & hilares videntur audire Dei verbum, illudque corde suscipere; sed reflante tentationis vento, statim diuinum semen abijciũt. Vnde hoc? Temporales sunt, hoc est, nimirũ temporalibus bonis sunt affixi. Ait Pascas. ibi: *Vicit duritia cordis pluuiã diuini verbi, nec habuit semen humorem virtutis, quo radicem firmaret seminis. Quia tempor lis erat, nec ad æterna tendens.* Qui non æternis, sed ijs inhiat temporalibus, & caducis, lapis est ad diuina, videbitur plenus religione, & virtute; sed non habent hæ radices in illo, ideo facile transit ad sacrilegia, & vitia. Ad omnes enim omnia fiet. Vt merito dicat D. Athanas. epist. ad solitariam vitam agentes, loquens de auaris simis Melecianis: *Non est sperandum, vt Antichristo Meleciani resistant; non illis cura est veritatis, neque Christum abnegare inter mala numerant, non enim synceriter ad verbum Dei acceserunt, sed ad omnia tãquam Chamæleontes transformantur semper mercenary.* Quid pulchrius? Vt mercenarij sunt, sic omnia fiunt, iuxta placitum eorum, qui eos mercede conducat.

Matt. 23

Pascas.

D. Atha.

§. XIII.

Ab Eucharistico cibo non parum robur accrescit.

ANte sanctificatum panem sumptũ minime armorum meminit Dauid; sed cum primum pane illo sacro refectus est, statim additur: *Dixit autem Dauid ad Achimelech, si habes hic ad manum hastam, vel gladium, &c.* Et cur cum petebat panẽ, non simul petebat arma; vtrisque enim tunc egebat; sed prius sese pane sancto refecit, & post hæc arma petit? Vt arma erãt res robustorum, sic tunc solum peti potuerunt, cum Dauid erat sacro refectus pane. A cibo enim illo tantum accepit robur, vt iam nil citius quam arma cogitaret. Quo spectans Theodor. quæst. 52 ait: *Propter viam propositam necessario erat particeps sacri alimẽti, vt ab eo roboratus, quæ sunt ei proposita recte gerat.* Itaque pro robore adipiscendo prius cucurrit ad sacrũ panem, quo refectus in id roboris peruenit, vt statim ageret de habendis armis, vt fortitudinis opera perageret. Crede mihi est in cibo cœlesti robur, sine quo fieri nequit, vt aliquid fortitudinis habeas. Hinc Isaias, 3. minabatur: *Auferam á Iuda validũ, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem.* Vt fortem bellatorem auferret, robur panis auferendum minabatur; vt enim cœlesti cibo refecti in id roboris veniunt homines, quo nihil cogitent citius quam arma, quam bella, quam certamina. Sic ablato illo pane, vniuersi langueseunt adeo, vt nec armorum velint audire vocabula. Ad hæc Procop. ibi aiebat: *Panem intelligi illum, de quo sic locutus Dauid: Panem cœli dedit eis. Aquas item, de quibus ait propheta: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris: quibus, qui carent, ne se quidem panis, & aquæ robur habere somniare audeant, sed imbecillibus cibis, & ad vitam roborandam impotentibus vesci fateantur, necesse est.* In solo cœlesti epulo robur est, quo valeas aduersus mala; ab illo si abstineas, non robur, sed infirmitatẽ, sed extremam spera calamitatem. Clamabat Dauid, Psalm. 42. *Percussum est sicut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum manducare panem meum.* Quid roboris in corde arente, & percusso? Plane nil aliud speres ab eo, qui abstinet à cœlesti epulo. Vt dicat D. Aug. ibi: *Merito percussum est sicut fœnũ, & aruit cor eius, quoniam oblitus est manducare panem suum. Oblitus manducare panem, bibit venenum*: Eo ipso, quod obliuiscaris manducare panem cœlestem; iam currunt ad te venena, quæ depascantur vires tuas vniuersas, & pereas.

Theod.

Isai. 3.

Procop.

Psal. 42.

D. Aug.

1. *Reg.* 21. Dixit ei Sacerdos; Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percusisti in Valle Therebinthi, est inuolutus pallio post ephod; si istum vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo. Et ait Dauid, Non est huic alter similis, da mihi eum.

§. XIIII.

Instrumenta Dei ad magnalia peragenda, speciali sunt prosequenda honore.

VEl ad Dauidis votum, vel ad facinoris memoriam sufeciſſet, quod gladius appensus esſet coram Deo; at gladius hic non solum appensus Deo dicitur, sed insuper additur, vt & sacris, & duplicibus velis erat inuolutus. Dicitur namque: *Ecce hic gladius Goliath:: est inuolutus pallio post Ephod*; quod sit pallio inuolutus post Ephod, sic intelligo cum Carthusiano, vt prius Ephod sacro inuolutus sit, & super Ephod additum sit aliud palliũ; vt sic duplici velo maneret inuolutus. Et cur gladius ille tot velis clauditur? Pulchre ait Hugo Cardinal. *Quia fuit miraculum Dei, ideo tanto honore gladius seruabatur in tẽplo.* Hug. Fuerat equidem gladius ille instrumentũ, quo vsus Deus tantum miraculum, & tunc glorioſum peregit, vt Philisthæi exercitatiſsimi caput abscinderetur per paruuli manus. Ideo non mirandum, quod tantus honor gladio illi tribuatur, vt duplici velo occludatur, & in templo Dei recludatur inter ipsa sacra. Sic vniuersæ illæres, quibus Deus vtitur ad magnalia sua peragenda, singulari sunt prosequenda honore, & arcenda ab oculis prophanis. Sic Deuth. 34 Deuth. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab iubente Domino, & sepeliit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius.* Hoc de solius Moysi sepulchro auditũ est, quod sic occultatũ sit à Domino, vt à nullo mortalium conspici posſet. Et cur sic occultatum est Moysi sepulchrum? Ait D. Paulinus in Natali, 4. S. Fœlicis:

D. Paul. *Sed soli hoc dederat Deus vni munus amico*
Arcanà tellure tegi: quia iure decebat
Tantus honos illud corpus, quod comminus ore
Fulserat, & sermone Dei, vt mortalia functus
Iura, Deo tantum frueretur teste sepulchri.

Qui tot mirabilibus efficiẽdis, Deo seruierat, sic à mortalium conspectu eripitur, & occulitur, nequis eius sepulcrum videret. Sed solis diuinis oculis patens, cæterorum omnium lumina fugeret. Et merito tantus honos impendebatur vni Moysi, vt erat ille Dei amicus, & tantorum miraculorum minister. Hinc Euseb. Gall. hom. 1. de Aſcens. videns carnem humanam in cœlum leuari ait: *Tu hanc carnem, dum in ea saluti publicæ militas, honorasti.* Sic dicit Deo. Euseb. 1.

§. XV.

A Dei spiritu alienus est gladius, hoc est, gladij officium.

MIror, quod locutus cũ Dauid Sacerdos dicat gladium Goliath repoſitum esſe in tabernaculo, & non potius gladium tuum. Ait enim: *Ecce hic gladius Goliath, &c.* Fuerat fateor Goliath ille gladius; sed iure prælij acquisitus à Dauide fuerat, quando illum ab hoste subſtulit, & illo vsus scidit hostis ceruices, & nobilitatus illo circumduxit hostis caput per Israelitarum vrbes. Cur ergo Sacerdos nõ potius ait; est hic gladius tuus ille, quo percussisti Philisthæum? Cur magis confugit antiquum gladij Dominum, prorsus reticens dominium Dauidis circa illum? Merito Dauidi pientiſsimo, & salutiferi regis Christi parenti gladius minime attribuitur, sed quasi alienus ab illo ostẽditur. Alienus enim est gladius, & gladij officiũ ab illis mentibus, quæ spiritu Dei aguntur. Benedicturus Isaac filijs suis, Gen. 27. ait Iacobo: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, &c.* Gen. 27. Sed & accedens ad Esau dicit: *In pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua. Vives gladio.* In Iacob Deum nominat beneficum datorem, & curatorem illius, dum incipit: *Det tibi Deus*, siue vt ex Græcis; *Dabit tibi Deus*; in Esau autem nõ meminit Deum: nec à Deo petit, vt illi assistat. Cur ergo Iacobo Deum assistentem precatur, & non Esau? In Iacobo nullam mentionem gladij fecit, in Esau autem dixit, *Vives gladio*, quo nec meminit Deum in benedictione illius. Sic enim ait author Cat. Græcæ: *Esau in vbere quidem solo habitabit, sed ad victum comparandum gladio vtetur in prædis. Quo circa adycere noluit, Dabit tibi Deus.* Hæc ille, minime gladium & Deũ posſe coniungi putans. Quod mihi non paruam quæstionem facit; quando non solum Esau posteri gladio vixerunt, acquirentes sibi ingentem subſtãtiam; sed & Iacobi posteri etiam gladio vtentes sibi pinguissimum terræ solum acquisiuere. Cur ergo, quando vterque populus gladio vsus est in acquirenda terra; Esau gladius à se Cat. Græ.

Deum

Deum fugabat, & Iacob gladius potius trahebat illum? Gladius, quo præliabatur Iacob, non erat proprius, sed alienus: ait enim, Psalm. 42. *Nec enim in gladio suo possederunt terram*; quippe mitissimis Iacobi posteris nõ erat gladius proprius; nudi enim egressi ex Ægypto, quos submersit Deus, armatos Ægyptios viderunt, & eorum armis sumptis nationes debellarunt. At Esau gladius non alienus ei erat, sed proprius, & quasi ex intimis eius ortus, ne miremur, quod exosus sit Deo, à cuius spiritu pientissimo est gladius quàm alienus. Quo adspiciens sanguinolenti hominis gladium detestans D. Paulinus in Natali, 4. Sancti Fœlicis ait:

Psal. 42.

D. Paul. -------- *Velut asper Edon terrena secutus*
Squaluit in vacua captiuus imagine mundi
Duraque Idumæi prælegit iura parentis
In gladio viuens proprio.

Quippe cui gladius proprius erat in vacuis mundi rebus captiuus degens; longe à Dei, eiusque spiritu manebat seiunctus, cuius in salutem, & in benignitatem venire, alienoque, non proprio gladio vti. De Deo enim dicebat Isaias, cap. 28. *Irascetur, vt faciat opus suum, alienum est opus eius: vt operetur opus suum, peregrinũ est opus eius ab eo.* Quæ sic legunt Septuag. *Cum ira satiet opera sua, amaritudinis opus: at furore suo aliene vtetur, & amaritudo eius aliena.* Cum iratus fuerit Deus, hoc est, cum opus iræ opera faciat, quidquid ad iram exequendam pertinet, illi alienum est, & extraneũ. Vt dicit Tertul. lib. de Resurrect. cap. 14. *Accipe causam, qui apud Deum meum discis, tam optimum, quam iustum: de suo optimum, de nostro iustum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset ex naturæ proprietate, at nunc etiam iustum eum patitur ex causæ suæ necessitate.* Itaque Deus ex suo habet, & bonitatis, & benignitatis exhibitionem; ad gladium autem iustitiæ recurrit tanquam ad non suum, sed alienum. Quo alludens Isaias, cap. 7. aiebat: *In die illa radet Dominus in nouacula conductain his, qui transflummẽ sunt, &c.* Quasi nouaculam non habeat suam, nisi eam ab extraneis conducat. Is est enim Dei spiritus, qui solum sciat benefacere de suo.

Isai. 28.

Tertull.

Isai. 7.

(†)

§. XVI.

Rei semel salutari, præ alijs semper fidendum.

DVm inermi Dauidi gladius offertur, quo Philisthæum percusserat, prudentissime ait: *Non est huic alter similis*; quippe quæ nobis res semel salutaris fuit, præ omnibus alijs semper habenda, & eligenda, vbi conatus nostri prosperandi optentur. Magno Constantino cupienti Bizancinam vrbem ad ingentem gloriam euehere, dictum est cœlitus id, quod refert D. Aldhelmus epist. de Virginit. cap. 12. nimirum: *Ascende itaque illum equum tuum in quo baptizatus in albis sedisti in vrbe Roma, & Apostolorum, & martyrũ limina circuisti, & hunc ascendens, tene Labarum tuũ. Hoc Labarum tenẽs in manu tua dimitte frænum equi, vt quocũque duxerit Angelus Dei, illuc eas. Tu autem fixum cuspidem Labari in terra sic trahe, vt semitam faciat transitus tui, per quàm semitam extrui facias muros, & hãc veteranam ciuitatem, & pene emortuam in iuuenculam suscitabis, &c.* Ad delineandam vrbem excitandam monetur Imperator, vt ascendat illum equum in quo post baptismi regenerationem sedit, vt limina Apostolorũ adiret: quasi nullus alius esset aptior ad prosperitatem vrbis fundandam, quã ille, qui primùm tantæ saluti seruiuerit. Semper enim requirenda, & eligenda ad prosperitatem, illa res, quæ semel probata fuit salutaris. Sic Iesus Dominus, Ioã. 9. vt cæcum natum illuminaret; *expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius, &c.* Et cur ad lutum confugit, vt lucidissimos oculos daret? Iã semel diuina manus luto immixta hominis oculos, & cætera membra formarat, hinc Iesus eisdem instituit, vt hominem illuminaret. Quo respiciens D. Irinæus lib. 5. ait: *Sumpsit Dominus limum de terra, & plasmauit hominem, qua propter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & superlinuit illud oculis ostendens antiquam plasmationẽ, & manum Dei ostendens. Neciam alterã requiremus manum, nec alterum patrem scientes, quoniam qui plasmauit nos ab initio, hæc in nouissimis temporibus perditos exquisiuit nos, &c.* Itaque vbi Iesus nouit lutum à Dei manu tractatũ profecisse homini cõstruẽdo, plasmando; ad lutum recurrit daturus oculos homini, ne iam aliam manum, nec aliud instrumentum requiramus ad perficien-

D. Aldh.

Ioann. 9.

D. Irin.

ciendum hominem; nullum enim simile inuenietur illi, quod iam semel probatum est in hominis conditione. Hinc Paul. Actor. 13. vt Elymam magum & blasphemũ in Iesum sanaret, ait illi: *Eris cæcus, non videbis solem vsque ad tempus, &c.* Sic tenebras offundit illius oculis; & cur ad tenebras recurrit, vt curaret hominem? Nouerat tenebras suis oculis offusas sibi maxime profecisse in salutem: & illis nihil simile inuenit, quo salutem procuraret aliorũ. Ait D. Chrysost. hom. 28. in Acta: *Etiam nunc ait, Ecce manus Domini super te, & eris cæcus. Quo ille adductus est signo, hoc & hunc voluit adducere.* Non destitit Paulus ad illud signum recurrere, vt salutem hominum procuraret, in quo semel ipse suam fuerat salutem expertus; notæ enim rei salutari nulla similis inuenietur, vt præ illa eligi debeat.

Actor. 13

Chrysost.

§. XVII.

Peracti facinoris monimentũ maxime accendit animos in nouum conflictum.

NVllus gladius similis gladio Philistæi putatur, vt illo Dauid armetur, cũ dicit: *Non est huic alter similis, &c.* Hic enim ab hoste sumptus semper triumphatoris oculis peractũ facinus representaret, & eius animum in similes ausus accenderet. Quippè sapienter ait D. Ennod. epist. 19. *Ignara cautionis est mens instructa victoryis; & in acie amor laudis salutis obliuio; trophæi gustus abdicare imperat lucis affectus. Sapor vitæ illos tantum possidet, qui de conflictibus venientia nulla bona didicerunt.* Equidem qui nullum trophæum gustarunt, qui nulla bona à conflictibus sumpserũt, timidi, & formidolosi descendant in certamen, necessum est. At qui gustauerunt triumphos, qui spolia cæperunt, quibus & ornãtur, & muniuntur, sic horum sensu accẽduntur, vt intrepide, & (si fas id sit dicere) temerarie nouis sese immisceant prælijs. Quo aspiciens notabat, 1. Machab. 3. *Cognouit Iudas, & exyt obuiam illi, & percussit, ac occidit illum, & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt, & accepit spolia eorum, & gladium Apollony abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.* Obtruncati Apollonij gladium accepit Iudas, quo deinde semper ad pugnam accedebat. An quia deficerent gladij alij Iudæ, ante, & postquam Appollonium percuteret? Absit; plures enim gladij, & validissimi tanto viro suppetebant; sed nullus similis huic, qui vt gustum trophæi peracti renouabat, accendebat animum, vt valentius in nouum certamen se conferret. Quod spectant illa verba: *Pugnans in eo omnibus diebus*, quippe in tali gladio non quiescebat, non somno indulgebat, sed semper inde fectibiliter in pugna erat.

D. Enn.

1. Mac. 3

§. XVIII.

Non parua virtus aduenit gladijs, armisve ex benedictione Ecclesiastica, consecrationevè.

DIcebatur vnus esse Philisthæi gladius Deo sacratus in tabernaculo, quem sibi dari postulat Dauid, quasi ille omnium esset præstãtissimus. Dicit enim: *Non est huic alter similis.* Et cur cum panem sacrum propositionis, postulabat, de illo non dixit: *Non est huic alter similis*: quod dixit de gladio sacro? In panis specie præuidebat panem viuificum Eucharistiæ, qui virtute, & gratia, & sanctitate longe illos propositionis panes superabat; in gladijs autem ea erat summa eorum sanctitas, & virtus, quod essent Ecclesiastica benedictione Deo sacrati, ex qua sola eam ebibebant virtutem, qua se efferrent super alios gladios. Hinc 2. Machab. 15. ait: *Extendit autem Ieremias dexteram, & dedit Iudæ gladium aureum, dicens: Accipe gladium sanctũ munus à Deo, in quo deycies aduersarios, &c.* Quæ verba explicans noster Gaspar Sancius quæstionem excitat, cur datus gladius dicatur aureus? Nonne auri materia in aciem deducta maxime flexibilis est? Quid ergo aurum conducat ad duritiem, & virtutem gladio necessariam? Fateor flexibilem esse aciem auri, sed ideo qui dixit gladium aureum, addidit & sanctum, hoc est, Deo sacratum, & dicatum; ex diuina autem benedictione, & consecratione tanta virtus aduenit, vt vel aurum pro chalybe sit, & possit fortissimos quosque debellare. Cui excogitationi lucem addunt verba Nazarij in Paneg. Constantino Imperatori dicto: ait enim: *Inuadis primus aciem, solus irrumpis. Obumbrant euntem telorum irriti iactus; sonat ictibus vmbo securus. Fulget nobilis galea, & coruscat luce gemmarum diuinum verticem monstrat. Auro clypeus, auro*

2. Mac. 15

Nazar.

arma

arma collucent. O quantam vim possides virtus, quæ in hoc habitu plus terroris præferas, quam decoris. Expende ab illis: *O quantam vim possides virtus*; quippè, quod aurea arma terrorem hostibus incutiant, & præualeant aduersus illos, hoc de ingenti virtutis vi potest venire. Tanta est virtutis, & sanctitatis vis, quæ vel in auri delitijs insuperabilem valentiam constituat. Aiebat Isaias, cap. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, &c.* Quæ verba sic sonant apud D. Cyrill. Alexand. *Die illo inducet Deus gladium sanctum, & magnum, & fortem super draconem serpentem fugientem, super draconem serpentem tortuosum, & interficiet draconem.* Vide adversus draconem, qualem gladium paret, nimirum *gladium sanctum*; qui vt sanctus est, vt benedictione, & sanctitate donatus, & durissimus redditur, & validissimus ad debellandas contrarias potestates.

Isai. 27.

Cyr. Al.

§. XIX.

Fallaciæ, & mendacia apud potentes seculi præualent.

NOn possum non ponderare Dauidis astutiam; dum fugit à Saul, Abimelechum summum Sacerdotem adit; & multa fingit, vt scilicet veniat à Rege missus in rem arcanam, vt Regis imperium de peragenda re vrgebat, & post tot conficta, & escas, & armas petit, & accipit, ait enim illud: *Da mihi eum.* Et cur, vt à Sacerdote Summo acciperet cibos, & arma, ad tot fictiones, & fallacias confugit? Cur potius tanto viro non prodidit rei veritatem? Nonne proprium est præstantis viri dolere innocentis calamitatem, eique auxilium præstare? Cur maluit celare miseriam suam tot mendacijs? Nouerat palatinus homo, quam fortunatiores sint fallaciæ, & mendacia ad commouendos potentum hominum animos; & ideo dissimulata veritate confugit ad officiosa mendacia, quæ potentissima sunt ad extorquenda officia à potentibus sæculatibus. Ait D. Paul. Actor. 16. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis, diuinando, &c.* Erat itaque Pythonissa puella, quæ diuinando ingentia lucra reportabat, illaque dominis suis dabat. Et scire cupis, qua arte diuinus hic diabolus in puella tot diuitias congerebat? Vna hac arte vtebatur, per modum diuinationis multas fallacias, & mendacia multa faciebat, quæ à potentibus, & diuitibus ingentia extorquebant donaria. Ait D. Aldhelmus epist. de Virgin. cap. 11. *Pythonissa per Spiritum falsitatis friuola vaticinatur, & ob hoc sumptuosas procerum opulentias affluenter cumulans, gazasque quæstuum delicioſas affatim locupletabatur.* Fribolis, & falsis narrationibus vtens apud mundi proceres, eorum crumenas exhauriebat. Qui, vt tenacissimi sunt ad veritatem, sic profusissimi sunt ad falsitates, & mendacia. Si vera dicas, in veritatemque velis potentem aliquem mundialem trahere; nihil proficies, nec vllam apud eum habebis gratiam; dimitte vera, curre ad falsa, propone inania, & friuola, plena mendacijs; & ad te trahes totos diuitum mũdialium thesauros. Huc trahe dicta Tom. 3. de Christo Figurato lib. 7. cap. 11. §. 13. & Tom. 3. de Euang. lib. 14. cap. 2. §. 5.

D. Paul.

D. Aldh.

1. *Reg.* 21. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa, & venit ad Achis regem Geth, dixeruntque serui Achis ad eum, cum vidissent Dauid; Nunquid non iste est Dauid rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes; Percussit Saul mille, Dauid decem millia? Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth.

§. XX.

Ab Eucharistia esurienter accepta habet homo fœliciter dirigi in salutem.

AD infensissimum hostem regẽ Gethæorum

rum Dauidem migrantem non semel miratus sum; vnde enim homo prudens refugium ab hoste sperare poterat, quod non inueniebat in amicis? Dicit namque: *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa, & venit ad Achis regem Geth.* Salianus noster, ne credat id temere factum, putat prius consultum oraculum diuinum, ex quo, vel inter hostes fœlicem arripiebat Dauid viam. Sed mihi fœlicitatis eius in via illa causam nō obscure indigitant textus verba dicentia: *Fugit in die illa, & venit ad Achis:* In qua die? Nempe in die, qua famelicus accessit ad Achimelech, & famis necessitate ductus sacros propositionis panes accepit, esurienterque comedit. Sacer enim ille panis, vt viuifici panis corporis Christi typus, sic esurienter acceptus hominem in vijs suis faciebat felicem. Quo spectans D. Zeno lib. 3. serm. 23. monebat: *Cœleste prandium, vt saturi semper, ac fœlices esse positis, esurienter accipite.* Quasi nunquam non in viam felicem abeant, qui esurienter pabulum diuinum accipiant. Nec lōge abhoc abest locus ille, 1. Petri, 1. nimirum: *Quasi modo geniti infantes rationabile, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Vbi Eucharisticus cibus non immerito putatur rationabile lac à nostro Turriano, & Salmerone; & de eo sumpto dicimur directi in salutem; nostrique gressus, & progressus effici salutares. Sed illud expendendum, quod ad hoc, vt in salutem gressum faciamus, non tam monemur edere, aut sugere lacteum Eucharistiæ cibum, quam concupiscere. Et cur non tam ad esum, quam ad desiderium, & appetitum eius cibi incitamur? Tunc in quolibet cibo quid salutare spectatur, cum auide, & esurienter accipitur; tolle à comedente appetitum, tolle famem; & nihil in eo citius apparet, quâ infirmitas. Vt ex tunc credantur iam progressus fieri in salutē, quādo auide, & esurienter cibus accipitur. Sic ait D. Nyssen. orat. 4. de Beatitudinibus: *Hoc restitutæ sanitatis est signum, quod non amplius coacti, & inuiti, sed cupide, & cum appetitu cibum summant.* Crede mihi ex quo Eucharisticum cibum auide, & esurienter accipis, non paruos facis progressus in salutem: tibi salus, & vita, & prosperitas omnis applaudit; cum primum cibum cœlestem edis cum esurie. Aiebat Sponsa, Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* Siue, vt legit Nyssen. *Sub vmbra eius desideraui, & sedi.* Ostendit prius, vt desiderauerit, & appetierit sub vmbra viui ficæ arboris esse; & post illud desiderium, quasi secura iam sederit. Vt dicat D. Nyssen. hom. 4. in Cant. *Non aliàs licet vmbra arboris vitæ refrigerari, quam si cupiditas ad eam deduxerit animam.* Ecce tibi, vt ex fame, & appetitu ad viuificum cibum habet homo refrigerium inuenire salutare. Arbor enim vitæ Christus Dominus refugium parat illis, qui esurienter eius fructum capiunt.

D. Zeno.

D. Nyss.

Cant. 2.

Nyssen.

D. Nyss.

§. XXI.

Cibus Eucharisticus regium splendorem præbet.

VIx ingressus est Dauid Achis aulam, & statim cæpit rex ab aulicis prædicari: *Dixerunt enim serui Achis ad eum, cum vidissent Dauid: Nunquid non iste est Dauid rex terræ?* A nemine antea Dauid rex nominatur; & si enim vnctus à Samuele erat, id secretissime factum fuit, nec vulgo notum. Et licet in triumpho de Goliath auderent fœminæ illum Sauli præferre in facinoribus, at eius regnum nemini patuit. Quando ergo in tanto facinore nec rex dictus fuit; cur modo fugitiuus à suis, & in abiecto fugitiui habitu rex prædicatur? In quo eius regia virtus euidentior modo apparuit? Et si modo profugus veniebat Dauid, tamen sacros propositionis panes manducarat; & quando cœlestis mensa regiam in nobis virtutem non acuit? Plane de Eucharistico poculo locutus D. Chrysost. homil. 45. in Ioann. aiebat: *Hic sanguis facit, vt imago in nobis regia floreat; hic sanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam semper nutrit, languere non sinit:: Qui huius sanguinis sunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & supernis virtutibus commorantur, ipsam regiam Christi stolam induti, spiritualibus armis muniti. Sed nihil dixi, imo ipsum induti sunt regem.* Itaque ab Eucharistico cibo, & potu florentior fit in nobis regia imago; imo ipsum in nobis regem viuidissime representamus; ne miremur, quod regius splendor inde, vel cæcis pateat. Quo spectans D. Prosper. 2. de Promiss. cap. 34. *In suis interfectoribus sacrum eis sanguinem propinauit bibendum, quo regiam susciperent dignitatem.* Extulit equidem Dominus hanc

Chrysost.

D. Prosp.

viuifi-

viuificam mensam, quæ regiam in nobis transfunderet dignitatem. Sic Apocal. 1. *Dilexit nos, & lauit nos sanguine suo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & patri suo.* Apoc. 1. Expende ordinem, prius sanguine suo nos lauit, & post, regnum fecit, desumpto enim eius sanguine regia ornamur dignitate. Rupert. ibi: *Non ad seruitutem nos emit tam caro precio, sanguine suo, sed vt faceret nos regnum*: quippe de tanto sanguine non nisi regia dignitas possit comparari. Zachar. cap. 6. dicebat Dominus: *Facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech.* Zac. 6. Sic in capite Iesu non corona, sed coronæ multæ ponuntur. Et cur coronæ multæ? Quia multi sunt, qui eius sanguine sumpto regias dignitates acceperunt. Ex quo Rupert. lib. 1. in cap. 1. Apocal. *Verè ergo Domine Dominus noster, admirabile est nomen tuum, quia gloria, & honore admirabili coronasti hunc principem regum, tot coronis, quot vel quantis ex regibus constat hoc regnum, in quo omnes, qui eius sanguine sacrati sunt, splendidi reges sunt.* Vide, vt ab epoto viuifico sanguine vniuersi purpurascant, & in reges abeant. Ne mireris, quod post Eucharisticam mensam Dei serui reges appareant. Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut dispposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Quæ verba sic expendit Euseb. Emiss. ibi: *Sic, inquit, ego dispono, & vobis Ecclesiæ regnum trado, sicut & pater meus mihi illud dispposuit, vt mea vice illud regatis, & super mensam meam edatis panem verum, qui de cœlo descendit, & bibatis calicem noui testamenti.* Sic semper Eucharistica mensa iuncta est regno.

Rupert. Luc. 22. Euseb.

§. XXII.

Omnia subiacent illi, qui de validissimo triumphauit.

EXaminandum venit illud Dauidis agnomẽ, quo rex terræ dicebatur; aiunt enim Gethæi aulici: *Nunquid non iste est Dauid rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, Dauid decem millia?* Cum vocant Dauidem regem terræ, non Israeliticum solum regnũ malunt denotare, in quo etiam sciebant non Dauidem, sed Saulem regnare. At latissimum quoddam imperium ostendere amant, quod pene ad vniuersos regionis illius fines extendatur. Et cur à Gethæis istis dicatur Dauid rex terræ, quando nec vnius minimi oppiduli dominus erat? Plane in Dauide spectabatur triumphus ille cantatissimus de Goliath reportatus, ex quo, vt apud Israelitas fœminas Saule fortior, & præstantior cãtabatur; sic apud Gethæos vicinos hostes totius terræ dominaturus credebatur. Vbi enim fortissimum Gethæorum debellatum à Dauide viderũt, simul illi iam vniuersam terram subiectam deplorabant. Erat equidem ex vno triumpho communis apud Israelitas cantus: *Dauid decem millia*; & apud Gethæos ploratus. *Dauid rex terræ.* Nihil enim non creditur subiacere, ei, qui de fortissimo triumphauit. Huc adduco singulare certamen, quod Geta quidam dux confecit cum Gallis, de quo Sidon. Apoll. car. 6. in Paneg. Auiti locutus ait:

Et caput hoc, sibimet solitis defessa ruinis Sidon.
Gallia suscipiens, Getica pallebat ab ira.
Nil prece, nil precio, nil milite fractus agebat
Aetius; capto terrarum damna patebant
Victorio, in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum, nec erat pugnare necesse
Sed migrare Getis.

Ecce tibi in fortissimi sui ducis debellatione, vt pallet Gallia; vt victori iam terrarum omnia patere dicuntur, & vsque ad fines regionis extẽdi imperium illius. Plane terrarum Dominus habetur, qui vicit fortissimum in illa. Quo spectans Isaias, cap. 16. clamabat: *Emitte domine agnum dominatorem terræ de petra deserti, &c.* Isai. 16. Et mirabar, quod Agnus dicatur dominator terræ; qua enim Deus erat Iesus, dominium habebat orbis terrarum; at qua Agnus erat mortalis, vix Israelis ditionem perambulauit. Vnde ergo dicatur Agnus vniuersæ terræ fuisse dominatus? Rationem tanti dominatus inuenio apud D. Augustin. tract. 7. in Ioann. fantem: *Sanguine agni victus est Leo*: quippe fortissimo terrenarum bestiarum leone de victo per Agnum, illius imperio tota apparuit terra subiugata. Vnum scio; quod Agnus diuinissimus leonem cruentissimum debellauit, nimirum diabolum terræ crudelissimum tyrannum deiecit, ex quo & Dominus, & rex vniuersæ terræ prædicatur. Crede mihi, si fortissima quæque deuiceris, omni terræ dominaberis. Ait Iosue, ca. 12. *In illo tẽpore venit Iosue, & interfecit Enacin de mõtanis Hebrõ, & Dabir, & Anab, & de omni mõte Iuda, & Israel, vrbesque eorum* Iosue, 12. *deleuit.*

D. Aug.

delenit. Non reliquit vllum de stirpe Enacin, in terra filiorum Israel, absque ciuitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus solum relicti sunt. Capit ergo Iosue omnem terram, &c. Et meritò ex quo ostenditur à Iosue debellatum validissimum gygantum genus; asseritur illi vniuersa terra subiugata; nullus enim erat in terra, qui eius iugum valeret detrectare. O quàm dominaberis tu terræ carnis tuæ, si validissimum in illa tyrannum debellaueris! Quo poteris adducere dicta Tom. 3. de Christo Figur. lib. 7. cap. 13. §. 16.

1. *Reg.* 21. Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos, vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An de sunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, vt fureret me præsente? Hiccine ingredietur domum meam?

§. XXIII.

A mẽsa Eucharistica ad maiora semper progrediendum est nobis.

SCio præfixis verbis explicari insaniæ signa, ad quæ confugit prudentissimus Dauid, vt Philisthæorum manus effugeret; in eis tamen D. Augustinus totum agnoscit mysterium Eucharistiæ celebratum à Dei filio. Quippè ait textus: *Immutauit os suum coram eis.* Septuag. posuerunt: *Immutauit vultum suum.* Quid est, immutauit vultum suum? In Dauide erat, quod cæpit oculos distorquere, & totam vultus effigiem efferare, vt contingit in arrentitijs, & insanis. In Christo autem intelligitur sacrificiorum mutatio, vt facierum panes Aaronici mutabantur, in supersubstantialem Christi panem. Quo forsam spectat hæbræa lectio apud Caietan. aiens: *Mutauit saporem suum*; quasi mutatio esset epularum, à carnalibus cibis ad cœlestes, & spirituales. Ait D. Augustin. in Psalm. 33. con. 2. *Coram ergo regno patris ut mutauit vultum suum, & dimisit eum, & abijt; quia erat ei sacrificium secundum ordinem Aaron, & postea ipse de corpore, & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech.* Is est enim filius Dei, qui nesciat non progredi ad maiora; gustatis enim Aaronis sacrificijs, altiorem corporis, & sanguinis sui mensam excogitauit. Nenos in Eucharisticæ mensæ epulis immoti hæreamus, sed inde mutationem vitæ quæramus, & ad altiorem festinemus gratiam. Ioann. 13. discubuit Iesus cum discipulis suis, vt agnum paschalem ederet, in qua mensa simul & Eucharisticum panem suis; & calicem ministrauit. Dicit tamen textus: *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, &c.* Recumbebant omnes discipuli in mensa cum Iesu; sed præter hoc vnus ille amauit & in sinu Iesu, & supra pectus eius recumbere. Et cur à mensæ discubitu ad discubitum diuini pectoris transit? Cur non magis Eucharisticæ mensæ hæret attonitus tantæ gratiæ? Equidem dignissimus epulator, inde id summit audaciæ, vt nesciat quiescere, sed ad maiora, & diuiniora transeat, & quod de ferculo hausit, illud tentabat haurire de corde patris. De illo ait D. Ennodius epist. 144. *Ille auidissimus epulator Ioannes, cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet sinu, et pectus Domini, & de arcano eius biberet diuina secreta; eructauit, In principio erat Verbum, &c.* O præclara vultuum mutatio! Ex discubitu mensæ paschalis ad sinum patris perpes aguila euolauit. Sedens ad mensam cum principe, non solum cogitauit talia præparare, sed totum diuinitatis arcanum contemplabatur. Nec sibi iam sufficere paschalis mensæ panem credebat, nisi & horrea haurire diuinitatis. Aiebat Sponsa, Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me rex in cellam vinariam, &c.* Modo viuificifructus dulcedine pascebatur; sub vmbra vitæ arboris sedens fructus decerpebat, quibus vescebatur: & subito ad totam cellam vinariam transit. Cur ad cellam? Cur non magis ad vitem, seu ad botrum, seu ad poculum? Proh dignissima cœlestis mensæ epulatrix! Ex quo fructum viuificum decerpsit, ex quo succum precioſi calicis gustauit, nescit quiescere, nisi

Caiet. Aug. Ioann. 13 D. Enn. Cant. 2.

ad

ad totam plenitudinem transeat. Pulchrè
D. Nyss. ait D. Nyssen. hom. 4. in Cant. *Vsque adeo autem augetur sitis, vt è sapientiæ cratere non hauriat, neque ad sedandam sitim satis esse putet, si totum craterem in os infundat: sed rogat, vt deducatur ad ipsam cellam vinariam, & ipsis torcularibus os subiyciat, & dulce vinum scatens aspiciat, botrumque, qui exprimitur in torcularibus, & vitem illam, quæ hunc botrum alit, & veræ illius vitis agricolam, qui adeo opimum, & suauem efficit botrum.* Sic bona non contenta est poculis, sed ad altiora, & præstantiora transit; vt de ipsa bibat plenitudine diuinitatis.

§. XXIIII.

Dei dona non minuuntur, nec perduntur communicatione.

ALiud amentiæ signum in Dauide erat illud: *Collabebatur inter manus eorum.* Quæ verba sic ex quadam versione Itala reddit D. August. in Psal. 33. *Ferebatur manibus suis*, & rem ad Christum refert,
D. Aug. qui manibus suis se ipsum sub specie panis ferebat, & communicabat. Sed quando vulgata inter aliorum manus collabentem meditatur; cur Augustinus non in aliorum manibus, sed in suis esse monstrabat? Quomodo in suis manibus erat, si per aliorum manibus collabebatur? Equidem & in suis, & in aliorum manibus est Iesus nobis communicatus; habent enim hoc dona diuina, quod & si alios impleant, manus largitoris minime vacuant. Ecce tibi, 4. Reg. 2. vbi Elias rapiebatur in cœlum,
4. Reg. 2. dimisit pallium Elisæo, de quo ait: *Et leuauit pallium Elia, quod ceciderat ei.* Sic bonus pallium suum relinquebat, & sine pallio in cœlum rapiebatur. Verum Iesus iturus in cœlum ait ad suos: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Non pallium, sed se ipsum relinquendum iturus in cœlum promittit. Et quando iturus est, quomodo se etiam promittit mansurum? Sunt ea dona diuina, quæ largitori maneant integra, etiam si per alios videantur diuisa. Quo spectans D. Chrysost. hom.
Chrysost. 2. ad Popul. Anth. ait: *Helias melotem quidem discipulo reliquit. Filius autem Dei descendens, suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Vide Heliam ascendentem, vide etiam ascendentem Iesum; vterque aliquid reliquit discipulis; Helias pallium suum, Iesus carnem suam. Sed Helias ascendit sine pallio, quod dedit discipulo, & iuit nudus ipse, vt suum Elisæum vestiret; Iesus autem quam nobis reliquit carnem, secum etiam tulit: secum ferebat corpus, quod nobis edendum reliquit. Sunt enim talia dona diuina, quæ nobis præstita non minuantur largitori, sed illi maneant integra. Sic
Æsdr. 2. 4. Æsdræ, cap. 2. dicit: *Vidi in montem Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas.* Et vt explicaret præstantiam iuuenis tot coronas porrigentis, dicit statim illum esse filium Dei. Verum Zachar. cap. 6. ait Dominus: *Facies coronas, & pones in capite Iesu, &c.* Com-
Zach. 6. pone modo Zachariam & Æsdram; apud Zachariam Iesus filius Dei ostendebatur coronas accipere, illasque in proprio capite tenere; apud Æsdram autem idem ipse Iesus filius Dei proponitur multorum capitibus coronas imponens. Si ergo coronas ipse alijs imponebat; quomodo & coronas in se ipse tenebat? Vt enim coronæ turbarum illarum de dono filij Dei veniebant, sic minime in filio Dei minuebantur, sed totæ, & integræ illi manebant. Ait Rupert. lib. 2. in Zachar. *Facies coronas, & pones in cap. Iesu, quia videlicet per singulas virtutes electorum suorum*
Rupert. *Dominus coronatur, imo in illis omnibus coronatis, saluator in singulis coronas accipit, quia videlicet ipsius gratia, ipsius est opus omnis omnium sanctorum corona.* Quia nimirum omnium coronæ opus sunt, & donum Iesu saluatoris, illas ipse in se habet: quæ enim Dei dona sunt, sic alijs dantur, vt ipsi largitori integra maneant.

§. XXV.

Operositas auspicata est, vel ad cœlestem aulam occupandam.

INter insaniæ signa à Dauidis simulatione peracta, illa inuenio omnibus ad aulam tendentibus auspicata; quæ ex lectione D. Augustin. in Psalm. 33.
D. Aug.

possunt annotari. Vbi noster dicit: *Collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia porta.* Et ait Augustinus. *Ferebatur in manibus suis, & affectabat, & tympanizabat ad ostia*; siue, vt alij legunt: *Delineabat ad ostia.* Et, vt credo omnia ista faciebat. Sic enim se amentem ostendebat, vt interea nollet vacare manibus, sed illas simul & semel ad multa applicabat; manibus namque ad solum deiectis ambulabat instar quadrupedis; ad ostia erectis tympanizabat, & varias ibi figuras delineabat, literasque scribebat. Quanta hæc operositas in insano? Plane qui ad tot opera manus applicabat, fallar nisi quid faustum, & auspicatum vergentibus ad aulas monstrabat. Tãta enim est operositatis vis, vt vel illa nos faciat tutissime in cœlestibus aulis commorari. Eò refero illud Prouerb. 30. nimirũ: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regum.* Non perpetibus alis per inane volãtibus, sed operosis manibus aulæ patent; quorum in multis manus inueniuntur, ij auspicium habent ad occupandas aulas. Parum dixi; ij enim, vel cœlestem aulam occupabunt. Pulchre rem explicat D. Greg. lib. 6. Moral. cap. 5. fatus: *Plerumque enim aues, quas ad volatũ penna sublenat, in vepribus residet; & stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, regis ædificium tenet: quia nimirum sæpe ingenioſi quique, dum negligentia torpent, in prauis actionibus remanent; & simplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regis mania virtus operationis leuat.* Quid pulchrius, & in humanis, & in diuinis? Vidi floridissima ingenia subtilibus discursibus scientiarum thesauros penetrantia, & interea tenui, abiectoque loco teneri; eo precipue tempore, quo tardiora alia ingenia leges ferunt, Aulis regalibus dominantur. Vnde hæc? Illis sunt perpetes alæ, sed nullæ manus, nulla operositas, nulla actiuitas, & ideo inhonoræ iacent. His non sunt alæ; sed sunt manus; vigent notissima operositate, & actiuitate, qua nõ cessant ostia potentium pulsare, ibi tympanizare, & multa scribere importune, & opportune; queis tandem norunt se aulis insinuare. Hi à sapientibus dementes habentur, cum cernũtur repere ad ostia potentum, ibique tympanizare, & scribere, & patienter cadere: sed tandem per ea Aulis dominantur. Nec non id in via virtutis apertissime clare; in qua multi ingenioſi, & sapientes viri, dum negligentia torpent, misere iacent; simplices autẽ virtute operositatis vsque ad æterna leuantur palatia. Ex Genes. 3. memini, vt Adam eiectus è paradiso in arentẽ terram fuit: *Emisit eum Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terrã, de qua sumptus est.* Genes. 3. Ar Paulus, 2. ad Corinth. 12. de se dicebat: *Scio huiusce modi hominem, (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quoniã raptus est in paradisum, &c.* 2. Ad Corinth. 12. Et Paulus tunc temporis longe inferior erat Adamo in sapientia, & scientia; contigit enim illi raptus iste in principio conuersionis suæ. Verum Adam in omni sapientia sua non se conseruauit in paradiso, sed ad terram senticosam, tribulis, spinisque plenã reiectus est; Paulus autem in Paradisum receptus. Et cur Adamus extra paradisum ponitur inter spinas; & Paulus ad paradisum admittitur? Adamus constitutus fuit paradisi Dominus, & colonus, vt operaretur, & custodiret illud. Ipse autem ab omni opere superſedens, vnum tantum fecit, vt comederet de vetito fructu, ne miremur, quod adeo inactuosus sapiens moretur in vepribus, dum Paulus multa operãs incolit paradisum. Vt dicat D. Chrysost. hom. 2. ad Popul. *Quando illaboriosam vitam agebat Adam, paradiso excidit. Quando laboriosam, & arumnosam Paulus agebat vitam, in labore, & arumna noctem, diemque operans, tunc in paradisum raptus est, & tertium in cœlum ascendit.* Chrysost. Sic operositas dat cœlestes aulas, quas inactuositas perdit.

CAPVT VIII.

Dauid in spelunca Odollam.

Textus Historia.

DIMISSVM A Gethæorege Dauidem duorum dierum iter deduxit in specum ex nomine Odollam cantatissimũ; ex tunc maxime nobilitatum tanti viri salute. Erat specus in tribus Iudæ ditione, cuius vicinio commoditas fuit latenti cõmonere suos; aduolant illi, parentes fratres, propinqui, & odium Saulis fugientes, & tanti fugitiui adorantes fortunam. Quæ vt tunc temporis in angusto erat, sic vltra cognationem progressa traxit etiam ad Dauidem multos ære alieno oppressos, & alijs calamitatibus afflictos. Quadringenti iam viri numerabantur Dauidis sotij, nec inualidi, sed illorum plures è tribu Gad

Gad & prudentia, & viribus præſtantiſsimi. Quippè ait, 1. Paralyp. 12. *Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauidem, cum lateret in deſerto viri robuſtiſsimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & haſtam, facies eorum, quaſi facies Leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus.* 1. Pal. 12 Tantam manum prouiderat Deus athletæ ſuo, quæ ualeret de inimicorum ſpolijs quærere alimenta vitæ, & triumphare de amicorum inſidijs. Vbi autem Dauid tot fortibus uiris ſe uidit munitum; vt illis expeditius uteretur, cæpit cogitare de grandæuis parentibus ſuis, cæteraque imbelli turba, ne in peius irent nigro detenti carcere ſpeluncæ. Quibus ſatius conſultum putat, ſi credantur amico alicui Principi. In prōptu erat Rex Moab, cuius ſub tutela non infeliciter poſuit Dauid, & parentum ſenum, & imbellis turbæ curas. Interea cum ſocijs ab ſpecu egrediēs ipſe princeps de Moabitarū hoſtibus frequentes agebat triumphos; quorū in ſpolijs ſuorum annonam conſtituerat. Creſcebat in dies tanti ducis fama, & ſotiorū augebatur numerus; non parua enim manus fortiſsimorum de Beniamin, & Iuda viſa eſt conuenire. Quibus obuiam proceſsit Dauid exploraturus, an ſub amicitiæ nomine, laterent inſidiæ. Et tanta uiri comitas fuit in excipiendis illis, quæ & ſi inueniret hoſtes, faceret amiciſsimos. Reſpirare iam Dauid, vt in fuga, & quieſcere, vt in rebus turbulentis videbatur, cum ecce tibi à Deo nuntius Gad propheta, qui hominem in apertiorem campum producit. Iuſſus eſt Dauid Odollam præſidium relinquere, & in terrā Iuda deuenire; cuius vbi triuit ſolum, quis neſciat quantas excitarit Saulis iras? Vel Dauidis nomine tranſfoſſus rex impius vocata ſuorum contione multus eſt in explicando, vt contemptus videatur à ſuis, vt omnes morē gerant Dauidi, quaſi ſinguli ab illo gloriam acceptūri, vt nemo inueniatur, qui deſpecti regis doleat vicem, nec moneat, qua poſsit tātus perduellis reperiri. Adhæc Idumæus ille Doeg adſtat Regi, cui malicioſe exponit Dauidem à ſe viſum acceſsiſſe ad Achimelechum Sacerdotem, ab illoque, & cōmeatum, & arma ſumpſiſſe. Nec mora; vocatus Achimelech Sacerdos, regis ſuſtinet iras, & in mortem rapitur â Doeg, qui ſolus de vniuerſis Saulis miniſtris auſus eſt Dei ſanctos interficere, adeo crudeliter, vt interemptis omnibus, ciuitateque Nobe ſolo æquata, vnus Abiathar euaderet, qui feſtinatò confugit ad Dauidem.

PARS MORALIS circa textus literam.

EGREDITVR In arenam Dauid Dei iuſſu; aduerſus quē minime prēualere poterit Saul, vt qui à ſanguine Sacerdotum incipiat. Quis enim regum fœliciter agat, cuius in primis greſsibus floret impietas?

1. *Reg.* 22. Abijt ergo Dauid inde, & fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cum audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſsi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri. Et profectus eſt Dauid inde in Maſpha, quæ eſt Moab, & dixit ad Regē Moab, Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiſcum, &c.

§. I.

Diuini ſpiritus eſt, quod tuis conſulas in primis.

VBi Dauid præſidium ſibi inuenit in ſpelunca Odollam, nil prius curauit, quam parentibus, fratribus, & cognatis à Saule affligtis proſpicere. Ait enim: *Fugit in ſpeluncam Odollam. Quod cum audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius deſcenderunt ad eum.* Audierunt, credo, nō ex alio, quam ex ipſo Dauide, qui, teſte Ioſepho, eos commonefecit de ſuo aduentu, & ſpeluncæ aſyllo, in tantum eis conſulēs, vt etiam regem Moabitam adiret dicens: *Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiſcum, donec ſciam, quid faciat mihi Deus.* Nil prius bonus curabat, quàm vt poſsit ſuos aſſerere in tuto. Sanè in hoc maxime inclinat

clinat diuinus Spiritus, vt tuis præ alijs prospicias. 14. dicitur: *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorũ Sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad Legis peritos, & Pharisæos dicens; Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt: Ipse vero apprehensum sanauit eum.* Et mirabar, quod Iesus nõ magis ad Sabbathũ attenderet; de eiusque sanctitate aliqua diceret, informans saltem circumstantes, vt non frangebatur Sabbathi religio in curando homine. Cur nõ differt tantisper hominis salutem, dum hæc de Sabbathi religione differit? Nonne sibi diem Sabbathi sacratũ habebat? Equidem habebat suum diem Sabbathi, sed vt magis suos ostenderet homines, sic prius illorum attendit incolummitati & saluti. Aiebat *Sedul.* Sedulius lib. 4. Pascal. cap. 13. *Vidit hominem falso crasitudinis tumore distentũ, cuius aqua redundante perspicuus vtris putabatur esse, non vterus; prægnansque cutis necem parturibat inclusam. Ita macies vbique dominata totum hydropem in album turgidam congregabat. Non tulit mundi pater hanc speciem se præsente consistere, suaque Sabbatha, quæ tunc aderant, non curauit, hominem festinans curare, quem suum magis esse desiderat.* Itaque cũ duo coram proposita essent, & Sabbathi religio, & hominis salus; Iesus altero prætermisso, ad illud citius festinauit, quod magis suum sciebat, nimirum ad hominem eripiendũ hydropi. Vt scias, quàm veniat de Dei Spiritu, vt in primis habeas tuorũ salutem. Sic Luc. 1. dũ Zacharias à se præcursorem Christi oriturũ diffidit; ait An- *Luc. 1.* gelus Domini: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quæ hæc fiant, pro eo, quod non credidisti, &c.* Vox eripitur Zachariæ, & fit mutus; sed hæc infirmitas tollenda dicitur die ipso natiuitatis Ioannis. Et cur incredulitatis pœna ita differtur vsque ad Ioannis ortũ, vt minime amplius durare permittatur? Crediderim id factum esse, vt Ioannes munus benefaciendi à suis *Chrysol.* inciperet. Ait Chrysol. serm. 80. *Egreditur pontifex gestans in ore sterilitatis indicium, vt cum mater pareret filium, daret filius vocem, tunc verbi pater ederet Sacramentum, & daret ante natus patri veniam, quam dilueret crimina vetusta populorum.* Sic amat Deus, vt quis à suis salutaria incipiat. Quo trahẽda dicta, Tom. 3. de Christo Figur. lib. 7. cap. 4. §. 17. & Tom. 1. in Euang. lib. 1. cap. 8. §. 6. & lib. 4. cap. 5. §. 19. & Tom. 3. lib. 15. cap. 3. §. 9. & ca. 9. §. 17. & Tom. 4. lib. 16. cap. 20. §. 3. & alibi.

§. II.

Miles non à diuite, & pulchro ornatu, sed à ferri duricie.

VIde, cantatissimi ducis qui fiant milites, nimirum ait: *Et venerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, &c.* E depauperatis, & afflictis hominibus victricia Dauidis agmina constituuntur. Sed de ijs agens, 1. Paralyp. 12. ait: *Transfugerunt ad Dauidem, cum lateret in deserto viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam, facies eorum quasi facies leonum.* Compone modo hæc cum illis, vtrobique enim agitur de eisdem; vt multis probat Abbulensis. In præsenti dicuntur Dauidis sotij angustiati, depauperati, ære alieno oppressi; in Paralyp. dicuntur robustissimi, pugnatores optimi, tenentes hastam, & quasi leones. Quomodo in tanta paupertate tanta valẽtia? Equidem valentia militis nõ à diuite ornatu, sed à nudo ferro desumitur. Ex quo sapienter extollebat Maioranum Augustum Sidon. Apollin. in eius Panegyr. inquiens: *1. Par. 12*

---------- *In bella mariti* *Sidon.*
Dum venit à Pharios dotalis turba Canopos,
Cum patrio Cleopatra ferox circumdata sistro
Milite, vel piceo, fuluas onerata carinas
Dorida diffuso premeret Ptolemaide Gaza.
Hoc tu non cultu pugnas, sed more priorum
Dite magis ferro.

Quippè, qui Victor, qui Augustus dicendus erat, non in militum coloribus, non in ornatu diuite, sed more priorum in ferro nudo ductabat acies victrices. Quis enim in milite triumphaturo muliebres curas, in crinium flagellis torquendis, deducendis, in ornatu vestium, & splendore requirat? Audio, 2. Reg. 14. de Absalone: *Porro sicut* *2. Reg. 14*
Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis, à vestigio pedis vsque ad verticem capitis non erat in eo vna macula. Et quando tondebat capillum, (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eũ cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, &c. Sed de tam splendenti iuuene, & tanto crinium cultore dum medius ingenti exercitu pugnat, ait, cap. 18. *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo; cũque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, &c.* Et mirabar, quod in

tanta

tanta exercitus clade, in qua innumeri Iſraelitæ periere; vnus Abſalon dicatur ab exercitu declinaſſe, & ad cõdenſam quercum confugiſſe, vbi ſolus periret. Sed quid aliud in cincinnato, & culto milite videndum citius erat, quam fuga? Plane D. Syneſ. epiſt. 104. poſt deſcriptum Ioannem quemdam comptulum adoleſcentem ante bellum multa iactantem, & vel in odore belli fugientem ait: *Plurimum ſpe falſi ſumus, quam in cincinnato iſto habuimus. Tunc nihil coma vilius, turpiusve videbatur, quam vt quiſque habebat, ita primus nos maxime proditurus exiſtimabatur.* Crede mihi, nil aliud de nimis cultis, comptiſque militibus poteſt ſperari.

D. Syneſ.

§. III.

Paupertas volũtaria validiſſima, vt animi hoſtes proterat.

ERrant igitur, qui ad Dauidem conuenerant, *Qui in anguſtia conſtituti, & oppreſsi ære alieno, & amaro animo*: de quibus locutus, 1. Paralyp. 12. vt §. præcedenti vidimus, ait, quod erant *viri robuſtiſsimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeũ, & haſtam, facies eorum quaſi facies leonis.* Et qualiter eſſe poterat in viris de paupertatis, & afflictis leonium robur, & adeo pugnaces animi? An paupertas robori, & virtuti poteſt eſſe? Equidem ſi de paupertate voluntaria ageretur; facile crederem in illa eſſe ingẽs robur aduerſus cõtrarias animorum acies. Vtinam animo pauperes, & veri contemptores auri in arenam proſiliremus, fallar, niſi hoſtes humani generis maſtabimus. Repetam, quę Maiorano Auguſto dixit Sidon. Apoll. in eius Paneg. aiens:

1. Pal. 12

Sidon.

In bella mariti
Dum venit à Pharo dotalis turba Canopo
Cum patrio Cleopatra ferox circumdata ſiſtro
Milite, vel piceo, ſuluas onerata carinas
Dorida diffuſo premeret Ptolemaide Gazã.
Hoc tu non cultu pugnas, ſed more priorum
Dite magis ferro, merito cui ſubiacet aurum
Diuitis ignaui.

Non imperabat aurum Maiorano, ſed potius illi ſubiacebat cõculcandum; hinc ille non in pictis plumis, non in diſcoloribus veſtibus, non in gemmis, & ſmaragdis, ſed in nudo ferro pugnabat, & vincebat, priores illos pugnatores æmulatus. Veniebat fœminea Cleopatræ phalans multis picta coloribus, multum ſpirans aurum, & miſere cadebat. Veniebat Maioranus contemptor auri, antiquæ paupertatis æmulator, & de hoſtibus triũphabat. Proh Deus immortalis, quam hæc apta religioſis viris! Fuerunt Chriſtianorum duces Apoſtoli, qui ſub vexillo Chriſti in frigore, & nuditate, afflicti, anguſtiati, auri contemptores bellum indixerunt diabolo, & de diabolo mirifice triumpharunt. Poſt hos multi alij in idem deſcenderũt certamen, ſed in ſplẽdenti ornatu, compti, calamiſtrati, in pulchris calceis, in precioſis veſtibus, & miſere cadunt. Non ſic prudentes viri, ſed *more priorum, dite magis ferro*: quippe ferruginei, pauperes animo, contemptores, imo calcatores auri, & multos de hoſtibus norunt triumphos reportare. Et quidem Dominus aſcenſurus crucem nudus aſcẽdit; ait enim, Ioann. 19. *Milites ergo cũ crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimẽta eius, &c.* Et cur Dominus illud elegit ſupplicium, quo nudus occumberet? Nonne poſſet & veſtitus in mortem cadere, vt & multi alij, qui à iudicibus trucidantur? Ait D. Athanaſ. orat. de Paſſ. *Se aduerſus mortem ablatis veſtibus expediuit, & perſecutus eſt fugientem colubrum.* Qui aduerſus truculentum generis humani hoſtem in morte pugnabat, merito confugit ad extremam nuditatem. Quid enim fortuis nuditate, & paupertate ad hoſtes exſuflandos? Habes Iob ditiſsimum, multis plenum opibus; cũ quo tandem conflixit diabolus; filios eius occidit, ſubſtantiam perdidit, vſque dum ille diceret, cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illo.* Et quid in illa nuditate? Ait D. Chryſoſt. hom. 2. ad Pop. *Iob igitur ante hoc cum fortis eſſet, poſtquam omnia amiſit, tunc factus eſt fortior, & claram contra diabolũ victoriam reportauit.* Fortiſsimum eſt telum voluntaria paupertas aduerſus diabolum. Quod in Helia ſub paupere melote militante aduerſus validiſsimos reges, notabat Chryſoſt. vbi ſupra fatus: *Quid Helia pauperius? Sed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper hic erat, ipſam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit.* O paupertas electa ex animo, quantum vales aduerſus vniuerſas poteſtates!

Ioan. 19.

D. Atha.

Iob, 1.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

§. IIII.

§. IIII.

Apud mundiales non merita prævalent, sed casus, vel fauor.

ILlud stupeo, quod dicantur in præsenti venisse ad Dauidem; *qui in angustia constituti, oppressi ære alieno, & amaro animo*: de quibus dicat, 1. Paral. 12. quod
1. Pa. 12 erant; *viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam: facies eorũ, quasi facies leonis.* Et ij tales bellatores, leoninũ robur præseferentes, in regno Saulis erãt in angustia constituti, ære alieno oppressi, & amaro animo? Non miror; nihil enim frequentius in mundo cernitur, in curijs regum, in principum aulis, in vniuersis munerum distributionibus mundialibus. Rem suis temporibus frequentem deplorat
Nazian. Nazianzen. orat. 20. fatus: *Ille quidem inferiori sede acquieuit, humilique stat, qui sublimem promeretur, atque & multum diuque in diuinorum sermonum meditatione versatus est, & multo diuque carni leges fixit: hic cõtra superbe, & arroganter præsidet, supercilium que aduersus meliores attollit, nec thronis intremiscit, nec ex aspectu horrorem concipit, hominem continentiæ studiosum infra se videns, verum simul cum imperio sapientiorem se existimat, &c.* Erat hoc malum tunc frequens, quod sapientes, & validi humi reperent, insipientes, & infirmi thronos tenerent. Et quando hoc non in mundo frequens? Aie-
Eccl. 10. bat Ecclesiaste, 10. *Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens á facie principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terrã quasi seruos.* Hic est error cõmunissimus in mũdo; quod stulti, & inertes homines teneant loca sublimia; & quod natura serui ad ingenuorũ dignitates ascendant; per multi autẽ præstantissimi viri repant humi. Cuius rei saporem habẽt illa verba Sidon. Apoll. lib.
Sidon. 7. epist. 6. *Quin potius si requiras, ordinis res est, vt & diues hic purpura, bissoque veletur, & Lazarus hic vlceribus, & paupertate feriatur. Ordinis res est, vt dum in hac allegorica versamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Israelita cum cophino.* Sic ordinantur, & disponuntur res mundiales, vt non semper præualeant merita; quod solum est proprium regni cœlestis; mundialis autem regni est, ad merita conniuere, adeò, vt virtute præstantes, & egestate premantur & miserijs, inepti vero sint in splendore, & gloria. Aliquando optimi regni dispositio ostẽsa fuit Nabuchodonosor, Dan. 4. in arbore procera, & alta, plena fructibus, & folijs, & additur: *Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli.* Quid commendabilius in arbore illa, in regno illo? Nulla volucris non in sublimi residet; nulla bestia nõ humi cubat. Sed quam aliter in mundo? Ait
Dan. 4. Galfrid. ad locum Eccl. 10. *Pronefas, hodie sues volant in cælum, & in cæno aquilæ volantant.* In somnio, & nocte id semel accidit regi, quod omnes volucres alta tenerent, & ima bestiæ. Quod autem in luce appareat, cõtrarium est, quippe sordidissimi sues alta cœlorum tenent, & perpetes aquilæ hærent cæno. Hinc D. Ennodius traducit mundiales dignitates aiens lib. 2. epist. 14.
Galfrid. D. Enn. *Maiora sunt confessionis præmia, quam nominatæ munera dignitatis. Ad illa plerumque etiam minoris meriti personas fauor humanus adducit, ista nisi gratia supernanon tribuit.* Componit vir sanctus præmia virtutis cũ dignitatibus sæcularibus. Et has vili æstimat, quia ad illas fauor humanus minoris meriti personas eleuat.

1. *Paral.* 12. Veneruntautem & de Beniamin, & de Iuda ad præsidiũ in quo morabatur Dauid. Egressusq; est Dauid obuiã eis, & ait: Si pacifice venitis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meũ iungatur vobis: Si autem insidiamini mihi pro aduersarijs meis, eam ego iniquitatem in manibus nõ habeam, videat Deus patrum nostrorum, & iudicet. Spiritus vero Domini induit Amasai principem inter triginta, & ait: Tui sumus ò Dauid, &c.

§. V.

Non parua præstantia est viri, qui valeat sibi noxias familiaritates pellere. Vbi pulchra, de vitando congressu fœminarum.

ADuenientem nouam sociorum manũ non domi expectat Dauid, sed ei obuiam

obuiam procedit, nihil sibi noxium admissurus. Quippe ait: *Egressusque est Dauid obuiam eis, & ait: Si pacifici venistis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis; si autem insidiamini mihi: videat Deus patrum nostrorum, & iudicet.* In tanto vitæ discrimine, & in tanta paucitate sociorum, mirum est, quod Dauid se suspicio sum ostendat aduenientibus, nec in domum admittat, sed obuiam procedat, & examinet eorum mentes. Et cur maluit Dauid amice conuenientibus se suspicio sum de eorum fide ostendere? Nonne paulò ante recepit quadrigentos viros ex Gad, sine hac exploratione? Cur in ijs hæsitet, & obuiam illis procedit, nec eos expectauit domi manens? Ait Caiet. *Dubitabat Dauid, & militari libertate vtitur in primo sermone cum eis.* Vt eos Beniaminitas agnouit, de tribu Saulis regis, sic eos habuit suspectos; & militari libertate vsus illos extra domum conuenit, & audenter suspitionem suam proponit, depulsurus si noxios inueniat. Quod inter magnas Dauidis virtutes annumerari velim; non enim popularis, sed præstantis hominis est, obuiam ire suspectis, & noxias familiaritates arcere. De bono illo Iacob dicitur, Genes. 32. *Traduxitque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum fœmoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum; Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit, Non dimittam te.* Simplex vir solus erat, & aduenientis ad se viri, & ob tenebras noctis, suspecti non depellit cõgressum. Imò post luctam longam, & vulnus fœmoris adhuc nititur illum inter brachia tenere. Aliter Centurio ille, Matth. 8. dicebat, nimirũ: *Homo sum sub potestate constitutus, & dico huic; vade & vadit, & alij, veni, & venit, & c.* Quæ verba miratus Iesus ait: *Nõ inueni tãtam fidem in Israele:* In quo Israele? Putat Nyssenus, non locutum dominum de populo Israele, sed de persona Iacob, qui in lucta illa vocatus fuit à Deo Israel; cui Iacob præponitur Centurio in præsenti. Sed in quo maior ostenditur Centurionis virtus, & præstantia apud Saluatorem, quam Iacobi virtus? Expende libertatem militarem, & prudentiam in Centurione, nimirum: *Dico huic, vade, & vadit, & alij, veni, & venit;* non quemlibet apud se retinet, sed suspectis obuiat, illosque liberrime amandat, fidos allicit, & retinet. Nõ sic Iacob, qui venienti nocturnis tenebris suspecto viro, non obuiauit, sed eius expectauit congressum, & luctam, imõ, & vulnus expertus adhuc retinet. Ait D. Nyss. hom. 10. in Cant. *Iesus miratus vocem Centurionis præstulit fidei Israelis. Non enim mihi videtur conferre Centurionem cum populo Israelitico in ratione fidei; sed cum ipso Israele, qui in lucta cum aduersario, cum Dei auxilio vix euasit, ne caderet, nec abijt penitus illæsus ab aduersario, læsus enim fuit in fœmore. Hic autem Centurio regia potestate amandat id, quod est alienum, ad seiscit autem, & ad suam admittit familiaritatem id quod est sibi gratũ.* Præferenda quidem est virtus, & præstantia illius, qui regie, & libere se gerit in amãdandis malis; qui obuiam it suspectis, & noxios potestatiue depellit, solos notissimæ bonitatis viros admittens in familiaritatem. Licet enim Iacob tis, de congressu mali claudicabis, aut cades, si vt Iacob non occurris aduenienti aduersario, nec habes vim, aut libertatem, qua te expedias à nociuo familiari. Dicitur Iosue, cap. 5. *Cum esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eũ, & ait: Noster es, an aduersariorũ?* Vbi è regione vidit armatum virum ad se venire; non substitit, vt Iacob expectans congressum eius, sed vt Dauid obuiam ei procedit, militari libertate explorans hominem, repulsurus noxium, nec admissurus ad conuictum familiarem. Dixi; expulsurus hominem noxium; quia infirmitas humana nũquam debet fidere illi, quem semel ad salutem animæ noxium experta est, licet à noxijs quiescere videatur, sed illum prorsus à se debet amandare. Rem pulchre ostendo ex Matth. 8. cum enim nauicula discipulorum ingenti periclitaretur tempestate, excitatus Dominus *Imperauit vẽtis, & mari, & facta est trãquillitas magna.* Imperauit, inquam, ventis, & quid imperauit? An. vt abirent, & prorsus recederent? Minime id dicitur imperasse, sed solum, vt tranquilli manerent, quod innuunt verba illa: *Et facta est tranquillitas magna.* At Dei Sponsa simili forsam tempestate iactata, noxium Aquilonem vẽtum experta cæpit clamare, Cant. 4. *Surge Aquilo, & veni Auster, & c.* Equidem non iubet, vt Aquilo tranquillus fiat, sed vt surgat, & abeat. Iesus solũ iubet, vt noxij venti tranquilli fiant, sponsa magis iubet, vt abeant. Et cur illa nec cum tranquillis gaudet, sed magis instat, vt recedant? Illa infirma est, & hoc debet esse proprium infirmitatis humanę, quod semel suspectæ familiaritatis cõgressum minime admittat, sed prorsus à se amãdet.

Caiet. Gen. 32. Matth. 8. D. Nyss. Iosue, 5. Matth. 8. Cant. 4.

det. Ait D. Nyssen. hom. 10. in Cant. *Audiamus quemadmodum regina surgere faciat Aquilonem, & à se amandet, eius flatū auertens in aduersum. Non enim eum habet quiescere, quomodo in maris tempestate iussit Dominus fluctibus quiescere, & silentium agere; sed imperat, vt recedat, & fugiat, vt absque vllo impedimento fluat Auster, nullo aduerso flatu obsistente eius impetui dicens: Surge Aquilo.* Iesus mandat ventos esse tranquillos, & cum tranquillis ventis nouit habitare; Sponsa autē, quæ infirma est, & cōscia suæ infirmitatis magis mandat, vt vel trāquilli venti abeant: quos semel noxios experta est, in nulla bonitatis specie amat cum illis conuersari. Huc spectēt, qui noxias familiaritates experti, adhuc sub specie virtutis, & obligationis, & aliorū respectuum bonorum illis aduiuent: plane hoc secure facit, qui Iesus est, qui diuinam virtutē in se habet; at qui infirmus est, temerarius erit, nisi prorsus eas à se amandet. Quo spectans D. Paul. 1. ad Corinth. 14. de mulieribus locutus ait: *Siquid vōluerint discere, domi viros suos interrogent.* Quæ verba meditatus D. Augustin. tract. 15. in cap. 4. Ioann. ait: *Ibi dicitur domi viros suos interrogent, vbi non est Iesus, qui doceat.* Quando enim non semel cōgressus virorū alienorum, & fœminarū noxius inuentus est, etiam si sanctissimus sit, & multas species virtutis habeat, prorsus euitandus illi, qui Iesus non est, nimirum qui diuinam virtutem non habet.

D. Nyss. — 1. Ad Corinth. 14. — D. Aug.

§. VI.

Iudicij diuini conspectus maxime homines continet.

VIde, quid Dauid opponat suspectis militibus: *Si autem insidiamini mihi pro aduersarijs meis:: videat Deus patrum nostrorum, & iudicet.* Qui posset illis opponere quadringentos alios socios validissimos, quos secum habebat, maluit illis opponere diuinum iudicium; & quidem prudentissime, iudicij enim diuini conspectus maxime valet homines in officio continere. Creato homini in paradisi delicijs statim Deus illi taxabat escas, cap. 2. Gen. *De omni ligno paradisi comedes, &c.* lignorum fructus dantur homini abstemio in cibos, de carnibus, aut piscibus edendis nec verbum factum est, crediderim, ne in statu illo felici gula dominaretur. Postquā autem dilubio vniuersi homines, octo solis exceptis, periere, statim permissio diuina ait, Genes. 9. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Curtā largas escas modo hominibus porrigit, qui adeo paucas illis antea porrexerat? Si quando solas fruges permittebat in cibum, attendebat, ne gula hominis pasta carnibus exorbitaret; cur modo non idem attendit, carnes permittens? Modo præ oculis erat Dei iudicium per dilubium mōstratum, quod præoculis positū potens est homines, ne exorbitent, trenare. Tertul. lib. contra Psychicos: *Post dilubium in reformatione generis humani, iussisse vnam interim legem à sanguine abstinendi, permisso vsu cæterarum. Iam enim iudicium Dominus ostenderat per dilubium.* Cum ostensione iudicij non miror, quod multa permittantur, valet enim iudicium positum ob oculos præ multis alijs legibus ad hominem continendum, & frænandū. Quem non trahat in bonū conspectus iudicij? Eliæ commorāti in deserto, vt se ostenderet Dominus, ait 3. Reg. 19. *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante dominum; non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* Tres Dei ante ambulones video in ijs verbis proponi, scilicet Spiritum, commotionem, ignē; & licet omnes validissimam efficacitatem, & virtutem habeant, de nullo dicitur, quid agat, nisi de Spiritu, ait enim: *Spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras.* Non dicitur ignis aliquid operari, nec commotio, solus Spiritus, nempe ventus dicitur, & conterere petras, & subuertere montes. Et cur hoc de solo Spiritu dicitur? Rationem attigit Hugo Victor. lib. 1. Miscell. titul. 109. *Ecce præambulos Dei, spiritum, commotionem, & ignem. Non venit Dominus ad te, nisi prius isti veniant. Spiritus est terror iudicij æterni, qui si in cor peccatoris impegerit; & montes superbiæ deijciet, & petras duritiæ dissoluet.* Quādo Spiritus erat iudicij diuini terror, non miror, quod præ alijs valeat commouere orbem; & impellere homines in frugem meliorem.

Genes. 2. — Genes. 3. — Tertull. — 3. Reg. 19. — Hug.

§. VII.

§. VII.

Principes animi sui sinceram iustitiam in omnibus palam habeant.

AD Dauid suspicionem tollendam ait textus: *Spiritus vero Domini induit Amasai principem inter triginta, & ait: Tui sumus, ò Dauid, &c.* Nec oscitanter positum crediderim modum illum nouum loquendi, nimirum: *Spiritus vero Domini induit Amasai principē, &c.* Quid est, quod dicatur Amasai tunc temporis non imbutus, sed indutus Spiritu Dei? Crebro inuenies in scriptura, quod Spiritus Domini irruat, aut veniat in aliquem, aut fiat in prophetas; cur modo similiter non dicitur venisse in Amasai, sed dicitur induisse illum? Vt Amasai princeps erat inter triginta; sic interna eius animi sinceritas, & iustitia à diuino spiritu profecta debuit exterius patere, vt patet ornatus vestium, ne cui dubitationi, aut suspicioni locus esset. Decet enim maxime principes, quod sinceram sui animi iustitiam, sic habeant in omnibus patentem, vt patentes habent vestes, ne cui liceat dubitare de internæ rectitudine mentis. Huc adhuco illud Sapient. 5. vbi de omnium creaturarum princ
Sapient. 5 cipe Dei filio dicit: *Induet pro thoracem iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum.*
Carthus. Quæ verba explicans Carthus. ait: *Tam euidenter iustum exercebit iudiciū, quod nullus poterit reclamare, omnesque scient rectissimū illud esse.* Vt enim vestes, quibus princeps ornatur, euidentissime omnium oculis expositæ sunt; nec vllus est, qui de eorum dubitet seu coloribus, seu pretijs; sic mentis sinceritas, & puritas in omnibus principū siue factis, siue verbis debet elucere, nequid dubium in illis ostēdi. Adhæc
Iob. 29. Iob, cap. 29. *Iustitia indutus sum, & vestiui*
D. Thom. *me sicut vestimento.* Vbi D. Thomas ait: *Id est, in omnibus processibus meis iustitia apparuit.* Indubitata sit in principe rectitudo, & sinceritas animi; quoquo se vertat, eius rectitudo, & candor animi testatus, & conspicuus appareat. Arcana quamuis sint principum consilia; iustitia tamen, & rectitudo eorum, sic clare pateat, vt nemini liceat contrarium suspicari.

§. VIII.

In præstādis honestis obsequijs pertinacissimus sit boni viri animus.

INsidias suspicanti Dauidi indefectibilis obsequij securitas fit ex animo Amasai; dicit enim; *Spiritus vero Domini induit Amasai principem inter triginta, & ait; Tui sumus, ò Dauid, &c.* Siquidem, vt Amasai cum suis ostenderetur, quam indefectibiliter obsecuturus erat Dauidi, dicitur indutus adhoc Spiritu Domini. Sicut enim homo sine veste nunquam est, sic in tanto duce semper erit pertinacissimus animus Dauidis fouendi. Non absimile est illud Iobi, cap. 29. *Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento.* Et cur dicitur in Iobo stetisse iustitia, & iudicium, sicut vestimentum? Sapient. 5. dicebatur de Dei filio: *Induit pro thoracem iustitiam, & accipiet pro galea iudicium.* Iustitia, & iudicium filio Dei non dicuntur esse vestes, sed arma, nimirum & thorax, & galea, & clypeus. Cur ergo quæ sunt arma Dei filio, Iobo non arma sunt, sed vestes? In Dei filio explicabatur rigor, quo iudex factus impios omnes perdit; qui rigor in Deo, vt non perpetuus est, sic per arma explicatur, quæ non perpetuo homini adhærent, sed solum tempore conflictus, & belli. At in Iobo explicabatur affectus iustitiæ, & sanctitatis, quo in iubandis, fouendisque miseris exercebatur, qui vt perpetuus debet esse homini bono, sic per vestes explicatur, sine quibus nunquam homo incedit. Ait D. Chrysost. in Cat. Græca in Iob: *Vt enim quis ad corporis ornatum diploidem* *Chrysost.* *adhibet, sic ipse ad meum cultum iudicij æquitatem; neque id dum taxat hodie, cras autem non item, verum sicut necessitas cogit vestibus semper vti, sic ipse nunquam calamitosorum iudicium deserui.* Non minus pertinax erat in calamitosis fouendis quotidie, quam in summendis vestibus. Vt enim perseuerantissime quotidie manus ad vestes accipiendas extendimus; nec prius acceptas dimittimus, quam illæ senio nos deserant, sic ad honesta obsequia semel applicatus animus constantissime ad illa conari debet. Ex quo maxime extollebat Liberium patritium Theodorius rex apud Cassiod. 2. Var. 16. fatus: *Reti-* *Theod.* *netis Patres Conscripti patritium Liberium, & in nostra aduersitate fuisse laudabilem,*

qui sic Odonacris integerrimis parebat obsequijs, vt nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fociſſe constat inimicus. Non enim ad nos vilissima transfugæ conditione migrauit: nec propry Domini sinxit odium, vt alterius sibi procuraret affectũ. Expectauit integer diuina iudicia, nec passus est, sibi regem quærere, nisi primitus perdidisset. Vnde sic factum est, vt ei libenter daremus præmium, quia nostrum fideliter iuuit inimicum: qui casu patrocinante contrario, tantum nobis reddebatur acceptus, quanto tunc cognosci poterat indauotus. Flexo iam Domino pene nullis est terroribus inclinatus: sustinuit immobilis ruinam principis sui, nec nouitas illum turbare potuit, quem nunc ferocitas gentilis expauit. Prudenter est secutus communes casus, vt cum diuina iudicia fixe sustinet, humanam gratiam commendatior inueniret. Dixi omnia, nequid regiæ laudis deficeret homini constantissimo in præstandis obsequijs illi principi, cui semel decreuerat deseruire. Vt vel ex hoc discamus omnes in præstandis honestis obsequijs esse pertinacissimi. Constantia enim in bonis nunquam non venit ex animo diuino, vt defectio ex miseria humanæ naturæ. Exod. cap. 10. post plagam acceptã *Pharao vocauit Moysen & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum vestrum, &c.* & post plagam curatam ait text. *Et indurauit Dominus cor Pharaonis, &c.* Quæ quidẽ verba per octo, aut nouem vices repetita inuenies, ita vt modo mitescere videatur Pharao, & modo indurari. Ex quo Eusebius in Cat. Græca collogit tam momentaneas mutationes in duriciem, aut lenitatem non posse à Deo causari, cuius est, persistere semper in bono præstando. Quippè ait: *Hinc apparet euidentius, obduruisse Pharaonem ex malo habitu ingeny sui, & reconciliationem simulasse. Si enim à Deo animus immutaretur, aut semper durum se præstaret, aut semper mitem.* Adeo diuina est perseuerantia in fouendis honestis, vt in defectione euidenter cognoscatur opus humanum, quando à Deo solum venit, quod indefectibiliter se habet, quantum est ex Dei parte.

Exod. 10.

Euseb.

§. IX.

In quo Deus præualet, nõ multum timenda est malicia carnis.

QVod doli, aut mutabilitatis, aut mali alterius timori solet in hominibus carnalibus, id non timetur in ijs, in quibus Deus præualet. Ideò, vt in aduenientibus socijs nulla opera carnis à Dauide timeantur; *Spiritus*, ait, *Domini induit Amasai principem inter triginta, & ait: Tui sumus, ò Dauid!* Et quidem vbi Spiritus Domini sic in Amasai preminere ostendebatur, vt vestes in nobis prominent, nihil in eo timeri poterat, quod opera spectaret carnalia. Paul. ad Roman. 13. *Abyciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis.* Expende ab illis: *Sed induimini Dominum Iesum Christũ, & carnis curam ne feceritis*; sub Iesu enim veste necessario debent abscondi, & dissipari opera carnis. Promineat in nobis Spiritus Christi; & carnis malicia non metuitur. Dicebat Psalm. 41. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi.* Alia litera habet: *Effudi super me animam meam*: quod per vestitum significabatur, idem per effusionem animæ exprimitur: quod nimirum in nobis seperemineat Spiritus, quo super eminente, abscedit prorsus carnis malicia. Ait D. Amb. ibi: *Supra se effundit animam suam, vt anima supra corpus effusa infirmitatem carnis abscondat, tegat corpus, & virtus vbique animæ mentisque prætendat.* Vide, vt supereminens Spiritus, & nos tegens maliciam carnis non sinat, sed vndique faciat apparere virtutem. Nec obest vllus carnis impetus, vt ratio Spiritu diuino Iesu confirmata supereminеat. Matth. 8. Iesus *imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Quo spectans Arnol. Carnot. tract. ad Verba: Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, inquit: *Nec tamen peremptorius æstimandus est recrudescentis peccati pruritus, cui obuiam pergit ratio, & serpenti scabiei cauterium opponit. Licet enim subfumigent afflata incendia, & flamma vorax iam tectorum elambat fastigia; vna gratiæ stilla, subitusque respectus clementiæ, vno flatu ea in cineres rediget, sedataque procella diuinitus, quod putabatur detrimentum, inuenitur solatium.* Quid pulchrius? Sane reflantibus licet carnalium desideriorum ventis, si ratio Christi spiritu munita occurrat, in solatium vertitur, quod credebatur detrimentum futurum.

Ad Rom. 13.

Psal. 41.

D. Amb.

Matth. 8.

Arn. Ca.

1. Reg. 22. Dixitque Gad pro-

propheta ad Dauid noli manere in præſidio, proficiſcere & vade in terram Iuda. Et profectus eſt Dauid, & venit in ſaltum Hareth. Et audiuit Saul, quod apparuiſſet Dauid, & viri, qui erãt cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & eſſet in nemore, quod eſt in Rama, haſtam manu tenens, cunctique ſerui eius circunſtarent eum, ait ad ſeruos ſuos, qui aſsiſtebant ei.

§. X.

Genitale ſolum auſpicatum homini. Vbi de meditatione terrenæ originis noſtræ.

AB arce munita in Moab iubetur Dauid exire, & in terram Iuda venire; ſic enim per prophetam ei mandatur: *Noli manere in præſidio, proficiſcere, & vade in terram Iuda.* Nec miror, erat enim tribus Iuda, ex qua Dauid ortum habebat, in eius ditione natus, altus, & educatus, & ideo in ea nihil ſibi non inueniret auſpicatum. Quis neget hoc genitali ſolo, quod ſuis maxime faueat? Sapiens, cap. 9. aiebat: *Corpus, quod corrũpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*, & mirabar, quod carnis grauedo ſic animam opprimat, quando anima longe præſtantior, & valentior ſit, quam caro. Cur ergo anima nõ magis carnem opprimit, quam ipſa opprimatur à carne, quæ infirmior eſt à Nodum acute ſoluit D. Zeno lib. 1. ſerm. 12. aiens: *Illa in ſolo genitali verſatur, ille peregrinus eſt.* Ne mireris, quod in præſenti Spiritus ſuperetur, & deprimatur à carne; licet enim caro infirmior ſit, & ſpiritus valentior; tamen caro in genitali ſolo verſatur, vbi ſpiritus peregrinus eſt; ex quo ſic conualeſcit caro, vt valeat Spiritus dominari. Nũquam enim quis, ex genitali ſolo vires nõ capit, quibus, vel aduerſus fortiores valeat. Dauid 2. Reg. 11. vocato Vriæ de bello dicebat: *Vade in domum tuam, & lauа pedes tuos.* Ipſe vero renuit domum ſuam petere, ſed in ianua palatij manebat. Sed vtinam in domum ſuam iret; forte ibi acquireret, quo ſe aduerſus mortem tutaretur. Ait Petr. Dam. lib. de Contemp. mundi, cap. 28. *Vriæ ſi propriæ domus hoſpitium placuiſſet: ſententiam proculdubio regiæ indignationis, ac fraudis euaderet: Sed quia in alienis, quam in proprio dormire cubiculo maluit, authores ſuæ mortis literas ad principem reportauit.* Vtinam maluiſſet Vrias in ſuo quieſcere; & incolumis euaſiſſet. Quis in alienis non male habeat? Hinc de religione Chriſtiana ait Tertull. in Apol. *Nihil illa in cauſa ſua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit ſe peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos inuenire.* Vnde Iob, cap. 29. *Dicebam, in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos.* Quæ verba ſic græce transferuntur in Cat. Dixi autem: *Ætas mea ſeneſcet, ſicut truncus palmæ, multum tempus viuam.* In primo de morte agebat, vt in nidulo ſuo obuentura erat, in ſecundo non mors, ſed longæ vitas dierum, prolixaque ſenectus explicabatur. Et cur mors obuentura in nido per longæ vitatem vitæ explicatur? Quippè dum Iob ſe in nido ſuo, hoc eſt, in genitali ſolo futurum exiſtimabat, nihil inde nõ vitale ſibi ſperabat. Quo reſpiciens Symachus legebat: *Dixi autem: cum meo nido ſeneſcam, gloriæ autem meæ renouabitur præſens mihi.* Equidem dum è genitali ſolo non cogatur excedere, ſed in eo degat; inde omnia vitalia, omnia glorioſa ſibi percipiet. Ad quæ D. Thom. aiebat: *In nidulo morior, id eſt, ſperabam, quod in quiete domus meæ moriturus eſſem, nõ exul à domo. Nec tamen credebat ſe intempeſtiuæ morte præoccupari. Vnde ſubdit, & ſicut palma, quæ diutiſsime viuit, multiplicabo dies.* Vbi enim non exul à domo, ſed in genitali loco agat, inde multiplices, & fœliciſsimos ſibi promittebat annos. Sed & illa expendenda: *Sicut palma multiplicabo dies meos.* Circa quæ notiſsima eſt verſio Septuag. aiens: *Sicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Cur ſicut Phœnix? Ait Philippus Præsbiter, ibi: *Sicut Phœnix nidum ſibi faciens, in ipſo poſt multa tempora à ſemet ipſa dicitur concremari, & rurſus de eiuſdem nidi cineribus reſurgere, ità Iob dicat ſe per mortem in cinere carnis velut in nido pro tempore futurum, & inde reſurrecturum in gloria.* Expende illa: *De eiuſdem nidi cineribus, &c.* vt enim in nido vixit, ſic in illo ipſo proprio, & connaturali decedens,

D. Zeno. 2. Re. 11. Petr. Da. Tertull. Iob, 29. D. Thom. Philip.

dens, vel de cineribus eius nouam exsugit vitam, qua resurgat. Crede mihi genitale solum nunquam non est homini auspicatissimum. Vel de cineribus genitalis solitui poteris confirmari in vitam. Ait Psal. 101. *Tu exurgens miserebéris Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur.* Acute notat D. Augustin. cui misericordia apponatur, non quidem lapidi, sed terræ, sed pulueri. Et cur pulueri misericordia apponitur? Erat quippe pulvis solum nostrum genitale, ex quo fallar, nisi homo resurgat in spem vitæ. Ait ibi Augustin. *Non dicit lapidum eius miserebuntur, sed pulueris. Ergo serui tui beneplacitum habuerunt in lapides Sion. Sed illi prauaricatores recedentes à Domino, in terram, vnde sumpti sunt, reddierunt, puluis facti sunt, impy facti sunt. Sed expecta Dominum, non irruat ventus, & auferat hunc puluerem à facie terræ. Dicat puluis, ne pereat, memento quia puluis sumus, &c.* Vide, vt de cineribus soli genitalis sui speret homo in vitam restaurari à Deo.

Psal. 101

Augustin.

§. XI.

Glorioſe triumphas de hoſte in propria ipſius ſede.

CVm Dauidi dicitur: *Proficiscere, & vade in terrã Iuda*; sunt, qui Iuda nomine intelligant vniuersum regnum Israeliticum, cui rex erat Saul rabidissimus hostis Dauidis. Amabat autem Dominus sic extollere Dauidem, & gloriosum facere, vt non solum vinceret Saulem, sed & de illo triumpharet in propria sede ipsius. Quam gloriam in Christi athletis mirabatur Tertull. dum pro Iesu nomine in tenebrosum carcerem venirent. Ait enim lib. 1. ad Martyres: *Domus quidẽ diaboli est & carcer, in qua familiam suam continet. Sed vos in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcetis. Non ergo dicat: in meo sunt, tentabo illos. Nec illi tam bene sit in regno suo, vt vos committat; sed inueniat munitos, &c.* Parum erat fortibus Christi athletis, quod hostem vincerent, ideo in eam gloriam disponebantur, vt illum in suo ipsius regno, & sede opprimerent. Similiter & Dominus Iesus debellaturus hostem ascendit crucem, ad Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et cur præ alijs mortis instrumentis vnam crucem elegit Dominus? Liberũ illi fuit permittere se peti lapidibus, vel à monte præcipitari; cur magis elegit mori in cruce? In cruce â terra exaltabatur, & in aere erat; cuius regio videbatur esse sub dominio hostis antiqui iuxta illud Pauli ad Ephes. 2. *Secundum principem potestatis aeris huius, Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Placuit autem Iesu in aere vitam finire, vt mortis eius gloria in eo ostenderetur, quod principem aeris debellabat in ejus propria sede, & regno. Pulchrè D. Athanas. aiebat orat. de Pass. & cruce: *Verum Dominus hominibus studens, humi non est mortuus, sed in aerem ascendit per crucem, ibi quoque serpentem persequens, vt etiam inde principem potestatis aeris deturbaret.* Hæc erat gloria Christiani triumphi, vt in ipso aere vinceretur, qui erat aeris princeps. Vbi malitiæ virus dominabatur, ibi à validissimo saluatore in ruinam iret, & excidium. Nunquam non magnæ, & glorioſæ virtutis insigne est, quod de hoste triumphes in propria sede illius. Quo spectans Isaias, cap. 11. *Delectabitur infans ab vbere super foramen aspidis; & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Sic de Christianorum valentia loquebatur. Quæ verba expendens D. Hieron. aiebat: *Infans quoque qui malicia parunlus est, mittet manum inforamine aspidis, & de obsessis hominum corporibus fugat dæmones. Qui autem ablactatus est, & nequaquã lacte nutritur infantiæ, sed iam solido vescitur cibo; iste in reguli cauernam mittet manum, hoc est, in ipsius Satanæ habitaculum, & inde eum extrahit.* Itaque aut diabolus est in corpore humano, aut in sede propria sua; si est in humano corpore, vt ibi in alieno est, sic vel ab infante potest inde excludi. Audet equidem infans Christi in dæmonem non existentem in suo; at qui infantiam superauit, & solido cibo vtitur, plus audet; huic enim parum est, si hostem in alieno existentem vincat, sed magis audet, & vel in proprio habitaculo illum aggressus, inde illum exsufflat. Proh Agnetis Virginis virtutem! Hæc, vt magna erat, sic in lupanari, in ipso Sathanæ habitaculo, Sathanam deuicit.

Tertull.

Ad Philipp. 2.

Ad Ephe. 2.

D. Atha.

Isai. 11.

D. Hier.

(t)

§. XII.

§. XII.

Duriſsimum homini in ſuis male haberi.

HÆreo tamen in eo, quod Dauid mittatur in propriam ſedem ſuam illis verbis: *Vade in terram Iuda*: & crediderim, quod vt Deus illi ingentem ibi gloriam parabat, vt §. præcedēti vidimus, ſic & illi ſimul proponebat certamen duriſsimum. Quid durius homini, quā quod in ſuis male habeat? Adamum poſt peccatum conuenit Deus, illique duriſsimam decernens pœnam; in originis ſuæ terram hominem relegat. Dicit namque Gen. 3.

Geneſ. 3. *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Quod meditatus Claudius Marius Vict. lib. 2. in Gen. ſic illius pœnæ expendit duritiem:

Claud. *Poſtquam ſacratis decedere iuſſus vterque*
Sedibus, ac regnis, genitalia contigit arua
Inque ſua ſtetit exul humo.

Quid calamitoſius, quam in proprijs ſedibus exulis incommoda pati? Iob ad ſuæ calamitatis exacerbationem illud addebat, cap. 19.

Iob, 19. *Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus fui in oculis eorum.* Quem non mordeat acrius, quod in ſua ſede, & apud ſuos peregrinum cogatur agere? Potuiſſet diabolus Iobum in terras longiſsimas eijcere, vt inter barbaras, & crudeles homines peregrinus viueret; ſed rabidiſsimus hoſtis noluit illum à ditione, & patria ſua extrahere; quinimo inter ſuos degentē omnibus peregrini, & exulis repleuit incommodis, vt inde acerbius hominis animum percuteret. Iacob relegatus à parentibus in Meſopotamiam Syriæ ad cognationem ſuam, ibi dicebat Labam patruo ſuo, Geneſ. 29.

Gen. 29. *Seruiam tibi pro Rachele filia tua ſeptem annis:: Seruiuit ergo Iacob pro Rachele, &c.* Quod meditatus D. Chryſoſt. lib. 2. de

Chryſoſt. Prouid. ait: *Cum ad affines ſuos peruenisſet, ſeruire cogebatur. Non ignorans autem ſeruitutem, cum ſemper moleſta ſit, tunc maxime videri moleſtiſsimam, cum quis propinquis, aut paribus ſeruire cogitur. Quod cum intolerabile eſſe videretur; magno animo ferebat.* Sic in ſuis, & apud ſuos male haberi, intolerabile cenſet. Vide infra cap. 13. §. 16.

§. XIII.

Obedientia legi exhibita veræ ſanctitatis, & virtutis index.

MIratur merito noſter Salianus in præſenti promptam Dauidis obedientiam, qui vt à Gad propheta iuſſus eſt ire in terram Iuda, minime id diſtulit, ſed ſtatim ſe ad profectionem accinxit. Ait enim: *Et profectus eſt Dauid, & venit in ſaltum Hareth.* Sic bonus abſque vlla reſiſtentia obediebat legi diuinæ, eiuſque ductu ferebatur, vel in difficilima. Non enim certiori aliquo indicio ſolet Deus perfectos ſuos oſtendere in mundo. Duæ erant quondam familiæ deducendæ in vrbem Bethlehemiticam. Altera familia conſtabat tribus Magis, qui vt venirent Bethlehē excitati ſunt noui ſyderis luce, cum dicant

Matth. 2. *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus, &c.* *Matth. 2.* Itaque Magis apparuit ſtella, ſiue Angelus in ſtellæ figura, vt volunt plurimi: cuius ductu Bethlehemi viam aggreſsi ſunt. Altera familia erat Ioſephi, & Mariæ; quæ, vt ſcripturæ implerentur de ortu Saluatoris, debebant etiam Bethlehemum venire. Sed qualiter ij ſanctiſsimi coniuges excitati ſunt, vt difficilem viam arriperent? An ſtella illis apparuit? An Angelus monuit illos? Accipite D. Lucam, cap. 2. fantem: *Exyt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis:: Et ibant omnes, vt deſcriberentur ſinguli in ciuitatem ſuam. Aſcendit autem Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo, & familia Dauid vt profiteretur cum Maria, &c.* *D. Luc.* Vnum profani Imperatoris edictum intonuit, & ſtatim Maria, & Ioſeph Bethlehemum proficiſcuntur. Non ſtellam, non Angelum expectant, ſed legem audientes, ſoli viam arripiunt. Et cur ſtella, quæ Magos erat ductura, non magis feſtinauit ad Mariam deducēdam? Imò cur Raphael Angelus, qui Tobiæ comitem egit in longo itinere, modo non adeſt Mariæ? Sufficiebat tantæ fœminæ lex, ſub cuius ductu magis conſpicabiles reddūtur præſtantiſsimi, quam ſub vniuerſis ſyderum luminibus. Adhæc D. Chryſoſt. homil. de Nat. Chriſti habita in 6. tom. inquit: *Vide prouidentem Dei ad-* *Chryſoſt.*

ministrationem per infideles, atque fideles, ea, quæ ad se pertinent dispensantis. Et stella quidem Magos ab Oriente produxit, at lex Mariam in patriam à prophetis prædictam traxit. Expende illa: *At lex Mariam, &c.* tantæ enim Virginis sanctitas non tam ex obsequio Angelorum, seu stellarum sibi præstito; quam ex obsequio eius legibus exhibito debet pensari. Quo conueniant, qui ex apparitionibus Angelorum, siue luminum cœlestium trutinant sanctitatem, & sciant eas & iusidelibus, & nequissimis hominibus solere à Deo præstari. Præstantissimæ, autem verissimæque virtutis insigne non tam in ijs, quam in præstita legibus obedientia explicari. Hinc primi illi homines cum iustitia florerent originali statim præceptum accipiunt, ne edant de
Genes. 2. scientiæ arbore, Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & malinecomedas.* Et cur illis hæc arbor vetatur? In eo sola obedientia exerceretur, quæ vetã virtutem hominis statuit. Ait D. Augustin. 8. de Gen. ad literam. *Opor-*
D. Aug. *tebat ergo, vt homo sub Deo positus, aliunde prohiberetur, vt ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quã possumus verissime dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate, &c.* Ponderanda sunt illa: *solam esse virtutem*; quasi ex sola obedientia præstita legi debeat virtus hominis æstimari. Quod sic intelligo, vt ipsa sit certissimum signum virtutum aliarum. Et quid non signet obedi-
Ad Philipp. 2. entia? Ait ad Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltauit illum, &c.* Circa quæ verba sic fatur D. Cyrill. Alex. lib. ad Re-
Cyril. Al. ginas: *Non diu in ea abiectione, & humiliatione permansit; mox enim exaltatum est, nomine, quod est super omne nomẽ, accepto. Sane quidem illustre nobis exemplum hic ponitur: Ostenditur enim obedientiam & gloriosam, & admiratione dignam, & bonorum omnium conciliatricem esse.* Quid pulchrius de obedientia, quæ omnia bona scit nobis conciliare?

§. XIIII.

Qui pro Deo stat, nunquam solus est aduersus hostes.

VIx Dauid ad terram Israelis peruenit; & ait textus: *Audiuit Saul, quod apparuisset Dauid, & viri, qui cum eo erant.* Solus fugerat Dauid à Saule; & ecce non solus apparet, sed multis iam cinctus socijs sibi à Deo comparatis. Qui enim pro Deo stat, vt Deum pro se habet, sic nunquam solus existit. Constantius ille Imperator dum sanctos Christi confessores in exilium mitteret, illud curabant, ne duo simul, sed solus quisque abiret, ne secum emolumentum societatis haberet. Aduersus quem sapienter D. Athan. epist. ad so-
D. Ath. litariam vitam agentes dicit: *Ignorat, quod quamuis singuli ab alijs distarent, illos tamen secum habere, quem in commune, cum simul erant, confitebantur Dominum Iesum Christum, qui singulis longe plures assotiauerit, (vt in prophetia Elisæo fecit) quam milites sunt circa Constantium.* Expende illa de Iesu dicta: *Qui singulis longe plures associauerit, vt in Elisæo, &c.* quippe is est Iesus, qui ne sciat se tutum suum solum relinquere; sed plures illi adiungit, quibus firmatus minime aduersariorum exercitus timeat. Quod aperte patuit in historia Elisæi, 4. Reg. 6. cum enim Syrorum exercitus virum sanctum impeteret, clamabat ille: *Plures sunt nobiscum, quam cum illis*: quin, & *ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Nunquã enim Deus non adiungit suis plures, quam qui sunt ex parte inimici. Et quando alij deficerent, ipse Deus pro omnibus adstat illi. Desponsa Dei ait Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cũ propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* In hebræo legit Greg. Venetus Cant. 3. tom. 7. cap. 13. *Vnum scutum appendent super ea.* Et mirabar, quod vbi in Originali vnum scutum dicebatur, noster traduxisset, *mille clypei.* Si vnum solũ erat, quare dicuntur mille? Erat scutum Deus, qui dum adest suis, pro millibus, imò pro omnibus armatis sufficit illis. Quæribundus Elias, 3. Reg. 19. clamabat ad Dominum: *Derelictus sum ego solus, & quærunt animam meã.* Et quæsierim ex Elia, an quia solus relictus fuit, solus inuentus fuit ab inimicis? Absit, quin imo Deus illi pro omnibus adstitit armatis exercitibus. Ait D. Athan. vbi supra: *Si fratres deserant, notique & amici procul absistant, nemoque supersit, qui velit simul contristari, aut consolationem adhibere, tamen plus quam omnia sufficit ad tutelam Dei refugũ Solus erat Elias in persecutione, sed tamẽ in omnibus loco omnium habebat Deum.* Pro fœlix desolatio seruorum Dei! Solus, & desolatus, licet, vide aris; adest tibis pro auxiliaribus copijs vniuersis Deus. Sunt tibi præsentissima auxiliatorũ castra. Vt merito dicat Dauid Psal. 36. *Non vidi iustum derelictum.* Cui adstipula-
4. Reg. 6. *Cant. 4.* *Greg. Ve.* *3. Reg. 19* *D. Atha.* *Psal. 36.*

tur

Gen. 32. tur Iacob, Geneſ. 32. de quo ibi: *Iacob autem abyit itinere, quod cœperat: fuerunt que ei obuiam Angeli Dei: Quoſcum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt.* Suffeciſſet, ſi caſtrum Dei illi appareret, ſed maluit Deus, vt apparerent caſtra, vt oſtenderet, quam ſit Deus pro omnibus in ſuis auxiliandis. Ex quo

D. Amb. D. Amb. in Pſal. 36 fatur: *Cum fratrem fugeret Iacob, & per deſerta incomitatus erraret, obdormiuit, & ſurgens vidit ibi multitudinem cœleſtis militiæ, & ait: Hic locus vocatur caſtra Angelorum. Non ſatis fuit caſtrum vocare, ſed caſtra, quæ tantæ multitudini conuenirent. Vides ergo quia ſolum ſe putabat, & caſtra cum cœleſtis exercitus ſequebantur?* Quid certius in Dei aſſeclis, quam quod nunquam appareant incomitati?

1. *Reg.* 21. Audite me, nunc filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones; quoniã coniuraſtis omnes aduerſum me, & non eſt, qui mihi renuntiet, maxime cum filius meus fœdus inierit cum filio Iſai? Non eſt, qui vicem meam doleat ex vobis, neque qui annuntiet mihi; eo quod ſuſcitauerit filius meus ſeruum meum aduerſum me, &c.

§. XV.

Nunquam non homo in primis ſibi, ſuiſque commodis ſtudet.

SApienter Saul, vt contribules ſuos in iurata ſibi fide confirmet, proponit quàm nihil debeant ſperare à Dauide alienæ tribus viro. Quippè ait: *Audite me, nunc filij Iemini; nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, &c.* Filios Iemini vocat, hoc eſt, Beniaminitas ex eadem ipſo Saule tribu; ij enim à rege ex tribu Iudã minus ſperare ſibi debebant, & ideo magis illum debebant expuere. Quis enim homi num colat principem, à quo nihil commodi ſperare licet? Hinc ſe D. Athan. purgabat in Apolog. ad Conſtantium Imperatorem, quod ad eius hoſtem Magnentium non confugiſſet, inquiens: *Quæ enim mihi fiducia in Magnetio fuiſſet, aut quam beneuolentiam certam, firmamque in Domini ſui parricida, in amicos tam perfido, in violandis iuramentis tam irreligioſo, mihi polliceri potuiſſem?* Accuſabatur ſanctus vir, quod à Magnetij partibus ſtaret contra Conſtantium; quam accuſationem hac vna ratione deludit, oſtendens, quod nihil commodi à Magnetio nefario homine, & Domini ſui interfectore ſparare poterat. Nec non Antipater apud Egeſippum lib. 1. cap. 44. vt proditionis ſuſpicionem depelleret, ſic patrem Herodem alloquebatur: *Quid autem erat, quod me aduerſus tuam ſalutem audere aliquid impelleret? An regni cupido? Sed regnabã: an odij ſuſpitio? Sed diligebar: an iniuriæ dolor? Sed præferebar. An vero inopia pecuniæ, & egeſtas coegit, quæ ſolet indigentibus ſuadere latrocinium? Sed dederas, quod non ſolum in præſens, ſed etiam in omne tempus abũdaret, & diuitem Romam miſſeras, vt regum reges pronuntiarent impery apud ſe principatum eſſe, non diuitiarum.* Sic dum nihil commodi, nihil lucri in proditione ſibi obuẽturum eſſe probat, vel ſuſpitionem eius à ſe depulit. Nihil enim timendum eſt, aut ſperandũ ab homine, in quo non ſibi prius aliquod commodum paret & vtilitatem. Ioann. 9. poſtcuratum cæcum natum, dixit illi Ieſus: *Tu credis in filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt domine, vt credam in eum? Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo domine; & procidens adorauit eum. Et dixit ei Ieſus: In iudicium ego in hunc mundum veni; vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Poſtquam ſe filium Dei dixerat, & ſe vt filium Dei adorari fecerat, oſtendit cauſam, cur venerit in mundum Dei filius, nimirũ, *vt qui non vident, videant, &c.* Et quid hoc, cum filio Dei? Cur proprium ſit filij Dei veniſſe, vt alij videant? Equidem tam proprium eſt filij hominis puri, ſibi in primis conſulere, vt ſiquis inueniatur, qui nõ propria, ſed aliorum quærat commoda, is minifeſte videatur non eſſe homo purus, ſed filius Dei. Ait D. Athanaſ. ſerm. 3. cõtra Arianos: *Non igitur propter ſe ipſum, ſed propter noſtram ſalutem; & vt cæci viſum recipierent, & vt omnes è mortuis excitarentur, aduenit. Si igitur non ſui gratia, ſed noſtri venit, neque in ſui ipſius vſum conditur, ſed ad noſtrum, fieri non poteſt, vt ſit creatura.* Equidem Deus eſt, non eſt creatura, non purus homo, qui commodum ſuum non reſpicit, nec lucrum. Qui in officijs exhibendis, ſuam

D. Atha.

Egeſip. 1.

Ioann. 9.

D. Atha.

ſuam vtilitatem non ſpectat, fallar, niſi ſupra humanum agatur ſpiritu. Huc adduco clariſsimum facinus mulieris Phytoniſſæ ex 1. Reg. 28. hæc Saulem recipiens domi, & eius precibus arte ſua malefica vtẽs fecit, vt rex certior fieret de morte iam ſibi propinqua. Vt erat interficiendus illo ipſo die, & tota eius domus extirpanda funditus. Quem tali nuntio examinatum, & fame pene enectum cõuenit ſtatim mulier,
1. Re. 28. & ait: *Nunc igitur audi tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualeſcas, &c.* Regem viribus deſtitutum, & iam iam moriturum, imò & funditus extirpandum conuenit mulier, illique officioſiſsima adſtat, cibos parat, & multo ſermone cogit, vt ſummat. Dalida illa Samſonis vxor, vt credidit virum ſuis
Iud. 16. deſtitutũ viribus. Iudicum, cap. 16. *Cæpit abigere eum, & à ſe repellere.* Hæc autẽ certo ſciens Saulem ſtatim perimendum cum filijs, nilominus eius prouidet indigentiæ etiam cũ proprio ſumptu. Plane hoc inuſitatum, & nouum in hominum genere. Ait enim ibi Ioſephus lib. 6. de Ant. cap. 15.
Ioſeph. 6. *Mirari ſuccurrit hoc loco mulieris comitatẽ: quæ, quod ſoli mulieri pauperi ſuperfuit, prõpte, ac libenti animo appoſuit, nec gratiam pro beneficio repoſcens, nec officio fauorem regis captans, quem iam iam moriturum præſciebat: cum tamen homines natura comparati ſimus, vt tunc demum officioſos eſſe libeat, quando aut pro meritis gratia eſt rependenda, aut ipſi demereri quempiã cupimus, quem cumulate aliquando beneficium repoſiturum ſperamus.* Merito admirandã dicit Ioſeph hanc mulierem, quæ nec officio fauorem regis captat, quem iam moriturum præſciebat. Nihil enim magis commune, quam quod principes prorſus deſerantur, vbi minime proficui futuri videantur. Solũ enim proprium lucrum eſt, quod capit corda humana in mundialibus.

§. XVI.

Qui principis cupedijs obſiſtit, proditionis reus habetur apud illum.

COniurationis, & proditionis rei vocãtur Beniaminitæ, & ipſe Ionathas Saulis filius eiuſdem criminis reus habetur à patre ſuo. Dicit namque: *Coniuraſtis omnes aduerſum me: maxime cum filius meus fœdus inierit cũ filio Iſai*: & addit etiã: *Eo quod ſuſcitauerit filius meus ſeruum meũ aduerſum me, &c.* Et vnde Saulis famuli, & ſubditi, & filius creduntur tanti criminis rei? An quia arma dederint Dauidi, vt Saulem percuteret? Vel an quia Dauidem excitabant, vt regnum acciperet, illudque Sauli eriperet? Abſit: nec enim Dauid Saulem perſequebatur, nec vllus erat, qui illũ contra Saulem moueret; ſolus Saul iniuſte perſequebatur Dauidem, illique mortem intentabat, ardenterque cupiebat hominẽ è viuis eijcere. Cui regio affectui quia non applaudebat regis filius, nec applaudebãt boni viri, quaſi perduelles, & proditores habentur à Saule. Sic quiſquis non annuit regijs cupẽdijs, vel obſiſtit illis proditionis reus cẽſetur apud mũdiales principes. Nota eſt hiſtoria Achab cum Naboth; vt Achab deſiderauit Nabothi vineã, vt ſibi hortum olerum faceret; vt Naboth obſtitit regiæ cupiditati nolens perdere parẽtum memoriam. Quid tunc? Irata regina,
3. Reg. 21. ſcribens Præfectis vrbis ait: *Submittite duos filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant: Benedixit Naboth Deo, & regi. Et educite eum, & lapidate, & ſic moriatur.* 3. Re. 21. Mirabar, quod vt Nabothi vinea eriperetur, tantum crimen effingeretur in illo, vt reus diceretur læſſæ maieſtatis, humanæ, & diuinæ. Cur non magis mandatur duci, vt illum tacite percutiat? Cur vel ſine ſanguine ei violenter nõ eripitur vinea? Cur neceſſum fuit ad crimen læſſæ maieſtatis recurrere, vt hominẽ potentiſsima regina opprimeret? Ait Abbulen ibi quæſt. 7. *Non ſolum volebat Iezabel accipere vineam Naboth, quam deſiderabat Achab vir ſuus; ſed etiã voluit ſummere vindictam, quod Naboth auſus fuiſſet repugnare regi.* Abbul. 7 Equidem vbi res erat cum eo, qui non annuerat regis cupiditati, ſed illi obſtiterat, quia illam indecoram, & iniuſtam putabat; non ſufficiens putabat regina, quod ei vinea per vim auferretur, niſi & læſſæ maieſtatis humanæ, & diuinæ reus haberetur, & tanti criminis ſupplicium ſubiret. Sic Amos, cap. 7. *Miſit Amaſias Sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Iſrael dicens: Rebellauit contra te Amos, non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius.* Amos 7. Erat Amos vir armentarius, pauper, & deſpicabilis, vt qui aliorum pecora paſcebatur, vnde ergo tam pauper homũtio haberi potuit rebellis in regem? Ait Carthuſ. ibi: *In obediens erat Amos, Idololatriam reprobando, quam Rex iubebat exerceri.* Carthuſ. Totus erat Ieroboam in Idololatria amplificanda; vt Idola à ſe inuenta colerentur; tam nefarium facinus

pius

pius Amos non probabat, imò oſtendebat nihil diuinum in Idolis eſſe. Ea autem ſola ratione quiatã impio regis facinori obſiſtebat, & perduellis habebatur, & accuſabatur maieſtatis læſſæ.

1. *Reg.* 22. Reſpondens autem Doeg Idumæus, qui aſsiſtebat, & erat primus inter ſeruos Saul; Vidi inquit, filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achithob Sacerdotem, qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi. Miſit ergo Rex ad accerſendum Achimelech Sacerdotem filium Achithob, & omnem domum patris eius, &c.

§. XVII.

Tũc impij funditus ſanctos extirpant, cum religionem regibus fatalem perſuadent.

NNfarius Doeg, vt Saulis iram aduerſus Dauidem acuat, illumque funditus perdat iuxta regis placitũ loquens ait: *Vidi filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achithob Sacerdotem, qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit, ſed & gladium, &c.* Expende, quid in primis ponat impius ad animum regis exacerbandum; nimirum, quod Sacerdos conſuluerit Dominũ pro Dauid, deinde, quod illi dederit gladium. Vt ſic Sacerdotis oratio ad Deum, credatur Sauli fatalis, & valde contraria. Proh Deus immortalis, in quã ſimilem mentẽ vniuerſi impij abeunt, qui vt ſanctos perdant, nihil prius faciunt, quam religionẽ ipſam perſuadere eſſe regibus fatalem. Sic vafriſsimi illi Babylonis ſatrapæ, vt perderent Danielem, hominem accuſabant apud regem: *Daniel de filijs captiuitatis Iudæ non curauit de lege tua, & de edicto, quod conſtituiſti, ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.* Ecce tibi totum crimen Danielis, quod oret ad Deũ ter in die; quaſi oratio pij hominis nõ poſſet non eſſe fatalis Regi. Sic Ariani homines accuſabant Athanaſium apud Conſtãtium, quod Chriſtianos oraturos in templum conuocaſſet. Pro quo D. Athan. in Apol. ad Conſtantium ait: *Perſuaſit ſibi homo vecors, & inſcius ſub te vim, barbariemque Babylonicam vigere, nihil ſentiens, quam eſſes amicus Danielis, cum quo idem numen colis, nec te interdicere orationes, ſed quam maxime omnes orare velle, quippè, qui compertum habeas, omniũ vota preceſque id expetere à Deo, vt ſaluus ſis, & perpetuo in pace regnes.* Quibus & Imperatoris pietatem, & Arianorũ maliciã optime oſtendit. Imperator enim, vt pius, & ſanctorum religioſorum amicus nihil mali à religione ſuſpicabatur, quotquot orantes ad Deum, diuinaque caſte, ac ſincere colentes cerneret, ſibi profuturos credebat. Arianus autem, vt impius, & vecors eo ſtudebat, vt Imperatori barbariem Babylonicã perſuaderet, qua crederet ſibi aduerſarias, & nociuas orationes ſanctorum, & ſic ſanctos funditus perderet. Eſt equidem vetuſtiſsima impiorum conſuetudo, quod religioſa obſequia contraria, & ominoſa eſſe perſuadeãt regibus. Amos, cap. 7. *Et dixit Amaſias ad Amos: Qui videns, gradere: fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & ibi prophetabis: & in Bethel non adycies vltra, vt prophetes, quia ſanctificatio regis, & domus regni eſt.* Expende cur prophetare vetetur Amos in Bethel, nimirũ, *quia ſanctificatio regis, & domus regni eſt;* hoc enim impij ſtudent, vt ſancta omnia ſua, non diuina, ſed regalia oſtendantur, nec ad Dei, ſed ad regis cultum pertinere, vt quod religioſum, & pium eſt illis contrarium, appareat ominoſum, & contrariũ regi. Ad hæc dicebat in præſenti D. Hieronim. *Hoc quaſi falſus ſacerdos loquitur, adulans regali faſtigio, vt non dicat; Sanctificatio Dei noſtri eſt, & domus Idoli: ſed ſanctificatio regis, & domus regni; hanc habentibus cunctis, qui falſos Deos colunt, conſuetudinem, vt ſuperbiam ſuam regibus imputẽt: :: Solent enim dicere Hæretici: Imperator nobis communicat, & ſiquis eis reſtiterit, ſtatim calumniantur; ergo tu contra Imperatorem facis? Auguſti mandata contemnis?* Expẽde illud: *Hanc habentibus cunctis, qui falſos Deos colunt, conſuetudinem, &c.* quippe Impiorum hominum, & Apoſtatarum omnium hæc eſt vetuſtiſsima conſuetudo, & notiſsima, vt in ſanctis ſuis non diuina, ſed regalia proponant, & reſiſtentes illis accuſent crimine proditionis, vel eo ſolum; quod ad Deum orent, vel ſecum habeant orationis notas. Eu bone Ieſu quam ſæpe teſte D. Cyril-

D. Atha.

Amos, 7.

D. Hier.

D. Cyrill.

Cyrillo in Amos, repetunt neotherici impij aduersus assectlas tuos illas voces, Ioan. 9. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*: vt reddant suspectos regibus, quoscumque viderint sincere, & pie Iesum sequentes!

Ioann. 9.

§. XVIII.

Apud mortales miseros plus solet valere, quod ex regibus, quam quod ex Deo habent.

NOtabam despectum, & parum Doeg affectum erga Dauidem illis verbis: *Vidi filium Isai in Nobe, &c.* Non Dauidem nominat, sed contumelioſe ait filium Isai, regi Sauli morem gerens in Dauide despiciendo, vt notat Carthusian. Sed quem fateris honorifice acceptũ ab Achimelech summo Sacerdote; & pro quo cõsultum Deo fuisse; cur non magis eum vereris, vt honores? Cur audes despicere, & & discrimini obijcere, pro quo vides & religionem stare, & summum Sacerdotem, & Deum? Præfixerat textus de Doeg; *Qui assistebat, & erat primus de ministris Saulis.* Et quid aliud sperari possit à primo ministro regis, quam quod vniuersam religionem, & Deum, & iustitiam eius postponeret regi? Sanè validissimum est, quidquid in miseros mortales, splendoris, aut dignitatis venit à Regibus, vt illos faciat, vel Deum contemnere, vbi studium ostendẽdum est pro rege. Præses Ierosolymitanus Pilatus cum audiuit de Iesu, quod filius Dei prædicaretur, ait Ioann. 19. quod, *magis timuit*, verebatur enim filium Dei, & pro illo defendendo pugnabat. Quod notantes Iudæi clamant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, quo audito, statim Iesum tradidit Iudæis. Et cur, qui vocem filij Dei verebatur, ad vocem Cæsaris statim Iesu perdidit? Erat primus minister Cæsaris Ierosolymis, & quæ in illo dignitas erat ex Cæsare sic prævaluit, vt vel Deum cõtemneret. Ait D. August. tract. 116. in Ioannem: *Vbi dixerunt: Nos legem habemus, & secundum hanc legem debet mori, quia filium Dei se fecit: eorum legem ille non timuit, vt occideret; sed magis timuit filium Dei, ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere Cæsarem authorem potestatis suæ.* Potestas, & dignitas à Cæsare in hominem profecta sic illum affecit, vt minime vellet Cæsarem postponere Deo. Et qui Deum ante verebatur, postquam in discrimine vidit gratiam Cæsaris, non dubitauit tradere Deum crucifigendũ. Nemo ignorat stultissimam superbiam regis Babylonis, quãdo in statua aurea adorari à populo decreuit. Sed illud sæpe mirabar, quod ad adeo nequam facinus peragendum cõgregaret in primis vniuersos potentatus sui regni. Ait enim Daniel, cap. 3. *Itaque Nabuchdonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos: omnesque principes regionũ, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, &c.* Et quando tam impium opus, & tyranicum aggrediebatur instigãte diabolo, mirabar, quod diabolus nõ magis caueret tot iudices, & magistratus, & satrapas, & principes congregari, qui possent congregati, & adunati regem de tam nefarijs ausibus admonere. Nonne timeri posset, quod tanta virorum illustrium cõgregatio posset obsistere regi? Vt omnes ij dignitates suas, & magistratus regi debebant acceptas, sic de illis non dubitabat diabolus, quod in qualibet impietate subscriberent regi. Ait D. Chrysost. hom. 4. ad Popul. *Non enim de subditis ijs dubitabat diabolus, sed potius multum confidebat, quod nullus regis legi se obiecturus erat.* Quotquot videbat diabolus iudices, duces, magistratus, satrapas, regionum principes constitutos à Rege; tot sine dubio censebat consensuros impijssimis edictis regis. Quis aliud speraret de eis, qui potestatum suarum authorem agnoscerent regem? Et quidem de ijs omnibus magistratibus solum tres hæbræi inuenti sunt, qui vitam, & dignitates postponerẽt religioni. Quos videns Nabuchdonosor inter flammas liberos, ait Dan. 3. *Benedictus Deus eorum Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua, ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum excepto Deo suo.* Circa quæ ait Theodor. *Deum laudat, & viros admiratur, quod regis verbum immutarint, & iniquæ vitæ piam mortem anteposuerint.* Admirandum erit, siquis magistratus Regis verbum postponat Deo. Hinc notabat Luc. cap. 23. *Ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio: Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, &c.* Nõ enim ociosè ponitur, quod esset decurio, sed ad magnam eius laudem, quod non magis suæ dignitati prospiceret, quam honori diuino. Ait enim Theophilact. ibi: *Ioseph tametsi primo latuerit, tamen*

Ioann. 19

D. Aug.

Dan. 3.

Chrysost.

Dan. 3.

Theod.

Luc. 23.

Theoph.

laude

laude dignam rem nunc facit, quamuis conſiliarius eſſet, ac diues, & audet petere corpus hominis crucifixi, quaſi perduellis, & ſeditioſi, nullumque periculum ſuſpicatur, licet periculum eſſet diuitarum. Expende illa: *Licet conſiliarius eſſet, ac diues*: quippe raro ſperari debet à conſiliario principis, quod nõ magis conſulat dignitati ſuæ temporali, quam æternæ ſaluti.

§. XIX.

Fideles principes ſi à Deo exorbitent, nocentiores ſolent eſſe tyrannis ethnicis in Dei ſeruos.

AD ſimplex Doegi Verbum, quo ſuſpectum reddidit Sacerdotem ſummum Sauli, eo quod cibum, & arma Dauidi dederit; Saul Sacerdotes omnes adiudicium vocat, & perimit. Ait namque text. *Miſit ergo rex ad accerſendum Achimelech Sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius, &c.* Nulla interceſsit mora, ſed vt Doeg locutus eſt contra Sacerdotem; Sacerdotem vocat Saul, & illum cum omnibus ſuis interficit. Ecce tibi, quæ vix apparẽt in tyrannis ethnicis, reperiuntur in principe fideli. Nec miror, ſi enim fideles principes exorbitẽt à Deo, crudeliores inuenientur ethnicis. Amos, cap. 7. *Miſit Amaſias Sacerdos Bethel ad Hieroboam regem Iſrael dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſrael: nõ poterit terra ſuſtinere omnes ſermones eius. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Hieroboam, Iſrael autem captiuus migrauit de terra ſua.* Sic accuſabatur apud Idololatram regem propheta, quod rebellaret, quod mortem regi minaretur in concionibus, in popularibus conuentibus. Quid tũc rex Idolatra? Vocat ne hominem, vinculis tradit, percutit, aut exulare cogit? Nil horũ præſtitit, ſed neque verbum locutus eſt: quod
D. Hier. miratus D. Hieron. ibi ait: *Conſideremus, quod multi reges Chriſtiani, qui perſecuti ſunt Eccleſiam Dei, & Arianã impietatem in toto orbe fundare conati ſunt, vincãt in ſcelere Hieroboam regem Iſrael. Ille enim falſi Sacerdotis mandata deſpexit, nec ad ſuggeſtionẽ eius, quicquam voluit reſpondere. Iſti autem cum multis Sacerdotibus ſuis, fame, penuria, carceribus, & exilys prophetam, & Sacerdotes Domini necauerunt.* Sic queritur ſanctus doctor, quod tyranni ethici vincant in regnandi pia ratione Chriſtianos principes; quando de illis inuenitur Hieroboan, qui obſurdeſcat ad voces ſuorum accuſantium proditionis Dei prophetas; de his, vix inuenitur, qui non de ſæuiat in Dei præcones, vel ad vmbram exceſſus. Hinc Ionas, cap. 3. ingreſſus Niniuem non veretur clamare apud regem eius, ciuitatis deſtructionem. Ait enim: *Adhuc quadraginta dies ſunt, & Niniue ſubuertetur: Et peruenit verbum ad Regem Ninive.* Et mirabar, quod Ionas nõ magis caueret Regẽ ethnicum; in principio enim fugiebat prædicationem illam veritus miſericordem Deum, ne flecteretur ad veniã. At à Rege Niniue nihil ſibi timebat. Et cur non magis timet barbarũ regem in prædicatione regni perdendi? Ierem. 32. dicit: *Tunc exercitus regis Babylonis obſidebat Ieruſalẽ: & Ieremias propheta erat clauſus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda. Clauſerat enim eum Sedecias Rex Iuda dicens. Quare vaticinaris dicẽs, Hæc dicit Dominus. Ecce ego dabo ciuitatem iſtam in manu regis Babylonis, &c.* Rex erat Sedecias fidelis, Ieroſolymis apud Dei templum enutritus, & tamen Ieremiã vinculis opprimit, ob denuntiatam regni vaſtationem. Quando ergo apud fideles reges tam male habebant Dei præcones, cur Ionas non veretur denuntiare excidiũ regni & barbaro, & ethnico regi? Ait D. Ephræm in Ionam: *Idoneum experimentum Ionas accepit à gentibus; quia Moyſem ſuſcepit rex idolorum.* Et quidem res erat cum rege ethnico, & barbaro, apud quales non adeo male acceptos nouerat Ionas Dei præcones. Moyſes enim Pharaoni multa mala prædixit, & diues, & fœlix euaſit ex aula. Daniel exitium regni Balthaſari propoſuit, & accepit in præmio auream torquem. Dentur mihi è Chriſtianis alij duo, qui ſibi duros Dei precones honorent, & non magis exſufflent, multiſque opprimant.

Ionas, 3.

Ierem. 32.

D. Ephr.

§. XX.

Delationes ſine probationibus apud ſolos impios principes præualent.

AD Verbum Doeg iratus Saul, ſtatim Sacerdotes occidendos accerſit; ait enim: *Miſit ergo rex ad accerſendum Achimelech, &c.* Sic calumniantis verbis credidit Saul, vt nulla expectata rei probatione

batione statim procedat ad vindictã summendam de Dei Sacerdotibus. Ex quo sapienter satis D. Athanas. monebat Constantium Imperatorem in sua apud illum
D. Atha. Apologia. *Quales calumniatores sunt, tales etiam suos auditores æstimant, persuadentque sibi calumnias apud te plurimum valituras, exemplo à Doeg mutuato, cuius insidiæ contra Sacerdotes plurimum valuere, sed auditor ibi Saul ille iniustus fuit.* Ecce tibi, quando minime probatę culumniæ possunt præualere, nimirum, quando iniquus, & iniustus auditor est. Quippè ait: *Sed auditor ibi Saul ille iniustus est*; apud iniustum, & impiũ regem solum calumniæ præualent. Sic etiam 3. Reg. 21. Iezabel contra iustum Naboth
3. Re. 21. scribebat: *Submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant, &c.* & quod magis est, audito hoc testimonio Naboth occiditur. Miratis, quod sic fallitas præualeat? Sed accipe D. Athanasium in eadem Apol. fantem: *Iezabelis quoque calumniæ noxam religiosissimo Naboth intelerunt, verum & ibi Acab ille malus, & præuaricator aurem præbuit. Contra sanctissimus ille Dauid, cuius & te imitatorẽ pro omnium votis decet, istius modi homines ad se nequaquam admittit, sed vt rabiosas canes auersatur dicens: Detrahentem clanculum proximo suo persequebar. Seruabat enim præceptum hoc, Non accipies rumorem vanum.* Sic boni principes oderunt sermones non probatos aduersus proximos; qui sermones apud solos iniquos principes valent.

1. *Reg.* 22. Noluerunt serui Regis extendere manum in Sacerdotes Domini. Et ait rex ad Doeg: Conuertere tu & irrue in Sacerdotes. Cõuersusque Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & & trucidauit in die illa octoginta viros vestitos ephod lineo, &c.

§. XXI.

Qui Deum cæperit terrenis postponere, ægre, & difficulter non persistet in eo.

ET tot ministris Saulis præsentibus vnus Doeg Idumæus inuentus est, qui auderet aduersus sacerdotes stare, illisq; mortem inferre. Dicit textus: *Noluerunt serui regis, &c. Conuersusque Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidauit, &c.* Et quando tot aulici, & Palatini nefarium opus detrectant, cur vnus Doeg illud aggreditur? Cur non magis veretur facinus, quod cæteri omnes refugiebãt? Cæperat iam semel iste & Sacerdotes, & diuina oracula infamare, & suspecta reddere Regi, dum maliciose testificabatur supra Deum pro Dauide consultum, donatumque Dauidem pane, & armis ab Achimelech. Vnde nõ miror, quod non distãt, sed magis omnia facinora voret, vsque dum in extremam perditionem eat. Ait D. August. in Psal. 51.
D. Aug. *Nemo ausus est hominum regis Saul, nec iubente rege mittere manum in Sacerdotes Domini, sed ille, qui prodiderat, sicut Iudas, qui à proposito suo non recessit, & vsque in finẽ perseuerauit de illa radice fructus ferre, quales fert arbor mala.* Expende illud: *De illa radice fructus ferre, &c.* Vna, eademque radix facinorum in Doeg, & in Iuda fuit; vterque summum Sacerdotem prodidit, ille Achimelechum, hic Iesum; vterque proditione sua principum gratiam venabatur: ille gratiam Saulis, hic gratiam principum Pharisæorum: vterque Deum postponebat terrenis commodis. De hac igitur radice nũquam non fructus decerpent; quæcumque facinora inde nascantur, illi peragent, & vsque in finem perseuerabũt vorantes crimina, & criminum rapientes mercedem. Huc spectat etiam titulus, Psalm. 51 diẽs:
Psal. 51. *In finem intellectus Dauid, cum venit Doeg Idumæus, & nuntiauit Saul, venit Dauid in domum Abimelech.* Circa quæ mihi expendenda venit coniunctio illa nempe; *In finem, cum venit Doeg Idumæus, & nuntiauit Saul, &c.* Quid quod Doeg venerit, & nũtiauerit Saul, cum particula illa *in finem*? Doeg Idumæus idem est, ac motus terrenus, ex quo D. August. sapienter colligit, quam semper, & vsque in finem idem erit, in cœlestibus abijciendis, vt sese submergat terrenis. Ait enim, ibi:
D. Aug. *Quid expectatis de homine terreno aliquos fructus cœlestes? Homo erit in æternum.* Nunquam cœlestia sapiet, nunquam non contemnet cœlestia, qui terrena semel cęperit anteponere Deo. Nihil supra humum admittet, & dum terrena mandet, nullum non vorauit facinus in æternum. Sic in talibus illa prima peccati radix nescit arescere, sed in dies nouos malicię fructus profert.

§. XXII.

Nequitia timida crudeliſſima eſt.

QVis à rege fideli tã atrox facinus metueret, vt tot Sacerdotes innocentes interficeret, ciuitatemque perderet? *Trucidauit*, ait, *illa die octoginta viros veſtitos Ephod, &c.* Crediderim nuſquã tam immane facinus viſum; homines pacifici, Deo ſacri, in ipſo regis palatio, euidentẽ accuſationis excuſationẽ præferentes barbariſsimè trucidantur. Vnde tãta crudelitas ortũ habuit? Ioſephus putat tunc regẽ correptum fuiſſe ingenti metu de Dauide cum armatis hominibus in terra Iuda apparente; & tandem ait: *Excuſationi Saulus fidẽ habere noluit, quod plus apud eum metus periculi valeret, quam excuſatio quamuis iuſta. Itaque circumdatum armatis cum tota familia iubet contrucidari.* Nec miror, quod homo metu correptus in tam inſolitã crudelitatẽ deueniat. Crede mihi nunquam non parit metus crudeliſsimos effectus, vt à nullo magis cauere debeas, quã ab inimico metuente. Herodes ille, vbi audiuit natũ rerem Iudæorum, ad illumque adorandum ſtella duce reges Orientis veniſſe, Matth. 2. *Turbatus eſt*, quid tũc? *Iratus occidit multos pueros, &c.* Non multo inferior fuit hęc Herodis crudelitas Saulis: ſed & etiam Herodis crudelitas à timiditate hominis venit. Ait D. Aug. tract. 115. in Ioann. *Herodes ille maior, cum Chriſtus natus nuntiaretur, expauit, & tot infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis, quam iraſcendo crudelior.* Non ſic iracundia, vt timor fecit hominem crudelem, & efferatum, vt innocentem puerorum effunderet ſanguinem. Quippè ſapienter ait: *Timendo magis, quam iraſcendo crudelior.* Eſt equidem crudelior timidus, quam iracundus. Quo ſpectans Sapiens, cap. 17. ait: *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium cõdemnationis.* Seu vt in rem præſentem legit D. Bonauent. cũ alijs: *Data eſt in omnium condemnationem.* Quid enim à timido ſperetur, niſi perditio omnium, & condemnatio? Cui accinit Sidon. Apol. in Panegyr. Auiti aiens:

Nihil eſt grauius, ſi forſitan vnquam
Vincere contingat trepido.
Neſcit enim trepidus, & timidus parcere,
ſed omnes perditum ire amat.

1. *Reg.* 22. Euadens autẽ vnus filius Achimelech filij Achitob, cuius nomen Abiathar, fugit ad Dauid, & nuntiauit ei, quod occidiſſet Saul Sacerdotes Domini. Et ait Dauid ad Abiathar, Sciebam in die illa, quod cum ibi eſſet Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli; ego ſum reus omnium animarum domus patris tui. Mane mecum, ne timeas, ſiquis quæſierit animã meã, quęret & tuam, mecũque ſaluaberis.

Matt. 2.

D. Aug.

Sap. 17.

D. Bon.

Sidon.

§. XXIII.

Iuſtorum conſortiũ aſylum firmiſsimum eſt. Vbi de Ieſu conſortio.

SApienter Abiathar in tanto Sacerdotũ diſcrimine, in quo tota Eli poſteritas iuxta verbum Domini perdenda erat, confugit ad Dauidem, â quo audit illud: *Mane mecũ, ne timeas: ſiquis quæſierit animã meã, quærit & animam tuã, mecumque ſeruaberis.* Et quis non ſeruaretur in conſortio tanti iuſti? Plane qui iuſtis viris adiungitur, aſylum habet firmiſsimum ſalutis ſuæ. Actor. 27. dũ cum ethnicis, & infidelibus nauigat Paulus, ingenti tempeſtate nauis impellitur, adeò, vt pene vniuerſi deſperarent vitam. Quid tunc? Ait Paulus ſocijs: *Nũc ſuadeo vobis bono animo eſſe, amiſsio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquã nauis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego, & cui deſeruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſsiſtere, & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Huc ſpectans D. Paulinus epiſt. 42. de Martiniani naufragio dicit:

Act. 27.

Vixerunt iuncti Chriſtianis impij
Vincente noctem lumine
Nam Chriſtianos aggregare mortuis
Virtute caſſa mors fuit.

D. Paul.

Equidẽ qui ſe pijs adiungit, piorum participat præſidiũ; nec tantum illi nocent mala propria, vt proſſunt iuſtorũ virtutes in ſalutẽ: Aiebat Pſal. 65. *Et loquũ eſt os meũ in tribulatione mea. Holocauſta medullata offerã tibi cũ incenſo arietũ, offerã tibi boues cum hircis.* Circa quæ notanda ſunt illa verba: *Boues cũ hircis*: nimirùm, quod hirci numerentur inter Dei ſacra. Nonne hirci à ſiniſtris Dei ponuntur, Matth. 25. expoſiti maledictioni diuinæ, & in æternum arſuri? Qui ergo maledicendi ſunt, cur

Pſal. 65.

Matt. 25.

Deo sistuntur, vt grati illi fiant? Plane hirci maledicendi sunt, postquam ab ouibus, & agnis separentur; at vbi adiuncti sunt sacris alijs animalibus, de horum consortio etiam abeunt in vitam. Ait ibi D. Augustinus.

D. Aust. *Adiunctione ipsa saluãtur hirci, per se nõ possunt accipi, adiuncti bobus accipiuntur.* Deus bone, si hirci per se separentur, absque dubio in perditionem ibunt; verum si sacris alijs animalibus iungantur, adiunctione ipsa salui fiant. Vt discas quã tibi fructuosum erit, si adiungaris iustis viris. Quod si iustus ille sit noster verus Dauid, seu Dauidis filius Iesus, plane ex eius adiũctione firmissimum habebis salutis asylum. Adducebatur quondam à principibus Ierosolymitanis mulier adultera ad Iesum; apud quem illam vehementissime accusabant,

Ioann. 8. Ioann. 8. Illis autem dicebat Iesus: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra, audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier, &c.* Dum Iesus in terra scribit, abeundi copiam præsentibus faciebat; qua accepta accusatores recesserunt, rea autem cum Iesu perseuerabat. Et cur non magis occasione abeundi oblatà mulier illa non recedit? Cur inclinato Iesu ad terrã vt scriberet, dum accusatores recedunt, similiter accusata fœmina non recedit? Sanè scribebantur in terra, qui à Iesu recedebãt, quæ apud illum perseuerabat, non poterat ad salutem non pertinere. Adhæc D. Aug. lib. 1. contra aduersarios leg. & Prophet.

D. Aug. cap. 20. fatur: *Quis enim cogitat, quomodo ad memoriam Dei scribantur in cœlis sequentes Dominum: derelinquentes autem Dominum scribantur in terra, de quibus propheta Ieremias dicit: Vniuersi, qui derelinquunt te, confundantur, recedentes à te in terram scribantur. Quos bene intelligitur significasse Iesus, quando Iudæi victi, atque confusi, cum audissent, Qui sine peccato est, prior in illam lapidem iaciat, vnus post alterum recesserunt. Tunc autem ille ostendens, de quo numero essent, digito scribebat in terra.* Simul recedebant à Iesu, & in terra scribebantur, vt ostenderentur ad perituros pertinere. Fœlix ille, qui Iesu adhæret, illique sese maxime adiungit; inde enim nõ ad ruinam, sed ad vitam tendet. Cum Iesu enim nil habes non salutare, non lætum. Ideò Dauid Psalm. 50. clamabat:

Psal. 50. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Circa quæ ait D. Aug. hom. 3. in Assumpt. Ma-

D. Aug. ric: *Et hic attentius intuere, quã exultationem quærit. Quod enim hebraice Iesus, hoc latine salutaris dicitur. Quæ enim lætitia est Iesu, nisi contemplatio eius, qualis venturus est in gloria sua?* Sola contemplatio venturi ad nos Iesu potens est, & nos in salute firmare, & inenarrabili implere lætitia.

CAPVT IX.

Dauid in Ceillam.

Textus Historia.

INTEREA Recruduit Philisthinorum ódium in Israelitas, & haud ignobilis vrs Ceillam nomine prima cæpit sentire hostiles impetus, quibus maturæ agrorum fruges perdebantur, & res erat in maximo discrimine. Traxit Dauidem calamitas contribuliũ; & vt erat fratrum amator, sic pro Ceillanis annuẽte Deo stat in acie, acerrime pugnat, cõfractosque hostes vertit in fatis indecoram fugã. Aliquantulum respirabat inter Ceillanos nobilis triumphator, cum fama tantæ victoriæ viciniam implens peruenit ad Saulem, qui lætus de victoria, magis lætabatur de Dauidis periculo, eum enim iam credebat in nexu, quẽ sciebat apud sibi fidissimos Ceillanos viuere. Hominem capturus festinabat rex iniquus; sed eius nequitia nõ potuit nõ subolere Dauidi, & commonefactus à Deo de Ceillanorum proditione, inde cum sexcentis auctis socijs quam primum aufugit. Nulli iam vrbi se credebat sapiens fugitiuus, sed in deserto Ziph, in obscuris, & abditis syluis morabatur. Inaccessus ibi erat Sauli, sed confortatus Ionathæ amicitia, qui peruestigans amicum, tandẽ inuenit, eumque spe iam venientis regni fouet, & nouo fœdere sibi adiungit. Hæc Ionathas pro Dauide; verum Ziphæi agri incolæ Saulem monent, vt capiendus sit hostis in eorum latitans limitibus. Aduolat ille cum exercitu trium millium pugnatorum, dumque partem montis Maon cingerent regis milites, Dauid è parte altera cũ suis pergebãt, re iam eò deducta, vt minime valeret effugere. Tunc Deo prouidente accurrunt nuntij, qui Saulem referunt totius Israelis periculum, quando Philisthini facto impetu regionem populabantur. Sic vt instanti occurreret periculo ab incepto itinere destitit, & locum dedit Dauidi, vt sibi consuleret. Quis sub Dei alis non viuat, humana munimenta despicies?

PARS MORALIS circa textus literam.

 REDE Mihi non de hostibus reportatæ victoriæ, non abruptarum petrarũ firmitudo, sed vnũ Dei auxilium potens est homines asserere in tuto. Id nos docet aperte litera capitis istius.

1. *Reg.* 23. Et annuntiauerunt Dauid dicentes; Ecce Philisthim oppugnant Ceillam, & diripiunt areas. Consuluit ergo Dauid Dominum dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade & percuties Philisthæos, & Ceillam saluabis. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, &c.

§. I.

Frugum ruina sacrorum contemptum comitatur.

AVdio, vt nuntiatũ est Dauidi de areis Ceillanorum hostili incursu perditis, dum ait: *Annuntiauerunt Dauidi dicentes: Ecce Philisthim oppugnant Ceillam, & diripiunt areas.* Quæ verba explicans noster Salianus credit nuntium de areis direptis venisse ad Dauidem, eò ipso tempore, quo apud Saulem Sacerdotes veri Dei iugulabantur, & eorum ciuitas Nobe funditus perdebatur. Nec miror, quod vbi sic Dei sancta perduntur; areæ frumentariæ Israelitarum ab hostibus diripiantur. Solet enim perditio frugum sacrorum iniurias comitari. Quo spectat vox illa Tertull. lib. ad Scapul. *Tamen doleamus, necessum est, quod nulla ciuitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem: Sicut, & sub Hilariano præside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent, Areæ non sint, Areæ ipsorum non fuerunt.* Pulchrè ille æquinoca voce arearum; dicebatur enim area locus, in quo sepeliebantur Dei serui; item dicebatur area locus colligendis frugibus destinatus. Eripuerunt gentiles sanctis areas sepulchrales, & simul perdiderunt sibi areas frumentarias. Perditur frugum area, dum perditur reuerentia exhibenda sacris. Ait Oseas, cap. 9. *Dilexisti mercedem super omnes areas tritici.* Vbi Rupert. *Dilexisti non Deum, sed mercedẽ super omnes areas tritici.* Quid tũc? *Area, & torcular non pascent eos, & vinum mentietur eis.* Sic diuinorum, sacrorum ve contemptum comitatur perditio, & ruina frugum. Nota est historia Achab, & Iezabelis; vt ille aram posuit Baal, vt hæc interfecit prophetas Domini. Et tunc 3. Reg. 17. *Dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab, Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, neq; pluuia, nisi iuxta oris mei verba, &c.* Elias dixit, & cœlum æreum factum est, & agri aruerunt, frumenta defecerunt, fames magna increuit. Quod ponderans D. Ambr. apud Glossam ait: *Tunc pseudo prophetæ, tũc fames. Repete mihi tempora, & inuenies tunc prophetas confusionis, nunc Iezabel, nunc famem, nunc ariditatem terræ.* Simul pseudo prophetæ, & fames, Iezabel interfectrix prophetarum, & ariditas terræ, & penuria frugum, ita vt vniuersi fame tabescerent.

Tertull.

Oseas, 9.

Rupert.

3. Re. 17.

D. Amb.

§. II.

Ad magnam hominis gloriam pertinet, quod nihil in se habeat, non singulariter ex Deo.

AVdita Philisthinorum irruptione in Ceillã ad consuetas artes Dauid confugit, ait enim: *Consuluit ergo Dauid Dominum dicens: Num vadam, & percuttam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid, &c.* Hoc præcipuum inuenio in principe isto, quod nihil intendat, imò nec gradum faciat nisi precedẽte oraculo diuino. Quod ponderabat Theod. quæst. 54. inquiens: *Diuina autẽ scriptura ostendit eius pietatem. Semper enim Deũ sciscitans, & aciem instruebat, & quiescebat.* Nihil, vel in progressibus, vel in quiete sua amabat ostendi non diuinũ. Quis neget hoc pertinuisse ad maximã Dauidis gloriã; quando omnes eius actiones authoritatem aspirabant diuinã? Isaaci natiuitatem exprimens textus sacer Gen. 21. ait: *Visitauit autẽ Dominus Sarã sicut promiserat; & impleuit, quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus. Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac, & circumcidit eum octauo die, sicut*

Theod.

Gen. 21.

sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum; hac quippe ætate patris, natus est Isaac. Nihil video in natiuitate tanti viri magis decantatum, & celebratum, quam sterilitatem, & senectutem parentum. Nihil de pueri pulchritudine dicitur, vt in alijs cõsuetum est, videlicet Exod. 2. de matre
Exod. 2. Moysi ait: *Peperit filium, & videns eum elegantem, &c.* in primo natiuitatis die Moysis elegantia describitur, & pulchritudo. De Isaaci autẽ nati elegantia omnino silẽtur; id tantum dicitur, vt natus sit in senectute, & sterilitate parentum. Cur nõ magis aliud dicebatur, quod faceret ad cõmendationem pueri? Cur nõ dicebatur, vt erat elegans, & pulcer, vt patri simillimus? In sola sterilitate, & senectute parentum explicata crediderim maxime Isaacum commendatũ fuisse, quando in eius ortu nihil ostendebatur inde non diuinũ. Vt pulcre
Chrysol. dicat D. Chrysol. ser. 90. *Isaaco non tantum obfuit de fuisse naturâ, quam nasci profuit authoris beneficio, non naturæ.* Eo ipso, quod ineptitudo parentum ostendebatur ad ortum Isaac, simul monstrabatur, singulariter ibi adstitisse manum diuinã, quod mirũ in modum exornabat clarissimum virum. Nihil enim æque magnũ in homine ostendi potest, quam si in omnibus suis ostẽdat Deum authorem præcipuum, & se credi faciat opus manus diuinę. Hæc sola hominis gloria potens est inuidiam facere vel angelicis spiritibus. Aiebat Sapiens, cap. 2.
Sapient. 2 *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbẽ terrarum.* Itaque inuidens homini diabolus, illi mortem inferre tentauit. Sed quid diabolus inuidit in homine? An diuitias? An pulchritudinem? An matrimonij voluptates? Sed Angeli neque nubent, neque nubentur, nec æstimant hæc corruptibilia, & temporalia. Quid ergo inuidit? An rationalitatis gradum? Sed in ipso, & sublimiori ille est. Quid ergo inuidit? Ait D. Basil. homil. 2. in aliqua scripturæ loca:
D. Basil. *Post quam diabolus vidit hominem paruũ quidem animal supra omnem creaturam honoratum, cum esset antiquior homine facile conspexit, solum hominem manibus Dei plasmatum esse, cætera verbo tantum procreata, hunc ei honorem inuidit.* Equidem in alijs creaturis creandis non ostendebatur manus diuina applicata, sed tantum & facta sunt; dixit enim Deus Gen. 1. Fiat lux, & facta est lux, simulque cum luce myriades Angelorum fuerunt creatæ, vt mauult non ignobilis Theologorum pars. Vbi ad hominem ventum est, Genes. 2. dicit: *Faciamus*
Genes. 2. *hominem*; ibi non solum verbum domini, sed & peculiariter manus diuina applicatur. Ex quo tantus honor accreuit homini, vt inde inuidiam faceret diabolo.

§. III.

Hoc nouum & diuinum, quod quis in malis constitutus, aliorum inuigilet saluti.

QVis non miretur in Dauide, quod de Ceillanis liberandis agat, cum ipse versetur in periculis? Audita enim illorum calamitate: *Consuluit Dominum dicens: Num vadam &c.* Et quando ipse vix audet apparere, & ægre & difficulter inuenit locum tutum à Saulis insidijs, moratus in terræ cauernis, & speluncis, non dubitat exire in campum, & Ceillanos saluare, hostesque illorum opprimere. Sanè hoc egregium, & mirabile, & diuinum, de Deique habitu in Dauidem veniens quotidie admirer. Luc. 23. cruci erat affixus Iesus inter duos latrones: *Vnus autem de his, qui*
Luc. 23. *pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens; Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste: hic vero nihil mali gessit.* Nec vlli licet non mirari in præsenti latronis fœlicis virtutem; qui morti proximus, inter acerbissimos cruciatus sui supplicij, vt vidit Iesum contumelijs pulsari à socio, malorum suorũ oblitus, aduersus Iesu hostem insurgit. Ait D. Augustin. hom. de cruce, & latr. *Quis non ad-*
D. Aug. *miretur, & compungatur? Non solum enim, quod in ipso erat, sed & ea, quæ circa seipsum erant relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens, & dicens: Neque tu times Deum, &c.* Hoc valde mirandum erat in homine tot malis circũdato, quod aliorum procurandæ saluti attenderet. Quõ spectans Arnold. Carnotens. in præsenti ait: *Sanè hic, de quo agimus, latro, nouo philosophandi genere, supplicij tanti*
Arl. Ca. *immemor, cum blasphemo illo, de timore Dei, & iustitia disputabat. Neque, inquit, tu times Deũ, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuste. Testis est innocentia Christi, increpat maledicum, nec sibi parcit:: Itaque concionator illustris, oblato confessionis, & fidei odoramẽto, impositoq; latroni blasphemãti silẽtio, vi-*

storiæ

ctoriæ ſuæ palmam à iudice exigens dicit: Memento mei. & c. Expende illa: *Nouo philoſophandi genere, & c.* quippè nouum, & inauditum eſt philoſophiæ genus, quod quis in malis conſtitutus, aliorum bonis inuigilet; nec id ab alio, quam à Deo potuit in hominem venire. Sic actus in crucem Ieſus. Luc. 24. Luc. 24. clamabat: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Circa quæ D. Laurēt. Iuſtinian. de Chriſti Agone, cap. 17. ait: Laur. Iu. *Plus eorum animas, quam corporis mei magnipendo ſalutem. Nā & ſi cruciatus quem patior, mihi grauiſſimus eſt, eorū tamen acerbior mihi eſſet perditio.* Hæc à quo venire poſſent niſi ab ore diuino? Huius enim ſolius gratiæ eſt, quo quis mala ſua non curet, vt à proximis ſuis depellat pericula. Sic Ioā. Ioann. 19 19. *Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulū ſtantem quem diligebat: dicit matri ſuæ, Mulier ecce filius tuus, & c.* Vbi D. Cyrill. Alex. *Prouidit matri, quaſi parum de magnitudine doloris curaret, & ſi acriter patiebatur.* Medijs paſsionis ſuæ tempeſtatibus ſic maternæ orbitati conſulebat, quaſi ipſe liber eſſet ab omni malo.

1. *Reg.* 23. Rurſus ergo Dauid conſuluit Dominū, Qui reſpondens ait ei: Surge, & vade in Ceilam; ego enim tradam Philiſthæos in manu tua. Abijt ergo Dauid & viri eius Ceillam, & pugnauit aduerſus Philiſthæos, & abegit iumenta eorum, & percuſsit eos plaga magna, & ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ.

§. IIII.

Diuinis placitis tota certificatio procuranda. Vbi de temporalium hominum conſultationibus.

SEmel iam Dauid diuino fuerat monitus oraculo de iuuandis Ceillanis; & nihilominus ſuper eamdem rem iterum conſulit Dominū. Dicit enim: *Rurſus ergo Dauid conſuluit Dominum, & c.* Nec vidi, quid Dauidi vitio vertat, ſed vniuerſi eius id tribuunt laudi. At Num. 22. Balaam monitus ſemel à Deo, ne cum legatis Balaci Regis Madianitæ iret; multis ab eis perſuaſus tandem ait: *Obſecro, vt hîc maneatis* Num. 22 *etiā hac nocte, & ſcire queam, quid nobis rurſus reſpondeat Dominus.* Ecce tibi, Dauid ſemel certificatus à Deo, iterum de eadem re conſulit Deū, nec Deum offendit; Balaam autem certificatus iam ſemel, cum de eadem re conſulit, maxime Deū offendit, vt concors eſt omniū expoſitorū ſententia. Et merito; Dauid enim diuinis placitis maiorem certificationem quærebat propter ſotios, vt ex duplici oraculo certiores fierēt beneplaciti diuini. Sic Dominus Ieſus progreſſurus ad mortē primum bis, & ter orat ad patrem petens, vt à ſe calix ille trāſiret. Ait Matth. 26. *Abyt, & orauit tertio eūdem ſermonē dicens.* Et quando iam ſemel, & bis certificatus erat de patris voluntate, cur tertio adduc inſtat? An ſperans, & procurans prioris placiti mutationem? Abſit; ſed vt certiores diſcipulos de cœleſti myſterio faceret. Ait D. Chryſoſt. ho. 84. in Matth. *Tertio idem orauit, confirmans hominem verefactum fuiſſe: quod enim ſecūdo, & tertio ſit in ſcripturis, maximo pere veritatem oſtendit: veluti & Ioſeph ad Pharaonem dicebat: ſecūdo id tibi apparuit ſomnium veritatis gratia: ita enim factū eſt, vt ita credas omnino futurū; hac de cauſa etiā ipſe non ſemel, ſed bis, & ter idem orando protulit, vt diſpenſatio firmiter crederetur.* Itaque, vt magis certificaretur veritas diuinæ, & humanæ diſpenſationis in Chriſto, ſemel, & iterum Ieſus recurrit per orationē ad patrē. Solet enim per repetitionem actus in ſcripturis certificatio rei monſtrari. Quod etiā patet ex Gen. 41. vbi dicit: *Quod autē vidiſti ſecundo ad eamdē rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt, eo quod fiat ſermo Dei, & velocius impleatur.* Videratque equidē Pharao futuram Ægypti abundantiā, & penuriā in bobus pinguibus, & macris; ſed & ſecundo vidit eamdē in ſpicis plenis, & vacuis. Et cur neceſſum fuit eadem ſecundo exprimi? Pulchre ait: *Quod vidiſti ſecundò firmitatis indicium eſt.* Sic per repetitionem actus diuinis maior procuratur certificatio. Ne miremur, quod Dauid ſecūdo de eadem re Deū conſulat, vt ſocios ſuos diuini placiti certiores faciat. Nō ſic peſsimus Balaā, qui ex repetitione conſultationis non maiorem diuinæ volūtatis quærebat firmitatem; ſed potius amabat mutare, quod Dei erat, & propriæ cupiditati reſpōſum aptare. Sic peſsimi cō ſulunt bis, & ter, non vt in veritate firmētur, ſed vt ſuis ſeruiatur cupiditatibus. De ijs dicebat Ezech. cap. 20. *Venerūt viri de ſenioribus Iſrael, vt interrogarent Dominum, & ſederunt coram me, & factus eſt ſermo Domini ad me dicens; Fili hominis* Ezec. 20.

Matt. 26

Chryſoſt.

Gen. 41.

loquere senioribus Israel, & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, nunquid ad interrogandum me vos venistis? Viuo ego, quia non respõdebo, &c. Ecce tibi repelluntur à Deo, qui interrogare, & consulere Deum per prophetam venerant. Et cur quando isti consulebant prophetam, repelli à Deo debẽt?

Theod. Ait Theodor. ibi: *Isti sceleribus addicti, ac pœnitentiæ remedys sanari recusantes, Dominum interrogare tentarunt, non vt ea omnino facerent quæ sibi imperarentur, sed vt discerent, an suis cogitationibus diuina oracula consentirent. Hoc item Sedecias sæpius fecit, &c.* Consulebant illi, non vt Dei voluntatem qualemcumque sibi manifestatam acciperent, & implerent; sed quærentes si forte diuina oracula suis cupiditatibus consentirent, sin aliter ea repellerent. Deus bone, quot istiusmodi homines modo inueniuntur in Aulis, in Curijs, in vrbibus, in oppidis; qui sedulo consulunt Dei præcones, consulunt doctores Theologos; an, vt veritatem Dei certius norint, illamque adimpleant? Minime; sed vt suis cupiditatibus quærant oracula consentientia, repulsuri festinato, quæ contraria fuerint. Matth. 19. venit quidam adolescens consulturus Iesum de vita æterna consequenda; impleuerat iam omnia legis mandata, & an aliquid addendum esset, requirebat. Cui Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, & vẽde omnia, quæ habes: & veni, sequere me. Cum audisset autem adolescens Verbum, abijt tristis.* Sed quando Iesus nouerat, quid esset in homine, cur respondit ei adeo difficile verbum de renuntiandis diuitijs? Crediderim in isto ostendisse Iesum temporaliũ hominum fallaciam, qui consulunt prophetas Dei, non vt perficiant, sed vt quærant proprijs cupiditatibus conuenientia.

D. Aug. Ait D. Augustin. in Psalm. 136. *Dominus dixit illi, quidam de canticis Sion, & nouerat, quod non caperet, sed exemplum dedit nobis, quomodo multi quærant quasi consilium ad vitam æternam, & tam diu nos laudant, quam diu respondeamus, quod quærunt.* Hoc istis præoculis est in suis consultationibus, nõ quod respõdeatur illis, quod est, sed quod ipsi quærunt. Nec aliunde valet apud eos doctor, nisi quod loquitur placentia, iuxta eorum desiderium. Adeò, vt dicat Achab,

3. Reg. 22. 3. Reg. 22. de Dei propheta vero: *Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare dominũ, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum: Micheas filius Iemla.* Sic temporalis homo, vel ab ore veri prophetæ, non quærebat, quod verum, sed quod sibi placens esset.

1. *Reg.* 23. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilã, Ephod secum habens descenderat. Nuntiatum est autem Saul, quod venisset Dauid in Ceilam, & ait Saul: Tradidit eum Dominus in manus meas, concluso usque est introgressus vrbem, in qua portæ, & seræ sunt. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam, &c.

§. V.

Palatini suspecti sinceritati, & veritati diuini oraculi sunt.

AVdio Abiatharem non consulentem de fuga per Ephod; sed fugientem cũ Ephod: quippè ait: *Eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, Ephod secum habens descenderat.* Nouerat excidium domus paternæ, nouerat ministros regis aduenturi Nobe; & accepto Ephod fugit ad Dauidem profugum. At Dauid audiens etiam Saulis exercitum contra se venire Ceilam, ait ad Abiathar: *Applica Ephod*, & per Ephod consulit de fuga sua Dominum. Cur Abiathar non etiam, vt audiuit aduentare regis ministros consuluit Dominum per Ephod de fuga sua? Cur placuit illi potius summere Ephod ad fugiendum, quam ad consulendum, quando Dauid prius per Ephod consuluit, quã fugeret? Dauid erat in Ceilam longe ab statione Saulis, & palatinorum omnium, & ideo vacauit illi Ephod applicare, & per rationale ibi insitũ, Deũ consulere, certus de responso diuino. At Abiathar erat Nobe prope ipsam Saulis Regiam, videbatque iam appropinquantes palatinos strictis ensibus, nec credidit posse fieri, quod inter regias phalangas, inter furẽtes palatinos, certa darentur responsa diuina; ideo maluit cum sacerdotali Ephod fugere, & se recipere in locum à Regia, & palatinis disitum, quo liberius, & certius posset diuina responsa requirere. Quo spectat Liberius Pont. max. apud D. Athan. epist. ad solitar. vit. agent. Constan-

stantio Imperatori clamanti Synodum pro
D. Atha. veritate fidei cogendam ait: *Fiat Ecclesiastica Synodus longè à Palacio, vbi nec Imperator præsto est, nec comes se ingerit, nec iudex minatur, & vbi solus timor Dei ad omnia sufficiat.* Quæ sententia dignior maximo Pontifice? Equidē nouerat, quam veritati cœlesti indagandæ officiat regale Palatium, Imperatoris affectus, Aulicorum ambitio, Magistratuum terror. Ideo lōgè à Palatio constituit locum, in quo spectanda sincerè sint responsa diuina; vbi non temporalis fiducia, aut metus principum; sed solus Dei timor præsideat. Ex quo Memnon Ephesiorū Episcopus epist. habita in Actis Concilij Ephes. tom. 4. cap. 13. post narratas ærumnas Concilij à Comitibus Candidiano, & Irinæo præsentibus causatas, sic monet clerum Constantinopolitanum:
Memn. *Quare sanctissimi viri, omni adhibito studio satagite, vt vesana, temeritasque Ioannis, coniuratorumque illius sententia pal im fiat, magnificentissimique Comites, qui quotidie ciuitatem, & fidem ex æquo conturbant, hinc facessant, ne callida eorum subreptione, quæ fidei sunt, tandem adulterari contingat.* Sic sapientissimus præsul timet veritati fidei à præsentibus palatinis, vt pateat, quam à fortiori timere debeamus veritatibus moralibus, vbi palatinorum virorum se ingerunt cupiditates.

§. VI.

Nulla sentitur ærumna, vbi homo agit cum Deo.

IN communi omnium suorum perditione Abiathar cum Ephod sacerdotali fugit, & longè cum Dauide exilio se dat. *Ephod*, inquit, *secum habens descenderat.* Cum dicit Ephod sine addita, crediderim intelligi debere Ephod sacerdotale, quod soli summo Sacerdoti aptabatur; quod item pretiosum erat ex diuersoloribus contextū, habens in se rationale, per quod Deus interrogabatur, & responsa dabat. Sic Abbul. & Salian. & alij. Ex quo licet videre sapientiam Abiatharis, qui in omnium suorum perditione, istud Ephod secum detulit, in quo Dei responsa dabantur, habens enim secum id, per quod posset cum Deo familiariter agere, vel sensum amitteret tantarum ærumnarum. Primi illi parentes post inobedientiæ peccatum,
Genes. 3. Genes. 3. *Cognouerunt se nudos esse:* & quidē ante peccatum nullis vestibus sese tuebantur, sed nudi prorsus in paradiso ambulabant. Et cur tunc non cognoscebant nuditatem suam, quam statim cognouerūt post peccatum? Tunc fruebantur frequentissimis Dei coloquijs, diuinaque speculantes familiariter, nullum sensum habebant defectus temporalis. Qui cæpit sentiri, vbi cæpit deficere cum Deo familiaritas. Ait
D. Athan. D. Athanas. orat. contra Idola: *Cognouerūt autem se esse nudos, non tantopere, quod amiculis vestium carerent, quam quod exuti essent diuinarum rerum contemplatione.* Vbi oculi eorum à Deo auersi fuerunt, ipsique carere cæperūt Dei familiaritate, statim senserunt nuditatem, & penuriam, quàm minime sentiebant ante. Eu nobis miseris, quos ideo tātus sensus defectuum temporalium quatit; non quia non habemus vestes, aut escas, sed quia diuinis oraculis nō inhiamus. Hinc sane oriūntur acerrimi sensus ærumnarum. Aiebat Iob, cap. 17.
Iob. 17. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Septuag. legunt: *Rupti sunt articuli cordis mei.* D. Aug. autem: *Conuulsæ sunt cōpages cordis mei.*
D. Aug. Et vnde tantus dolorum sensus? Ait Philippus apud Pinedam, ibi:
Philipp. *Quod non poterat augi contemplatione rerum diuinarum, vt quondam solebat, intendere per vim dolorum.* Non quod fuerat datus in manus Sathanæ, vt affligeretur; sed quod à solita rerum diuinarum contemplatione desistere cogeretur, in tam dirorum cruciatuum sensus deueniebat.

§. VII.

Christum nemo potest eripere nobis.

NOn otiosè illud positum est, nimirū: *Ephod secum habens descenderat*: qui enim omnia perdiderat, parentes, domum, patriam, substantiam, adhuc ostēditur Ephod habens; nec miror, in Ephod namque, teste Hieron. ad Fabiolam, Christus exprimebatur, quem solum nemo nobis eripere potest. Ioann. 20. rediuiuus Iesus Mariæ Magdalenæ apparēs dicit: *Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Ioann. 20. At illa manifestè quærebat Iesum, cur ergo interrogatur, quem quærat? Fateor, quod Maria quoad nos Iesum quærere patēter ostēdebatur, at in rei veritate Iesum non quærebat; quippe quærebat quem sibi credebat ab aliquo sublatum; sed Iesum nobis eri-

pere potest nemo. Ait D. Amb. ibi: *Bene addit, quem quæris; non quo iste dubitet, quem requirat, sed quia illa, quem quærebat, ignoret. Non enim Christum quærit, quem putat raptum.* Non equidem est Iesus, qui nobis eripi creditur; nulla enim est creata potestas, quæ Iesum nobis possit auferre. Hinc dum hæc mulier agebat cũ Angelis. Ioan. 20. de vacuato sepulchro Domini, flens aiebat: *Tulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum,* & paulò post locuta cum Iesu, quem hortulanum putabat; aiebat: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, &c.* Ad hunc dicit: Si tu sustulisti, ad Angelos autem non dicit, si vos sustulistis, sed suum ait; *tulerunt dominum meum.* Et cur etiã ad Angelos non dicebat, si sustulistis eum? Loquebatur iam in ea Spiritus Christi, qui sciebat, quam nulla potestas creata, nec ipsa angelica poterat nobis Iesum auferre. Quo spectat Orig. hom. vlt. de diuersis: *O quam sciens nescit, & quam docte errat! Angelis dixit, tulerunt, & posuerunt, & non dixit, tulistis, & posuistis, quoniam Angeli non poterant ex toto dicere, quod de te factum est, nec de monumento te tulerunt, neque te in aliquo loco posuerunt.* Equidem non est virtutis angelicæ, imò nec creatæ potẽtiæ, quod nobis auferat Christum; illumque à nobis elonget.

D. Amb.

Ioan. 20.

Orig.

§. VIII.

In medijs malorum incursibus solet leuamen patere iustis viris.

TOtam Dauidis ruinam inde ineuitabilem ducit Saul, quia conclusus erat in vrbe, in quæ erant portę, quæ possent occludi, nimirum ait: *Nuntiatum est autem Saul, quod venisset Dauid in Ceilam, & ait Saul: Tradidit eum Dominus in manus meas, conclusus que est, introgressus vrbem, in qua portæ, & seræ sunt.* Ecce tibi ineuitabilis mali indicium, nimirum quia conclusus est, introgressus vrbem, in qua portæ sunt. Sed portæ, vt cõclusionem ostendunt, sic & euasionem indicant. Et vt hostis lætatur propter portas, quibus clausis potest tenere inimicum; sic iste occlusus lætatur propter portas, quibus apertis potest euadere liber. Crede mihi, eadem porta mortis, est viro iusto ianua accipiendæ salutis, remouendi periculum. Quod spectans Dominus, Oseæ, 2. dicit: *Dabo eis vallẽ Achor ad aperiendam spem,* siue vt Symachus legit: *ad ostium spei.* Quippe si libros Iosue consulimus, habes ex cap. 7. vt Achã furti conuictus ductus sit in turbationis vallẽ, ibique vndique cõclusus ineuitabile supplicium passus fuerit. Necvsque rei conclusio manifestius explicari posset, quam per vallem istam Achor. Quæ ergo vallis sic reum claudebat, ne euadere posset, ecce vt eadem data est ad aperiẽdum ostiũ spei illis, qui sub Dei protectione degunt. Is enim est Deus, qui in ipsis malis faciant euasionem suis patere. Num. 21. à serpentibus percussi Israelitæ ingenti dolore spirabãt; Moyses autem diuino oracluo monitus: *Fecit serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Quid plura? Accipite D. Ennodium de hac re pulchre dissérentem in epigrammate quodam:

Oseæ, 2.

Num. 21.

Occisor mortis, dux vitæ, planta salutis,
Aspice, nunc serpens ecce venena fugat.
Et quod supplicij species, & mortis imago
Iam fuerat miseris, est mihi certa salus.

D. Enn.

Plane in ipso mali incursu remedium patuit iustis salutis; quæ miseris porta erat ineuitabilis mortis, sanctis fuit ianua incolumitatis, & vitæ. Fit sæpe apertissimũ ostium spei, quæ angustiæ, & timoris res erat. Vt dicat Isaias, cap. 26. apud Septuag. *Propter timorem domini in vtero accepimus, & peperimus spiritum salutis.* Vndique erãt minæ, vndique hostiles impetus, timor omnia impleuerat, sed quid inde? Inter ipsos timores occlusi, vidimus aperiri nobis ianuam salutis. Ait Theodorus Veraclensis in Cat. Græca: *Ostendi tibi tuam humilitatem, quæ ex minis Dei percipitur. Accipiẽtes enim timorem tuum veluti bonum semen, & hunc in vtero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus.* Equidem minæ, & angustiæ, & ærumnæ à Deo immissæ, dum fidelium animis metum infundunt, simul & faciunt locum inde nascituræ saluti. Nemo pius in ipsis tremendis rebus nõ inuenit, vnde saluus fiat. Res enim timoris in salutis spem conuertitur iustis viris. Quo spectas D. Paulinus in Natal. S. Fœlicis, 9. ait:

Isai. 26.

Theod.

Domini miracula quondam
Antiqui tremuere patres, horrenda siniſtris
Et semper celebrãda pijs, quia cõmoda sanctis,
Dura fuere malis, testis Memphitica tellus
Et mare tunc factum sanctis humus, æquor iniquis.

D. Paul.

Protenta Dei antiquitus per terrefacientia, imò opprimentia orbem; & impijs, & iustis hominibus terrorem maximum incutiebant, vt omnes tremerent conclusi

sub

ſub Dei ira, quãdo fulmina perdebant nationes, quando plagis vapulabat Ægyptus. Tunc enim effugium impijs obſtruebatur, aperiebatur iuſtis.

1. *Reg.* 23. Quod cum Dauid reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem; Applica Ephod. Et ait Dauid; Domine Deus Iſrael, audiuit famam ſeruus tuus, quod diſponat Saul venire in Ceillam, vt euertat vrbem propter me. Si tradent me viri Ceillam in manus eius? Et ſi deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine Deus Iſrael indica ſeruo tuo, &c.

§. IX.

Cui in primis charum eſt imbelle negotium cum Deo, triumphauit de hoſte.

BEllicos tumultus à Saule excitatos in ſe audit Dauid, & nõ dũces, ſed Abiatharem vocat: *Cum enim Dauid reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotẽ: Applica Ephod.* Paulo ante de Philiſthæis triumpharat, & cum inter victrices phalanges eſſet, audit armati Saulis contrà ſe aduentum. Quid tunc? Sociorum aduocat concionem? Validiſsimorum ducum conſilia poſcit de occurrendo hoſti? Iubet arma parari, ſpicula tergi, curari corpora? Sanè hoc faciunt, qui nihil prius, quam bella, acreſque pugnas cogitant; at qui animo pacificus eſt, hoc in primis agit, vt imbellia munera tractet coram domino; non arma petit, ſed Ephod; non duces vocat, ſed Abiatharem Sacerdotem, non de irruendo in hoſtem, ſed de cauendo, fugiendoque bello cogitat. Et quem non vincat princeps, cui adeo cordi eſt imbellia negotia tractare cũ Deo? Nota eſt hiſtoria, Exod. 17. vt miſſus eſt Ieſus Nabe pugnatum cum Amalech; vt dũ Ieſus acriter dimicabat, princeps populi Moyſes erat in monte orans. In qua illud notandum: *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael.* Et cur eleuatæ Moyſis manus tantum dabant robur Iſraelitis, vt vincerent hoſtem? Pulchrè ait Petrus Damian. lib. de Mundi contemptu, cap. 27. *Orantis ergo manus, manus præliantium roborabant: & quia iſtæ imbelles ad cœlum patebant, id circo illæ dimicantes victoriam caſis hoſtibus obtinebant.* Expende illa: *Quia iſtæ imbelles ad cœlum patebant*, inde enim armatæ manus hoſtem vincebant, victoriam de illo reportabant lætam; quia in primis imbelles manus leuabantur ad Deum. O vtinam tibi ſint manus, quæ apud Deum appareãt imbelles, quæ ſolum negotia gerant cum Deo pacifica, non gladium ſtringant, ſed ſacrificia peragant; fallar, ſi quando ad arma, & bellicum conflictum accedas, hoſtem nõ perdas. Huc ſpectans dicebat Spõſa Cant. 8. *Ego murus, & vbera mea turres; ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens:* Quid pax cum muris, cum turribus? Sane muri, turreſque bella indicant, hoſtibus opponuntur, vt eos repellant, & perdant; pax neſcit hoſtes, quidquid bellorũ eſt, prorſus ignorat. Quomodo ergo ſi coram Deo facta eſt quaſi pacem reperiens, dicitur etiam facta murus, facta turris ad hoſtes perdendos? Equidem eo ipſo, quod quis manus ad cœlum pacificas leuet, & prorſus imbelles, totuſque in primis ſit in eo, vt pacifica munera quantum eſt ex ſe cum Deo gerat, non mirer, quod inde & murus inexpugnabilis fiat, & turris mortes vomens aduerſus rebelles. Ait Theodor. ibi: *Sciens, quod pacem quæram, & perſequar eam, & perſequens comprehendam, me pacificam appellauit, & murum fecit inexpugnabilem, hoſtibus formidandum, atque vbera mea, id eſt, doctrinam in ſublime extulit, & quaſi turrem conſtituit, vt ex ea pugnans ſpõſi hoſtem propellam.* Sic de pacificis obſequijs exhibitis Deo, de manibus in cœlum leuatis imbellibus naſcitur robur ad hoſtes propellendos, & perdendos. Cant. 3. aiebat: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum, &c.* Sed & Cant. 8. *Vinea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt eam.* Et quando & lectulus, & vinea ad idem in præſenti ſpectat; miratur D. Amb. lib. 1. ad Virg. quod circa lectulum ſexaginta cuſtodes tantum dicantur eſſe: & circa vineam mille, & ducenti ſint. Sed mihi illud magis venit mirandum, quod qui circa lectulum dicantur viri fortes, ad bella doctiſsimi, gladios, ignemque minantes; qui autem circa vineã

Exod. 17

Petr. Da.

Cant. 8.

Theod.

Cant. 3.

Cant. 8.

D. Amb.

nihil

nihil militare præseferant, sed prorsus imbelles, & pacifici sint. Et cur in vtroque non omnes bellatores? Cur in altero bellatores, in altero pacifici? Plane crediderim de pacificis ijs armari, & roborari bellatores illos. Vbi enim manus sunt, quæ faciant coram Deo pacifica; necessum est, vt inde tãtum robur exurgat, quod lethale bellum hostibus inferat.

§. X.

Nemo secure ab instituto suo alienis muneribus ingeritur.

REsciens Dauid armatum Saulis exercitum contra se ad ventare; Abiatharem Sacerdotem ad se vocat. Et ad quid vocat Sacerdotem in bellico illo discrimine? An vt arma parari iubeat? Vt milites scribat? Absit hoc à sapiẽtissimo principe; non enim is est Dauid, qui immisceat viros muneribus à suo alienis instituto. Imò dicit text *Quod cũ Dauid resciisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod.* Non dixit: Applica arma, milites coge; sed applica Ephod; quod proprium Sacerdotis munus erat; nec in arcto discriminis voluit vti Sacerdotis industria in aliud, quam in id, quod proprium Sacerdotis erat. Nouerat enim sapientissimus princeps, quàm absone, & quam periculose homines ingerũtur ijs muneribus, quæ aliena à proprijs institutis habent. Vocauerant Madianitæ Balaam diuinum, vt malediceret populo Dei; venit ille, & multa edidit oracula, insuper Madianitarũ iungitur exercitui, & in certamen descendit aduersus Israelitas. Quid tunc? Numer. 31. *Cumque Israelitæ pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt, & reges eorũ Emi, & Recẽ, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis; Balaam quoque filiũ Beor occiderũt gladio.* Ecce tibi cantatissimus ille diuinus Balaam in bello occumbit, cum principibus Madianitis. Et cui Angelus pepercit eunti in Madiam, ne eum transfoderet gladio Numer. 22. modo Israelitarum gladio percutitur. Et quare sic miserum Balaam Deus percuti permisit? Homo erat Balaam longe à bellicis tumultibus alienus, prædictionibus reddendis vacans; modo autem, vt principibus Madianitis morem gereret, cum illis in pugnam venit, ne miremur, quod alienis muneribus insertus male pereat. Ait Petrus Dam. lib. de contemp. sæculi, cap. 27. *Balam filius Beor, qui ad prælium cum Madianitis egreditur, cũ his, quos iuuare decreuerat, gladio trucidatur. Et iure, qui proprio non est cõtentus officio, discrimini redditur obnoxius alieno. Infœlix meruit inter bellantium cuneos hostilibus gladys confossus occumbere: qui in pace positus, per prophetiæ oraculum potuisset ipsius belli exitum nuntiare.* Perit misere in alienis, qui securus esset in proprijs. Et qui muneri prophetandi incumbens domi sederet, multa diceret de euentibus belli; arma tractans cum principibus, cum illis periit. Satius saperent principes si ad bellum exercitatos duces quærerent, non vatem pacificum; & satius saperet vates si vaticinijs suis contentus ad armorum munera nõ curreret sibi aliena, & inconsueta. Quando enim de alienis muneribus exercitis homini damnum non venit? Exodi, cap. 2. ascensurus Moyses in montem dicit populo: *Habetis Aarom, & Hur vobiscum, si quid natũ fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Et post longam Moysis moram, cap. 32. populus ad Aarom solum currit, ab eo petunt fieri vitulum aureum; & Aarõ populo obtemperat, illique vitulum adorãdum exhibet. Imò de Aarom dicitur, quod *spoliauerat populum*, seu vt legit Augustinus, *dissipauerat*. Et quando non solum Aaron, sed Aarom, & Hur simul præficiuntur populo à Moyse; cur à solo Aarone petuntur idola, solique Aaroni tribuitur populi damnatio, & dissipatio? Fateor Aaronem, & Hur præfectos fuisse populo; sed Hur princeps erat laicus, ad quẽ poterat illa præfectura pertinere; Aarom autem erat summus Sacerdos à mundialibus negotijs separatus, vt ijs vacaret, quæ ad Deum pertinent; qui vt se ciuilibus immersit negotijs, sic quasi in alienis à suo instituto, non potuit versari sine ingenti damno. Porquo aiebat D. Petrus Dam. lib. de contemp. sæculi, cap. 27. *Aarom autem qui ad custodiam populi derelictus est, cognoscitur idola fabricatus. Sic nimirum, sic plexumque contingit, vt qui propria non contentus, aliena progreditur saluti consulere, sui potius cogatur periculum sustinere.* Ne mireris, quod labatur Aarom, qui cum ad diuina separatus esset, mundialibus se immiscuit, & non contentus in suis manerib us, alienis mãdauerat operã suam. Qui enim à professionis suæ instituto aliena suscipit, vel Idololatriam apertam admittet, & se cum populo dissipabit suo.

Num. 31.

Num. 22

Petr. Da.

Exodi, 2.

Augustin.

Petr. Da.

§. XI.

Regũ cura particulariter apud Deum est, vt illis magis attendat.

IVbetur Abiathar applicare Ephod, sed Dauid interrogat, dũ ait: *Domine Deus Israel audiuit famã seruus tuus, quod disponat Saul venire, &c.* Cõmunis moris erat, quod Sacerdos Ephod indueret, & ipse Deum consuleret, & oraculum peteret diuinum pro populi sui fortuna. Nunc autẽ non sacerdos, sed Dauid ipse oraculum requirit, stante Abiathar cum Ephod. Cur ergo Dauid, qui Sacerdoti iusserat, vt Ephod applicaret, nõ eidem iussit, vt Deũ consuleret; sed magis id voluit præstare per se ipsum? Vt Dauid iam à Deo vnctus erat Rex Israelitarũ, sic ipse per se amauit Deum consulere, scieus quam sint Reges Deo chari præ cæteris, & quam peculiariter faueat illis. Aiebat enim sapienter Appollonius Nauar. lib. 1. de Excid. Ierosolym. *App. Na.* ---------- *Sunt maxima cordi Regna Deo; donatq; aliquid plus ille Tirannis Consilijs; quam priuata sit mente repostum.* Est equidem Deus in reges magis affectus, illisque solet plura præstare, quam priuatis, vt mala præcaueant, & in bona suos conatus dirigãt. Quo respiciens Prouerb. 21. aiebat: *Cor regis in manu Domini.* Quod non paruam quæstionem faciebat Sancto Salonio, nimirum cur regibus attribuatur, id quod videtur omnium hominum commune? Nonne omnium hominũ corda in manu Dei? cur ergo de solis regibus *Dion. Ca.* id dicitur? Ait Dionis. Carthus. ibi: *Specialiter exprimit regem, quoniam circa reges tãquam circa publicas personas, est specialis prouidentia Dei propter boni commune. Propter quod Pharaonis tempore Ioseph, & Nabuchdonosor regi sub Daniele monstrauit in somnis futura.* Sunt Deo speciali curæ reges, soliusque regni siue respectu, siue merito plura, quam alij excipiuntur ex Deo. Quo trahenda sunt dicta Tom. 4. in Euangel. lib. 17. cap. 2. §. 1.

1. *Reg.* 23. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceilla huc, atque illuc vagabantur incerti; nuntiatumque est Saul, quod fugisset Dauid de Ceilla, & saluatus esset, quã ob rem dissimulauit exire. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mãsitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco, quærebat eum tamen Saul cunctis diebus, & nõ tradidit eum Dominus in manus eius, &c.

§. XII.

Non in multitudine nimia, sed in sufficientia salus consistit.

VIde quam paulatim trahantur à Deo sotij ad Dauidem, paulò ante fuerãt illi quadringenti sotij, modo additi ducenti, quando cum sexcentis egredidur Ceilla. Dicit enim: *Surrexit ergo Dauid, & viri eius quasi sexcenti, &c.* Et cur plures copias non adiungit Deus duci suo? Paruus adhuc Dauid, & fugitiuus copias acquirit sotiorum, quibus vti possit facile ad tutãdam vitam, ad plures enim ductandas in illo tenui statu non sufficeret. Est enim salus hominis in sufficienti, non in multitudine nimia. Quod sapienter statuens Petrus Blessens. epist. 112. ait: *In tanto exercitu Xerxis vnus fuit Damarus, qui in spiritu libertatis auderet dicere. Vilius eris à te ipso, & te opprimet tui exercitus multitudo.* Nunquam non ad oppressionem, & ruinam ducis spectat supra sufficientiam multitudo. Exuperans enim abundantia ad perdendum etiam conducit. Iosue, cap. 10. mandauit Soli, & Lunæ quietem, vt perdere posset hostes suos, & stantibus Sole, & Luna: *Non fuit antea, & post tam longa dies.* Et quid ex hac immensum crescente die? Pulchrè occinit D. Paulinus in Natali S. Fœlicis, 9. ---------- *Qui sistere iussis, Syderibus, longo lassauit lumine Mundum Humanos duplicans dilata nocte labores.* Expende illa: *longo lassauit lumine mundũ*; exuperans enim lucis copia non solũ iuuit ducem, sed oppressit mundum; lassabantur enim humana corpora insueto lumine. Semper exuperantia prona est ad ruinam. Amplissimi regni figura exprimebatur Danielis, cap. 4. sub aspectu arboris, dum dicit: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ,* *Pet. Bless.* *Iosue, 10.* *D. Paul.* *Daniel. 4.*

terra, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersa terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, &c. Quo si queras, quid de illa magna arbore factũ sit, statim subditur: *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit. Clamauit fortiter; & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius, &c.* Et mirabar, quod arbor adeo sublimis, & fructuosa sic oraculo diuino succidatur, & perdatur. Cur tantæ arbori tanta ruina? Scio ficum arborem à Christo Domino damnatam, vt succideretur, sed quia nullũ dederat fructum. Ait *Luc. 13.* enim Luc. 13. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inueuio. Succide ergo illam.* At Danielis arbor fructum habebat, qui & volucres cœli, & bestias terræ saciare dicitur. Cur ergo succidatur, & pereat arbor adeo plena fructibus? Causam succisionis, & perditionis mihi indigitant verba illa: *Altitudo eius nimia, fructus eius nimius*: tãta enim exuperantia in altitudine, & fructibus non poterat non certissimam illi trahere ruinam: Ait Richard. Victor. lib. 2. de erudit. inte- *Rich. Vi.* rior. hom. part. 1. cap. 14. *Vide, quisquis hæc audis, vel legis, si forte altitudo tua est magna; vide, inquam, & diligenter attende, ne forte sit, & nimia. Hoc fortassis in hac descripta arbore reprehensibile fuit, hoc fortassis succissionis causa extitit, quod eius altitudo nimia fuit, & altitudo eius, inquit, nimia.* Sic nimia copia etiam bonorũ potens est ruinas parturire. Hinc Cyrillus lib. 1. Apologorum moral. cap. vlt. dum ostendit arbores hyemali bruma foliis nudatas acriter inuehere in eas, qui omni tempore foliis viridantibus vigent; sic pro se palmam respondis- *Cyrill.* se asserit: *In me folium nũquam exaruit, quia moderatum illum germinaui.* Vt enim nimietas ruinam, sic moderatio incolumitatem parit.

§. XIII.

Iustis laborantibus non parua à Deo adest animi recreatio.

INter præruptos montes discurrens Dauid, inaccessaterens saxa, tandem præcelsis arboribus amenatam syluã inuenit, in qua lateat. Quippè ait: *Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in locis solitudinis Ziph in monte opaco.* Ecce tibi fugitiuo per præruptam mõtium paratur â Deo mons opacus, nimirũ amœnissimis vmbris plenus. Quanta ibi afflictis animi recreatio? Aiebat Abacuch, cap. 3. *Deus ab Austro veuit, & sanctus de* *Abac. 3.* *monte Pharan.* Græce ait: *Et sanctus de monte Vmbroso.* Circa quæ Theodor. *Montem* *Theod.* *Vmbrosum appellat ipsa Ierusalem, omni genere gratiarum diffluentem, & nebula inumbratam, & sub tegmine Dei cœli habitatam.* Sic bonus in monte Vmbroso, & opaco agnoscit abundantiam diuinarum gratiarum, quibus solet Deus æstuantes iustos suos recreare, lætificare. Quis enim crederet posse iustos in laboribus, & ærumnis durare, nisi intime Deo illos amænante, recreante? Sane vbi exterius videas sanctos tribulationum igne torreri, an gustiari, puta illos interius maxime dilatari, recreari. Aiebat Genes. 2. Posuit Deus ho- *Genes. 2.* minem in paradiso, *vt operaretur, & custodiret illum.* Ecce tibi, adhuc, fœlici homini agricultura mãdatur, & assidua horti operatio. Qui Rex creabatur, ad operarum labores obligabatur. Quid operarum negocium cum rege? Quid cũ fœlici labor? Labor illi iniungebatur, fateor; sed labor externus, qui internæ lætitiæ copiam designaret, nunquam enim Dominus iustũ permitteret laborare, nisi eius intimum perfecta lætitia inundaret. Vt dicat Theophyl. in Lucam, cap. 23. *Lætabatur enim in spiritu Adam, alioquin tantã operationem in agricultura non obiuisset.* Non equidem labor permitteretur sancto, nisi eius lętititia perfunderetur animus. Solent enim labores, & afflictiones pro Deo acceptæ internis animi compensari delitijs. Hinc Ioannes inter Euangelistas tam sublime volauit, vt diuinitati adhærens ipsam diuinitatis hauriret scaturiginem, inquiens, cap. 1. *In* *Ioann. 1.* *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et cur tantus dulcedinũ riuus Ioannis mentem inundauit, nisi quia ille in depellendis carnalibus voluptatibus, integritateque virginali seruanda non mediocriter laborabat? Ait D. Petrus Dam. ser. 1. de Ionne: *Non immerito tam profunda, tã* *Petr. Da.* *supereminens reuelatio deitatis virgini debebatur, vt qui carnis sibi met amputauit illecebras, fœlici commercio pro carnali dulcedine cœlestium epularum delitys frueretur.* Sic labores, quos in comprimendis voluptatibus sustinebat Ioannes, Dominus cœlestibus delitijs compensabat.

1. *Reg.* 23. Surrexit Ionathas filius Saul, & abijt ad Dauid in syluam,

ſyluam, & cōfortauit manus eius in Deo: dixitque ei: Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus, ſed & Saul pater meus ſcit hoc. Percuſſit ergo vterque fœdus coram Domino, manſitque Dauid in ſylua, Ionothas autem reuerſus eſt.

§. XIIII.

Mala non poſſunt durare in viro iuſto.

MErito Ionathas amicum ſuum cōfortabat ex Deo, illi iam regnum prædicens aduentans, dum ait: *Neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis, &c.* Et vnde hoc nouerat Ionathas? An reuelationem acceperat à Deo? An propheta erat? Nec reuelationem acceperat, nec propheta erat, ſed prudentiſsime ratiocinabatur. Vt enim videbat Dauidem iniuſte afflictum, & innocenter pati, ſic putabat non duratura illa mala. Sunt namque mala in viro iuſto diſlocata; & neceſſum eſt, quod inde euaneant. Aiebat Iſaias, cap. 53. de Chriſto Domino: *Vere langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Iſai. 53. Et cur neceſſum fuit, quod innocentiſsimus Ieſus labores, & dolores noſtros in ſe ſuſciperet? Nonne potuiſſet nos ſaluare abſque eo, quod in ſe reciperet tanta mala? Equidem potuiſſet; ſed volens citius perdere omnia mala, illa diſlocare maluit, vt poſita non in proprio loco, id eſt, peccatore, ſed in alieno, id eſt, iuſto, protinus euaneſcentes perdātur. Ait D. Athanaſ. orat. contra Arian: *Sicut enim infirmitates noſtras accepit, ipſe non infirmus; eſuriunt, ipſe non eſuriens, ſed noſtra iſta alio transfert, vt deleantur.* D. Atha. Expende illa: *Alio transfert, vt deleantur*, quippe nulla res extra proprium locum non periit: piſcis ſi ab aquis alio transfertur, ſtatim moritur. Proprius locus malorum eſt peccator; ſi ergo mala, quæ in nobis peccatoribus, tanquam in proprio loco vigent, alio transferantur, nimirum ad iuſtum, vt in eo diſlocata ſunt, ſic neceſſum eſt, vt ibi deleantur. Quo etiam ſpectabat illud mi-

litum facinus, Matth. 26. quando, *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput Ieſu.* Matt. 26. Et cur adeo inuſitatum facinus permiſſum eſt, vt ſpinæ ponerentur diuino in capite? Procurabatur ibi, vt ſpinæ, & tribuli, qui ad peccatorem pertinebant iuxta illud, Geneſ. 3. *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi*: extra proprium locum poſita, nempe in capite iuſti ſunditus perderentur. Adhæc ait D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 95. *Execrationis illius, qua terra poſt mandatum à nobis violatum maledicta eſt, ſeges ſpinea erat: Dominus autem, vt omnem in ſe ipſo morbum curaret, aduenit; id circo ſpinea corona, vt victor redimitus eſt. Nam qui in humana natura fuit, nec tamen in vitijs humanis fuit, veterem generis noſtri pulchritudinem reddidit, ac maledicti, & execrationis robur in ipſa natura confregit.* Iſid. Pel. Equidem, vt in ſanctiſsima, & innocentiſsima Ieſu naturā ſpinæ, & tribuli, & maledictio, & execratio diſlocata erant; nec proprium locum tenerent, non poterant non inde perdi, & aduenientibus bonis locum cedere. Paulus ad Rom. 8. dicebat: *Non ſunt condignæ paſſionis huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ad Rom. 8. Cauit Paulus dicere paſsiones noſtras, ſed maluit nominare paſsiones huius temporis. Et cur non vocauit potius paſsiones noſtras? Loquebatur Paulus de paſsionibus ſublatis à iuſto viro propter Deum; quæ vt iuſti viri non ſunt propriæ, ſed alienæ, ſic non poterant ibi aduenienti gloriæ non cedere. Quod meditatus Euſeb. Gallican. hom. 4. de Epiphan. ait de pueris Machabæis, quaſi Pauli ſenſum aſpicientibus: *Hæc ſecū beati pueri, conſcia futurorum mente voluentes, illata ſupplicia, quaſi aliena reputant, quæ circa corpus remanentia ad animam peruenire non poſſunt.* Euſeb. Expende illa: *Quaſi aliena reputant*; erant quippe illa tormenta non in proprijs, ſed in alienis, & ideo non poterat illorum vis non cito euaneſcere, & dare locum gloriæ immenſæ.

§. XV.

Quo quis ſe occulit, eò promptior, eſt vt à Deo eruatur ad dignitates.

IOnathas ad Saul regem reuertitur, Dauid autem magis in ſylua latitat; dicit enim textus: *Manſitque Dauid in ſylua, Ionathas autem reuerſus eſt.* Non enim

qui ad regem pergit, seseque ingerit aulæ; sed qui magis latitat, & se syluarum vmbris abscondit, ille Deo electori ad regnum patet. Idque videre licet in ipso Dauid, quando inter eius fratres rex inungendus quærebatur. Quippè 1. Reg. 16. Samueli regis electori præsto fuerũt sex Dauidis fratres & statura, & forma commendabiles; Dauid autem quasi minimus, & ignoratus â Patre minime comparebat, sed erat latens in agro oues paternas pascens. Quid tamen? *Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcer aspectu, decoraque facie, & ait Dominus, Surge, & vnge eum.* Et quando sex præstantes fratres in promptu erant, cur necessum fuit quærere absentem, & latitantem, vt regnum capiat? Erat equidem electio Dei, cui promptiores sunt ad principatus, qui latent. Ait enim ibi D. Basil. Sel. orat. 14. *Dei sententia reposcit occultatũ.* Et Samuel, & Isai pater, quantum erat ex se ad presentes, & patentes iuuenes ferebatur; Dei autem sententia non hos, sed magis reposcebat occultatum. Scio equidem apud homines prævalere illos, qui præsto sunt, qui sese oculis offerunt; non qui se occultant, & curant latitare. Verum apud Deum illi prævalent, qui se abscondunt, & magis latitant. Exod. 3. dum Moyses eligeretur in Deum Pharaonis, magis latere cupiebat aiens: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Sic verecundabatur Moyses electionem sui factam, & abscondi putabat. Et inde displicuit Deo? Absit; imo, quo se magis abscondebat, magis à Deo quærebatur, & in lucem ducebatur. Vt dicat Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 13. *Interim faciem suam absconderat Moyses, id est, stabat demisso capite, sed sic absconditus inueniri, sic demissus magis merebatur à Domino sublevari.* Gaudet Deus absconditos in lucem producere; & facere, quod latibula pariant dignissimos principatum. Mihi ad miraculum extitit Ionas, qui fugiens cõcionatoris munus à Deo sibi creditum, eo deuenit, vt missus in mare voraretur à pisce, eiusque viscеribus absconderetur. Quid tunc? In tanto latibulo euasit electoris sui manum? Ait ipse, cap. 2. *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Quo spectans Lyppom. in cat. Exod. cap. 3. ait: *Inuenit Dominus, & Ionam prophetam in ventre cæti, in medio maris, & coegit cætum, vt euomeret ipsum, quo mitteretur Ecclesiastes ad Niniuitas. Quare non est opus, quod malis artibus contendas ad clariora, & ampliora officia, &c.* Quando Dei est fugitiuos quærere, & absconditos etiam in ventre cæti abstrahere ad dignitates, quis malis fidat artibus, & non magis latibula quærat; à quibus, si expediat, à Deo in lucem producatur?

1. Reg. 16.

Basil. Sel.

Exod. 3.

Rupert.

Ionas, 2.

Lyppom.

1. *Reg.* 23. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes; Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? Nunc ergo sicut desiderat anima tua, &c. Dixitque Saul, Benedicti vos â Domino, quia doluistis vicem meam. Abite ergo, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum, vbi sit pes eius, &c.

§. XVI.

Auaritia cuiusuis grauissimi facinoris mater.

NVlla vi Saulis coacti Ziphæi, sed nec vlla Dauidis offensa incitati, proprio ingenio cum Saule de Dauide perdendo agunt, Dicunt enim: *Nunc ergo, sicut desiderat anima tua, vt descenderes, descende; nostrum autem erit, vt tradamus eum in manus regis.* Et vnde hi tam in Dauidem iniqui? Vnde innocentissimum, & pijssimum contribulem suum sic perditioni tradunt? Rem explicat Iosephus lib. 6. cap. 14. *Zipheni duces se regi ad perquirendum Dauidem, & comprehendendum obtulerunt: studium suum erga ipsum, non dicto tantum declaraturi, sed omnibus viribus conando, vt in potestatem redactum regi traderent. Sed non habuit successum iniqua eorum cupiditas, quibus eum nullum periculum ex silentio immineret, per adulationem, & auaritiam virum pium, & præter ius ad mortem quæsitum, regi se tradituros erant polliciti.* Quid non faceret lucri cupiditas? *Per adulationẽ*, inquit, *& auaritiam, &c.* auaritia enim, qua in lucra ferebantur, fecit eos, vt regi adulantes homini iusto, quærerent excidium. Nec miror, ægre enim lucri amor nõ inuenitur iunctus ingentibus criminibus. Dicebat

Ioseph. 6.

Nazian-

Nazian. Nazianzen. orat. 20. *Cum in ſtudijs verſaremus, ingruit ſubito nubes grandinis plena, & exitioſe ſtridens, quæ Eccleſias omnes obtriuit, in quas cecidit, & quaſcumque inuaſit. Imperator auri amantiſsimus, & Chriſti inimiciſſimus, ac duobus grauiſsimis his morbis laborans, inexplebili nimirum auaritia, & blaſphemia.* Vide duas has coniugationes auaritiæ cum criminibus; nimirum ait: *Inexplebili auaria, & blaſphemia*; ſed & illud prius: *Auri amantiſsimus, & Chriſti inimiciſsimus.* Nunquam non auri amor ingentia crimina ſecũ affert, etiam ſi poſſet Deũ conculcare. Matth. 2. mittebat Magos in
Matth. 2. ciuitatem Bethlehem dicens: *Ite, interrogate de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi; vt & ego veniens adorem eum.* Sic boni Ieroſolymis abeunt Bethlehem, & puerum adorant apertis theſauris offerentes aurum, thus, & myrrham. Magi abeũt, vt adorent, Herodes manet, vt perſequatur Ieſum. Et quando illis tanta erat pietas, vt Ieſum adorarent, cur Herodi tanta fuit impietas, vt illum perſequeretur? Magi aurum à ſe abijciebant, & Ieſu pedibus ſubijciebant, Herodes aurũ apud ſe ſeruabat, ne miremur, quod inde Ieſum amet perdere, peſumdare. Ait Author Cat. Græcæ in cap. 2. D. Lucæ ex D. Chryſoſt.
D. Lucæ. Chryſoſt. *Deſere igitur & tu perturbatam illam ciuitatem, temporalem cogitationem, & homicidam illum tyrannum Mammonam. In Bethlehem, hoc eſt, in Eccleſiam feſtinus accurre, vbi domus eſt panis ſpiritualis. Sed ne Herodi ſimilis ſis, cane. Illi enim aſſimilantur, qui indigne myſterijs hiſce communicant, & filium Dei conculcant, habentes in ſemetipſis Mammonam.* Expende illa: *Et filium Dei conculcant habentes in ſemetipſis Mammonam*: quippe ex eo quod in corde retineatur aurum, ſit ſacrorum omnium conculcatio. Et placet hæc vltima verba ab ipſo Chryſoſtomo requirere, qui ait hom. 7. in
Chryſoſt. Matth. *Cane, ne Herodi ſimilis ſis, & dicas, vt & ego veniens adorem eum, cumque veneris interimere coneris. Huius enim ſimiles ſunt, qui indigne abſtuntur communione myſterij. Qui enim huiuſmodi ſunt, habent in ſe tyrannum, & regno Chriſti iugiter inuidentem, longe ſane Herode illo nequiorem, Mammonam ſcilicet.* Non ſic Herodes efferbuit in Chriſtum, & in pueros innocentes, vt Mammon, nimirum auri amor ſolet furere aduerſus omnem innocentiam, & ſanctitatem.

§. XVII.

Fœlicis gubernatoris eſt, quod ipſe præeat faciendis operibus.

HOc inuenio inditium perituri Imperatoris, quod res ſalutis ſuę alijs mãdet; quippè ait Ziphæis: *Abite ergo, & diligenter præparate, & curioſius agite, & conſiderate locum, vbi ſit pes eius, &c.* Sic nuntiantibus de Dauide aduerſario, mandat, vt ipſi explorent, inueſtigent hominem, vt ipſe poſtremo accedat ad rem certam. Non ſic nobiles, & fœlices, & victores Imperatores; nihil enim poſtremo ſciunt facere, ſed magis amant per ſe ipſos vniuerſas operationes prælibare. Amabo videre, quæ primo mundi gubernacula in ſæculum duratura Deus ſtatuerit. Ait enim, Geneſ. 1. *Fecitque Deus* *Geneſ. 1.* *duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei, luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cœli, vt lucerent ſuper terram.* Itaque luminaria cœleſtia à Deo condita ſunt in præfecturas diei, noctisve. Sed accipite D. Athanaſij lectionem circa hæc ipſa: ait enim ſerm. 3. contra Arian. *Fecit* *D. Athan.* *Deus duo luminaria magna, luminare maius ad exordium diei; luminare minus ad exordia noctis, & ſtellas: & poſuit ea in firmamento cœli, vt illuminarent terram, & initia diei, ac noctis facerent.* Ecce tibi, quod noſter dicit facta luminaria, vt præeſſent diei; Athanaſius legit facta, vt exordia, ſiue initia facerent; quaſi in eo ſit firmiſſima, & ſtabiliſsima omnium præfectura, quod qui præfectus eſt omnium operationum exordia faciat, idem ſit princeps & initiator. Ex quo Sidon. Apoll. extollebat Maioranum principem in eius Paneg. qui primus ſuper niueas rupes ſcandens ſic clamabat ad ſuos:

Sidon. ---------- *Vos frigora frangunt*
Vos Alpes, iam iam ſtudeam penſare pruinas
Æſtatem ſub Syrte dabo. Sic agmina voce
Erigis, exemploque leuas, primuſque labores
Aggrederis, quoſcumque, tubes, tunc cætera paret
Turba libens, ſeruit proprijs cum legibus author.

Equidem hoc eſt fœliciſsimi principis ſignum, quod in nullo quieſcat eſſe ſecun-

dus; sed & ipse ordiatur, & initiet quæcumque iubeat. Quo crediderim spectasse illud Prouerb. 8. *Dominus possedit me* Prou. 8. *in initio viarum suarum.* Septuag. *Dominus creauit me initium viarum suam.* Sic princeps Regum terræ Iesus dicitur factus initium viarum Dei: quippe tota æconomia Christiani principatus eò spectabat, quod ipse Rex, & princeps noster omnia in se prælibaret, & initiaret, quo nos ad perfectam salutem traheret. Pro quo aiebat D. Cyrill. Al. Cyrilli. Alex. lib. 5. thesau. 4. *Vias autem sanctos viros appellauit, prophetas, scilicet, & Legislatores, quia possunt monendo ad Deum ducere: Ergo creauit me, hoc est fecit me super legem, & prophetas initium, id est, potestatem, vt non in illorum verbis sistere faciam, sed ad meliora documenta traducam.* Expende illa: *Initium, id est, potestatem*; est enim potestatis, & principatus tœliciſsimi constitutiuum, quod potestas, & princeps initiet iussa, vt sic vniuersos post se ad meliora traducat.

§. XVIII.

Ad victoriam pertinet, quod hostiles conatus probe noscas.

NOn tamen adeo desesperat Saul in Dauide persequendo, quod sibi inuestigandi hominis partes postremas oscitanter assumat, sed metuebant victoriæ suæ, quando iam se hostem Dauidi agnitum credebat. Ait enim: *Abite ergo oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum, vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi; recogitat enim de me, quod callide insidier ei.* Ecce tibi ratio, ob quam alios mittit, qui Dauidem explorent, & non ipse per se vadit, nimirum ait, quia *recogitat de me, quod callide insidier ei.* Patebant iam Dauidi hostiles Saulis insidiæ; ne miremur, quod id sibi periculosum, imò ominosum credat Saul, & refugiat parere ante ducem, cui iam cognitus hostis est. Aiebat Anthemius Augustus apud D. Ennodium in vita Epiphanij: *Grandis cautio est aduersary animum cognouisse: etenim hostem protinus sensisse, superasse est; perdunt semper deprehensa odia stimulos, quos occulta conceperant.* Sapiente digna illa sunt, nimirum: *Hostem protinus sensisse, superasse est*; quod vt in omni hoste verum est, sic in hoste generis humani verissimũ. Vnde Iob, cap. 41. *Quis reuelabit faciem indumẽti eius,* Iob, 41. *& in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius, quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido, corpus illius quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus.* Ecce tibi proponit nobis hostem maxime formidandum, totum corpus eius quasi scutis aheneis circundatum; & solum quærit, qui reuelet faciem indumenti eius, quippè ait: *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Cur nõ magis quæratur, qui possit tantam belluam opprimere? Aut quis sic armatum corpus lancea valeat transuerberare? Equidem sciebat, quod tota istius hostis perditio in eò erat, quod eius technæ reuelarentur, quod scirentur, & viderentur eius hostiles conatus. Hoc enim solum valet ad clarissimas de illo victorias reportandas. Vt dicat D. Nilus in Cat. Græcà: *Tanta eum, qui magister est, scientia præstare oportet, vt occultas luctandi rationes, quibus aduersarius vtitur, vt, qui in ipsius fide sunt, ac tutela, possit ostendere, quo sine labore disciplina suæ alumnis victoriam comparet, atque è certamine corona ornatos suos deducat.* D. Nil. Equidem ad victoriam comparandam de nefario hoste, vnam solum scientiam vir sanctus requirit, quà prænoscantur eius insidiæ, & hostiles impetus. Is est enim hostis, cuius maxime debilitentur vires, si vel suæ maliciæ suspitionem gignat. Hinc Iosue, 2. videns nocturno silentio virum armatum è regione stantem accedit, & interrogat. *Noster es, an aduersariorum?* Nil aliud facit Iosue, 2. strenuus dux, quam vt sciat, si armatus ille è parte aduersaria sit. Cur non magis armatum deterret? Cur non magis gladium stringit aduersus illum, vt si aduersarius est, timeat, & fugiat? Pulchrè ait D. Greg. lib. 33. Moral. cap. 22. *Cuius esset partis inquisiuit, vt videlicet, si aduersæ virtutis esset, eò ipso, quod se suspectum cognosceret, ab illusione resiliret.* D. Greg. Hoc vnum sufficiebat, vt aduersaria potestas à conatu resiliret, si videret, iam suspectam esse eius maliciam. Quo non progrederetur vlterius.

1. *Reg.* 23. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem, & viri eius erant in deserto Maon in campestribus ad dexteram Iesimon. Iuit ergo Saul, & socij eius ad quærendum eum, & nuntiatum est

Dauid

Dauid ſtatimque deſcendit ad petram, & verſabatur in deſerto Maon, quod cum audiſſet Saul perſecutus eſt Dauid in deſerto Maon.

§. XIX.

Inter rupes, & ſyrtes, & feras ſecurus eſt homo, dum ſe abſcondat ab homine.

VBi prænouit Dauid aduentum Saulis ad montiũ prærupta conceſsit, credens ſe, vel in lapidibus, vel in feris incolumitatem habiturum, ſi tãtum à Saulis oculis abſcedat. Quippè ait: *Ibit ergo Saul, & ſocij eius ad quærendum eum; & nuntiatum eſt Dauid, ſtatimque deſcendit ad petram, & verſabatur in deſerto Maan.* Petris, Rupibuſque & feris ſecredit Dauid ratus poſſe ſe viuere cum petris, ſi tantum ſe ab hominibus celet. Proh hominum duritiem, & feritatem! Non ſic à petris, non ſic à belluis timendũ nobis eſt, quam amalicia humana. Ioann. 8. ait poſt explicatum Ieſu cum Iudæis colloquium: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe; & exiuit de templo.* Vt lapides in manibus Iudæorum vidit Ieſus, abſcõdit ſe, & exiuit de templo. An, quod lapides timeat? An, vt à lapidibus fugiat? Abſit, ſed vt Iudæorum caueat duritiam; tunc enim bonus victor exiſtet, ſi malos caueat, non ſi lapides timeat. Ait enim Rupert. lib. 9. in Ioann. *In eò quoque, quo quaſi infirmus ſe abſcondit, & exiuit, victoriæ totius perfectionem expreſsit: quia non tam à lapidibus, quam à lapideis Iudæorum cordibus fugit.* Equidem non metuebat lapides Ieſus, ſed metuebat homines impios, in eoque ſe victorem oſtendebat ſi homines fugeret, quando vel inter lapides, vel inter ſæuiſsimas feras degere poſſet ſecurus, ſi ſe tantum abſconderet ab hominibus. Daniel multis petebatur calumnijs, dum Babylane eſſet interpalatinos; datus fuit leonibus famelicis, & inter eos ſedebat quietus, & ſecurus. Ait enim, cap. 14. *Venit rex ad lacum & introſpexit, & ecce Daniel ſedens, &c.* Sed & tres pueri Hebræi dati ſunt flammanti fornaci, & inter flammas ſecuri degunt, Dan. 3. Et cur hæc à Deo miracula? Oſtendebat, quam ſecuriores eſſent ſancti inter feras, & inter ardẽtes calcis lapides, quam inter homines impios. Pulchre enim canit D. Paulinus in Natal. 8. Sancti Fœlicis aiens:

Cen quandoque feræ circum iacuere Prophetam
Orantiſque pedes linguis mulſere benignis
Naturam mutante Deo, vt damnaret acerba
Mente feros homines humana pace ferarum
Sic, & crudelem confugit flamma tyrannum
Sanctis ſpectantem pueris ſeruire caminos.

Et feræ, & camini, & ſyrtes ſunt iuſtis viris ſalutares, nec habent, quid ab illis timeant ſancti; ſi ſoli homines abſint. Quantaque hæc impiorum hominum confuſio? Romulus & Remus dicuntur à Rege coniecti in flumen, à quo egreſsi nutriti ſunt à lupa. De quo ait D. Auguſt. lib. 18. de ciuit. cap. 21. *Ad arguendum hominem regem, qui eos in aquam proijci crudeliter iuſſerat, per lactantem feram Deus voluit ſubuenire.* Ecce tibi oſtendit Deus infantulos ſecuros inter lupos, qui apud regem hominem non erant ſecuri; & tunc ſolum poſſe viuere, quando à regis impij oculis ſeparati inter feras agebant vitam. Vt merito dicat Paulus ad Hebræos, cap. 11. *Quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, & in montibus, & in ſpelunçis, & in cauernis terræ.* Quæ probans exẽplo D. Anſelm. ait: *Quia Iudas Machabæus, cum Ieruſalem ab Antiochenis occupatã eſſet, ſeceſſerat in deſertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum ſuis agebat. Hi ſe à malicia mundi ſeparauerant.* Ecce tibi, qui inter homines occidebantur, inter feras vitam ſecuri agebant.

Ioann. 8.

Rupert.

Dan. 14.

Dan. 3.

D. Paul.

D. Aug.

Ad Heb. 11.

§. XX.

Sancti viri, nec in mundi ſeceſsibus ſecuri ſunt ab impijs.

FVgerat Dauid Aulam, & ciuitates, prærupta montium incoluerat, nec ibi quietus linquebatur, ſed cogebatur pene ſingulis diebus mutare ſedes. Paulo ante dicitur Dauid eſſe in Ziph, modo in deſerto Maon, ibi audiens Saulis aduentũ: *Deſcendit ad petram*; ſine intelligãtur ſaxa

præruptissima, siue ingens aliqua rupes, in qua posset Saulis fugere manus. Sic noua latibula, præsidiaue tenebatur quærere etiam in deserto latens. Aiebat Paul. ad Hebr. 11. *Quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, & in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Expende illud verbū: *In solitudinibus errantes*; quippe fugiebant ciuitates, fugiebant frequentias hominum; deserta vasta, & solitudines eligebant; sed nec ibi quiescebant, adhuc enim ibi cogebantur nullibi securi manere, sed huc, illucq; errare, noua semper latibula quærentes. Quo spectans D. Chrysost. ibi aiebat: *Non dixit, in solitudinibus sedebant, sed etiam ibi fugiebant, & inde exagitabantur, non ex mundo tantum, sed etiam ex inhabitabilibus locis. Circuierunt quidem, in solitudinibus errantes, & in montibus, & speluncis, sicut profugi, & perfugæ, nec in eremo quidem refugium inueniebant, sed semper cogebantur fugere, opus habebant ferarum lustra inquirere, opus habebant vinos in terra se ipsos defodere, semper in timore esse.* Sic rabies impiorū in sanctos crescit; vt nec liceat sanctis in solitudinibus, nec in terræ cauernis, nec inter feras morari quiete; sed cogantur in continua fuga, & metu esse.

Ad Heb. 11.

Chrysost.

1. *Reg.* 23. Ibat Saul ad latus montis exparte vna, Dauid autē & viri eius erant in latere montis exparte altera: porro Dauid desperabat se posse euadere â facie Saul: Itaque Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos. Et nuntius venit ad Saul dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthim super terrā. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, &c.

§. XXI.

Diuinitatis est difficiliora operanda expectare.

RElinquitur Dauid hostibus vndique cingi, adeò, vt naturalibus viribus desperata esset euasio; & tunc vnius nuntij verbis retrahitur hostis, & euasio datur Dauid. Sic ait textus: *Porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul. Itaque Saul & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos. Et nuntius venit ad Saul dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthim super terram. Reuersus est ergo Saul, &c.* Ecce tibi, vt Dauid cinctus vndique hostibus desperabat posse euadere saltē sine ingenti conflictu, & larga sanguinis effusione. Et nihilominus prorsus incruente euadit liber. Et quando sic Deus liberaturus erat Dauidem, cur permisit eum in tantas angustias venire? Cur non magis cauit illum hostibus circū cludi? Circumcinctus hostibus Dauid difficiliorem multo ostendebat euasionem suam; quam difficultatem expectabat Deus, vt accurreret, vt cui maxime gratum sit difficilioribus operam nauare suam. Matth. 20. post operariorum sudores in vinea, vētum est ad laborum mercedem reddendam, & ait Pater familias procuratori suo: *Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens â nouissimis vsque ad primos.* Ordo postulabat, vt à primis esset retributionis initium, quādo primi plus laboris præstiterant; cur ergo bonus ordinem immutat, & primo iubet remunerare eos, qui laboraverant minus? Vt difficile erat Deo minus dignis prospicere, sic ab eis voluit suam remunerationem incipere, vt ostendat, quam sit illi cordi difficiliora vincere pro homine suo. Quo respiciens Imperfect. hom. 34. aiebat: *Secundum rem quidem erat, vt primi priores acciperent suam mercedem, sed vt ostēdat Deus ineffabilem misericordiam suā, primum nouissimis, & indignioribus reddit mercedem, postea primis.* Equidem ad ostensionem misericordię diuinæ pertinebat, quod rem difficiliorem aggrederetur in primis retributionē dilargiens minus dignis. Diuinitatis enim proprium est, quod in difficiliora superanda inclinet. Hinc plus placent Deo, qui non tam ad mediocria, quam ad magna, & summa, eius amant trahere auxilium. Salomon enim 3. Reg. 3. postulauit à Deo sapientiam, & ait textus: *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiusce modi rem. Et dixit Dominus Salomon. Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, nec animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi, &c.* Sic amat Deus ad magna, & præstantissima trahi à suis hominibus. Vt dicat D. Paulinus epist. 10. *Salomoni quia sapientiam*

Matt. 2.

Imperf.

3. Reg. 3.

D. Paul.

pientiam petere elegiſſet, etiam cæteras opes, quas non poposcerat, ob hoc ipſum, quia non deſiderauerat, contulit. Remuneratus intellectũ bonum, quo infimis ſumma prætulerat: ita ille meruit poſſeſſor omnium fieri, qui eſſe ſummarum petitor elegerat. Expende illa: *Qui eſſe ſummarum petitor elegerat*; inde Deo placuit, quia illum ad ſummorum elargitionẽ adducebat. Sic Deo cordi eſt maxima, & difficilima ſupergredi.

§. XXII.

Præſtanti Principi, cordi ſunt incruenta victoria.

VT ſe intra montem ab hoſtibus cinctũ vidit Dauid, deſperauit poſſe euadere; ait enim textus: *Porro Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul.* Et mirabar, quod tantus dux ſexcentis validiſſimis, lectiſſimiſque ſocijs ſtipatus, ſic deſperet euadere ab exercitu Saul, qui tribus millibus conſtabat. Nonne Dauid eſt, qui inermis adoleſcentulus ſperauit vincere Goliath armatum? Nonne ipſe eſt, qui paulò ante cum ſolis quadringentis viris profligauit Philiſtheos, qui conculcabãt Ceillanos? Cur modo deſperat? Cur non magis ſperat ſe poſſe irrumpere Saulis phalãges, & euadere? Equidem non deſperabat ille de victoria ſanguinolento certamine procuranda; ſed de ſola victoria incruenta deſperabat; quod enim ruptis hoſtibus, multo illorum, ſuorumve ſanguine fuſo triũpharet, non ad ſalutem, & victoriam reputabat. Simile quid laudabat in nobiliſſimo Imperatore Conſtantino, eius incerti au-

Imp. Cõſt. thoris Panegyr. 1. *Itaque vſque ad Taurinatiũ muros ſiſti, cæſique, obſeratas que natti portas ab incolis, etiam corporum ſuorum mole clauſerunt. Quid tibi aliud ſperare potuiſti miles infœlix? Conſtantinum tu tantum ſanguinis fundere coegiſti. Cui, quia ſalutem veſtram à vobis impetrare non licuit, pœne diſplicuit ipſa victoria.* Sane glorioſis Imperatoribus, nec hoſtium ſanguine emptæ victoriæ placere poſſunt, qui plus amant incruentis exaltari triumphis. De omniũ rege Ieſu ait Luc.

Luc. 22. cap. 22. quod dixerit diſcipulis: *Deſiderio deſideraui, hoc paſca manducare vobiſcum.* Cupiebat equidem ardentiſsime Ieſus cum morte confligere, vt hominum repararet vitam. At vbi in arenam proſiliuit, ait Ma-

Matt. 26. tth. 26. *Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Et quando ardenter concupieras mortem, vt tuarum victoriarum cauſam, cur modo triſtaris de illa? Erat in illo Chriſtiano duello res triſtiſsima glorioſo principi nimirum magni populi ruina, & extremum excidium. Ait D. Ambr. ad id caput Luc. *Triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos. Quia nec malos proſe perire volebat.* *D. Amb.* Hoc triſte ſpectabat bonus in triumpho ſuo, & victoria ſua; quod ventura erat cum magno hoſtium excidio; nec placere poterat nobiliſsimo principi victoria adeo ſanguinea, & plena hominum ruinis.

CAPVT X.

Dauid in ſpelunca Engaddi.

Textus Hiſtoria.

SIPHÆORVM Expertus perfidiam Dauid ad Engaddi regionem contendit, in qua præruptorum montium munitiſsima nouerat aſyla. Nec diu ibi quieſcere linquitur, ſed cõtinuo pati cæpit inſenſiſsimi hoſtis Saulis inſidias. Is enim exſufflatis Philiſthinis arma ſua in Dauidem conuertit, ſuperaturus, vt hominem inueniat, ea montium cacumina, quæ inacceſſa eſſent ipſis ibicibus. Dum tamẽ omnia luſtrat, neceſsitate naturali correptus vaſtiſſimam ingreditur ſpeluncam relicto ad oſtium exercitu, iuxta ouium caules, quibus erant ibi paſcua fœcundiſsima. Speluncæ autem tanta erat vaſtitas, vt in intimo eius receſſu lateret Dauid cum ſexcentis ſocijs ſuis, quin viderentur, nec ſentirentur à Rege introeunte. Latus enim, & ſub obſcurus locus viſum negabat venienti è lucidis, at conſpicabilem illum latentibus reliquit. Qui tunc animus Dauidi, & ſotijs? Hoſtem habebant inermem, & ſolitarium in eadem ſpelũca, cuius occiſione libertas illis plaudebat, & glorioſa periculorum ſolutio. Cucurrit Dauid occaſionem arrepturus, & dum manum extendit regem naturalem reueritus, contentus fuit oram chlamydis eius abſcindere. Nec ſine pœnitentia, vel chlamidi regis vulnus intulit; reuerſuſque ad ſuos, multis ſermonibus homines cohibuit, ne & ipſi malum inferrent Sauli. Interea Saul nihil mali ſuſpicans egreditur ab ſpelunca, & paucis ſtipatus viam arripit cæptam poſt exercitũ ſuum, qui paulò longius

longius præcedebat. Egreditur itē Dauid, & â tergo Saulis clamans partem succissæ chlamydis ostentabat, qua testabatur & fidem, & innocentiam suam, & regis periculum. Vt facile potuerit occidi, nisi Dauidi, cordi esset regis vita. Expauit Saul periculi immanitatem, & persuasus Dauidis verbis, effususque in lachrymas, eius cepit innocentiam prædicare. Nec putat posse perfici tantum facinus nisi ab eo, cui Israelis sceptra debebātur, initoque inter Dauidem, & Saulem fœdere vterque discessit, Saul ad suos, Dauid autem inde munitiora sibi loca præoptauit. Vbi enim inuidia est, nulla fœderis firmitudo, nulla iuramenti religio securitatem affert.

PARS MORALIS circa textus literam.

ECCE Tibi iterū mirabile certamen, & plane nouum, inimici contra amicū suum, & amici cōtra amicum. Vbi vnus odio certat, & ferro, alter amore & obsequio debellatum cupit. Et cur obsequium non triumphet, & vincat amor?

1. *Reg.* 24. Ascendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutissimis Engaddi. Cūque reuersus esset Saul postquam persecutus est Philisthæos, nuntiauerunt ei dicentes: Ecce Dauid in deserto est Engaddi. Assumpsit ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus præuiæ sunt.

§. I.

Eucharistia cerciſsimum salutis asylum.

NOn otiose notantur tutissima loca, ad quæ se recepit Dauid; dum dicit: *Ascendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutissimis Engaddi.* Iam enim botrus ille cantatissimus de vineis Engaddi, præmōstrabat, quàm firma pararet tutamina suis alumnis. Quo spectans Carthus. ait: *Habitauit in locis tutissimis Engaddi, id est, firmissimis latibulis prope vrbem sic dictam. Vnde* Cant. 1. *dicitur: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Ex quo enim botrus ille diuinissimus Eucharisticus adumbrabatur in vineis Engaddi, non poterant ibi non inueniri Dei assectis loca munitissima, in quibus essent rabidissimo hosti prorsus inaccessibiles. Quis enim pereat subtanti botri vmbra? Dicitur 3. Reg. 4. *Habitabatque Iuda, & Israel absque timore vllo vnusquisque sub vite sua, &c.* Ecce tibi habitatio munitissima, quæ omnes timores excludit, sed tanta hæc habitatio vbi sita est? An in præruptis montibus? An super altissima saxa? Ait text. *Vnusquisque sub vite*: equidē vitis vna, quę botrum diuinissimum adumbret, potens est habitacula præbere munitissima. Vt dicat Orig. hom. 15. in Iosue: *Tibi dabitur, requiescas sub vite tua, qui est Christus Iesus.* Vbi enim floridissima vitis botrum Iesum nobis exhibeat, iam habemus, quo non timeamus hostem, sed securi viuamus, & firmi. Matth. 26. dicit: *Tunc abyit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? :: Prima autem die azymorum accesserūt discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis, paremus tibi comedere pascha?* Duodecim erant Iesu discipuli; quorum vnus a Iesu discessit, & oppressus ab hoste perijt; cæteri omnes firmissimi, & securissimi manserunt cum Iesu. Et quando ille hosti patebat; vnde ij tantam firmitatem consecuti sunt, vt fierent hostibus inaccessibiles? Ait text. *Accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis, paremus tibi comedere pascha?* Vt toti intenti erant circa botrum diuinū, vt pararent paschale conuiuium, sic securissimi inuenti sunt aduersus hostiles incursus. Ait D. August. ser. 130. de Temp. *Iudas quidem discipulus fuit, vt illi vndecim; sed illi quidem dicebant Domino; vbi paremus tibi pascha manducare? Ad mysterium diuinum se præparabant; hic autem ad tradendum festinabat.* Et si alia deficerent, vnum hoc discrimen sufficiebat, vt discipuli vndecim munirentur maxime; nimirum, quia illi de cœlesti conuiuio cogitabant. Qui enim diuini epuli mysterio implebantur, ab omni malo euentu tuti erant. Quo spectans D. Hildephons. serm. 1. de Assumpt. Mariæ

Carthus.

Cant. 1.

3. *Reg.* 4.

Orig.

Matt. 26

D. Aug.

D. Hild.

Mariæ ait: *Recte arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, ſupra quam ſane propitiatorium, & Cherubin hinc, inde obumbrantia figurantur, quia Maria nullũ extrinſecus obrepſit peccati contagium: ſed intus omnis cuſtodia legis, & manna fuit, quod eſt mirabile Sacramentum, &c.* Ex eò enim, quod Maria intus habebat mirabile Sacramentũ mannæ aduerſus omne peccatum munita erat.

§. II.

Hoſtium conſpectus principes ſolet in virtute continere.

NOn prætereundum eſt, quando Saul inuidiã cæperit reaccendere in Dauidem, nimirum ait text. *Cumque reuerſus eſſet Saul, poſtquam perſecutus eſt Philiſthæos, nuntiauerunt ei dicentes, &c.* Itaque poſt bellum confectum, poſt Philiſthæos expulſos ſtatim Saul inuidentiam ſuam in Dauidem alit; à qua ſuperſederat, dum cũ Philiſthæis pugnabat. Sic enim hoſtis conſpectus hominem in virtute frænarat. Quò ſpectans Salluſtius de bello Iugurthino Romanam vrbem cinctam hoſtibus dum depingit, ait: *Metus hoſtilis in bonis artibus ciuitatem retinebat, ſed vbi illa formido mentibus deceſſit: ſcilicet ea, quæ ſecundæ res amant, laſciuia, atque ſuperbia inceſſere.* Vrgebat hoſtis Romanos, ſed hoc beneficium ab hoſte accipiebant, quod dum aduerſus hoſtem nituntur, vitia reſpuant, & ſe contineant intra virtutis metas. Sic Dominus, qui populo ſuo promiſerat Chananæorum terram, & extirpationem hoſtium; tandem reliquit non paucas hoſtiles vrbes, qui populo ſuo vicinæ, & infeſtæ eſſent. De quibus ait textus, Iudic. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem.* Sciebat enim Deus, quantum valeat hoſtilis conſpectus, vt ſapiat populus, & ſe contineat intra virtutũ regulas. Adhæc Theodoret. quæſt. 7. Ait ergo Deus ſe non plane cunctos terræ illius habitatores perdidiſſe duce Ieſu filio Nabe, vt poſteri eius experientia cognoſcerent, quantam illorum curam gereret Deus, *& neceſſitate belli compulſi Dominum ad pugnandum pro illis implorarent.* Nunquam non compellit nos ad Deum neceſſitas belli, & eo ipſo arcet à prauis affectibus. Quis enim ferat eos, qui cincti hoſtibus, & gladijs imminẽtibus adhuc vitiorũ populo adhærent? Hos mordebat Amos, cap. 6. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij. Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. Qua propter nunc migrabunt in capite tranſmigrantium, &c.* Ecce tibi extrema deſolatio, & tranſmigratio renuntiatur principibus Iſraelitis, qui in Samaria regnabant extribu Ioſeph; quod Ioſephi regnum ab hoſtibus vndique videbant impeti, adeò, vt prorſus deſperaretur eius ſalus, & interea principes conuiuijs, canticis, luſibus vacabant. Pro quo ait D. Cyrill. Alexand. ibi: *Plaudunt igitur inter concentus muſicos, bibentes vinum, odoratum fortaſſe, & colatum probe. Vnguentis etiam excellenti compoſitione vnguntur, & Ioſeph contritum iri, nihil penſi habent penitus. Quamuis enim breui euenturam calamitatem, captiuitatemque Samariæ, & in Ioſeph futurã contritionem præſcirent, tamen à conſueta ſibi luxuria non diſcedebant.* Væ iſtis regni principibus, qui regno imminentem calamitatem videntes, & extremam ſubditorũ ruinam hoſtibus iam vrgentibus, & penuria; adhuc illi non ſe continent in virtute, nec deſiſtunt à conſuetis luſibus, & luxurijs. Quid amentius? Strictos hoſtium enſes aduerſus te vides, & interea res luſus, & voluptatis, & iniuriæ diuinæ, & offenſæ publicæ agis! Hinc ciues ſuos mordebat Saluianus lib. 6. de Guber. Dei fatus: *Itaque barbaris pene in conſpectu omnium ſitis, nullus metus erat hominum, non cuſtodia ciuitatum. Tanta animorum, vel tanta potius peccatorum cæcitas fuit, vt cum abſque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret, ne periret. Totum incuria, & ſegnities, totũ ebrietas, & ſomnolentia, ſecundum illud, quod talibus ſcriptum eſt: Quia ſopor Domini irruerat ſuper eos: Et quid poſt hæc omnia? Quis exiſtimare hoc amentiæ genus poſſit? Pauci nobiles, qui excidio ſuperfuerant, quaſi pro ſummo vrbis deletæ remedio, circenſes ab imperatoribus poſtulabant.* Hanc Saluiani cenſuram notent, qui inter hoſtium inſultus, inter bellicos timores, inter calamitates publicas ſtudent luſibus, & materiam adhibent vitijs.

Sallust.

Iudic. 3.

Theod.

Amos, 6.

Cyril. Al.

Saluian.

§. III.

§. III.

Inuidiæ pertinaciſsimus affectus, nec miraculis frangitur.

NOn ſemel Saul Dauidem periculis diuinitus ereptum viderat, cum iactum lanceæ bis declinauerat, cum paulò ante Zyphæorum perfidia proditus, pene iam comprehenſus euaſerat. Et nilominus modo aduerſus illum inſtaurat bellum; ait enim: *Aſſumpſit ergo Saul tria millia electorum virorũ ex omni Iſrael, perrexit ad inueſtigandum Dauid, &c.* Nec miror, eſt enim inuidiæ pertinaciſsimus affectus, qui nec miraculis cedat. Matth. 4. accedẽs
Matth. 4. tentator ad Ieſum aiebat: *Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiãt.* Planè rem paruã poſtulabat, qua ſe Dei filius declararet, & nilominus repulſam patitur. Et cur in tam parui momenti petitione repellitur, quando poſtulata diuinitatis declaratio profi-cua fuiſſet orbi terrarum? Pulchrè ait D. Cyprian. ſerm. de ieiunio, & tent. *Nec opus*
D. Cypr. *erat, vt hoc facto inſidiatori innoteſceret; quia nullo ſigno eius poterat inuidia commutari.* Is eſt inuidiæ affectus, qui nec miraculis frãgatur, verum inter illa magis præualeat. Quis neſciat ingentia illa Domini Ieſu re-
Matt. 28 ſurgentis miracula? Ait Matth. 28. *Ecce quidem de cuſtodibus venerũt in ciuitatem, & nuntiauerunt principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus dicentes: Dicite, Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, &c.* Ecce tibi inter dominicæ reſurrectionis clariſsima ſigna, inter ipſam cuſtodum teſtificationem adhuc Iudæi pecunia exhibita amant Ieſum tenebris offundere. Et cum lapides franguntur, monumenta aperiuntur, milites teſtificantur, ſola Iudæorum immobilis perſeuerat inuidia. V t di-
D. Zeno, cat D. Zeno lib. 2. ſerm. 6. *Vt Iſaac non periturum ad aram, ita ad crucem Chriſtũ ſublimandum nefary perduxerunt. Sed quia neſcit æternitas mori, aut Dominus poſt ſepulchrum, & ad Iudæos remanſit ſola damnatæ voluntatis inuidia; quia Dominum nec agnoſcere voluerunt.* Expende illa: *Et ad Iudæos remanſit ſola damnatæ voluntatis inuidia*; mors enim à Ieſu exceſſerat, pœnæ vniuerſæ fugerãt, opprobria in gloriam conuertebantur; ſola apud Iudæos inuidia immota erat. Nullis, mihi crede, miraculis inuidia cedit. Ait de illa D. Zeno lib. 1. ſerm. 17. *Paſcebantur furiẽtes, qui paſcebat, impugnabatur. Vita mortuis reddebatur, & is, qui vitam tribuebat, inſidias vitæ per inuidiam ſuſtinebat. Dæmones fugabantur, & imperanti dæmonibus dolì ab hominibus tendebantur, &c.* Sic bonus pergit oſtendens inuidiam nullis frangi miraculis. D. Zeno,

1. *Reg.* 24. Et venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti, eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porro Dauid, & viri eius in interiore parte ſpelũcæ latebãt. Et dixerunt ſerui Dauid ad eum: Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit oculis tuis, &c.

§. IIII.

Ad agnorum ſortem pertinẽt, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.

NOn immerito Dauidis latibulũ circa ouium caulas inuenitur; ait enim: *Et venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti, eratque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrẽ: porro Dauid, & viri eius in interiore parte ſpelunca latebãt.* Et cur Dauidis latibulum notanter exprimitur fuiſſe iuxta caulas ouium? Crediderim ibi iam oſtendi Dauidem ad agnorum ſortem pertinere, vt qui patiebatur perſecutorem tantum? Matth. 2. poſt recenſitam puerorum ſtragem ab Herode factam, ait: *Tunc impletũ eſt, quod dictum eſt per pro-* Matth. 2.
phetam Ieremiam dicentem: Vox in Rama audita eſt plorãtus, & vlulatus multus, Rachel plorat filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Verum pueri occiſi ab Herode, cum Bethlehemitæ eſſent, non à Rachele, ſed à Lia originem ducebant. Lia enim pepererat Iudam, ad cuius ſortem Bethlehem pertinebat. Cur ergo Bethlehemitici pueri occiſi ab Herode non dicuntur filij Liæ, ſed Rachelis? Crediderim in eo attendiſſe pro-

prophetam ad Rachelis nomen, Rachel enim idem eſt, ac ouis, Vnde merito eos Rachelis vocat filios, vt oſtendat, quam pertineat ad partem agnorum, qui tantam perſecutionē pertulerunt. Pulchre ad hæc aiebat Euſeb. Gallican. hom. de Innocent.

Euſeb. *Quare Rachel filios ſuos plorare dicitur, cum vtique non filij Rachel, ſed filij Liæ ſororis eius omnes iſti fuerunt? Iudas enim non filius Rachel, ſed filius Liæ fuit, in cuius tribu hæc cædes immenſa facta eſt. Sed quia Rachel interpretatur ouis, non immerito filij Rachel eſſe dicuntur, qui quaſi agni innocentes, & ſine voce iugulantur.* Merito mater, quæ ouis dicatur, adſcribitur illis, qui per acerbiſsimæ paſsionis ſufferentiam ſortem agnorū occupabāt. Vt enim tāta paſsi agni immaculati victima fiebāt, ſic ouis filij dicebātur. Eſt quidem proprium eorum, qui pro Deo patiuntur, quod in partem agnorum tranſeant. Vt dicat Apocal. 14.

Apoc. 14 *Ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centū quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Circa quæ D. Gregor. lib. 6. in 1. Reg. cap. 1.

D. Greg. *Qui nomen agni aſſumpſerant, agni dicebātur.* Et vnde fortiſsimorum virorum exercitus agnorum gaudet vocabulo? Sane ex quo in arenam Chriſtianam deſcenderunt, tyrannorumque rabies pertulerunt, diuini agni nomen participarunt. Quo ſpectans

D. Cypr. D. Cyprian. de laude martyrij fatur: *Cum in vobis Dominus martyrium caperit honorare. Vos intra ſe ſanctum illud altare, vos intra ſe magna illa venerandi nominis ſedes, veluti ſinu quodam gremij amplectentis includit.* Expende illa: *venerandi nominis ſedes*, quippe diuiniſsimi agni thronus ſub eodem nomine claudit eos, qui propter Deum perſecutionem patiuntur.

§. V.

Tunc inte claret Chriſtus, cum ſcis tuas occultare virtutes.

TAntus ille dux, qui puer auſus fuerat in certamen prodire aduerſus Philiſthæum, nōdo vir aſſuetus victorijs, & ſexcentis ſolijs cinctus certamina refugit, quærit latibula. Dicit enim: *Porro Dauid, & viri eius in interiore parte ſpelunca latebat.* Cur non magis in campum proſilit? Cur non magis diuinam in ſe habitantem virtutem oſtendat aduerſus regem reprobatum repugnans? Reſpiciebat Dauidis virtus oriturum ex illo Chriſtum, cui tunc applaudebat, imo quem tunc maxime oculis præſentabat, cum in occultatione virtutum, eius myſteria oſtentabat. Adhæc Pſalm. 56. in titulo præfixum habet: *In finem ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptione, cum fugeret à facie Saul in ſpeluncam.* In promptu eſt Dauidis hiſtoria; vt certus de regno adipiſcendo maluit latere in ſpelūca, quam palam beligerare cum Saule rege. Sed non eſt adeo in promptu, vt in hoc prætenderet Dauid Chriſtum filium eius. Dauidis enim præclare geſta non paruam lucem Chriſto præferunt, eius autem latibula, & occultationes quid commune cum Chriſto habere queunt? Plane in eo, quod te abſcondas, quod lateas mortalium oculis maxime inte Chriſtum oſtendis prælucere. Ait enim D. Auguſt.

D. Aug. *Inuenimus ergo illo tempore quando Saul Dauid perſequebatur, regem futurum, & prædeſtinatum rex iam reprobatus, quod fugerat a facie Saul in ſpelūca ipſe Dauid. Quid ergo hoc ad Chriſtum? Inuenimus ibi Chriſtum, & multo maxime.* Plane maxime inuenitur Chriſtus in eis, qui ſciunt latere, & ſeſe abſcondere à facie mortalium. Vt enim in Chriſto Deus abſconditus prædicatur, ſic ab amantibus latebras, & abſconſiones maxime eius diuinitas claret. Sic Ioann. cap. 19.

Ioann. 19 *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, eo quod eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tollerent corpus Ieſu:: Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum.* In quibus maxime notandum eſt, qui eligantur, vt glorioſum Ieſu funus curent, nimirum Ioſeph, & Nicodemus, ambo diſcipuli Ieſu, ſed qui ſeſe maxime occultabant, conſpectumque hominum fugiebant. Et cur de diſcipulis ſe occultantibus eliguntur, qui Ieſu funus, & ſepulchralem honorem tractent? An quia occulti, ideo aptiores tunc ad gloriam Ieſu manifeſtandam? Ait D. Epiphan. orat. de Ieſu ſepultura:

D. Epiph. *Pape abſconditum inter omnia myſterium, duo occulti diſcipuli veniunt, vt eum in ſepulchro occulant, qui occulte apud inferos degebat: ſua illa occultatione docentes, id, quod ſub carnis integumento occultabatur, Deum eſſe.* In eo, quod ſe occultabant, apti fiebant, vt occulta myſteria tractarent, & abſconditæ deitatis in Ieſu defuncto teſtationem facerent. Crede mihi dum te te occultas propter Ieſum, eum Deum oſtendis, eius publicas abſconditam Deitatem, in eiuſque amicitiam, & propinquitatem tranſis. Cant. 2. ſic Sponſus ſuam dilectam

voca-

Cant. 2. vocabat: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea*: & post multas eius laudes tractatas, tãdem cap. 4. de illa ait: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Circa quæ ait Gillib. Ab-
Gill. Ab. bas serm. 20. in Cant. *Vis nosse, quam bona sit conclusio? Hortus conclusus, fons signatus. Surge, propera amica mea. Vides iam quomodo illam inuitat, & amicam vocat, quæ se ipsam condudere nouit.* O latebrarum bonũ! Hoc stude Christiane, vt lateas, vt fugias oculos hominum, & fallar nisi ad maximã Dei peruenieris familiaritatem.

§. VI.

Terreni originis consideratio maxime tutatur hominem.

ILlud adhuc premendum est, nimirum *Dauid in interiore parte spelunca latebat.* Circa quæ D. Augustinus non parum latibulum terræ putat esse. Ait enim: *Quid*
D. Aug. *est contegi spelunca? Contegi terra, qui enim fugit in spelunca, terra contegitur, ne videatur. Portabat autem terrã Iesus carnem suam, quam acceperat de terra, & in ea se occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus.* Ecce tibi sub terra carnis, quasi in spelunca se Iesus abscondebat, & hostibus eripiebat. Proh validissimum latibulum paratum hominibus in terra! Intra Christiane terreni originis tui spelunca, te ibi abde; pone ante te hanc considerationem, & fallar, si non lateas vel ipsissima Dei tela. Ad hanc refugiebat
Iob, 10. spelunca Iob, cap. 10. dicens: *Et sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem rediges me.* Ecce tibi, quid prætendat aduersus Dei irã sibi contrariam, nimirum vnam prætendit terreni originis memoriam aiens, *Quod sicut lutum feceris me.* Cur non potius confu-
D. gitat ad altiora diuini spiraculi? Cur non magis proponit diuinã in se imaginem? Prudenter agnouit, quam citius fugiat irã Dei, sub spelunca terreni originis tutatus. Ait enim D. Ennodius in Eucharistico de vita
D. Enn. sua. *Satis esse, credo, ad promerendam Dei clementiam, si semper ante oculos suos statuat, vnde nos sumpserit, nec facile ad sublimitatem mandatorum illius cum velocitate extremum migrare posse materiam.* Quoties, vel irato Deo terram nostram memoramus, illamque eius oculis opponimus, facile deuitamus eius iram. Hinc non patua cura debet esse, vt hanc nostræ mortalitatis spelunCam præoculis habeamus. Sane Angeli, qui post Iesum resurgentem manserunt ad sepulchrum, Matth. 28. dicebãt ad mulieres: *Scio, enim, quod Iesum, qui crucifixus* Matt. 28
est, quæritis, non est hic, surrexit enim, sicut dixit; venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. Dicit Iesum surrexisse, & iubet mulieribus, vt sepulchrum videant; si gloriam resurrextionis adstruit, ad quid necessum est, vt videatur sepulchrum? Ait D.
D. Hier. Hieron. ibi: *Ostenditur mortalitas immortalibus, ad gratiarum actionem debita; vt intelligamus, quid fuerimus.* Expende Angelorum curam, nimirum, *vt intelligamus, quid fuerimus*; rati, quod si terreni originis memoriã faciamus, futuri simus in tuto. Quãdo enim lutum infirmitatis nostræ ob oculos positum non negotiatur salutem? Habacuh, cap. 2. aiebat: *Lapis de pariete clamabit,* Habac. 2
& lignum. Septuag. autem legunt; *Scarabæus de ligno loquetur*: quæ verba passim referuntur ad Christum crucisuffixum. Et quid Iesus in cruce cum scarabæo? Plane scarabæus luto gaudet, sic Iesus illis, qui sciunt non obliuisci luti sui. Vt dicat D.
D. Amb. Ambr. lib. in Lucam de Iesu: *Bonus scarabæus, qui clamauit è ligno. Quid clamauit? Clamauit latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Bonus scarabæus, qui lutum corporis nostri ante informe; virtutum versabat vestigys. Bonus scarabæus qui de stercore erigit pauperem, &c.* Sic Iesus afficitur ad eos, qui se continent intra luti sui notitiam.

§. VII.

Peccatis suis homo maxime implicatur ad mortem.

QVanta est miseria peccatoris? Ecce tibi Saul inuidus quærens Dauidem ad mortem, ipse morti pene inestimabili exponitur. Dicit enim text. *Eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem: porro Dauid & viri eius, in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerũt serui Dauid ad eum: Ecce dies, &c.* Qui propetabat Dauidem occisurus, in manus Dauidi datus inuenitur. Quod miratus D. Chry-
Chrysost. sost. hom. 1. de Dauid, & Saule fatur: *Saul imprudens incidit in retia Dauidis. Erat, inquit, ibi spelunca, & ingressus Saul, vt exoneraret aluum. Dauid autem cũ comitibus suis in inferiore parte speluncæ sedebat, &c. Vidisti tensa retia, vidisti venatorem erectum, vidisti*

omnes

omnes adhortantes, vt enſem in hoſtis pectus immergeret? Expende illa: *Vidiſti tenſa retia*: quippe reti tribuit, quod Saul intra ſpeluncam ferretur. Sed à quo factum eſt tale rete? Non quidē à Dauide, qui intrans ſpeluncam tantum de ſe liberando cogitabat, nō de Saule capiendo. A quo ergo rete ſtructū eſt, quo ſic tractus fuit Saul in vitæ diſcrimen? Credo à Saulis vnius inuidentia, & peccatis conflatū eſſe rete, quo miſer rapitur ad mortis pœnā. Sapienter enim
D. Amb. dicit D. Amb. in Pſal. 118. ſer. 6. *Quot vitia, tot retia: quot peccata, tot laquei.* Sunt equidem peccata retia, quæ homines peccatores implicant, & ruinæ exponunt extremæ. Aduerſus ſordidum illum conuiuā, qui aāſus eſt intereſſe nuptiali menſæ, ait
Matt. 22 Dominus, Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentiū.* Et mirabar, quod in domo, & conuiuio nuptiali, in promptu eſſent vincula, & laquei, quibus miſer iſte ligaretur. Vbi tunc laquei prōpti? Plane vbi in illo ipſo homine peccatum erat, nō potuit non in promptu eſſe reſtis, ex qua & laquei, & vincula, & retia fierent, quæ hominem raperent in interi-
D. Aug. tum. Ait D. Aug. in Pſalm. 130. *Quo valet iſta peccati reſtis, niſi vt inde ligentur ei manus, & pedes, & proyciatur qui ſque in tenebras exteriores? Meminiſtis enim dictum de quodam peccatore in Euangelio. Ligate illi manus, & proyicite illum in tenebras exteriores. Non ergo eſſet, vnde illi ligarentur manus, & pedes, niſi ipſe feciſſet reſtem.* Non aliunde tracti ſunt laquei, quibus prendebatur, & ligabatur, niſi à proprijs eius peccatis, & ſceleribus. Quot ipſe peccata fecerat, tot vincula, tot laqueos in ſe oſtendebat, quibus ad mortem implicaretur. Quo ſpectās Iob,
Iob, 18. cap. 18. ait: *Arctabūtur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum. Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulabat. Tenebitur planta eius laqueo.* Ecce tibi quot laquei, quot retia impium implicent, vt in mortis falcem trahant. Sed vnde tot retia, tot laquei? Ait D. Thom. ibi: *Ho-*
D. Thom. *rum impedimēiorum cauſam ex ipſo eius peccato dicit procedere, cum ſubdit: Immiſit in rete pedes ſuos. Sicut enim ille, qui ſponte ponit pedem in rete, ſe præparat captioni; ita ille, qui ſe ſponte ingerit ad peccandum.* Itaque peccatum quaſi rete fit homini, vt illum extremę ruinæ tradat. Quo reſpiciens D. Athanaſ. in Apolog. ad Conſtantium agens de Ma-
D. Atha. guentio occiſore Conſtantis ait: *Velati Damon, & furia infernalis in Conſtantem inſiluit. Atque ſanctiſsimus ille vir martyrium aſſecutus eſt. Ille contra iam inde quaſi in nexu eſſet fugiebat, vt Iudam poſtea imitaretur ſibi ipſe carnifex factus.* Expende illa: *Quāū in nexu eſſet*, ex quo enim tantum ſcelus admiſit, in nexum incurrit, quo ad pœnam traheretur. Huc addenda dicta infra, cap. 19. §. 23.

§. VIII.

Mala iuſto illata veniunt in eum qui inferebat.

NEcem Dauidi inferre dum Saul curat, ipſe in ipſius Dauidis gladiū peruenit, iuxta illud: *Erat ibi ſpelūca, quā ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porro Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant. Et dixerunt ſerui, &c.* Ecce tibi Saul ſolus, & nudus eſt in eo ipſo loco, in quo Dauid armatus, & ſexcentis viris cinctus latebat. Quis tunc neget Saulem in vltimo vitæ diſcrimine eſſe? Sane in illum rapide veniebat mors, quam ille Dauidi amabat inferre. Pſalm. 56. titulus ait: *In finem, ne diſperdas Dauid in titulo inſcriptione, cum fugeret à facie Saul regis Iſrael in ſpeluncam*: quo oſtenditur pſalmus ille dictus à Dauide in illa ſpelunca latente. Quid ergo tunc dicebat Dauid? Illud inter alia ſapienter notabat. *Foderūt ante faciem meā foueam, & inciderunt in eam.* Sic fere omnes ſibi inferunt malum, quod alijs inferre parant. Geneſ. 4. de primis illis fratribus dicit: *Cumque eſſent in agro conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Philo legit: *Et interfecit ipſum.* Quid plura? Statim pergit Philo lib. quod deterior potiori inſidietur: *Inſurrexit Cain in Abelem fratrem ſuū, & interfecit ipſum, primā quidem ſpecie Abelem occiſum ſubindicat; ſin autem diligentius rem expendas, ipſum Cain à ſe ipſo; proinde ſic legendum: Inſurrexit Cain, & occidit ſe ipſum, non alterum, & merito quidem.* Quippe licet videretur Cain percutere fratrē, in rei veritate potius percutiebat ſe ipſum. Citius enim mala in te veniunt, quæ iuſto infers. Dicebat, Gen. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui; manus tua in ceruicibus inimicorū.* Quæ benedictio relata ad Ieſum, non paruā excitat quæſtionem, quando videlicet à Ieſu manibus venit malum in inimicos ſuos? Cum enim Ieſus in cruce erat, non malis, ſed benedictionibus implebat inimicos. Quæ ergo mala à tam benigno Ieſu veniebant aduerſus inimicos eius? Non equidem Ieſus à ſe mala mittebat in illos; ſed

Pſal. 56.

Geneſ. 4.

Phil.

Phil.

Gen. 49.

quæ ipsi inferebant mala Iesu, eius manus affigentes cruci, inde resilientes opprimebãt illos. Adhæc D. Cypr. epist. 64. *In benedictione quoque Iudæ hoc idem significatur, vbi & illic Christi figura exprimitur, quod à fratribus suis adorari haberet; quod inimicorum dorsa manibus, quibus crucem pertulit, & mortem vicit, compressurus fuisset.* Expẽde illa: *Manibus, quibus crucem pertulit*; non enim Iesu manus solutæ, & liberæ inimicos percutiebant; sed manus habentes, & sustinentes crucem; quod enim crucis malum Iudæi aduersarij Iesu manibus inferebant, hoc totum in illos ipsos veniebat. Quippè os, quod in Iesu solum liberum & solutum erat, id veniam clamabat inimicis; at manus, quæ crucem tenebant, illique erant affixæ Iudæorum studio, hæ misere opprimebãt inimicos. Vt inde clareat, quod non Iesus, sed Iudæi ipsi sibi inferebant perditionis malitiam. Huc trahe dicta tom. 3. de Christo Figur. lib. 7. cap. 8. §. 15.

D. Cypr.

1. *Reg.* 24. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit Dauid cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos, propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domino, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est, &c.

§. IX.

Præstantior est salus præstita, sine sensu periculi.

CRedo cum Saliano nostro chlamydem Saulis repositam fuisse longiuscule, vt sic Saul commoduis studeret corporali necessitati, & facile à Dauide præcidi posset. Dicit enim: *Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul.* Et cur non potius integram sumpsit, & cum strepitu? Cur contentus fuit particulam silenter rescindere? Amabat bonus, sic regis saluti prospicere, vt nec periculi sensum rex haberet, quẽ minimè euitaret Saul, si chlamydem sepositam in spelunca non inuenisset, vel ab aliquo raptu videret. Cur enim solus, & pène nudus in loco obscuro, & incognito non timeret sibi vehementer ab illo, à quo vel rapi, vel raptas perciperet vestes. Ideo Dauid sic se gessit, vt Saul salutem acceptam noceret, cum nullo iam periculi metu posset teneri. Quod ad maximam salutis datæ commendationẽ pertinebat. Vt hinc inescare suos alũnos credatur Fides à D. Ennodio; Fidei enim voci hos adscribit versus, in Paranæsi:

Qui cupit cœlo sociare terram, D. Enn.
Linquere, & lunæ vitium parentis
Me petat, certum, decus, & coronam
--- --------- Muneris alti.
Ille nec dirum metuit tribunal
Nec per vrbanos volitat potentes
Conscius recti, tenet inter vndas
---------- Stagna salutis.

Expende illa: *Tenet inter vndas stagna salutis*; absciscis enim vniuersis timoribus, ea salus offertur, quam non offerant rabidæ ventorum furiæ, nec vortices vndarum, sed serenum, & quietum stagnum. Quantula enim salus est, vbi contingit audire ventorum fremitus, pati vndarum flagra; timorè concuti instantis naufragij? Illa prorsus est chara salus, quam serena præbent stagna, nec quid sentitur, quod metum afferat extremæ ruinæ. Huc spectat ille fœlicium status, de quo Apocal. 15. ait: *Qui vicerunt bestiam, & imaginem eius,* Apoc. 15 *& numerum nominis eius. Stantes super mare vitreum habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi serui Dei.* Expende, vt stantes super mare cantabant canticum Moysi; at si Exodum consulas, cap. 15. Moyses non stans supra mare cecinit, sed tunc cum iam è mari egressus esset, tunc canticum Moyses edidit. Cur ergo ij quando Moysi canticum æmulabantur, non æmulantur & cantici locum, & tempus? Cur super mare stantes canunt, & non magis cum Moyse post superatum mare? Causam indicant verba illa; *Stantes super mare vitreũ*: ijs erat Exod. 15. mare vitreum, hoc est, quietũ, stabile, non ventis agitatum, non fluctibus tumidum, vt vel inter vndas tenerent stagna salutis. Moysi autem fuit mare fluxum, instabile, plenũ periculis, à tergo instabant hostes, à dextris sinistrisque fremebant fluctus, quo nihil in mari non tremendũ videbat. Vnde ortũ habuit alia differentia, quod dum canit Moyses post superatum tremendum mare, dicitur Maria sumpsisse *tympanum in manu sua*; dum autem canunt illi stantes supra mare vitreum, dicuntur habere citharas Dei. Et cur tympanum pulsatum à Maria non dicitur tympanum Dei; citharæ autem pulsatæ ab ijs, qui supra mare vitreum sunt, dicuntur citharæ Dei?

Perti-

Pertinebat hoc ad oſtendendam præſtantiam ſalutis obtẽtæ; vt enim quæ Dei ſunt, præſtantiſſima omnium habentur, ſic celebritas, & præſtantia ſalutis eorum, qui mare vitreum calcant, hoc eſt, qui non frementes fluctus, nec rapidos ventos ſuſtinent, ſed ſtagna habent ſalutis, pene ſine vllo ſenſu periculi præſtantiſſima eſt.

§. X.

Maioribus ſuperatis cauenda ſunt minutiora.

POtuit Dauid Saulem occidere, ſed ab eius nece abſtinuit contentus ſcindere oram chlamydis, de quo etiam cõpunctus doluit. Nam dicit text. *Poſt hæc percuſsit Dauid cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Sed quando abſtinuit à cede hominis, cur ſic dolet abſciſsionem chlamidis? Sapiens homo dum ſe nouit victorem in maximis; ſapienter cauet minima, ne numerum augeant, & inde infirmetur ad extremum caſum. Aiebat enim
Pſal. 39. Pſalm. 39. *Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei. Et cor meum dereliquit me.* Ecce tibi non rerum magnitudo, ſed numerus in cauſa fuit, vt cor declinaret in barathrum.
D. Aug. Quo circa ait D. Auguſt. ibi: *Quis numerat capillos capitis ſui? Multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, ſed multa ſunt. Præcauiſti magna? Iam non facis adulterium, iam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blaſphemas, non falſum teſtimonium dicis; moles iſta ſunt peccatorum. Magna præcauiſti, de minutis quid agis? An non times minuta? Protecciſti molem, vide, ne arena obruaris.* Sane arena non mole, non magnitudine, ſed numero opprimit; & miſer eſt, qui præruptis montibus ſuperatis, ingentibus ſaxis deuictis, ſub arena obrutus cadit. Qui ergo magna deuicit, hoc maxime caueat, vt minimorum proceſſus abrumpatur, ne ab illorum numero oppreſſus in mortem abeat. Quo reſpiciens Dominus dum gloriam triumphantium virorum deſcribit Apocal. 15.
Apoc. 15 ait: *Qui vicerunt Beſtiam, & imaginem eius, & numeram nominis eius ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei, &c.* Sic cantatiſsimi victores, non ſolum dicuntur de ingenti Beſtia triumphaſſe, ſed vel de eius vmbra, & imagine; imò, quod maxime notandum eſt, & de numero nominis eius. Et poſt deuictam beſtiam, poſt deiectam eius imaginem, quid eſt adhuc triumphare de numero nominis eius? Crediderim in eo oſtendi triumphum de minimis beſtialibus affectibus, qui non magnitudine opprimunt, ſed multitudine, & numero impellunt ad exitialem caſum. Qui autem fœlix eſt, poſt illa ſuperata, etiam ab ijs caueat.

§. XI.

Qui maiora præſtitit, ne in minimis implicetur.

SAne *percuſsit Dauid cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Nec miror, qui enim vitam præſtiterat, dolet, quod abſtuliſſet, vel minimũ chlamydis. Nequit enim bonus in minimis implicari, cum præſtiterit magna. Aiebat Iſaias, cap. 9. *Paruulus enim natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Quibus vltimis verbis rarus eſt Pater, qui non intelligat crucis lignum Ieſu impoſitum humeris, quo noſtrũ omnium dominium caperet. Sed quando Ieſus multa alia fecit in vita ſua, dum prædicat, dum venit ad Iordanem, vt baptiſmum Ioannis acciperet, cur ſolam eius natiuitatem, & mortem nominat nobis ab illo datam? Cur non ſimiliter ait; nobis datus, nobis baptizatus, nobis mortuus? Plane quãdo magna ab illo in nos profecta dicebat, in ijs à fortiori intelligebat, & præſtita parua. Qui enim non recuſarat nobis dare ſuum ſanguinẽ; nec veritus fuiſſe pro nobis ſummere baptiſmi aquas. Adhæc ait D. Aug. hom. 1. in Epiph. *Tibi naſcendo Chriſtus aduenit, tibi viuendo militauit, tibi moriẽdo conflixit. Quem vidēs pro te mortuũ, pro te intelligebaptizatum?* Non equidem is eſt Ieſus, qui præſtans maxima, abſcondat parua. Vt in magnis, ſic in paruis ſeſe oſtendit pro homine ſuo. Eò ipſo, quod noſcitur pro nobis crucem amplexus; credendus eſt, & pro nobis ſuſcepiſſe baptimi aquas, quod longe minoris pretij erat facinus. Ex quo monebat Ieſus ipſe, Matth.
Matth. 5 5. *Siquis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam; præbe illi & alteram.* Legit D. Aug. *D. Aug.* explicatius *Præbe illi & ſiniſtram.* Non ita facile percutitur maxilla dextera, vt percuti ſolet ſiniſtra; quæ magis ad manũ percuſſori eſt. Cur ergo ſaluator non poſuit id quod in primis accidere poteſt, nimirum, ſi te quis percuſſerit in ſiniſtram? Cur maluit dicere, ſiquis percuſſerit

in dexteram, quod ægre fit? Respiciebat enim non ad percussionis euectum, sed magis ad præsentem doctrinam, qua imbuimur, ne immoremur in minimis, quando maiora à nobis fuerint exhibita. Ait D. Aug. epist. 5. *Magis autem sinistra percutitur, quod in eam potius partem, quam ad dexteram, ferientis est ictus. Sed sic intelligi solet, ac si dictū esset: Siquis in te meliora fuerit persecutus, & inferiora ei præbe.* Quippe indignum est, quod in infimis, & minimis impliceris, qui te in summis præclare gessisti. Nec facile quis creditur in magnis præualuisse, qui nunquam se ostendit strenuum in minimis. Naaman Syrus leprosus, 4. Reg. 5. *Descendit, lauitque in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei* (nempe Elissæi) *& restituta est caro eius, sicut caro pueri parauli, & mundatus est.* Sic Naaman vnus ab Elissæo mundatur. Verum Luc. 17. *Occurrerunt Iesu decem viri leprosi*, qui continuo sanati sunt ab eo. Rem miratus Marcion hæreticus putat ad diuersum Deum pertinuisse horum decem curationem: quasi ille Deus, qui vnum tantum sanauit per Elissæum, non potuisset sanare illos decem per Iesum. Imo, ô hæretice, eò ipso, quod illic vnus sanatus est, & hic decem manifeste sanatio ad eundem Deum pertinuisse probatur. Tunc enim censetur vnus Deus tãtam salutem decem leprosorum operatus fuisse, quia in tantula hac vnius sanati mõstratur esse. Vt dicat sapiẽter Tertull. lib. 4. in Mar. *Quis enim dubitabit plures potuisse curari ab eo, qui vnum curasset; quam ab illo decem, qui nunquam retro vnum?* Equidem in parua vnius curatione sese authorẽ magnæ alterius ostẽdebat Deus; qui ægre crederetur magnæ curationis effector, si nunquam in parua vlla fuisse ostenderetur.

D. Aug.

4. Reg. 5.

Luc. 17.

Tertull.

§. XII.

Ex venia inimicis data cœlestes efficimur, & diuini.

VIdi Dauidem verbis sotiorum cõmotum surrexisse, imo silenter cucurrisse ad Saulem, & eius pallium succidisse; ex quo compunctus multa Deum hallantia dicit ad socios. Ait enim textus: *Dixitque ad viros suos propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domino, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Hæc dicebat Dauid post vitam concessam aduersario, post compunctionem de scissa eius chlamyde. Et cur antea dum surgit, vt eat ad Saulem, & succidat chlamydem eius, non hæc dixit? Cur antea nec in ore summit Deum, nec prædicat Christum eius, sed silenter pergit; & scindit chlamydem, & compungitur, & post hæc totus in Deo prædicando, & Christo eius conuertitur? Cum primum surrexit, nondum fixam voluntatem habebat parcendi hosti: at postquam accelsit ad illum, & ei pepercit, quin imo & doluit, quod vel pallium eius offenderet; ex hoc cæpit totus halare Deum, quasi totus cœlestis, & diuinus effectus. Nõ enim mediocris hominis est, quod hosti parcat, sed cœlestis, sed diuini. Ait D. Ennodius in vita Epiphanij: *Exigua est apud Deum nostrum misericordia, si illos tantum lapsa non sequatur, qui reatu carent; culpas dimittere cœleste est, vindicare terrenum.* Ecce tibi, vt vindicta ortum habet à terra; misericordia vero in eos, qui tibi infensi sunt, affectus est cœlestis. In cœlestibus enim, vt viciniora Deo, sic in illis hoc splendet, vt vel hostibus impertiantur veniam. Titulus Psal. 93. sic habet. *Psalmus ipsi Dauid quarta Sabathorum*: quod si Psalmi intima mediteris; totus ille videtur efformatus ad impetrandam patientiam aduersus tribulantes nos. Cur ergo Psalmus is, quo patientia aduersus hostes armamur, quarto die proponitur canendus? Fuerunt cœlestia luminaria quarto die creata à Deo; tunc ergo iubemur indui patientia aduersus hostes, vt ostendamus quam pari passu in eo currimus cum cœlestibus. Ait D. August. ibi: *Quarto die luminaria fecit Deus in cœlo, Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis. Quid sibi ergo vult, quod de quarto die accepit Psalmus titulum, in quo Psalmo docetur patientia aduersus fœlicitates malorum, & labores bonorum? Habes Paulum dicentem sanctis: Omnia facite sine murmuratione, vt sitis irreprehensibiles, & sinceri, immaculati filij Dei in medio nationis tortuosæ, & peruersæ, in quibus apparetis sicut luminaria in mũdo. Similitudo de luminaribus data est ad sanctos, vt sine murmuratione sint in natione tortuosa, & peruersa.* Ecce tibi in eo aptamur cœlestibus luminarijs, & filijs Dei, quod minime peruersis, & aduersarijs nostris oblatremus. Sed eorum rabies feramus patienter, quasi iam constituti in cœlis, & filij Dei effecti. Non enim se cœlestem tantum ostendit, sed & Dei filium, qui scit hostibus suis impertiri veniam. Quippè Luc. 23. positus Iesus in cruce, sic orat pro crucifixoribus suis: *Pater ignosce illis,*

D. Enn.

Psal. 93.

D. Aug.

Luc. 23.

illis, quia neſciunt, quid faciunt. Patrem Deũ vocat, cum pro inimicis orat, vt oſtendat, quà poſsimus fieri filij tanti patris. Ait enim Arnoldus Carnot. tract. in illa verba:
Ar. Car. *Ipſe ſciſſo dorſo verberibus, vellicatis genis, facie ſpuris illita, puncto capite vepribus, latere ſaucio, terebratis palmis, pedibus confoſsis tanquam agnus ingulatori ſuo alludens, nudũ corpus, quaſi incudem malleatorũ ictibus patienter ſuppoſuit. Et qui præceperat percuſſori ſiniſtræ maxillæ porrigi dexteram, ſe ipſum intra regulas ſuas concludens voluit, vt à capite patientiæ forma prodiret in membra, & in hoc æmulatio filiorum probaretur, ſi non ſe degeneres exhiberent. Igitur conuerſus ad Patrem orat: Pater dimitte illis, &c.* Expende illa: *Et in hoc æmulatio filiorum probaretur*: tunc enim cœleſtem, & diuinum originem quis æmulatur, cum aduerſus hoſtes ſuos miſericordem habet affectum.

1. *Reg.* 24. Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent in Saul: porro Saul conſurgens de ſpelũca pergebat cæpto itinere.

§. XIII.

Ille regaliſsimus princeps, qui non ſe totum credit alienæ ſapientiæ, ſed & de ſuo habet, quo poſsit prævalere in conſilijs.

ACcipite præſtantiſsimorum virorum ſenatũ coactum in re maxime difficili, & ardua, in qua agebatur de regum vita, de libertate communi, de regni mutatione. Qui aderãt, numerati ſunt ſexcenti viri & ſotij, & familiares Dauidis, ij omnes vnanimi cõſenſu decreuerant Saulem eſſe interficiendum, pro qua ſententia ſtabilienda afferebant cantatiſsimum placitum diuinũ dicentes: *Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuũ, &c.* Sic vniuerſi ſerui Dauid, & laterones eius. Et quid Dauid? Nõne ſubſcripſit omnium amicorũ ſuorum placito? Nonne manibus, & pedibus in eorum ſententiã iuit? Abſit hoc à tanto principe cœlitus quæſito; quin imo ipſe ſolus ex aduerſo ſtat, cõtrariamque ſententiã dicit, quam tantis firmat, tam fortibus rationibus munit, & perſuadet, vt in eam trahat omnes ſeruos ſuos. Ait enim textus: *Confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, &c.* Pro regis regaliſsimi præſtãtia! Fallar, ſi tanta fulgeret gloria omnes hoſtes armis cõfringens, quã confringens ſuos ſermonibus eruditis, vt venirent in ſententiã ſuam. Et cleſiaſticus, cap. 44. aiebat: *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. Multã gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo. Dominãtes in poteſtatibus ſuis, homines magni virtute, & prudẽtia ſua prædicti, &c.* Tygurina lectio ſic reddit hæc vltima verba: *Qui dominati ſunt regnis ſuis, viri potẽtia celebres, qui conſilio ingenij ſui valuerunt.* Hæc ſane eſt gloria, hæc celebritas à Deo profecta in principes ſæculi, nimirum, quod poſsint cõſilio ingenij ſui prævalere, quod non neceſsum ſit in omnibus ſubſcribere alienis placitis, ſed valeãt ſententiam ſuam dicere, illamq; ratione facere prævalere, vt in eã veniant amici, & familiares vniuerſi. Triſtiſsimũ enim eſt in principe, quod nihil ſentiat de ſuo, ſed ſemper ad lateronum murmura viuat. Quod Conſtantio Imperatori peſsimo tribuebat D. Athan. epiſt. ad ſolitariam vitam agentes inquiens: *Ego*
D. Athan. *autem Conſtantij inter ſe epiſtolas committens, inueni illũ nihil ex ſuo ingenio ſenſiſſe, ſed motus affectuũ, prout illi ſuggeſtum fuit, accepiſſe: propriã autem mentem in genere non habuiſſe.* Nil putabat bonus poſſe de principe indignius dici, quã quod ex ſuo ingenio nihil dicat, nihil faciat, nec in nullo Reipublicæ vtili propriã mentem oſtendat. Pergit autem de eodẽ dicere: *Iam cũ Conſtantius talis*
Reipub. *ſit, talibuſque delectetur, qui fieri poteſt, vt aliquid iuſti, aut quod rationis ſit, ſapiat, homo familiaribus ſuis deuinctus, alligatuſq; eis incantatoribus, qui cerebrum in calcaneis depreſſum habent. Inde ego nimirũ fieri puto, vt nũc ſcribat, nũc ſcriptorũ pœniteat, deinde mutata ſententia ſuccenſeat, idque rurſus deploret, prorſuſque incertus fluctuet, quid agat: Ex quibus omnibus facile colligas pectus eius mente deſtitutũ eſſe. Talis igitur cũ ſit, rectius eius vicẽ doleas, quod ſub liberali cultu, & nomine ſeruus ſit eorũ, qui ipſum pro ſua impia libidine, quoquo verſum trahunt. Certe ſtultitia eſt, & fatuitas alys indulgendo ſe ipſum futuro iudicio mancipare in alimentũ ignis, cũ omnia faciat, quæ illi volũt.* Piaculu duxi, vel verbulum ſubtrahere; vt de tanti doctoris ore diſcãt principes, quã turpe ſit, & periculoſum, ſic ſuis familiaribus alligari, vt nihil de ſuo ſentiãt, nec faciãt. Illud enim expendendũ eſt: *Qui fieri poteſt, vt aliquid iuſti, aut quod rationis ſit, ſapiat, homo familiaribus ſuis deuinctus alligatuſque.* Merito nihil rationis,

nihil iustitiæ sperat Athanasius à principe, qui prorsus est suis familiaribus deiectus, atque alligatus. Quo spectans Ecclesiastes dicebat: *Væ tibi terra, cuius rex puer est.* Circa quæ ait D. Thom. lib. 3. de regim. Princip. cap. 15. *Væ terræ cuius rex puer est. Quod accidit, quando princeps per se nihil potest, sed innixus aliorum agit consilio, siue agitur.* Iustitiæ enim scopus certius attingitur à principe, qui non de familiarium placitis, sed de suo sententiam dicit. Pulchre enim Cassiod. lib. 10. var. 3. ait de Theodahado rege: Princeps vester etiam Ecclesiasticis est literis eruditus: à quibus semper, quidquid est pro homine commonemur iudicare recte, bonum sapere, diuina venerari, futura cogitare iudicia. *Necesse est enim, vt sequatur iustitiæ vestigium, qui de sua sententia causam se credit esse dicturum.* Quippe in principe, qui de suo loquitur, fidendum est, quod sequatur vestigium iustitiæ. Cui consonat illud Prouerb. 16. *Diuinatio in labys regis: in iudicio non errabit os eius.* Deus enim, vt adest Pontifici maximo, ne in rebus fidei erret, sed vox eius certum consonet; sic iuxta quandam analogiam adest legitimis regibus, ne in rebus politicis, & iure dicendo errent, sed maxime attingant iustitiam, & veritatem. Quod in suo Chariberto Francorum rege extollit Venantius Fortun. lib. 6. Poemat. fatus:

Consilium vigilans alta radice retractas
Et res clausa alys, est manifesta tibi
Publica iura monës, proceres tecũ regis omnes
Spes est consily, te monitore sequi.
Hinc quoties fœlix legatio denique pergit
Ingreditur caute, quam tua lingua regit
Iustitiæ rector, venerandi iuris amator
Iudicium sapiens de Salomone trahis
Si veniant aliquæ variato murmure causæ
Pondera mox legum Regis ab ore fluunt
Obtinet aduenies fructum, cui iusta petuntur
Quem sua causa souet, præmia victor habet.

Quod in iusto rege cantat Venantius, de omnibus legitimis regibus est sperandum, cum de suo prudenter loquantur. Quibus illud præ oculis sit, quod Theodoricus dicebat apud Cassiodor. lib. 5. var. 30. *Non tantum armis, quantum iudicys nos effici clariores cupimus.*

D. Thom.

Cassiod.

Prou. 16.

Char. Fr.

Theod.

§. XIIII.

Ad præstantiam Imperatoris pertinet sapientiam, vel in militibus.

Occisione Saulis, socij Dauidis incolumitatem obtinebant & regnum, ideo vehementer vrgebant Dauidem, vt liceret tantum hostem opprimere. Currentes vero ad tantum lucrum Dauidis oratio detinuit, & *confregit viros suos sermonibus.* Persuasique sunt milites prædam dimittere, & malle in laboribus viuere, quam negare hosti truculentissimo vitam. Et quos milites in hanc philosophiam traxit Dauidis oratio? Ait textus: *confregit viros suos*, &c. non equidem alij, sed vni Dauidi erat milites, qui tantam sapientiam ebiberent. Hinc extollebat Eumenius Constantinum suum in Paneg. quod eius milites aurũ respuerint, vt illi seruirent, & ait: *Rara illa virtus continentiæ, vix a paucis sapientiæ præceptoribus tandem aliquando seruata; propter te Constantine omnium hominum est facta scientia communis; non solum hi, quos litera, vitæ quies mitigauit, sed etiam ille militarium ardor animorum, respectu tui lucra contempsit. Fuerint aliqui exercitus alacritate, ac viribus tui similes, tibi vni contigit exercitum habere sapientem.* Expende hæc vltima: *Tibi vni contigit exercitum habere sapiẽtem*: inde maxime extollitur præstantia Imperatoris, quod exercitus faciat, nõ solum fortes, sed sapientes. Quo forsan respiciebant verba illa, Cant. 4. *Collum tuũ sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ex hæbræo habetur: *Quæ ædificata est ad doctrinas*; vt innuatur, quam proprium sit Dauidis, & armatos milites, & doctos habere. Sic etiam 2. Reg. 23. *Hæc nomina fortium Dauid. Dauid sedens in cathædra sapientissimus, &c.* Quid sapientiæ cathedra cum fortibus? Inde sane ostenditur, quãtus imperator fuerit Dauid, cui curæ erat & fortitudinem, & sapientiam instillare militibus suis.

Eumen.

Cant. 4.

2. Re. 23.

§. XV.

Sapientis verba fortitudinem halent, qua fructum faciant.

Merito notatur in Dauide, quod *confregit viros suos sermonibus*; non enim tantum virũ decerent sermones floridi, sed fortes, qui valerent scindere corda, in illisque efficere fructum bonum. Vt merito dicat D. Ennod. orat. in initio Episcop. *Nemo, quod auribus lenocinatur, credat eximiũ: sermo noster nisi animæ medetur, abiectus est; illum præferte, qui spirituali falce sentibus purgat interna.* Non equidem in ser-

D. Enn.

mone

mone ſuauitas ſpectanda eſt, ſed valentia ad fructum faciendum. Sterilis, & vilis eſt ſermo floſculis plenus; ille fructifer, & æſtimandus qui fortis, & muſculus eſt. Dicebat Sapientia diuina Eccleſiaſtici, cap. 24.

Eccl. 24. *Quaſi cedrus exaltata ſum in libano*: exaltationem ſuam nulli aliorum arborum, ſed vni cedro comparabat. Et cur ſapiẽtia vni cedro comparat exaltationem ſuam? Ait

Plin. Plinus lib. 13. cap. 5. *Maioris cedri duo genera: quæ floret, fructum non ſert, fructifera nõ floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus.* Sic quæ ſapientem exaltant verba, non florida ſint, ſed virtutis plena, vt fructum ferant. Proh quàm deuiant, qui in verbis non fortitudinem, ſed amænitatem oſtendunt. Dicebat peſsimus Achab, 3.

3. Re. 21. Reg. 21. *Da mihi vineam tuam, vt faciã mihi hortum olerum.* Sic peſsimi, & erronei concionatores de vinea Dei faciunt hortũ olerum, cum in verbis nil præter folia, & flores oſtendunt. Quod crimen tribuit D. Athanaſ. Conſtantio Arriano fatus epiſt. ad

D. Atha. ſolitarios: *Conſtantius hæreſæos propugnator, veritatem, vt Achab vineam in hortum olerum inuertere moliens, &c.* quippe errones homines hoc faciunt, vt veritatem Dei in hortum olerum conuertant, quãdo in verbis ſola virentia quærunt folia, & floſculos, non virtutis vigorem.

1. Reg. 24. Surrexit autem Dauid poſt eum; & egreſſus de ſpelunca clamauit poſt tergum Saul dicens: Domine mi rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe Dauid pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te? Ecce hodie viderũt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca, & cogitaui, vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus, &c.

§. XVI.

Virtutes recepti muneris nulla in calamitate remittenda.

QVis tam abiecte agebat, vt Dauid? Quis tam regie loquebatur, vt ille? Abiecte degebat in ſpelunca; abiecte, & humiliter egreſſus clamabat poſt regem, dum ait: Domine mi rex, dum inclinans ſe pronus in terrã adorat. Et inter hæc eleuata voce ait: *Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſus te?* Sic intrepide Saulem regem percutit, & Saulem, à quo non longius aberat validus virorum ſelectorum exercitus. Et quis nõ miretur demiſsionem Dauidis, & inclinationem, imò, & periculum, & vocem imperterritam, qua Saulem in cauſam vocat? Cur ſic audet rationem facinoris à Saule petere? Cur non magis coram illo obmuteſcit? Sane qui regni candidatus erat, Imperatorẽque apud Saulẽ egerat, in quauis demiſsione, & diſcrimine neſcit non imperatorie, & regie ſe habere. Magnorum enim virorum eſt virtutes præſumpti muneris in nullo deponere euentu. Cum Herodes Antonij partes ſequeretur, audiens Antonium perculſum à Cæſare, ſe ad eãdem ruinam feſtinare credidit. Quid tunc? De illo locutus Egeſippus lib. 1. cap. 33.

Egeſip. 1. ait: *Anxius itaque rex, cum Rhodum acceſſiſſe Cæſarem certo indicio comperiſſet, nauigauit ad eum, ne fama terrenum iter eius præuerteret. Aduenienſque depoſito diademate, ſeſe obtulit priuato habitu, ſed mente regia. Denique nihil veritati ſubtrahens conſtantiam tenuit, authoritatem reſeruauit. Ego, inquit, Auguſte, fateor, &c.* Magnus hic vir etiam cum ſe in acie nobaculæ vidit, cum nõ liceret habitum regalem retinere, audet coram Auguſto hoſte militibus circum ſepto venire, depoſito diademate, ſed mente regia, quæ regem deceret, conſtantiam, & authoritatem retinens. Sciuit homo regalis muneris authoritatem etiã oſtendere in ſummo diſcrimine. Sed liceat à paruis ijs ad magna accedere, ab homũtione ad Dei filium; de quo ait Iſaias, cap. 53.

Iſai. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Sic repræſentabat Iſaias Dei filium ſtantem coram iudicibus, Præſidibuſque, quorum ſententia ad mortem ducebatur, ſilentio ſuo factus quaſi ouis occiſionis, quaſi innocentiſsimus agnus. Sed de hac etiam tragœdia locutus Ioannes, cap. 19.

Ioann. 19 fatur: *Dixit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus, Nõ haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet de ſuper. Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet.* Compone modo Iſaiam cum Ioanne; ab

Isaia dicitur Iesus tempore passionis suæ tanquam agnus coram tondente se obmutescere, & minime aperire os suum. A Ioãne autem dicitur locutus ad Pilatum, eiusque potestatem à supernis venisse ostendere, quam ille nequiter exercitabat. Quãdo ergo agnum coram tondente se obmutescentem agebat; cur sic iudicem pungit? Cur Pilatum sic monet de accepta cœlitus potestate? Cur non magis intra agninum silentium coram tondente se continet? Qui nunc agnus erat, ab initio pastoris munus agebat, quare etiam cũ ouis occisionis videbatur, non potuit obliuisci & virtutem, & authoritatem pastoris, viam salutis ostendẽs. Quo spectabat Beda ibi fatus: *Ecce respondit Iesus, & tamen vbicumque non respondit, sicut agnus, hoc est, sicut simplex, atque innocens non aperuit os suum. Proinde vbi non respondebat, sicut ouis silebat, vbi respondebat, sicut pastor docebat.* Videres in ipsa passione Iesum silentis agni æmulatorem, sed & docentis pastoris. Nec agni silẽtis in morte repræsentatio potuit facere, vt obliuisceretur munus, & authoritatem pastoris in deducendis ouibus. Sic magnæ mentes in nullo discrimine exuunt præsumpti muneris virtutes, & notiones.

Beda.

§. XVII.

Caueat princeps patulas aures habere delatoribus.

HOc vnum obijcit Dauid Sauli, nimirùm: *Quare audis verba hominum loquẽtium, Dauid quærit malum aduersum te?* Expende illud, *Verba hominum*, non ait verba amicorum, vel familiarium, sed hominum quorumque. Nunquam enim nõ à malo venit, quod princeps faciles aures præbeat delatoribus quibuscũque aduersus suos. Hoc enim nunquã nõ parit multa excidia. Quod vitiũ in Religiosissimo Cõstante Cõstantij fratre minime habuisse locum probat D. Athanas. in Apol. ad Constantium, à quo vehementer accusabatur sanctus vir, quod mala de illo locutus fuerit apud Valentem. Cui sic respondit: *Non ita facilis erat, non ita obuias aures habuit cultor ille numinis Constans, neque ego apud eum tantus, vt de istiusmodi rebus verba fuissem ausus facere, & fratri apud fratrem obtrectare, de Imperatore apud Imperatorem criminose loqui.* Expende illa: *non ita obuias aures habuit cultor ille numinis Constans*, non enim de religioso, & veri numinis cultore principe credi poterat, quod obuias aures præberet cuilibet delatori. Eò ipso, quod princeps cultor Dei habeatur, & credi debet difficilis ad audienda verba maligna hominionum. Si enim adhæc facilis fuisset, nullum nõ impium experiretur ministrũ. Ideò namque ait Dominus, Proue. b. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Hoc prò certo habeant vniuersi principes, quod si faciles sint ad audienda verba aduersus suos, omnem corrumpent familiam, nullusque in ea erit, qui omnem pietatem non exuat, & se armet aduersus proximum suũ. Id quod notabat in Aula Constantij Imperatoris D. Athanas. epist. ad solitarios inquiens: *Salomonis sententia est, rege audiente iniustum sermonem, omnes, qui sub eo sunt legis præuaricatores esse. Constantius autem factis declarat se illum iniustum, & qui circa eum sunt illos ipsos legis præuaricatores esse.* Fieri enim vix posset, vt cum rex facilis sit ad audienda mala de suis, habeat circa se, habeat intra aulæ limina ministrum, qui impius, & ex lex non sit. Accipe rem miram. Cæpit Herodes audire delationes de filijs suis, Alexandro, & Aristobulo; & sic increuere susurria, vt regij filij mitterentur in neruum. Quid tunc? Arrisere magnates omnes palatini tyrannico parenti, & multa aduersus miseros in dies cõfingebant. Vnus solus nomine Tyro veteris miliciæ vir audet obsistere Regi, & multa in fauorem filiorũ eius dicens multos nominat innocẽtiæ eorum testes. Tunc ait Egesippus lib. 1. cap. 41. *Quibus testibus ilico cum Tyrone correptis, Tryphon ex ministris aulæ regiæ, cui tondendi ars, atque vsus suppeditaret, subito quadam animi vanitate iudicium sui facit, compositum à Tyrone asserens, sibique persuasum, vt cum ex more barbã Herodi raderet, nouacula gutturi eius imprimeret, quo perageret necem, idque ei maximo emolumẽto fore, quod de muneribus Alexandri polliceretur, &c.* Quid intolerabilius? Vel regis tonsor, minime requisitus, minime solicitatus adeo immane testimonium confingit subito, & dicit aduersus defensorem filiorum regaliũ. Vnde hoc? Prebebat malus rex obuias aures omnibus dicentibus mala de filijs; ne miremur, quod omnes eius ministri corrũpantur, & vel tonsor audeat tam immane facinus aduersus illos prædicare.

D. Atha.

Prou. 29.

D. Atha.

Alexan.

§. XVIII.

§. XVIII.

Qui inimicitias aduerſum proximum exercet, præſentiſsimum ſupplicium habebit.

SApienter Dauid illud Regi perſecutori ſuo proponit: *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca.* Non de imminentibus futuris loquitur, ſed præſentiſsimum proponit malum, & diſcrimen, in quod Saul illa ipſa hora à Deo coniectus fuerat. *Hodie enim*, ait, *viderunt oculi tui*; non de futuris ab alio audis, ſed tu ipſe modo te vidiſti ſub gladio. Quid certius dici poteſt illi, qui inimicitias cum proximo tractat? Plane is præſentiſsima diſcrimina incurret, & præſentiſsimas pœnas Deo dabit. Iſaias cap. 26. aiebat: *Confundantur zelantes populi, &* Iſai. 26. *ignis hoſtes tuos deuoret.* Septuag. *Et nunc ignis aduerſarios tuos comedet.* Non contentus eſt, quod ignis in futurum comedat hoſtes proximorum ſuorum, ſed magis petit aliquod præſens malum, per hoc, quod dicit: Et nunc ignis, &c. Circa quæ D. Aug. in Pſalm. 96. ait: *Quid eſt, & nunc? Antequã* D. Aug. *veniat iudicij dies magnus, iam furore ſuo ardent, qui poſtea ſupplicio ſempiterni ignis arſuri ſunt. Niſi forte putatis, quia iniuſtitia, quæ procedit ex homine ad ledendum alium; illi à quo procedit non nocet? Aliquando facula ardens apponitur ad lignum viride, & humidũ, & non illum incendit, ipſa tantum ardet, ſic & inimicus tuus. Tu ſi viride lignum fueris, ſi ſucco ſpirituali vigens, & virens flammis inimicitiarum reſtiteris, orando pro illo, qui te perſequitur, ille ardet, tu manes integer, & iniuſtitia illius illi nocet, tibi nihil nocet.* Equidem non totaliter differtur ſuppliciũ contra illos, qui hoſtiliter agunt aduerſus proximos ſuos; nunc, nũc præſentiſsimas pœnas incurrunt. Facula enim viridi ligno adhibita; ipſa præſentiſsimum malum ſuſtinet, dum ſe conſumit, ligno nil mali infert. Sic tu, ſi viridis fueris ſpirituali ſucco nihil mali accipis ab inimico, ille autem in præſentiſsimas ruinas it. Fratres illi, qui hoſtili animo erga Ioſephum fuere; vbi alieniſsimi à ſe criminis rei arguebantur; dicebant, Geneſ. 42. *Merito hæc patimur,* Geneſ. 42. *quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes angoſtias animi illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus, id circo venit ſuper nos iſta tribulatio.* Quæ verba explicacius in rem præſentem proponit D. Chryſoſt. ibi: *Iuſte* Chryſoſt. *pœnas luimus inhumanitatis, & crudelitatis, quam erga fratrem noſtrum declarauimus. Propterea nunc nobis eadem eueniunt, & propter hæc venit afflictio hæc ſuper nos.* Expende illa: *Propterea nunc, &c.* quippe non reſeruatur in poſterum, non in futurum expectat; ſed nunc præſentiſsima pœna percutit, eos, qui hoſtilibus odijs perſecuntur fratres. Similiter aiebant apud Philonem illi, lib. de Ioſeph: *Nunc veterem iniuriam* Philon. *præſenti calamitate luimus, pœnas à nobis exigente iuſtitia rerum humanarum præſide.* Habent equidem præſentes calamitates, qui fratribus iniurias inferunt.

§. XIX.

Diuini ſpiritus eſt oculorũ ictus miſericordiæ fontes effundere.

NOn otioſe ſunt illa à Dauide dicta: *Cogitaui, vt occiderẽ te, ſed pepercit tibi oculus meus.* Ecce tibi, vbi mens necem ſpirabat, oculi miſericordiam ſtillant. Vere in hoc Dauid plenus diuino ſpiritu; vt enim ſerpentum regulorũ virus ab oculis iaculatur, ita vt perimant quoſcumque viderint; ſic diuini ſpiritus oculis ineſt medicina; vt vel oculorum iactus fontes miſericordiæ effundant. Huc ſpectabat Arnoldus Carnot. tract. 1. de Septem verbis Domini inquiens: *Licet ſubfumigent afflata* Ar. Carn. *incendia, & flamma vorax iam tectorum elãbat faſtigia; vna gratia ſtilla, ſubituſque reſpectus clementiæ, vno flatu ea in cineres rediget: ſedataque procella diuinitus, quod putabatur detrimentum, inuenitur ſolatium, & quod relictum, & oblitum, aſſumptum, & reſtitutum.* Expende illud: *ſubituſque reſpectus clementiæ*: ſi enim, vel reſpiciat Deus, omnia ſtatim in melius conuertuntur; mala rediguntur in nihilum, & omnes fœlicitatis fontes aperiuntur. Accinebat Maria, Lucæ, cap. 1. dum ſe diuino verbo fœtam prædicans, cauſam tanti boni inſinuat dicens: *Reſpexit* Luca, 1. *humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* Quæ verba meditatus Andræas Ieroſolymitanus hom. de Annunt. Mariæ ait: *Hodie pater omnis glo-* Ieroſol. *riæ, humani generis calamitatem miſertus eſt, corruptam in Adamo naturam propitius oculis intuitus eſt. Hodie miſericordia largitor, viſce-*

viscerum suorum optimorũ abyssum nobis reuelat, ac naturam nostram misericordia sua instar marium perfundit, quæ multa aqua teguntur. Vt enim oculis suis Deus corruptionẽ nostram intuitus est, statim misericordiæ fontes aperit, & nos cœlestibus benedictionibus perfundit. Huc trahe dicta 3. Tom. in Euang. lib. 15. §. 3. & alibi.

1. *Reg.* 24. Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderẽ summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te; animaduerte, & vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te, tu autem insidiaris animam meam, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me, & te, &c.

§. XX.

In solis filiorum manibus grate aspicit quis bona sua.

PAulo ante clamauerat Dauid ad Saulẽ dicens: *Domine mi rex*; modo procedente oratione ait: *Quin potius pater mi vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea.* Et cur modo non tegem appellat, sed patrem? Ostensurus in manu sua orã chlamydis Saulis, voluit in eo paterni officij memoriam excitare, vt sic gratius aspiceret sibi purpuram sublatam. Nemo enim bona sua in alijs gaudet videre, præterquã sint in filiorum manibus. Pro mille faciat vnum exemplum Abrahami, qui Genes. 15. clamabat ad Dominum dicens: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis: & filius procuratoris mei iste Damascus Eliezer. Addiditque Abram: mihi autem non dedisti semen; & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Non enim sine ingenti dolore videbat bona sua itura non ad filij manus. Ait namque ibi D. Chrysost. hom. 36. in Gen. *Ingentem animæ dolorem declarant hæc verba, quasi diceret: Necea sum assecutus, quæ ancilla mea; sed ego quidẽ abibo sine prole; hic autem vernaculus meus hæreditatem accipiet.* Non parui, sed maximi doloris est in homine, quod præsumat bona sua nõ transitura in manus filij, sed extranei. Adeò, vt hoc doloris telo trãsfigantur impij, de quibus ait Psalm. 48. *Et relinquent alienis diuitias suas.* Circa quæ D. August. ait: *Quasi eos posuit in maledicto, qui cũ mortui fuerint, alieni possidebunt res ipsorum. Ergo fœlices illi, qui relinquunt filios in possessione sua, quibus sui succedunt.* Vt maledicto proximum est, videre bona tua in alienorum manibus; sic fœliciss imum est, & gratum, quod ea transeant in manus filij. Quo spectans, Numer. 20. ait: *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi.* Esto, quod moriturus Aaron nudetur veste sacerdotali, cur necesse fuit, quod statim filius eius vestiatur illa? Nõne filium tũc magis deceret vestis alia luctuosa, vel cilicina, qua mortuum patrem prosequeretur? Cur ergo sic festinato induitur sacerdotali veste? Prouisum Aaronis dolori, ne dum vestibus spoliatur, pungeretur, videns eas transferri ad filium. Dicit ibi merito Lyra: *Ista duo debebant Aaronem consolari de morte sua, scilicet, quia Deus volebat, & quia filius eius in honore succedebat.* Pertinuit ad Aaronis gaudium, quod videret vestes suas summi Sacerdotij non ad alios, sed ad filium transisse.

Psal. 48. D. Aug. Num. 20. Lyra.

§. XXI.

Ille pater, cuius bonis vtimur in vitam.

MErito Dauid patrem vocat Saulem, cuius chlamydis partẽ in manu sua ostendit; ait enim: *Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea.* Accepta à Saule, vel pars chlamydis facit, vt illum Dauid patrem agnoscat; ille enim merito pater censetur, cuius bonis; nobis prouidemus vitam. Quomodo enim non pater, cuius bonis vestimur, & alimur? Fundaturus Iesus Ecclesiam suã dicebat Petro, Ioann. 21. *Pasce agnos meos,* & expectabam, quod potius diceret, Regenera agnos meos, iuxta illud, Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Quibus magis cõsentaneum videbatur, quod primo Ecclesiæ fundamento, nempe Petro diceretur, quod regeneraret, quã quod pasceret agnos. Cur igitur non de regenerationẽ,

Ioann. 21. Ioann. 3.

ratione, ſed de paſtione cum Petro maluit Dominus loqui? Crediderim in paſtione, & regenerationem fuiſſe intellectam, qui enim paſcit, non minus pater habetur, ac ille, qui generat. Vt merito dicat D. Hieron. de vera circumciſione, Petri magnalia extollens: *Auguſtum caput Petrus extolit nouæ ſignifer teſtamenti, & in creatione eius primituus, alius, quod ſine dubitatione loquor, Abraham, neſcio, an maior; certe, quod ſentio, non ſecundus. Illi generatio larga promittitur, huic generatio paſcenda committitur.* Expende vnde dicatur Petrus Abrahamo æqualis, nimirū, quia vt illi generatio populi fidelis commiſſa erat, ſic iſti paſtio eiuſdem committebatur. Tam ergo Petrus pater credentium, quam Abrahā, vt vtrūque, vt parentem vniuerſi habeamus, illū quia genuit, hunc quia de ſuis aluit. Hinc Luc. 10. ait: *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria, &c.* Quibus verbis vſa eſt Eccleſia, vt celebraret gloriam Deiparę in cœlum aſſumptæ. Sed quid Martha, & Maria excipientes Ieſum cum Deipara? Sane quæ paſcebant Ieſum, merito componebantur cum illa, quę genuerat. Namque erant, & ipſæ Deiparæ, aut certe non illi multum abſimiles. Deiparæ enim generatio Ieſu commiſſa erat, ijs autem ipſe paſcendus committebatur. Qui paſcit, & qui genuit ſub eiſdem parentum cenſentur vocabulis. Quo reſpiciens D. Thom. lib. 2. de regimin. Princip. cap. 6. ait: *Filia Pharaonis Moyſem nutriri fecit. Et poſtea ſubiungitur, quod poſt nutritionem ipſum ſibi adoptauit in filium.* Sic filium fecit alimenti ſuſceptio, ne tanta bonorū largitio in alieno videretur. Huc trahenda ſunt dicta 3. Tom. de Chriſto Figurato lib. 6. cap. 4. §. 15.

D. Hier.

Luc. 10.

D. Thom.

§. XXII.

In ſolo Deo bona noſtra ſunt, extra Deum perditio.

SApienter Dauid Deum inuocat etiam in clariſsima ſui animi erga Saulē exhibitione. Ait enim: *Cognoſce oīā chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cum præſcinderem ſummitatē chlamydis tuæ nolui extendere manum meam, &c. Iudicet Dominus inter me, & te.* Plane euidentia facti tanta erat, vt vel cæciſsimus quiſque poſſet iudicare de illa; cur ergo Dauid in re adeo manifeſta non confugit ad hominum iudicium, ſed ſolius Dei meminit? Vt Dauid ſapiens erat, ſic nec ſalutem, nec indemnitatem volebat per aliud, quam per Dei iudicium, ratus in Deo omnia procedere in melius, ab alijs omnia properare in ruinā. Aiebat Pſalm. 117. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* De Iudæis loquitur, qui reprobauerunt Ieſum, quos vocat ædificantes. Sed vnde Iudæi ædificantes habebantur? Iudæi reſpectu gentiū ædificātes erant, quia ſub Deo viuebant, eiuſque legibus ſeſe cōformare nitebantur; gentes autem quæ nō ſub Deo, ſed ſub Idolis agebant, non ad ædificationem, ſed ad perditionem, & extremam ruinam properabant. Ait Arnob. ibi. *Ædificantes erant Iudæi ſoli ſuper vniuerſam faciem terræ. Omnes autem gentes in deſtructione Idolorum morabantur: ſoli Iudæi ſub omnipotente, & vero Deo ædificationem legis, & prophetæ tractabant.* Ecce tibi, & qui ædificat, & qui deſtruit. Qui ſub omnipotenti, & vero Deo viuit; qui legibus diuinis ſeſe accommodat, qui prophetas tractat, is profecto ædificat, eiuſque ædificium perpetuo manet. Qui autem non à Deo, ſed ab Idolis, ſed à maligno ſtat, non ædificium, ſed ruinas agit, ſed frequentiſsimas perditiones patitur. Crede mihi, quidquid à maligno venit, nunquam non ruinas parit. Matth. 4 aiebat Satanas ad Ieſum: *Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant.* Et mirabar, quod malignus, vel aliquo prætextu malet dare panes. Cur malus procurat, vt fiant panes? An vt homines diſcant panibus abundare? Abſit, quin potius, vt vniuerſus panis auferatur generi humano. Quidquid enim procurāte diabolo fit, non augmentum, ſed ruinam habet vniuerſalem. Ait D. Maxim. hom. 2. ibi: *Expectabat diabolus panem, quem non tā ſibi acquireret, quam mundo conabatur auferre.* Eò ſemper ſpectat diabolus, etiam cū videtur nobis bona aliqua procurare, vt illa omnibus auferat. Quidquid enim ex eius inſtinctu venit, in nihilum abit; ſola quæ à Deo ſunt, habent firmitatem. Vt dicat Paul. 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Adā neſcit ex maligno non mortem parere; vnus Deus eſt, in quo vitam hauriimus. Tertull. enim lib. 5. in Mar. *Quando in Adam corpore mortificamur, ſic neceſſe eſt, & in Chriſti corpore viuificemur.* Expende illud: *neceſſe eſt*, quando omnia alia mortem pariunt; vnus eſt Deus, qui ad vitam dandam quaſi obligatur.

Arnob.

Matth. 4.

D. Max.

1. Ad Corinth. 15.

Tertull.

1. Reg. 24.

1. *Reg.* 24. Sicut in prouerbio antiquo dicitur: Ab impijs egredietur impietas, manus ergo mea non sit in te. Quem persequeris Rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. Sit Dominus iudex, &c.

§. XXIII.

In bonis, & morigeris hominibus, nunquam non magna reuerentia in Reges.

EX communi adagio probat Dauid suâ innocẽtiam in Saulem, nimirũ aiens: *Ab impys egreditur impietas*: nõ equidem viri boni, vt Dauid erat; sed impij, & pessimi cogitant mala aduersus principes suos. Quis bonus suo principi insidiatus est? In hanc sententiam venit Tertull. in Apolog. cap. 35. ostendens principũ perduelles non à Christianis, sed à paganis extitisse. Ait enim: *Vnde Cassij, & Nigri, & Albini? Vnde qui inter duas lauros obsidẽt Cæsarem? Vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt omnibus Stephanys, & Parthenys audaciores? De Romanis, ni fallor, ideſt, de non Christianis. Atque adeo omnes illi sub ipsa vsque impietatis eruptione, & sacra faciebant pro salute imperatoris, &c.* Equidem non ij, qui vere, & sincere Deum colunt, sed qui nefarij in Deum, & impij tantum audent facinus, quo suos principes de medio tollant. Qui enim pij sunt, & boni, vel proferre verentur verbulum minus in suos principes glorioſum. Testis est D. Petrus qui ostensurus Dauidem morti traditũ ait Actor. 2. *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos, &c.* Expende illud: *liceat audenter dicere*: quippe verebatur dicere de Dauide rege ipsum testatissimum malũ mortis. Quem æmulatus Tertull. lib. 5. aduersus Marcion. dicturus Salomonis ruinas ait: *Salomon (audeo dicere) etiam quã habuit in Deo gloriam amisit.* Notissimam eius calamitatem noluit dicere, quin primum illã reuerentiæ notam præmitteret, nimirum, *audeo dicere.* Et Ecclesiastes, cap. 10. monebat: *In cogitatione tua regi ne detrahas.* Ad quæ respiciens D. Athanas. cum accusaretur, quod male locutus fuerit de Imperatore Constantio Arrianorum fautore, sic respondit in Apol. ad Constantium: *Non insanio, Imperator, neque immemor sum diuinæ vocis ita loquentis: Et in conscientia tua regem ne execreris, &c.* Itaque sanctus vir insaniæ tribuit, si vel tyranno Imperatori malum diceret. Habent enim hanc reuerentiam boni suis principibus, adeò, vt de Daniele dicturo dura nũtia Nabuchodonosori dicat textus, Dan. 4. *Tunc Daniel cepit intra se ipsum tacitus cogitare, quasi vna hora, &c.* Ante sermonem faciendum vna hora hæret tacitus: & quid cogitabat tã largo spatio, principe sermonem expectante? Ait Carthus. *Nonnulli existimant cogitasse Danielem, qua ratione regio culmini seruaret honorem, nec tamen absconderet veritatem, ideoque per illam horam præmeditabatur Daniel, quemadmodum sine iniuria veritatis, & offensa regis responsum suum componi, & ordinari oporteret.* Plane sic cõpositi sunt omnes boni erga reges; vt discant reges quibus se credant, & quos caueant. Caueant quidem malos, & impios, ab illis enim solis egreditur impietas, quæ principi suo malum facere non vereatur.

Tertull. Actor. 2. Tertull. Eccl. 10. D. Atha. Dan. 4. Carthus.

§. XXIIII.

Dissimula decora, & magnalia tua coram principe, si eius vis trahere voluntatem.

NOn parua decora, & magnalia Dauidi suppetebant, quæ posset in comendationem sui proferre corã Saule; sed prudens ille omnia dissimulans solum ait: *Quem persequeris Rex Israel? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* Non ait, Goliathi interfectorem, Israelis propugnatorem, regis generum persequeris, sed canem mortuum, & pulicem vnum. Et cur non magis magnalia illa proponit, quã humilia hæc? Agebat Dauid cũ Rege irato, & cum principibus cauenda est ostentatio magnalium ab eo, qui eorũ vult trahere voluntates. Marci, cap. 15. dicitur: *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipse erat spectans regnum Dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petyt corpus Ieſu,* Marc. 5.

Ieſu, &c. Expende illa: *Petijt corpus Ieſu;* quid humilius, & abiectius? Paulo ante Centurio clamauerat: *Vere filius Dei erat iſte*: imo ipſe Pilatus dixerat: *Regem veſtrum crucifigam.* Et Ioſeph nec Regnum, nec diuinitatem Ieſu meminit, ſed ſolum petit ſibi dari corpus Ieſu ſine vllo addibito honoris titulo! Et cur non magis ornat Ieſum glorioſis aliquibus eius titulis? Res illi erat cum ethnico principe ſanguine Ieſu cruentato; ideo magnalia Ieſu diſſimulat, vt ſic facilius illius voluntatem emolliat, & trahat in cupita. Pulchrè aiebat D. Epiphan. orat. de Sabbath. Sancto: *Hic enim audacter, omnique timore prorſus abiecto, ingreſſus eſt ad Pilatum, petens corpus Ieſu. Cæterum ne ſuo deſiderio, ſcopoque propoſito fruſtraretur, ſumma in ea congreſſione, vſus eſt prudentia. Namne Pilatum, quocum ipſi res erat, tra accenderet, adeoque petitionis ſuæ fructum amitteret, haud quaquam magnifica, aut fauſtum aliquem ſpirantia verba de Chriſto deprompſit. Non enim dixit; Da mihi Pilate corpus illius Ieſu, qui paulò ante ſolem obſcurauit, petras & ſaxa diſrupit, qui terram quaſſauit, qui monumenta aperuit; nihil ille horum omnium ad Præſidem attulit. Dixit autem: Da mihi de mortuum illius Nazareni corpus, pauperis illius Ieſu, exterris illius Ieſu, &c.* Prudens vir ratus in principibus aliorum magnalia non tam affectum excitare, quam malignitatem imbidiæ; Ieſu decora pauliſper diſſimulat, dum Pilatum trahit, vt parcat mortuo, qui crudelis in viuum extiterat. Hanc æmulentur ſapientiam vniuerſi, & dum ſe cõmendare amant principibus magis proponant humilia, quam ſplendentia, & ſublimia. Principes enim in magnalibus cõſortem non admittunt. Hinc prudentiſsimus ille, ſanctiſsimuſque aulicus Ioſeph introducturus fratres tuos ad Pharaonem coram omnibus Ægypti principibus monebat eos, Geneſ. 46. *Reſpondebitis, viri paſtores ſumus ſerui tui ab infantia noſtra vſque in præſens & nos, & patres noſtri.* Fateor illos paſtores fuiſſe, ſed & ſtrenui milites erant, qui militari arte, & vi Sichem expugnarant. Et eorum pater Abraham cum paucis domeſticis quinque reges vicerat; & Iſaac cum regibus fecerat pactum. Cur ergo Ioſeph cauit, ne fratres in Pharaonis palatio hanc gloriam militorem oſtenderent, ſed maluit, vt illa diſſimulata humile paſtorum officium præſentarent? Nouerat cantatiſsimus aulicus, quam male apud principes audit, qui ab eiſdem gloriæ ſtudijs amat commendari; & ideo ſola humilia permiſit proponi, ne principum æmulationi locum daret. Ait Ioſephus lib. 1. cap. 4. *Ait paſtor alem artem callere, & nihil aliud exercere, idque eo conſilio reſpondit, nequa æmulatio cum Ægyptys interueniret, ſi circa eadem ſtudia cum illis verſarentur.* Hoc caue in omni congreſſione cum principibus, ne quid illis inuidioſum effutias, nec te in gloriæ ſtudijs cum illis compares, ſed quid humile de te ſemper in ore habeas.

D. Epiph.

Ioſeph. 1.

1. *Reg.* 24. Cum autem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul: Nunquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit; & dixit ad Dauid, Iuſtior tu es, quam ego; tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, &c.

§. XXV.

Ille ſe efficacius vindicat de hoſte, qui parcit.

ECce tibi Saul à Dauide parcẽte conie-ctus in luctum peramarum, in effuſiſsimas lachrymas. Ait enim textus: *Leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit: dixitque ad Dauid, Iuſtior tu es, quam ego, tu enim tribuiſti mihi bona, &c.* Et quis ab hoſte percuſſo talem fletum, tales lachrymas, talem confeſsionem extorſit? Crede mihi, efficaciora ſunt tormenta charitatis, quam ferri. Benignitas in hoſtes, in maiores illos luctus trahit, quam vindicta. Maioranus Auguſtus rebellibus ſuis pepercit, qui inde proſilientes in bellũ duriora accipiunt pro tã benigno principe certamina. De quo canebat Sidon. Apoll. in Paneg. Maiorani:

Tu tamẽ hãc differs pœnã, ſed ſanguinis author Maioris, dum parcis, eras; Non pertulit vltra Hoc pro te plus cauta manus, veſtrũq; pudorẽ Spreuit pro vobis. Primi cadit hoſtia belli Quiſquis rebellis erat. *Sidon.*

Sic qui veniã obtinuerant, maioribus periculis pro Imperatore ſe dabant, primique erant, in congreſſu & in caſu, vt videretur Imperator parcens maiorũ fuiſſe cauſa ruinarũ, largioremque ſuorũ profudiſſe ſanguinem, quã ſi vindicaret. Solet enim benignitas in aduerſarios ab illis maiores pœnas extorquere, quam crudelitas poſſet inferre. Ad infenſiſsimos Chriſtianorum

hostes Iudæos verba faciebat D. Petrus, Actor. 2. suauitatis, & benignitatis plena.

D. Petr. Quid tunc? Ait text. *His autem auditis cõpuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos; Quid faciemus viri fratres?* Vide quos paulò ante impostores habebant, modo fratres vocant, & transfixis præ dolore cordibus, sese illis in manus dant, parati ad quamlibet subeundam pœnã. Et quod telum sic hostes subegit? Vna benignitas Petri. Ait D. Chrysost. hom.

Chrysost. 7. in Acta: *Reuerititi sunt Petri mansuetudinem, quia his, qui Dominum suum crucifixerant, & contra ipsos clamarant, tanquam pater, & Magister curam gerens loquebatur. Nõ simpliciter obedierunt, sed se ipsos condemnarunt, senserunt, quod fecerant.* Vbi Petrus hostes Christianorum benigne tractat, sic eos affecit, vt ipsi sese dedant omnibus pœnis, & in se ipsos sententiam damnationis fe-

Psal. 117 rant. Quo spectans Psalm. 117. ait: *Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Et quæ vltio facta est in nomine Domini? Plane non vltio iræ, sed vltio charitatis, quæ omni telo fortius intima penetrat, & maiores exigit pœnas. Ait enim in præsenti Magister sententiarum: *In nomine Domini vltus sum eos, dum ipsi conuersi pœnas sustinent pœnitendo, quas aliis ingerebant.* Dum parcis hosti tuo, non illum liberas à pœnis, quin potius eò illum deducis, vt ipse maiores tibi pœnitendo det pœnas. Et quæ vltio dignior Deo?

§. XXVI.

Verba diuinæ scripturæ vel audita, vel lecta efficacissima.

NOn possum non mirari, vt immutatus Saul vni Dauidis voci immutationem tribuat; aiente textu: *Cum complesset Dauid loquens sermones huiusce modi ad Saul; dixit Saul: Nunquid vox tua est fili Dauid?* Dauidis facinus ostensum in seruanda Saulis vita omni admiratione, & veneratione erat dignum. At Saul, qui factum vidit in lascinia chlamydis scissa, & simul audiebat vocem Dauidis; de facto nihil loquitur, solã Dauidis vocem adstupet dicens: *Vox tua est fili Dauid?* Cur non magis ait, Factum tuum est fili Dauid? Cur magis voci hæsit, quam facto? Ait D. Chry

Chrysost. sost. hom. 3. de Dauide, & Saule: *Saul simul, vt accepit verba Dauidis in animum ingressa, abiecit inimicitiam, positoque affectu, recepit affectum; posita ira recepit tranquillitatem, &c.* Nõ equidem tam facti ostensio, quam Dauidis vox, & verba hominem immutarunt; hæc animum eius ingredientia maliciam excludunt, virtutes insemînant. Pro efficaciã Dauidici sermonis, Dauidici plectri! Proh sacrorum verborum remedium! Fallar, nisi perditissimis animabus afferant medellam. Ioannis, cap. 4. Samaritana mulier peccatis plena in colloquiũ venit cum Iesu, & solum memorans Christum promissum in lege, & prophetis ait: *Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus) cum ergo venerit, ille nobis annuntiauit omnia.* *Ioann. 4.* Quid tunc? Ait D. Chrysost. tract. 2. de Samar. habito tom. 6. *Omeretricem de spiritualibus philosophantem! Omeretricem scripturas sacras in ore habentem! Et si enim corpore scortationibus cooperta est, animo tamen sacrarum literarum pronuntiatione purgata est.* *Chrysost.* Equidem vox Dei, vel oris sono audita, vel literis efformata perceptа efficacissima est, vt peccatrices animas emolliat, & ad Deum conuertat. Hinc stella, quæ in oriente Magis apparuit, & deduxit vsque in Ierosolymam; dum muros sanctæ ciuitatis aspiciunt, abscondita est ab eorum oculis. Dicunt enim, Matth. 2. *Vidimus enim stellam eius in oriente.* *Matth. 2.* Non equidem Ierosolymis, sed in oriente apparebat stella. Et cur non Ierosolymis? Erat ibi diuinus sermo, erat sacra scriptura, quæ magis sibi acquireret gentes, & ad Deũ conuerteret. Ait D. Leo serm. 2. de Epiphania: *Iam ergo ad eruditionem gentium propheticus sermo transibat, & prænuntiatum oraculis antiquis Christum alienigenarũ corda discebant.* *D. Leo.* Nõ equidem stella, sed sermo diuinus gentes colligebat, & diuinorum oraculorum verba animo excepta validissima sunt ad animas, vel in bono firmandas, vel ad bonum conuertendas, Mar. 1. *Homo in Spiritu immundo exclamauit dicens, Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos, scio, quis sis sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus dicens obmutesce.* *Mar. 1.* Quæ verba ponderans D. Athanas. orat. 1. contra Arrian. ait: *Et diabolus quoque laqueatur è sacris literis, sed tamen æque illios obturatum est à saluatore. Si enim ea, quæ dicebat animo sensisset, nunquam excidisset è cœlo.* *D. Atha.* Quid grauius? Vel ipse diabolus si animo exciperet verba diuinæ scripturæ creditur ab Athanasio in bonum confirmatus fuisse.

§. XXVII.

§. XXVII.

Virtutũ exercicia à nullo magis, quam ab amore extorqueantur.

EXpendo vocem, qua Saul incipit miteſcere, & ſe gratum exhibere Dauidi; ait enim: *Vox tua hæc Dauid fili mi?* Suffeciſſet dicere; *Vox tua hæc Dauid?* Vel ſi ad rem magis accedere vellet, dixiſſet; *Vox tua hæc gener meus?* Cur maluit addere illud; *Dauid fili mi?* Sane qui nõ ſemel paulò ante ad iudicium diuinum, & Dei tribunal delatus fuerat; illa in ſui mutatione verba promſit, quæ non timorem, ſed amorem halarent. Vt videretur in tantam benignitatem veniſſe non de affectu ſerui metuentis, ſed de affectu parentis amantis. Multum enim facit ad æſtimationem virtutum, quod non timore, ſed amore extorqueantur. Ait Michæas, cap. 6. *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, &c.* Non ait facere miſericordiam, ſed diligere miſericordiam, quaſi oſtendat illam miſericordiam Deo placere magis, quam ſolus extorſit amor. Ait Hugo Victor. lib. 1. Miſcel. cap. 99. *Deinde ſequitur diligere miſericordiam. Non ſolum facere, ſed etiam diligere; quia magis facere poteſt qui affectu pietatis compatitur, quam qui ex debito præceptionis miſeretur. Oportet ergo te primum facere iudicium, vt quod recte diſcernis, opere compleas: Deinde diligere miſericordiam, vt bonum quod agis non ex timore, ſed ex amore facias.* Amor ſit, qui te in opera virtutum deducat, non vis, non coactio vlla. Quæ enim ſola vi ſuperiori conſtrictus peragis, fallar, niſi minoris ſint perfectionis, quam ea, quæ dilectionis affectu amplecteris, Geneſ. 12. *Dixit Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c.* Verum, Matth. 19. dicebat Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Abrahamo præcipitur abnegatio patriæ, & parentum pro Deo; Petro non præcipitur, ſed ipſe ex proprio affectu erga Ieſum omnia reliquit, ne à tam dilecto ſepararetur. Ex quo D. Hieron. de vera circumciſ. Petrum extollens ait: *Id quod Abrahæ, vt faceret, præceptum eſt, Petrus iam feciſſe non celat.* Omnia enim culmina facile præcurrit, qui amoris graditur affectibus. Vt merito dicat D. Auguſt. tract. 36. in Ioan. *Si vis ad Deum peruenire, noli piger eſſe amare: non enim pedibus, ſed affectibus curris, vno loco manens venis, ſi credis, & diligis.* Vbi amor eſt, nec alæ, nec pedes requiruntur, vt celſiſsima teneas; nihil fere ex amore mediocre venit.

Mach. 6.

Hugo.

Gen. 12.

Matt. 19

D. Hier.

D. Aug.

§. XXVIII.

Lachrymis purgatur interna animi malicia.

SVbita Saulis conuerſio minime ſuſpecta eſt, quando venit cum tanta effuſione lachrymarum. Dicit enim: *Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit, &c.* Quæ verba ponderans D. Chryſoſt. hom. 3. de Dauide, & Saule ait: *Non tam ſuſtinuit Saul hanc vocem audire ſine lachrymis, ſed plorauit amare, animi ſanitatem, quam Dauid inſeuerat, lachrymis declarans.* Expende illa: *Animi ſanitatem lachrymis declarans*: quippe in corporum morbis copioſe euacuationes indigitant corporis acquiſitam ſanitatem; adeò, vt medici parum ſanitati fidant, quam non comitatur euacuatio: Sic quod ſudoris euacuatio eſt in corporis ſanitate; ſunt lachrymæ in morbis animarum. Tunc perfecta creditur earũ ſanitas, quando ſimul adeſt copioſa euacuatio lachrymarum. Quo aſpiciens Georgius Piſida de mundi opificio, vbi ad oculos accedit humanos ait:

Chryſoſt.

Sed enim per oculos cum notas turpes trahat
Rurſus per ipſos lachrymas fundit pias
Egreſsione, vt eluat, quæ ingreſſæ ſunt.

Georg.

Equidem dati ſunt homini oculi, vt per eos vitiorum venena animam mortificantia eluantur. Quæ enim intimius fixi ſunt praui affectus, & virulenti, quibus anima vehemẽter infirmatur, egreſsione lachrymarum eluuntur: alioquin vix fidere poſſumus internæ ſanitati. Ex quo lucem affero Ieremiæ loco ex, cap. 2. Thren. vbi ait: *Cui comparabo te? Vel cui aſsimilabo te filia Ieruſalem: cui exequabo te virgo filia Sion? Magna eſt enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui?* Ideo eius curatio, & medela deſperatur, quia malum eius magnum eſt ſicut mare. Sed quando etiam maxima mala noſtra curari ſoleant; quid præcipuæ difficultatis habet hoc malum in eo, quod ſit magnũ ſicut mare? Equidem quia virulenta animarum mala euacuatione lachrymarum curantur; vt nequit fieri, quod mare euacuetur riuulis inde effuſis; ſic

Thren. 2.

sic vox credi potest, quod ingens malum, quod videtur adæquare magnitudinis matis, lachrymis eruatur.

1. *Reg.* 24. Et nunc quia scio, quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnũ Israel: iura mihi in domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iurauit Dauid Sauli. Abijt ergo Saul in domum suam: & Dauid & serui eius ascenderunt ad tutiora loca.

§. XXIX.

Benignitas in hostem auspicium regni.

CVm se infensissimum Dauidis hostem Saul videret ab ipso Dauide seruatum in vitam, non potuit iam non videre regnum deberi Dauidi. Sic enim fatetur: *Et nunc quia scio, quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel, & c.* Nec immerito in dauidica benignitate erga hostem, certissime censet illi regnum futurum; est enim clarissimum regni auspicium, quod scias benignum te præbere inimicis. Luc. 23. latro vnus dicebat Iesu crucifixo: *Domine memento mei, dum fueris in regnum tuum.* Et vniuersi stupent latronis sapientiam, qua potuit olere tunc aliquod manere regnum Christo. Vnde tunc, vel memoria regni inter tot dedecora crucis? Inter tot infirmitatũ, & abiectionum signa? Paulo ante audierat Iesum orantem pro ipsis crucifixoribus suis, & dicentem: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Nec credidit posse non deberi regnum illi, qui sic affectus erat in hostes suos. Ait ibi Theophylactus: *Vnus latronum cordatior agnoscens bonitatem Iesu ex voce, quam fecit pro crucifigentibus, Pater, dicens, remitte eis: Non enim dixit, Domine ora te dimitte eis, sed magna authoritate, dimitte eis. Ex hac igitur voce agnouit prior blasphemus Iesum verũ regem, & c.* Vt vidit in hostes benignũ, simul credit, & prædicat eius regnum futurum. Nunquam enim regium non est, quod scias fouere inimicos. Iudicum, cap. 9. ex Apologo à Ionatha Gedeonis filio confecto dicitur: *Iuerunt ligna, vt vngerent super se regem. Dixeruntque oliuæ: Impera nobis.* Nec immerito primo deferũt oliuæ regnum; ait enim Abbul. quæst. 28. *Istud est lignum excellens, & magna vtilitatis, nam oleum inde natum tam ad condimenta, quam ad curanda vulnera est. Sic Samaritanus infudit vinum, & oleum vulneribus sauciati,* Luc. 10. Seruiuit oleum Samaritano, vt curaret vulnera semimortui Iudæi. Et qui erãt Samaritani in Iudæos? Ait D. Asterius in Cat. Græc. D. Lucæ: *Samaritanus cuius nomen Iudæis inuisum erat, præstitit curationem.* Quando ergo oleum seruiuit Samaritano, vt beneficium conferret odiosis sibi Iudæis, non miremur, quod in primis oleæ deferatur regnũ. Notissima enim hæc est regũ virtus, quæ sciat aduersarios tueri. Vnde de indignis principatu hominibus locutus Isaias, cap. 1. ait: *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Pro retributionibus intelligit D. Basil. ibi: *retalionem,* quo mala malis retaliabant. Et quam hoc fœdum in Principe? Ait ipse Basil. adductus in Cat. Græca D. Lucæ ad cap. 6. *Maximum crimẽ principis est, proclivem esse ad vindictã, eoque animum intendere, vt eos, à quibus molestia affecti sunt, cõsimili ratione retaliant.* Sic ibi, trahe huc dicta 1. Tom. in Euang. lib. 4. cap. 5. §. 6. & infra in præsenti, cap. 16. §. 10. & cap. 12. §. 14. & Tom. 5. de Christo Figur. cap. 8. §. 2.

Luc. 23.

Theoph.

Abbul.

Luc. 10.

Isai. 1.

D. Basil.

Basil.

§. XXX.

Reges, principesve nil gratis dant, sed se in omnibus datis quærunt.

ECce tibi cum Saul Dauidi animũ præbet mansuetum, cum illi gratias agit de vita accepta, cum illi regni auspicium dat; nil prius facit, quam ab illo petere securitatis iuramentũ: *Iura mihi,* inquit, *in domino, ne deleas semen meum post te, & c.* Hæc est notissima conditio principum, regũque, quod in omnibus suis donis se quærant, nihil omnino gratis præbeant. Gen. 47. *Dixit itaque rex ad Ioseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessem. Quod si nosti esse in eis viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum.* Terram dabat Rex Iosephi cognationi, & simul requirebat ab eis ministerium circa regia pecora.

Gen. 47.

cora. Quo respiciens Oleaster dicebat: *Nihil gratis dant principes, sed semper aliquid emolumenti volunt ab eis, aut ministerij, quibus aliquid boni fecerunt.* Nil magis notum in donis principum fuit, quam eorum vtilitas, qui donabant. Adeo, vt quasi de re inaudita, & à nullo sperata dicat Latinus Pacatus in Paneg. ad Theodosium: *Nec nunc de his honoribus loquor, quos in quemcumque conferre Imperatori necessum est. Dux aliquis exhibitur? Exegit disciplina castrorum. Præfectus attollitur? Imponendum est prouinciæ caput. Consul creatur? Habiturus est nomen annus. Ita in summis illis, pulcherrimisque beneficijs est aliqua præstantis vtilitas. At tenoua benignitate is amicis honos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur, nihilque ex eo ad te redundaret, nisi dandi voluptas.* Expende ab illis: *A te noua benignitate, &c.* noua enim, & inusitata, & regibus, principibusve in solens benignitas, quæ sic dona dat, vt nullum in donis lucrum proprium respiciat.

Pacat.

§. XXXI.

Pax glorioſis principibus non ſit deſidiæ cauſa, ſed maioris munimenti occaſio.

VEneror Dauidis sapientiam, fœdere enim inito cum Saul, iurataque pace, dicit de illo textus: *Dauid, & serui eius ascenderunt ad tutiora loca.* Quando Dauid Saulem in patrem mutatum expertus est; quando in illo nihil non paternum videt, & amicum; quando omnia in pace apparent: tunc tutiora loca requirit. Proh sapientiam principis insuperabilis! Equidem glorioſi principis est, nulli fidere tranquillitati, pace desidiam non comparare, sed tunc firmioribus præsidijs inueniendis, componendisve operam nauare. Iusserat Rex Theodoricus arcem inexpugnabilem perficere, cum maxima vigeret pace. Pro quo ait apud Cassiod. 3. var. 48. *Quanquam, Deo iuuante, nostris temporibus prouinciam securam credamus, tamen prudentiæ nihilominus est, cauere, etiam quæ non putantur emergere. Munitio tractanda est semper in otio. Quia tunc male quæritur, quando necessario indicitur. Mergi, quibus nomen est ex facto, cohabitatores piscium, aquatiles volucres, futuras tempestates naturaliter præuidentes sicca petunt, stagna derelinquunt. Aues ipsa aduētu hyemis patrias mutāt. Fera pro qualitate temporis cubilia quærunt. Hominum sollicitudo non debet prouidere, quod posset in aduersitate requirere?* Expende illud regnis omnibus vtilissimum, nimirum: *Munitio tractanda est semper in otio:* tūc cum otio vacatur, cum in pace sunt omnia, cum nullus hostis apparet; munimenta quæri debent, & firmari sollicite, ne desidia repentinis assultibus nos imparatos efficiat. Quis lædat hominem, cui pax in bellum armat, & munit? Merito Titus aduersus Iudæū suos confortabat dicens apud Egesipp. lib. 3. cap. 24. *Iudæi nesciunt arma, nisi in bello, nos in pace armis exercemur.* Desidiosorum est, tunc primum armorum pondus sustinere, & adire propugnacula, cum hostis instat, & prouocat ad certamen. Qui ad triumphos creatur, is in pacis medio, cum tranquilla sunt omnia, non disinit hostiles incursus vereri, & ad illos repellendos sese comparare. Id quod valet tam in temporalibus duellis, quàm in spiritualibus.

Theod.

Titus.

CAPVT XI.

Dauid ad Nabal Carmelum.

Textus Historia.

SED Vbi Dauid à Saule elapsus occultiora, & tutiorae Iudeæ loca percursare cepit, hoc sanctissima lege cauebat, ne quid mali contribulium suorum pecoribus inferretur. Nullus pastor sic proprijū gregem tutabatur, vt Dauid omnium gregibus meliora prouidebat. Qua fiducia ratus nullum non sibi maxime obstrictum esse; decem è suis iuuenes misit, qui à Nabale prædiuite Carmeli viro, alimentorum donaria tot officijs debita contenderent. Occasio fuit prædiues gregum spolium, quod Nabal, regio exceptis tonsoribus cōuiuio metebat, & sotiorum Dauidis penuria extrema. Sed durissimus homo quo opulentior, eo crudelior in egentes; non veretur Dauidis comitatē, nec dubitat negare militibus, quod ipsi possint extorquere, imò, & illos mille iniurijs affecit, vsq; ad pastorū circunstantiū pauorē, qui nouerant Dauidis officia erga illius greges. Et veriti tāti ducis offensionē, ad Nabalis vxorē properāt, rei historiā memorāt, vt quātocitius periculis occurrat iam iam toti familiæ iure imminentibus. Vt pulchra Abigail, sic

prudens erat, in vtroque excellens; quæ mariti conuiuio auferens quinque coctos arietes, ducentos panes, duos vtres vini, quinque fata polentæ, centum alligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum, insciente Nabale, viam arripit, qua Dauidem venturum credebat. Parum processerat, & ecce tibi Dauid armata manu hominem iniurium perēpturus currebat; de officijs enim præstitis homini in humano multum pœnitens perditurum iurauerat omnia, quæ illius essent. Affuit irato pulchra Abigail, humique procubuit, mariti stultitiam profitetur, muneraque dat non parua, sed lōge æstimabiliora propter manum, quæ illa offerebat. Vicit armatum pulchræ fœminæ sermo, vicit eum donum à tam pulchra manu profectum; cæpitque Dauidicus sanguis fœminæ debere, quod in hominē iniurium mitesceret. Sic bona pacato Dauide ad sua reuertitur, maritoque cum suis regie epulāti nihil dixit, vsque dum conuiuij crapula in somniū euanesceret. Tunc hominem seuere alloquitur, pāditque, vt Dauid cum armato exercitu aduersus illum veniebat, breui spatio perditurus vniuersa. Excepit homo vxoris verba, & ad periculi immanitatem, sic obriguit, vt decimo die è viuis abscesserit. Nec mora, Dauid simul & Deo immortales egit gratias, quod liber inueniretur à sanguine tanti rustici, & eius vxorē Abigail sibi despondit; cui & aliam addidit nomine Achinoam; quam enim à Saule primo acceperat, Saul alteri dederat.

PARS MORALIS circa textus literam.

VT Saulis regis iniurias, sic iniurias Nabalis priuati Dauid pertulit; ne quid iniuriarum non vincat ille, in quo figurabatur regnum cœleste.

1. *Reg.* 25. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis; erantque ei oues tria millia, & millæ capræ, & accidit, vt tōderetur grex eius in Carmelo. Nomen autem viri illius erat Nabal; & nomen vxoris eius Abigail, eratque mulier illa prudentissima, & speciosa; porro vir eius durus, & pessimus, & malicios; erat autem de genere Caleb.

§. I.

Exactiones tributorū non natura regum, sed casus accidentalis inuenit.

DIctissimi pastoris Nabalis genius dum describitur, illud notatu dignum dicit textus: *Et accidit, vt tonderetur grex eius.* Expende illud: *Accidit*: quasi gregis tonsio non ad essentialia, sed ad accidentalia pastoris pertineret. Et merito inter pastoris accidentia ponitur tonsio gregis; essentia enim pastoris, & principis in pascendo, & curando grege tota consistit; quod autem pastor, aut princeps emolumentum tonsionis exigat, id ab accidentalibus casibus debet pendere. Non quidem principatus natura, aut essentia; sed casus exactiones inuenit. Clamabant Magi, Matth. 2. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* Vix diuinus infans in terris apparebat, adhuc ligatus manibus inter fascias delitescebat, & iam publicabatur rex mortalium. Postquam regis prædicationem, sic delituit, vt nullibi dum adultus inter homines agit, rex diceretur, imò, & raro aliqua regalis dominij signa dedit. Ea autem dedit, Luc. 8. quando Genazenorum porcos tradidit diabolo suffocandos; & Ioan. 2. quando accipiens *quasi flagellum*, negotiatores â templo eiecit. In ijs se dominū absolutū ostendebat perdens priuatorum resculas. Et cur, qui verus Dominus, & rex ab ipsis incunabulis erat, semel aut bis tantum sui dominij excellentiam ostendit? Crediderim id factum, vt pateret cunctis principatus essentiam, & naturam non cōsistere in dominij ostentatione circa subditorum res; has enim absumit non natura regum, sed accidentalis casus, & rerum cōtingentia. Adhæc accipite D. Thomam lib. 3. de regimine Princip. cap. 14. fantem: *Et attendendum, quod in Christi infantia plus apparuit virtutis, & potentiæ pratendentis excellentiam sui domini, quàm in adulta ætate, ad insinuandam suam infirmitatem*

Matth. 2.

Ioann. 2.

D. Thom.

tem esse voluntariam, non necessariam: quæ excellentia domini assumpta est ab ipso, & non publice vsus, nisi in casibus, &c. Expende illud: *Nisi in casibus*; non enim natura, neque essentia regia, qua Iesus vere Dominus, & rex erat; faciebat illum suo dominio vti in spoliando subdito suis rebus, sed casus accidentalis id faciebat, quando id communi bono prodesse cõtingebat. Solis enim malis, pessimisque principibus naturale, & essentiale est exigere suorum subditorum bona. Quo spectans Isaias, cap. 14. ait: *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Ecce tota ratio ob quam tributa, & exactiones quieuerunt, nimirùm, quia Dominus impios dominatores perdidit. Dum enim impij dominarentur, minime possent exactiones nimiæ tributaque iniusta cessare; vtpote illis essentialia. Eo namque spectat tota impiorũ principum natura, & essentia, vt tributa, vel iniusta exigant; adeò, vt non nisi illis deficientibus, hæc cessent. Boni autem principes, & floridi, & potentes existunt absque vlla omnino exactione, quę subditos iniuste premat. Vt dicat D. Synes. lib. de regno: *Neque tributis ciuitates exhaurire regiũ est: bono enim principi vbinam tantis pecunys opus est? Cum neque insolenti animi fastu sumptuosa opera moliatur, neque inanem, atque ambitiosam magnificentiam affectet, neque inuenili consilio in Scænicos ludos gnauorum hominum labores consumat, sed nec plurimorum bellorum necessitate cogatur. Ab insidys enim, & inuasione securum eum, qui bonus sit, nostra faciebat oratio.* Tolle omnia, quæ à vero, & bono principe tolli debent, & raro casu exactionũ nimias oppressiones inuenies.

Isai. 14.

D. Synes.

§. II.

Hominibus salutare nomen cũ sola Maria venit.

DVorum coniugum nomina proponit textus aiens: *Nomen autem viri illius erat Nabal, & nomen vxoris eius erat Abigail.* Et mirabar, quod tantæ fœminæ, tam prudẽti, tam pulchræ præponatur vir nomine Nabal, nimirùm, stultus. Nec id casu factum puto, sed vt ostendatur non de alia, sed de sola Maria nomen salutare posse affulgere hominibus. Fuerunt aliquando à Rege Babylonio tres pueri Hæbræi missi in caminum ignis, Dan. 3. Sed voracis flammæ reuerite puerorum sanctitatem, non audent illis nocere, quin imo propriã obliuiscentes naturam, eos placidis irroraut guttis. Res ad Regem perducitur, qui à throno desiliens, pergit ad fornacem, miratusque pueros in flãmas illæsos ait: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. Tunc accessit Nabuchdonosor ad ostium fornacis ignis ardẽtis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago, &c.* Ecce tibi quatuor visuntur, tres nominantur proprijs apud Chaldæos nominibus; quartus autem, qui illis tribus salutaris erat, dicitur filio Dei similis, nomen autem eius minime exprimitur. Et cur viri adeo diuini, & salutaris nomen non magis exprimitur? Ait D. Hypol. Mart. orat. de Consumatione sæculi: *Quia nondum Iesus ex virgine natus erat, ideo quarti illius nomen Rex non posuit.* Non exprimitur nomen salutis, dum non intelligitur Maria; per quã solam è creaturis nobis venit, quodcũque nomen salutem spirat. Quo spectans Sapientissimus Idiota in contempl. de Maria, cap. 5. ait: *O misericordiosissima Virgo Maria, ego sceleratissimus peccator talis sum, & talem me feci, quod nomen meum pra confusione non ausim nominare, quia nomen Christiani habebam, sed nunc peccatoris. Id circo adiuuare me digneris pijssima Virgo Maria, vt Christianus re, & nomine euadam.* Pulchre de vna Maria sperat, quod à Iesu accipiat nomen salutis.

Dan. 3.

D. Hypol.

Idiot. 5.

§. III.

De Maria nomine venit humanis pectoribus teneritudo.

DE Abigailis coniuge, ait textus: *Porro vir eius durus, & pessimus, & maliciosus erat:* Multa sponsæ prudentia, multa pulchritudo non poterat lenire mariti Nabalis duritiem. Nec miror, erat *enim nomen vxoris eius Abigail:* vt nam nõ Abigail, sed Maria esset nomen eius; & fallar nisi tantum nomen eius duritiem molliret. Adhæc dicebat Idiota in contemp. de Maria, cap. 5. *Nomen Mariæ super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros:: Tanta est virtus nominis tui, ò semper benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani.* Nulla manet in humano

Idiot. 5.

mano corde durities, quæ non abscedat ad sonitum nominis Mariæ. Vbi hoc sacrum nobis intonuerit nomen, statim præcordia nostra liquefiunt. Vt merito illi cõueniat
Cant. 1. dictum, Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Proquo stans Richard. à Sancto Laurent.
Richard. lib. 1. cap. 2. ait: *Nomen Mariæ duriciem apostemmatis, quod designat superbiam, emollit, & sedat tumorem cordis instar olei: quando per orationem eius auferitur à nobis cor lapideum, & datur cor carneum.* Fœlix, qui hoc Mariæ nomen in corde, & ore frequẽter habet; quidquid ibi superbia, & alia vitia indurant, emollietur de tanti virtute vocabuli. Hinc Angeli post obduratã superbiam sotiorum vidẽtes Mariam, Cant.
Cant. 3. 3. aiunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertũ?* Imò, & cap. 6. replicant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c.* & tandem, cap. 8. dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? &c.* Sic semel, & bis, & ter interrogant, quæ sit ista? Et cur tam frequenter interrogant quæ sit? Sane maxime cupiunt sibi nomen Mariæ responderi, vt quod valeat eorum præcordia suauiare. Ait Richar. à Sancto Laurentio lib. 1.
Richard. cap. 2. *Ter in Canticis in persona Angelorum quæritur: Quæ est ista? Non tantum, quia personæ miratur excellentiam: sed forsam, quia dulce nomen Mariæ sibi desiderant responderi.* Et cur Angeli non concupiscant suauiari nomine Mariæ, quod & teneritudinem, & suauitatem, & vitam halat? Aiebat illa
Prou. 8. Prouerb. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam.* Quo respiciens Germanus Constantinop. orat. de Deipara ait: *Sicut continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; sic Sanctæ Mariæ nomen, quod in Dei seruorum ore assidue versatur, simul argumentum est, quod vere viuant, simul etiam hanc vitam efficit, & conseruat, omnemque eis lætitiam, & opem impertitur.* Quid dulcius de nominæ Mariæ.

1. *Reg.* 25. Cum ergo audisset Dauid in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacifice, & dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax. Ex multis annis saluos faciens tuos, & omnia tua.

§. IIII.

Oratio vnius iusti apud Deũ efficacissima.

VT à Nabale subsidiũ petat Dauid decem iuuenes Selligit, dicit enim textus: *Misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, &c.* Et merito non vni, sed decẽ iuuenibus legationem committit, erat enim illi res cum Nabal, si enim cum Deo res esset, vel vnus pro multis suffecisset. Quo spectabat illa vox Elisæi ad Eliam flammanti raptum curru. Ait enim 4. Reg. 2. *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* 4. *Reg.* 2.
Vnus erat homo Elias, & vocatur ab Elisæo currus, & auriga; nec immerito, nam vnus homo iustus orans ad Deum, non solũ pro vno, sed pro ingentis exercitus curribus potest valere. Adhæc Chaldæus in præsenti ait: *Pater mi, pater mi, qui meliores eras Israeli oratione tua curribus, & equitibus.* *Chald.*
Plane vna iusti oratio longe efficacior est apud Deum, quàm multi peccatorum orantium exercitus. De tribus pueris hæbræis immissis in fornacem ardentem dicit Dan. 3. vt illæsi grædiebantur inter flammas. Quid tunc? *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Azarias orauit, aperiensque os suũ, &c.* Tres illi erant in flammis positi, è tribus autem vnus Azarias dicitur stetisse, & orasse ad Deum. Et cur non tres steterunt, & orarunt? Sciebant equidem, vt vnius iusti oratio, præ multis alijs sufficiebat ad Deum captandum. Dicebat enim ibi ipse Azarias: *Sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, &c.* Plures arietes, & non pauci tauri, & mille agni Deo in templo præsentabãtur, vt eius misericordiam impetrarẽt. Pro quibus omnibus vnum se petit suscepi Azarias; sed qua fiducia vnus audet pro tot, tantisque hostijs se Deo sistere? Sanè orationis fiducia; oratio enim & si ab vno iusto oriatur pro multis apud Deum valet. Vt dicat Theodor. *Pro arietibus, & tauris, & agnis innumerabilibus cõtritum tibi, & humiliatum cor offerimus, & supplices petimus, &c.* quasi vel vnius iusti oratio æquiparari possit multitudini sacrificio-
Daniel. 3. *Azar.* *Theod.*

crificiorum antiqui templi. Quo etiam respiciens author Cat. Græcæ in Pentateucũ ait: *Cæterum pro pulchro illo ordine*, inquit, *qui tuo in templo seruatur, accipe nostram cum humilitate precationem.* Sic vna iusti precatio Deo offertur, quæ multitudini sacrificiorum præpolleat.

§. V.

Nõ differt à fure princeps, qui donaria iniusta vi à subditis extorquet.

NOn integram phalangem militũ Dauid mittit ad Nabalem, sed tantum decem gregarios iuuenes, qui donata suis asportent. Dicit namque: *Misit decem iuuenes, &c.* Et cur ad populosissimam Nabalis domum non plures mittit? Cur non magis ipse accedit cum exercitu toto, vt vel à renuente alimentum suorũ extorqueat? Bonus princeps iam tunc etiam in necessitate constitutus cauebat vim iniustam inferre donatoribus. Et merito, nil enim differt à fure princeps, qui dona à suis vi iniusta extorquet. Isaias, cap. 1. Israelitarum principes sic mordebat: *Principes tui infideles, socij furum.* Non fures vocat, sed furum socios. Et in quo furibus associabãtur principes illi? Ait D. Basil. ibi: *Quin etiã fures censendi sunt, quibus ductandi exercitus demandata est Prouincia, aut certe ij, qui assumpto principatu ciuitatum, & gentium clãculum quidem suppilant, quæ autem ad Rempublicam attinent, extorquent vi.* Expende hæc vltima tanti doctoris dicta: *Quæ autem ad Rempublicã attinent, extorquent vi*: quippe alij putassent necessariam Reipublicæ sustentationi à renuentibus vi etiam iniustà extorqueri posse; Basilius autem cantatissimus Ecclesiæ doctor, non destinguit â furibus eos principes, qui, quæ ad Rempublicam attinent iniusta vi extorquent. Filijs Eli clauum Israelis tenentibus, eorum minister accedebat ad popularijs, vt donaria sacrificiorum debita Dominis acciperet, & cum tantisper morarentur populares, dicebat minister, 1. Reg. 2. *Nunc enim dabis, alioquin tollam vi.* Sic debita principibus Sacerdotum donaria vi extorquebantur. Quo respiciens Iosephus lib. 5. cap. 11. ait: *Eli pontifici duo filij fuerunt Ophnes, & Phinees, hi contra omne ius, & fas omnia sibi licere volebant: nec contenti honorarijs muneribus, etiam à rapinis non abstinebãt.* Et merito inter raptores numerat eos principes, quorum permissione munera subditorũ vi extorquebantur, contra ius, & fas.

Isai. 1.

D. Basil.

1. Reg. 2.

§. VI.

Spes subsidij temporalis officiosissima est.

VIde quot salutationes compingit Dauid dicendas Nabali; quippe ait: *Salutabitis eum nomine meo pacifice, & dicetis: sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax.* Multus equidem erat Dauid in effingendis salutationibus pacis; parcior Iesus, Ioann. 20. de quo sic: *Post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cũ eis: Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis.* Semel annũtiat suis pacem, & semel illos salutat pace annuntiata. Cur non similiter Dauid? Cur maluit ipse multiplicare salutationes pacis? Agebatur Dauid tunc spe obtinendi subsidij temporalis, quæ vbi est, nullis officijs, nullis salutationibus quiescit, sed tota in inueniendis officijs versatur. Proh Deus immortalis, quam officiosa est spes lucritẽporalis! Vidisti aliquando Summum Imperatorem, qui priuatum hominum salutaret? Accipe Alexandrum magnum, de quo ait Richardus Victor. lib. 4. institut. Monast. cap. 11. Interea Magnus Alexander magnis viribus Ierosolymam properabat. Cumque appropinquaret ciuitati, exiuit pontifex, eum omni populo, & clero. Putabant Alexandrini, quod eos statim interficeret, & vrbem deleret. *Sed cum vidisset summum Pontificem salutauit. Miratique sunt omnes Alexandrini milites vehementer. Cumque regem de hac re interrogarent: Quare rex istũ præ omnibus salutasti? Respondit rex: Cum essem adhuc in terra mea, vidi istum in somnis dicentem mihi, quod regnũ possem obtinere Persarum, ideo eum præ omnibus salutaui.* Vt in Pontifice illo viso in somnis spes potiundi Persarum regnum nitebatur, sic ea affecit superbissimum Imperatorem, vt illum salutationibus honorarijs excideret, quem milites trucidandum putabant. Adeo potens est lucri spes regales etiam mentes deprimere vsq; ad salutãdos priuatos. De Absalon regnum ambiente paternum dicit text. 2. Reg. 15. *Mane consurgens Absalon stabat iuxta introitum portæ, in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt*

Ioan. 20.

Rich. Vi.

2. Re. 15.

veniret

veniret ad regis iudicium, vocabat ad se::: Et cum accederet ad eum homo, vt salutaret illũ, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum, &c. Ecce tibi, quantus erat Princeps Absalon in excipiendis quibuscumque vulgaribus hominibus, sed eum ad tantam comitatem, & humanitatem vna spes lucri temporalis inclinabat. Est hæc potentissima in demittendis etiam magnis ad officia præstanda: Ait Claudius Mamertinus in Actione gratiarum exhibita Iuliano: *Claud.* *Ministrorum aulæ quotidie limina terebantur. Adfores eorum, qui regys cupiditatibus seruiebant ternos patritiæ gentis viros cerneres ab huiusmodi dedecore non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius iniuriæ deterreri. Demissi, iacentesque vix capita supra eorum, quos deprecabantur, genu attollebant. Ac postremum, honores non indicio, aut beneuolentia superborum, sed misericordia merebantur.* Nunquam nõ temporalis lucelli studium deprimit etiam magnos ad eas officiorum ostentationes, quibus millia dedecora vorantur.

1. *Reg.* 25. Audiui, quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto; nunquam eis molesti fuimus; nec aliquando defuit quicquã eis de grege omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nũc ergo inueniant pueri tui gratiã in oculis tuis, in die enim bona venimus, quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid, &c.

§. VII.

Apud ingenuos viros sola precatio facit consequendi opportunitatem.

MVltis diebus egerat Dauid inter greges Nabalis, eorum custos, & defensor factus, nec aliquid ab eo postulauerat, expectans tonsuræ tẽpus quando vel durissimi Domini spolijs pleni solent esse liberales in amicos, seruos, & cognatos. Ideo petitioni suæ præponit illud: *In die bona venimus*; nimirum, in die satis opportuna ad dandum, quando præ manibus sunt tot tantaque bona. Quippe res erat cum rustico, & duro, inhumanoque homine; & ideo opportunitas tẽporis fuit expectanda, cum ingenuis autem, & nobilibus viris sola ipsa precatio petẽtis facit opportunitatem. Persuasa Esther à Mardochæo, vt Iudæorum vitam à Rege postularet; cum adhuc rex iratus esset, cũ omnibus ad se ingressum negaret, nihilominus illa audet. Dicit enim, cap. 5. *Induta est Esther regalibus vestimẽtis, & stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat supra solium suum in consistorio Palatij, contra ostium domus, &c.* *Mard. 5.* Nulla maior importunitas cogitari poterat ad regem conueniendum; aditus omnibus intercluſus erat, imo seueriſsima lex instabat, quæ sub pœna capitis ingressum omnibus negabat. Cur ergo bona regina audet petitura intrare sub tam nota importunitate? Cur non magis periculosam importunitatem cauet? Ait D. Athan. in Synopsi: *Esther itaque regalis se mũdo ornauit, & non vocata etiam (erat autem illicitum nõ vocatis accedere ad regem) extra temporis opportunitatem ad regem ingressa est, sperãs precationem opportunitatis loco futuram.* *D. Atha.* Expẽde hæc: *Sperans precationem opportunitatis loco futuram*; sciebat bona ingenium animorum regalium, quibus humilium precatio nunquam non opportuna accidit. In quo Dauidis, & Esteris differentia in suis petitionibus paret; ille vt cum rustico, & barbaro agit, sic opportunitatem expectat: hæc regẽ alloquutura non veretur importunitatis incommoda fidens precationem humilem apud ingenuos, & nobiles animos futuram loco opportunitatis. Ex quo monebat Paul. 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbũ, insta opportune, importune.* *2. Ad Timoth 4.* Quod non paruam quæstionem faciebat D. Thomæ, dum simul audit Proueb. 15. *Sermo opportunus optimus*: & Ecclesiastici, cap. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo.* *D. Thom.* *Eccl. 20.* Quî ergo fieri potest, ait D. Thomas, quod Paulus etiã obsecrationibus instandum moneat importune, & opportune; cum in Prouerbijs, & Ecclesiastico sola commendetur opportunitas, & reprobetur importunitas? Quæstionẽ facile diluam ex Athanasij doctrina, si attendatur personarum discrimẽ: vbi enim cum barbaris, & duris agendum est, maxime attendenda est opportunitas; vbi autem cũ ingenuis, & nobilibus agis animis, vel si importune accedas, precatio ipsa

ſa comes, & humilis creditur loco opportunitatis futura.

§. VIII.

Apud regaliſsimos principes priores ſunt merentes, quam filij.

COnſiderabam verba Dauidis animum Nabalis inclinantia; dicunt enim: *Quodcumque inuenerit manus ſua, da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid.* Dixiſſet vſitatius: Da filio tuo Dauid, & ſeruis tuis; nũquam enim non ſunt primi filij in accipiẽdis muneribus, quam ſerui. Quis pater nõ prius reſpicit filios? Cur ergo Dauid mutauit ordinem ipſius naturæ, & ſeruos prę-miſit ad accipienda munera, deinde filium? Hoc natum fuit ex animo eius regaliſsimo, cuius eſt in muneribus præſtandis ſcire poſt ponere merentibus etiã filios. Extollebat inde Theodoſium Latinus Pacatus in Paneg. inquiens: *Cui cum eſſent domi filij, geminæ illæ ſpes, oculique Reipublicæ, dilatis eorum magiſtratibus, amicos conſulatu ornauit. O beneuolentiæ tuæ ſingulare conſiliũ! Auges tempore dignitatem, quæ incrementum ex magnitudine non habebat. Renuntiantur amici arte filios tuos conſules, quia non poterant plus eſſe, quã conſules.* Sic nouit regaliſsimus princeps primas dare amicis, à quibus nouerat meritis filios ſuos fuiſſe deiectos. Adhæc dicebat, 1. Machabæor. 1. de Alexandro locutus: *Poſt hæc decidit in lectulum, & cognouit, quia moreretur. Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute: & diuiſit illis regnum ſuum, cum adhuc viueret.* Pueros ſuos coætaneos vocauit, non filios. Non ergo habebat filios Alexãder, qui vocabat ſeruos regnaturos? Habebat quidem filios; ſed in animo eius regaliſsimo non filij, non fratres, ſed merentes habebãt locum primum. Ait Iuſtin. lib. 12. *Cum deficere eum amici viderent, quærunt, quem imperyſaciat hæredem. Reſpondit, Digniſsimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum, & cum Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, oblitus neceſsitudinũ, digniſsimum nuncuparet hæredem.* Poſtponebat magnanimus princeps filios, & vniuerſas naturæ neceſsitudines meritiſsimis. Hoc erat ſpiritu regali, & magnanimo imbutus Moyſes, qui audita ex Deo ſententia mortis ſuæ ait Numer. 27. *Prouideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſupra multitudinẽ hanc, &c.* Sanè viderat Moyſes, Numer. 20. vt ex Dei decreto ſucceſſerat Aaroni filius eius Eleazarus in ſacerdotio; & ipſe Moyſes habebat filios, cur non ſimimiliter putauit ſibi filios ſucceſſuros in populi regimine? Cur oblius filiorum eligendum Deo remittit? Tanta erat eius virtus, & magnanimitas principe digna; cui in muneribus non filij, non cognati erant primi, ſed meritiſsimi. Ait Theodoret. quæſt 48. ibi. *Conuenit admirari prophetam, vtpote, qui cum haberet filios, fratrem, & nepotem ex fratre, nullum horum ducem præfecit, ſed Deũ ſecutus, quem ipſe decreuit, ordinauit.* Vel ſi mauis in Catena Græca ait: *Quis ſatis inſtitiam hominis admirari poteſt? Qui cum filios, fratres, nepotes haberet, neminem ex his ſibi ſucceſſorem elegit, Conſuluit Deum, & quem voluit ille, hæredem accepit.* Tam longe aberat à viliſsimo illo affectu multorum, quo ſolis ſuis, & ſibi reſpiciunt, quod nec filios, nec fratres meminerit, daturus regnũ, ſed expectaret eum, cuius merita apud Deum valuiſſent, quamuis is extraneus fuiſſet.

Theodoſ.

1. Mac. 1

Alexan.

Num. 27.

Num. 20.

1. *Reg.* 25. Reſpondens autẽ Nabal pueris Dauid ait: Quis eſt Dauid? Et quis eſt filius Iſai? Hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quę occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint? Regreſsi ſunt itaque pueri Dauid per viã ſuam, & reuerſi venerunt, & annuntiauerunt omnia verba, quæ dixerat.

§. IX.

Non vilitas natiuitatis, ſed vitium officit homini apud ſapientes viros.

STultus homo Nabal deſpicit in Dauĩde proſapiæ vilitatẽ dicens: *Quis eſt Dauid? Et quis eſt filius Iſai?* quaſi in patre Iſai auiam Ruth moabitã tanto viro obijceret, vt putat Lyra. Et quid ſtultius? Sanè apud

apud sapientes viros, non officit natiuitatis vilitas, vbi adest virtus. Genes. 21. clamabat Sara ad Abraham: *Eyce ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Sed & post Isaac Iacob extitit, cui plures filij ex ancillis fuerunt; nec tamen vllus exhæredatus est, sed singuli eorum cum liberarum filijs paternam hæreditatem adierũt. Cur ergo apud avum tam male habebat filius ancillæ; & apud nepotem nihil minus à liberarum filijs ancillarum filij capiebãt? Equidem nec apud Abrahã crediderim vilitatem originis offeciſſe filio ancillæ, ſed mores eius ſeruiles, & peruerſos. Accipite D. Auguſtinum tract. 12. in Ioannem inquientem: *Ne quis forte dicat, ſed iſte in hæreſi natus eſt, & iſte in ſchiſmate natus eſt, amputata ſunt omnia. Inuenimus enim natum de ancilla exhæredatum, & natum de libera hæredem. Rurſus inuenimus natum de libera exhæredatum, natum de ancilla hæredem. Natus de ancilla exhæredatus Iſmael, natus de libera hæres Iſaac. Natus de libera exhæredatus Eſau, nati de ancillis hæredes filij Iacob.* Sic & in vili, & in nobili natiuitate inueniebantur, qui prouarentur, & qui reprobarentur. Ex quo ergo alij reijciebantur, alij probabantur? Nõ equidem ex vilitate, aut nobilitate natiuitatis, ſed ex moribus. Pergit ibi Aug. *Si propterea exhæredatus, quia de ancilla natus eſt, nulli ancillarum filij admitterentur ad hæreditatem. Filij Iacob admiſsi ſunt ad hæreditatem: Iſmael autem non quia de ancilla natus exhæredatus, ſed quia ſuperbus matri, ſuperbus in filiam matris. Non ergo illum viſcera ancillæ eiecerunt foras, ſed cernix ſeruilis.* Quid ſapientius? Non materna vilitas offeciſſet Iſmaeli, ſi virtus adeſſet. Eiectus eſt, quia vanus, quia ſuperbus, quia ſeruilibus moribus fœdus, non quia ab ancilla traxit genus; quando & multi ancillarum filij Iacobææ domui ſplendorẽ addiderunt. Plane apud veram ſapientiam non officiunt viles natales, vbi affulgent virtutes. Quo ſpectabat Pſalm. 77. Dauidis electionem memorans, dum ait: *De poſt fœtantes accepit eum.* Circa quæ D. Baſil. Sel. orat. 15. ait: *Cura gregis diſtentum vocauit ad regnum. Nã cognita animi mente, minime erubeſcit artem. Placet ſibi Deus abſtruſum in deſpecto corpore margaritum conſpicatus.* Sic Deus, ſic ſapiens omnis vbi hominis virtutes nouit, nihili ducit, quod ſint viles eius natales.

Gen. 21.

D. Aug.

Augusſt.

Pſal. 77.

Baſil. Sel.

§. X.

Citius pauper homo, & afflictus, à cognatis diuitibus ignoratur, quam ab extraneis.

ERat Nabal de proſapia Calebi, vt patet ex præſentis capitis initio, de tribu Iuda, Dauidi contribulis; ideoque ad eum Dauid in neceſsitate confugit. Ipſe autem ad Dauidis petitionem reſpõdit illa: *Quis eſt Dauid? Et quis eſt filius Iſai?* In ſuper addidit: *Et dabo viris, quos neſcio, vnde ſint?* Sic homo gregum ſpolijs plenus dicit ſe ignorare cõtribules ſuos, quos videt egenos, & afflictos, & ſi alioquin ab illis multa commoda accepiſſet. Eſt hoc notiſsimum hominum ingenium; ſi afflictus ſis, & pauper, citius à tuis, quam ab extraneis ignoraris. Matth. 15. *Mulier Chananæa clamauit dicens; Miſerere mei domine fili Dauid.* Notuit Ieſum, & eius genus, & proſapiam nouit, quando eius avum meminit. At principes Ieroſolymitani, Ioann. 9. fatentur: *Hunc autem neſcimus, vnde ſit.* Quis crederet Ieſu genus ignorari à Ieroſolymitanis, & publicari à Chananæis? Sed o bone Ieſu, tuus humilis ſtatus, & abiecta cõditio hoc reportat in mundo pro beneficijs præmium, vt citius ignoreris à diuitibus cognatis, quam ab alienis. Ait D. Baſil. Sel. orat. 20. *O quot Iudæorum myriadibus perſanatis, ab ijs ipſis, qui ſanati, Chriſtus ſibi reponi illud audit: Hunc neſcimus, vnde ſit. Mulier vero Chananæa etiam ante curationem fide alata ad Euangeliſtæ dignitatem peruenit.* Sanè vbi Deus ſub vili, abiectoque, & egeno habitu graditur in mundo, licet multa commoda præſtet, facile à ſuis ignoratur, etiã quando prædicatur ab alienis. A ſuis hoc audit reſponſum; *hunc neſcimus; vnde ſit*: ab alienis eius prædicatur genus. Quod etiam experiuntur vniuerſi egeni, etiam qui vtiliſsimi fuerant, dum egeni, & afflicti apparent, citius ignorantur à cognatis, quam ab exteris. Sic Iob, cap. 19. ſe expertum fuiſſe fatetur aiens: *Fratres meos longe fecit à me, & noti mei, quaſi alieni receſſerũt à me. Derelinquerunt me propinqui mei, &c.* In Catena Græca ſic hæc leguntur: *A me fratres mei receſſerunt, cognouerunt alienos, quam me: non me ſuũ vendicauerunt proximi mei.* Equidem dum Iob ad pauperiem deuenit, dum vxor eius ſtipem

Matt. 15

Ioann. 9.

Baſil. Sel.

Iob, 19.

pem emendicabat, nulla fit memoria fratrum, vel propinquorum eius; uun quam enim pauperis persona tam nota est apud propinquos, quam apud extraneos. Bene enim ait: *Cognouerunt alienos, quam me*, imò sine comparatione pauper ab alienis solet cognosci, sed non à cognatis. Ex quo ibi Nicetas ait: *Et quidem dum res meæ florerent, mihi cogniti erãt proximi (proximos porro dicit, qui sibi erant genere propinqui) nunc autem nemo Iobum nouit.* Nunc autem, cum in paupertate, & afflictione sum, cum vxor cogitur emendicare, *Nemo Iobum nouit*; nemo, qui frater sit, qui propinquus, qui cognatus.

§. XI.

Vir misericors nõ acceptor personarum, sed necessitatum.

MErito stultus iste Nabal prænominatur à textu in capitis initio, *Durus, & pessimus, & malicioſus*, quando vt egenis benefactoribus suis alimenta neget, ad vilitatem personarum accipiẽtium respicit, & inde eos contemnit. Ait enim: *Quis est Dauid? Et quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos::: & dabo viris, quos nescio, vnde sint?* Plane durus est, & pessimus, & immisericors, qui sic examinat personas egentium, & abiectos despicit. Vere enim misericors non personas, sed necessitates respicit, & indigentiam. Habebat quondam pater filium frugem, & alterum luxuriosum; dumque fratres ambo nauigassent, capti à piratis in miseram seruitutem deuenerunt. Monitus pater vẽditis omnibus facultatibus suis properat, vt filios redimeret. Cum autem carceri accedit, vtrosque vidit vinculatos, sed insuper, qui luxuriosus fuerat, lethali iacebat morbo correptus. Petijt bonus Pater filios à barbaro exhibito pretio; barbarus verò preciũ contempsit pro duobus, sed permittit patri, vt alterum eligat. Cunctatus pater paulisper; tandem ægrum elegit redimendum, reliquit sanum in vinculis. Et inde querelæ relicti filij, quod elegisset vitiosum, & frugem filium contemneret. Ad hæc pater apud Quintilian. Declamat. 5. *Ego vero tunc non mores liberorum, mentesque tractaui; nec mihi in illa tristissima conditione succurrit de comparatione consilium. Sola, quid facerem, necessitas, sola iuuenum meorum aduersa suaserunt. Ex duobus liberis neutrum magis amat, qui redimit ægrum::: Expleuit iustitiam comparationis, qui decessit etiam redemptus.* Equidem bonus pater, vbi alterum vidit morbo correptum, & super afflictionem carceris, tanta teneri febri, quantam postea probauit euentus, quãdo iam redemptus mortuus est: non attendit ad personas, nõ trutinauit merita, sed sola necessitas, & maius discrimen animum eius rapuerunt. Sic vere misericordes sola necessitas suadet. Vnde Matth. 8. Centurio dicebat Iesu: *Puer meus iacet in domo paralyticus.* Morbum serui dicit, nec vllam aliam rationem profert, quæ faciat puerum magis commendabilem Domino. Cur non aliquid addit, quod seruum commendet? Nouerat misericordem, apud quem sola valet magnitudo miseriæ. Ait D. Basil. Sel. orat. 19. *Puer meus iacet in domo paralyticus. Et si seruus homo tamen est, qui morbo tenetur. Tu ne vile seruitium spectaueris, quin potius mali magnitudinem.* Hæc vna mali magnitudo spectari debet ab eo, qui vere misericors est. Ad hæc Paulus ad Hebræos, 2. de fonte omnis pietatis Deo ait: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Præcipites ibant Angeli in perditionem, præcipites homines eunt. Creator autem Angelorum, & hominum Angelos reliquit, homines apprehendit, & redimens eos à malo, & detinens in bono nepereant. Sed quando Angeli natura nobilior, & præstantior, cur hæc relinquitur in perditione, homo autem vilissimus puluis toto sanguinis diuini prætio redimitur, & tenetur? Sanè homo ægerrimus, & infirmissimus erat; & in tristissima illa conditione, non illorum præstantia, neque ingenium spectabatur, sola necessitas & infirmitas redemptorem suadebat. Quod spectans D. Ansel. aiebat: *Misertus ergo creator, vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ, ex infirmitate aliquid constat habuisse: & altius apostatam Angelum debuit repellere, qui cum à perstiendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestauit.* Expende illa: *Misertus ergo, &c.* quippè quando misericordiæ negotium tractabatur, vna erat sola infirmitas expectanda; qua sic homo premebatur, vt electionis iustitiam continui casus explicent, qui hominibus accidunt, etiam postquam sunt redempti. Et propter necessitatẽ, & indigentiã misericordia

Quintil. — Matth. 8. — Basil. Sel. — Hebr. 2. — D. Ansel.

dia nil aliud spectat. Adhęc dicebat Quin-
Quintil. tilian. in data Declamat. 5. *Voluit nos ille mortalitatis author Deus in commune succurrere, & per mutuas auxiliorum vices in altero quemque quæ pro se timeret, asserere:: Hinc & ille venit affectus, quo ignotis cadaueribus humum congerimus, & in sepultum quodlibet corpus, nulla festinatio tam rapida transcurrit, vt non quantulocumque veneretur aggestu.* Cum inter misericordiæ opera illud sit, quod mortuis sepulturam demus; sanctum fuit, vel apud ethnicas nationes, cadaueribus humum immittere. Sed quorum cadaueribus? An cognatorum? An familiarium? An nobilium? Ait Quin-
Quintil. tilianus: *Ignotis cadaueribus humum congerimus*, vna tantum spectabatur necessitas, nulla requirebatur qualitatis notitia.

1. *Reg.* 25. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis, accinctusque est Dauidem se suo, &c.

§. XII.

Viro ingenuo aliquid precanti acerbissima est repulsa.

QVis ignoret iniurias factas Dauidi à Saule? Nec vnquam vidimus Dauidem aduersus iniuriatores commotum; & modo aduersus vnum Nabalem maxime commouetur, & arma capit, vt hominem perdat. Dicit enim iratus pueris suis: *Accingatur vnusquisque gladio suo.* Et qui toties iniuriatores pertulit, cur modo arma aduersus hunc solum Nabalem capesit? An acerbius malum Nabal intulit, quam cæteri omnes intulere? Equidem id crediderim: cæteri enim Dauidi iniurioſi, illum maledictis, & telis impetebant, Nabal autem in egestate deprecantem asperissime repellebat. Quæ repulsa acerbissima omnium solet esse homini ingenuo. Matth. 20. discipulis postulantibus sedes
Matt. 20 respondit Dominus: *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistram non est meum dare vobis.* Nec concedit, nec negat, sed solum ostendit ad se non pertinere distributionem illius doni. Et quando petitio insipiens erat, cur non magis illis petita statim negat? Cur sic in ancipite eos manere maluit? Est adeo acerba repulsa ingenuis animis, vt non tam illa, quam illius terrore maluerit Dominus castigare insipientes omnes deprecatores. Dicebat Sanct. Cæsarius Nazianzeni frater Dialog. 3.
Per illos reliquos castigat, & accensum in ip- Nazian.
sis absurdum amorem primatus extinguit terrore denegationis. Tanta enim est acerbitas repulsæ, vt vel illius timor censeatur sufficiens ad continendos viros ingenuos, ne exorbitent. Et fallar, si quæ alia acerbitas superata maiores afferat homini coronas. Luc. 16. *Homo quidam erat dives,* & Luc. 16.
induebatur purpura, & epulabatur quotidie. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis:: Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, &c. Et cupiebam scire vtra virtute velocius mendicus iste ad tantam gloriam cucurrerit, an famis rabidissimæ sustinentia, an vlcerum patientia? Et est, qui putet, quod neutrarum virtutum tantam ei gloriam peperit, vt sola sustinentia repulsarum, quas quotidie in precibus suis à Diuite illo patiebatur. Ait D. Chrysost.
hom. de Lazaro adducta tom. 6. *Neque* Chrysost.
enim ob paupertatem coronatus est tantum, neque ob famem, neque ob vlcera, sed quod talem vicinum cum haberet, à quo in dies aspiceretur, & despiceretur, eam tentationem generoso tulerit animo. Hoc vnum præ omnibus coronam Lazaro peperit, quod nimirum generoso ferret animo, quod singulis diebus representans suam inopiam, & necessitatem à diuite illo despiceretur, repelleretur. Non pauperi ei tolerantia, non famis, non vlcerum dolorum sustinentia sic Lazarum coronauit, vt repulsæ ab homine diuite in suis precibus patientia. Quis ingenuus hoc neget?

1. *Reg.* 25. Abigail autem vxori Nabal nunciauit vnus de pueris suis dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro, & auersatus est eos. Homines isti boni satis fuerunt nobis, & non molesti; nec quidquam aliquando perijt omni tempore,

quo

quo fuimus conuersati cum eis in deserto: pro muro erant nobis,&c. Quam ob rem considera,& recogita, quid facias: quoniam completa est malicia aduersus virum tuum,&c.

§. XIII.

Mariæ virgini omnis auaritia cedit.

DVritiam Nabalis in Dauidem mirati serui, eius vxorem Abigail adeunt; quippè ait text. *Abigail autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, &c.* Et cur non magis sese serui opposuerunt homini auaritissimo? Cur rem ad Abigail maluerunt deducere? Ecce tibi,4. Reg. 5. Naaman Syrus vehementer iratscitur in Eliſæum, quod iuberet lauari in Iordane ad lepræ expulsionem, & dum multa ira-
4.*Reg.* 5. tus comminiscitur, *& abiret indignans accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, si rem grandem dixisset tibi propheta,certe facere debuisses, &c.* Sic boni serui non dubitant sese irato domino opponere, illique salutaria præstare consilia. Cur similiter serui Nabal,non audent se opponere domini iræ, sed magis ad Abigail confugiunt, quæ dominum cicuret? In Nabale res erat cum homine auaritissimo, quem vincere merito desperantes serui quærunt Abigailē opponendam illi. Delineabatur enim iam in Abigaile Maria, cui non possunt non cedere, vel auaritissimi. Hinc Christianos triumphos medita-
*Cant.*3. tus Canticorum author, cap.3. ait: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Coronas mille habebat noster pacificus Rex ex patre;& coronas acquisierat, per id, quod habebat ex matre. Inuitamur ergo, vt videamus coronas; quæ in Iesum per matrem deuenerunt. Et quę co-
Hug. Vi. ronæ per matrem? Ait Hugo Victor. lib. 1. Miscel. cap. 117. *Mater dedit substantiam carnis, pater dedit consortium maiestatis. Mater dedit, in quo vicit: pater dedit, in quo regnauit. Mater dedit, in quo victor coronatur; pater dedit, in quo regnans adoratur. In eò, quod à patre habet, de supernis prostrauit superbum; in eò, quod à matre habet, in infernis spoliauit auarum.* Quid suauius? Vt Dei filius aduersus superbum belligeraret, eumque funditus perderet, in cœlis mansit, & in suæ celsitudinis throno existens iacula misit, quæ superborum legionem confoderent. Vt autem cum auaro bellum gereret, à cœlis descendit, in terram prosiliuit, confugit ad matrem, de qua accepit, quo funditus perderet auarum, eiusque animum ad misericordiam inclinaret. Hanc sane matrem sæcula suspirabant, quādo seruus Abrahæ dicebat, Gen. 24. *Igitur puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, & bibam: & illa responderit, Bibe, quin, & camelis tuis potum dabo: ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Et quan tula erat illa aquæ liberalis exhibitio; vt per eam cognosceretur sponsa à Deo tanto iuueni præparata? Et cur in tam parua aquæ exhibitione voluit seruus agnoscere lectissimi populi matrem? Plane in illa aquæ exhibitione ostendebatur, quid auaritissimo hominum Nabali contrarium, qui Dauidis petitiones repellēs aiebat in præsenti: *Tollam ergo panes meos, & aquas meas; & dabo viris, quos nescio, vnde sint?* Ea erat hominis auaritia, quæ vel aquas negabat. Merito ergo in Sponsa Isaac, quæ Mariam sæculorum matrem representabat, ea virtus quæritur, quæ sese opponat auaris, & nulli sciat auxilia sua, & officia negare. Vt merito huc spectans dicat D. Bernard. serm. de beata Maria: *Quæ-* *D. Bern.*
rit Angelus puellam, quam præparauit dominus filio domini mei. Bibit ipse de hydria tua, ò Virgo, cognata sibi virtute delectatus. Sed nunquid non etiam iumentis potum tribues? Bibit Angelus, quod virum non cognoscis, viuant iumenta, quod de humilitate singulariter gloriaris. Sic se auaritiæ filij Dei mater opposuit, vt gratias suas & virtutes, non solum effundat, ad Angelos, sed & iumentis nobis illas gaudeat ministrare.

§. XIIII.

Eleemosinarum largitio ipsa, & gratia, & benedictio largienti est.

SApienter ait seruus Nabal: *Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro*: Sed serui missi erant à Dauide, vt alimenta peterent ex

Nabal; cur seruus Nabal maluit dicere illos missos, non vt peterent, sed vt benedicerent? Sanè egeni petitio benedictionem largienti affert, adeò, vt merito eleemosinæ largitio inter benedictiones, & gratias ex Deo acceptas debeat numerari. Quo spectans D. Paul. 2. ad Cor. 8. ait:

2. Ad Corinth. 8. *Notam autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ, quia in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit: & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Loquitur Paulus de largitate Macedonum, qua vtebantur, vt pauperes alerent, & hoc in summa sua ipsorum paupertate; & illud notandum est, quod hæc Macedonum largitas in alios, dicatur gratia illis data; dum ait: *Notam facimus vobis gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ.* De quo locutus D. Bruno ait:

D. Brun. *Gratiam Dei digno nomine vocat eleemosinas: intelligens maiorem esse gratiam Dei ministrandi pauperibus, quam sint genera linguarum, & aliæ gratiæ.* Equidem eleemosina data pauperibus digno nomine vocatur gratia à Deo in largitorem profecta; est namque omnium gratis datarum gratiarum, & virtutum corporearum præstantissima. Vnde Dominus Iesus, qui multorum infirmorum miserius fuerat, imò, & mortuorum, solam in se misericordiam prædicat, qua circa famescentes mouebatur. Marci

Marc. 8. enim, cap. 8. ait: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quid manducent.* Misertus fuerat super paraliticos, super cæcos, super infirmos, super mortuos; & nunquam dixit ipse, super hunc, aut illum mortuum, vel infirmum misereor. Vbi autem famescentem turbam videt, eius famem curaturus primo suam misericordiam testatur dicens: *Misereor super turbam.* Et cur potius prædicat suam misericordiam super turbam famescentem, quàm super infirmos, & mortuos? An quia hæc ostenditur potior à Deo accepta gratia, & virtus? Accipite D. Basil. hom. 8. in diuites auaros dicen-

D. Basil. tem: *Quantum denique cæteræ antecellat charitati esurientem pascere, ex ipso conseruatore conspice: qui cum alia sæpe prætereat humana incommoda, esurientes respiciens: Misericordia moueor, inquit, super turbã hanc. Id circo in supremo iudicio, ordine primus, & vt cæteris honoratior, qui pauperem nutrit, accersitur.* Gaudet peculiariter in misericordia pauperum famem pellente; vt quæ inter morales virtutes primum locum obtineat, & extremæ vltimi iudicij benedictioni se sistat primam. Hæc laudabatur in primis, Cant. 1. vbi: *Meliora vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Circa quæ D. Bern. serm. 12. in Cant. *Optimum vnguentum pietatis, in cuius comparatione, cætera ostenditse non respicere, qui ait: Misericordiã volo, & non sacrificium. Hanc inter cæteras virtutes redolere puto vbera sponsæ, qua sponsi per omnia gestit cõgruere voluntati.* Huc trahe dicta Tom. 3. in Euang. lib. 13. cap. 3. §. 6.

Cant. 1.

D. Bern.

§. XV.

Res virtutis primo est præmeditanda, quam exequenda.

NOn abijcio serui istius consilium datum Abigail, dum ait: *Quam obrem considera, & recogita, quid facias, quoniam completa est malicia aduersus virum tuum, &c.* Quando credebatur vindicta in Nabalem accelerari, nihilominus monet vxorem, vt consideret, & recogitet, quid faciat. Cur non magis considerationis tempus subtrahit, vt ruinæ currenti obuiet? Habent hoc opera virtutis, vt non debeant nisi præmissa consideratione, & præmeditatione, executioni mandari. Pro quo stat D. Ambros. epist. 3. fatus: *Velox*

D. Amb. *enim est iniquitas, quæ ad nocendum occasiones suggerit, quia veloces pedes eius ad effundendum sanguinem. Lenta autem virtus omnis, & diuturna cunctatrix, ante indicat, & adorienda incipit. Ita & mens boni, speculatrix consiliorum suorum est, priusque examinat, quid decorum, atque honestum, iniquitas vero opere cogitationem anteuertit.* Hinc sese maxime discriminant virtutes, & vitia; vitia enim cogitationem opere anteuertunt: virtus speculatrix est consiliorum suorum, priusque ad trutinam considerationis accedit, quam ad operis executionem. Genes. 1. *Vidit Deus lucem, quod*

Genes. 1. *esset bona, & diuisit lucem à tenebris.* Non antea ad diuisionem peragendam iuit, quã bonitatem lucis exacto examine perpenderet. Ad quæ ait Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. par. 1. cap. 12. *Fecit, & vidit, deinde diuisit, & vocauit. Quare vidit? Noluit*

Hug. Vi. *prius diuidere, quam vidisset. Prius vidit, an esset bonũ, & tunc demũ diuisit lucem à tenebris, & vocauit lucem diem, & tenebras noctẽ. Adducet enim omne opus suum in iudiciũ.* Sic Deus, vt nunquã non operatur virtutem, omne opus suũ adducit primũ in iudiciũ,

vt

vt post exactam considerationem, opus executioni mandari possit.

1. *Reg.* 25. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, &c. Dixitq; pueris suis, Præcedite me, ecce ego post tergum sequar vos, viro autem suo Nabal nil indicauit, &c.

§. XVI.

Fœminea mẽs solertissima esse solet in cogitandis remedijs necessitati vrgenti.

NOn diu hæsit Abigail, sed cum primum seruum audit, & instare periculum nouit, ad remedium se contulit. Parato Nabalis cõuiuio eripit, quod sufficere iudicauit, pro placando Dauide. Ait namque: *Festinauit Abigail, & tulit ducentos panes, &c.* Sic in periculo vrgẽte remedium amplexatur commodissimum, vt fartam mensam famescẽtibus hostibus apponat. Solent equidem fœminæ, vt vrgentibus necessitatibus occurrant, viris longe esse expeditiores. Notum est, quod acciderit Moysi ex diuino oraculo, pergenti ad Ægyptum, cum filijs, & vxore. Vt in diuersorio iratus Angelus Domini stricto gladio Moysem petijt, vt pene interficiebatur homo. Quid tunc? *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: Spõsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, &c.* In tanto discrimine non inueniebat Moyses remedium, nec cogitabat posse Deum placari filij circumcisione. Vna Sephora Moysi vxor, vt vidit periclitantem maritum, præuidit remediũ, & cucurrit ad pueri circumcisionem, & Deum reddidit placatiorem. Id quod meditatus D. Isidor. habitus in Cat. Græca ait: *Vbi vero Sephora crimen agnoscens circumciso filio ad Angeli se pedes obuoluit, discessit ille exoratus, palam declarans, quam obrem Deus meritò irascebatur Moysi. Id prudenter coniecit illico mulieris fides, quod vrgente necessitate mulierculæ solent expeditiores esse viris in excogitandis remedijs, studioseque diuinã opem implorare.* D. Isid.

Solent equidem fœminæ expeditius parare remedia necessitatibus vrgentibus. Iam supra vidimus, 1. Reg. 19. vt Saul misit apparitores, qui occiderent Dauidem, vel in lecto existentem. Quis tam vrgenti periculo pararet remedium? An Dauid ipse? An amicissimus Ionatha? Minime, sed horum artes effugiendi iam victæ erant, tunc Michol dimisit virum per fenestram. *Porro ille abyit, & aufugit, atque saluatus est. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectulum, &c.* 1. Re. 19.

Quæ miratus D. Basil. Sel. orat. 16. ait: *At mihi vide, qua solertia, qua charitate mulier in virum fuerit. Persuasit quoque lectulo, vt inualetudinis simulationem adiuuaret. Imago namque in viri speciem conformata, & in lectulo collocata videntes eludebat, &c.* Basil. Sel.

Tanta fuit solertia fœminæ in marito liberando, vt vel in lignis inueniret remedium salutare. Non me contineo, quin huc adducam cantatissimum facinus sanctæ Æstheris, quæ pro liberando populo Israelita adest iratissimo regi, & ait, cap. 5. *Obsecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium.* Æsther. 5.

Ecce tibi irato regi conuiuiũ adornat, vt populi salutem mercetur. Quod miratus Rup. lib. 7. de Gloria Trinit. cap. 9. ait: *Ergo in rege Assuero Deus pater, in Mardochæo Deus Dei filius mirabiliter assimilatus est. Porro in Æsther Spiritum consilij pro tanto negotio assimilatum, quis dubitet?* Rupert.

Sic in arctissimo negotio, & vrgente periculo Spiritus consilij inuenitur in fœmina.

§. XVII.

Cibus cœlestis efficacissimus ad molliendas humanas mentes.

PRudentissima fœmina nihil citius peragit in mariti sui defensionem, quam parare mensam aduersus eos, qui tribulationem possent afferre, vt eos faceret mitescere. Sic ait: *Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, &c.* Sapienter se munit aduersus iratum, cibos præmittens, qui vel Tygrides possent facere mansuetos. Fuit hoc olim consilium Deo, cœlesti excipere conuiuio eos, qui ad comitatem trahere volebat. Ait Psalm. 77. *Quia non crediderunt in Deo, nec speranerunt in salutari eius. Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit.* Psal. 77.

Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Ecce tibi non credentibus, sed contra dicentibus apperit Deus cœlum, & pluit illis panem ad manducandum. Et merito nam cœlestis panis, potẽs est contumaciſsimos quoſque reddere tractabiles, & efferos reducere ad reuerentiam. Ait enim D. Basil. Sel. orat. 19. *Contumaciam tuam reuerentia mollire machinatus Deus, ſuperne cœlum alimentis parandis vacabat: inferne rupes inexpectatas aquarum potationes adornabat.* Itaque ad leniendos rebelliũ animos, ad cõtumaciſsimos quoſque trahendos in reuerentiam, hoc machinatur Deus, vt illos cœlesti excipiat mensa. Quo ſpectans Æſther iratum noſcens Aſſuerum in Iſraelitas, & adeo iratum, vt in eos tulerit mortis ſententiam, rem difficilem, & arduam, & periculoſam aggreditur. Se irato ſiſtit, & ait, cap. 5. *Obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium.* Conuiuium adornat, cum in ſuos inſtat mortis ſententia. Sic regina deſpicis tuorum miſeram ſortem, vt dum illi expectant extremam ruinam, tu conuiuia cum principibus celebres? Niniuitarum Rex in ſimili conflictu ieiunium prædicat, quippè ait Ionas, cap. 5. *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quicquam.* Ille ad ieiunium pro auertenda populi morte, & tu ad conuiuium pergis? Proh glorioſæ reginæ conſilium, vt enim eius erat placare iratum regem, ſic conuium prætendit, ſciẽs in conuiuio cœlesti manſuetudinem ingenerari, & hoſtiles diſſolui impetus vniuerſos. Adhæc Rupert. lib. 7. de Gloria Trin. cap. 9. *Æſther namque mirabili vſa conſilio, hoc effecit, vt regis animus ad gratiam, & miſericordiam ſuæ proſcriptæ genti inclinaretur, & ille Aman ſuperbiſsimus, in quo diabolus homicida ſignificabatur, non vbinis, ſed in conuiuio, & ſuper menſam crapulatus ſtrangularetur.* Sic vnum conuium abſoluit iras regis, hoſtiles inimici crnentiſsimi machinas perdidit. Vide 3. Tom. de Chriſto Fig. lib. 6. cap. 4. §. 14.

Basil. Sel.

Æſther. 5

Ionas, 3.

Rupert.

1. *Reg.* 25. Et ait Dauid: Vere fruſtra ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto, & non perijt quicquam de cunctis, quæ ad eũ pertinebãt: & reddidit mihi malum probono. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat ſi reliquero de omnibus, quę ad ipſum pertinent, &c.

§. XVIII.

Alieniſsimum eſt ab ingenuis viris verba, vel in hoſtes iactare contumelioſa.

HOc mihi admirandũ venit in Dauid, qui dum iraſcitur maxime aduerſus Nabal, dum ſuos armat, vt illũ perimant, nullum contumelię verbum in illum retorqueat. Tãtum ait: *Fruſtra ſeruaui omnia quæ huius erant, & c.* non ait, quæ huius auari, peſsimi, nequiſsimi; nec vllum inter iraſcendum, vel inter arma capienda, verbum contumeliæ in ore Dauid inuenies, quo infenſiſsimum ſibi hominem feriat. Et cur Dauid, cum te ab armis vindicibus nõ contineas, ſic te contines à verbis contumeliæ? Cur non potius verbum durum iacis, quam ferri telum? Ea eſt diciplina ingenuis animis, ne contumelijs petant etiam eos, quos ferro petunt. Hinc extollit Quintilian. Declam. 3. exercitus Romanos dicens: *Itaque plura pene moribus, quam viribus vicimus, cum captiuæ quoque ſanctè habebantur, & contumelia etiam hoſti aberat.* Ingenuorum Romanorum erat, nec in hoſtes contumelias retorquere. Maiori comitate Rex ille, qui nuptias faciebat filio ſuo, Matth. 22. vbi irreuerentẽ, & ſordidum conuiuam caſtigat, aiebat. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Tunc dixit Rex miniſtris. Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Circa quæ ſapienter illud notat D. Greg. hom. 38. in Euang. nimirum: *Hunc & amicũ vocat, & reprobat:* quem dãnatione percutit, cauet aliquo percutere conuitio. Vbi etiam Caiet. ait: *Non contumelioſe increpat, non dicit: Indigne, præſumptuoſe, imprudens ſed amice: ad erudiendum nos, vt etiã in notorio facto non indicemus inauditum, & examinemus abſque contumelia, abſque conuitio, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.* Quam nobilis Rex, qui etiam ſibi infenſum hominem, & aduerſarium verbis excipit amicis, & comitate plenis; prorſus abſtinens à contumelia, & conuitio. Vtinam hunc ebiberent ſpiritum vniuerſi, qui principali ſpiritu inſigniuntur, vt à verbis contumeliæ abſtineant, etiam quando nõ

Quint.

Matt. 22

D. Greg.

Caiet.

licet

licet abstinere à vulnere. Et quando tanta sit facinoris atrocitas, vt non possit â te nõ extorquere lethalem ictum, saltim nõ extorqueat contumeliæ verba. Notum erat diuitis inhumani, & crudelis supplicium, erat in inferni tormentis, Luc. 16. & dum postulat ab Abrahamo indebitum leuamen, tale responsum accepit: *Fili recepisti bona in vita tua, &c.* Filium vocat Abrahamus hominem, quem nouerat crudelissimum Lazari irrisorem, & cui non poterat non velle inferri supplicium. Et quando illi flammas æternas decernit, cur vocat filium, & non potius vile Sathanæ mãcipium? Bonus ille, cui non poterat non velle pœnam, saltem quod in se est, dat bona verba ab omni abstinens contumelia, & conuitio. Ait D. Chrysost. hom. 7. in Lucam: *Vide philosophiam iusti. Non dixit: Inhumane, crudelis, sceleratissime. Sed quid dicit: Fili, inquit, recepisti bona. Quod in mea potestate est, impertio tibi.* Non poterat pœnas minuere, sed poterat non loqui contumelias, nec iactare conuitia. Hoc quod potuit, præstitit etiam immeritissimo, cauens aliquod conuitium eius tormentis adiungere. Debet enim hoc sibi ingenuus quisque. Huc trahenda dicta 1. Tom. de Christo Figurato lib. 2. cap. 2. §. 32.

Luc. 16.

Chrysost.

§. XIX.

In magnis viris dissimulanda sunt mĩnora errata.

ALiquid erroris, & peccati crediderim in præsenti obrepsisse Dauidi, cum de vindicta cogitat aduersus Nabalem aiens: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad eum pertinent, &c.* Non licebat Dauidi vindictam sumere sua manu; nec pro vnius hominis opprobrijs sic in vniuersam familiã sæuire. Et cum hæc mala Dauid aggrediatur, nihilominus ait de eo text. 3. lib. Reg. 15. *Fecit Dauid rectum in oculis Domini, & non declinauit ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ excepto sermone Vriæ Hethæi.* Cuius respectu minora alia, & leuidensia in tanto viro absque reprehensione prætermittuntur; dissimulanda enim sunt minora errata in magnis viris. Magnus Elias dum lateret in Torrente carith. 3. Reg. 17. *Corui deferebant ei panem manè, &c.* & mirabar, quod tantus vir ab aue immunda cibos acciperet, cum per Moysi le-

3. Re. 15.

3. Re. 17.

gem nõ liceret immunda contingere. Nec non & in Samsone magis miror, quod Iudic. 14. fauum mellis acciperet de ore leonis demortui, & nullam inde offensionem videatur incurisse. Sed merito in tantis viris leuia hæc dissimulantur, prætermittuntur. Vt dicat Nazianzen. habitus in Cat. Græca ad cap. 4. D. Lucæ: *Docet autem nos legislator, quod propter Iudæorum infirmitatẽ tales leges tulerit; quas ipse aliquando transgredi iusserit; nam & nunc magnum Eliam cibum per corvum allatũ sumere iussit. Quandoque etiam istiusmodi legũ transgressores non reprehendit: Samson siquidem ob ebrietatem, lasciuiamque gratia priuatus fuit, ob fauum vero mellis ex demortui leonis ore, vbi eum apes texuerant, desumptum, nec reprehensus quidẽ.* Sic legislator docebat, quod in magnis viris dissimulanda sunt ea, quę leuioris momenti esse creduntur. Conuenerant duo fratres Aaron, & Maria, vt murmurarent de Moyse, quod sibi vxorem ethiopissam adiũxisset. Irascitur Deus in murmuratores, vtrosque vocat ad iudicium, vtrosque reprehendit, & illis Moysi glorias edisserit. Vbi autem ventum est ad pœnam culpæ, Numer. 12. *Maria apparuit cãdens lepra.* Duo murmurauerãt, & vna pœnam sustinuit. Et cur non similiter Aaron castigatur? Ait Theodor. quæst. 23. *Quare cũ ambo conuitiati essent, illa sola pœnas luit? Voniam aliquam merebatur Aaron, nimirũ, vt prouectior ætate, ac pontificiam dignitatem obtinens.* Magnitudo viri fecit, vt in eo hęc minoris momenti culpa dissimularetur.

Nazianz.

Num. 12.

Theod.

1. *Reg.* 25. Cum autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit domine mi hæc iniquitas; loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ. Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundũ nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo, &c.

§. XX.

Tam in corporis gestibus, quam in verbis vna humiliatio efficacissima est ad obtinendum.

ACcipite, quibus Dauidis animum prudentissima Abigail petat, dicit namque textus: *Festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit domine mi hæc iniquitas; loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.* Si humiliationis gestus in corpore spectes, *procidit super faciem suam, adorauit super terrã, & cecidit ad pedes eius*; si verba eius attendas, quot gestus humiliantis se exhibuit, tot protulit verba aiens: *loquatur ancilla tua, audi verba famulæ tuæ. Ne ponat Dominus meus Rex cor suum, &c.* Et gestus corporis, & oris verba simul conueniunt, vt Dauidem iratum emolliant; & quid nõ faciant verba iuncta gestibus corporis? Sapienter monebat ambitores bonorum D. Ennod. in Panæneſi.

D. Enn. *Tingite candentes roseo de murice vultus,*
Atque fidem morum pandite de facie.
Innuneo spargens maculas sis pulchrior ore
Cum sudans teneram roscida colla feras.
Nil tibi plus linguæ tribuas, quam Schemmate frontis
Quidquid amare libet, hinc tibi concilia.

Infigenda sunt mẽtibus hęc aurea carmina vltimo dicta, nimirũm: *Nil tibi plus linguæ tribuas, quam Schemmate frontis*, quippe vbi simul & lingua, & frons; & verba, & gestus corporis conueniunt, nullum non animũ conciliabis. *Quidquid amare libet, hinc tibi concilia*: quidquid tibi velis, quidquid obtinere cupias, hinc tibi conciliabis, nimirum ex verbis, quæ respõdeant animæ humiliatæ gestibus corporis. Quo spectans Æsther, cap. 14. dum petit à Deo, quod expugnet, & emolliat animum irati Assueri,

Æsth. 14. ait: *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius, &c.* Iam alias explicaui sermonem compositũ esse, qui non simplicibus verbis consistat, sed insuper secum ferat alia virtutum opera. Sed quæ opera coniungenda sunt verbis, vt ex operibus, & verbis compositio facta efficax sit ad immutanda corda? Ea manifeste ostenduntur ex illis additis, nimirum, *in conspectu leonis*; quippe adiungẽdi sunt verbis gestus corporis, qui consueuere mollire leones. Ait enim Ouidius lib. 3. de Tristibus eleg. 5.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni
Pugna suum finem, cum iacet hostis habet.

Postrati, & iacẽtis habitus satis ducitur ad leoninam iram sedandam; cui corporis habitui si lingua respondeat, ea fit compositio, quæ nequeat repulsam pati.

§. XXI.

Non tam in exhibitis donis, quam in suscepta passione affectus ostenditur.

NOn parca, nec parua dona Abigail offerebat pro coniuge liberando, nullis enim donis parcit, quibus eius posset salutem mercari. Sed lõge maius est illud, quod addit dicens: *In me sit domine mi hæc iniquitas*, nimirum hæc pœna viro parata. Sese pœnis, & supplicijs pro marito offert, quod dum non facit, vix crederetur pro illo facere aliquid. Fuit quõdam filius, qui cũ paternam domũ arderet videret, nõ dubitauit se flammis cõmittere, vt parentibus opem ferret. Dum autem saluo patre, matri adhuc liberandæ instat, oculos amisit. Quod meditatus Quintilian. Declam. 2. ait: *Minus in vtroque parente fecerat, nisi perdidisset oculos.* Omnia licet pietatis officia in parentes feciſſet, expleuisset; parui æstimaretur eius amor, nisi oculorum pro illis faceret iacturam. Non enim alio sic amorem in alium ostendis, quam si pro illo aliquid pati cõtingat. In officijs potest latere amans, at in passione etiam cæcissimis est conspicuus. Quis officiosior in Iudam quam Iesus? Buccellam illi intinctam porrigit in cœna Ioan. 13. & inter oscula amicum vocat, Matth. 26. dicens: *Amice ad quid venisti?* Inter hæc autem miser obcæcatus manet, nec noscit Iesu charitatem; vbi autem Iesus manibus cruci affixus apparet, statim & rusticus, & sceleratus latro illum agnoscit clamans: *Domine memento mei, &c.* Benefaciantem non agnoscit Iudas, patientẽ agnoscit latro. Id enim quod pateris, euidentissimum tui affectus indicium est. Ait D. Ambr. serm. 45. *Mira res latro honorificat patientem: quem Iudas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta vendun-*

Qaint.

Ioann. 13

D. Amb.

venduntur: ab illo crucis vulnera prædicantur: Plus in cruce latro Christum diligit, quam Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantat magistrum; hic credidit dominum per dolorem. Ecce tibi, vt in Iesu officia contemnuntur, passiones honorantur; beneficia exhibiti osculi, & panis occasionem tulerunt Iudæ maioris cæcitatis; dolores, autẽ & pœnæ exanthatæ indicium diuinæ charitatis euidentissime latroni repræsentarunt. Est equidem in officijs exhibitis aliqua cæcitatis occasio, vt dicat Marcus, cap. 6. de Iudæorum turbis miraculo à Ie-
Marc. 6. su exsaciatis: *erat cor eorum obcæcatum propter panes.* Concessi panes accipientem populum excæcabant, ne largitorem agnoscerent. Id quod notans D. Basil. Sel. orat.
Basil. Sel. 25. ait: *Erat cor eorũ obcæcatum propter panes. Cuius affectus occasio fuit miraculi magnitudo.* Sic magnitudo doni in pane exhibiti accipientem occæcabat. Passio autem nunquam non apertissime patientis intima explicabat. Adeò, vt de Sathana dicatur, Luc. 4. *Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* An-
Luc. 4. xiè curabat miser noscere filium Dei in Iesu; & propterea illi exhibuit lapides, vt inde faceret panes; Angelorum obsequia promisit, mundi gloriã vniuersam illi proposuit. Et inter hæc spe mansit frustratus; & ideo à Iesu discessit *vsque ad tempus.* Et quale tempus futurum aptius sperabat ad Iesu intima indaganda? An quando paucis panibus multitudinem saciaret? Vel quãdo cæcis lumina redderet, pedes claudis, mortuis vitam, infirmis sanitatem? Minime donorum illorum tempora expectabat malus, vt intimius Iesu viscera penetraret, sed tempus passionis, quando nudatis vestibus crucifigendus adstaret. Ait enim D.
D. Atha. Athan. orat. de Pass. & cruce: *Infœlix diabolus animaduersa domini in exuendis vestibus fiducia, omnia sibi tentanda putauit, vt cognosceret, quod prius cognoscere non poterat, cum illum in monte tentaret, esset ne ipse filius Dei.* Tunc cum Iesum videt exutis vestibus aptari ad crucis tormenta subeunda, putat certiorem occasionem agnoscendi eius intimam præstantiam, & diuinitatem; quam non inuenit, dum errat per alia Iesu dona, & miracula. Huc trahi possunt dicta 1. Tom. de Christo Figur. lib. 2. cap. 3. §. 29.

(f)

§. XXII.

Nunquam non fœdum homini nomen sine operibus. Vbi de nomine Iesu in Societate.

IN pessimo homine inuenit aliquid Abigail, quod eius malignitatem excusaret, nimirùm, quod opera eius correspondere nomini. Ait enim: *Ne ponat ergo Dominus meus Rex cor suum super virum istũ iniquum Nabal, quoniã secundũ nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo.* Quoniã stulti nomini per Nabal explicato stulta opera correspondebant, putat prudens fœmina inde ea deberi excusari. Adeo fœdum est homini, quod opera non correspondeant nomini, vt etiam in malis nominibus correspondẽtia opera excusabilia credantur. Et quidem fallar, si fœdum aliquid videatur magis, quam dum nomini tuo nõ correspondeant facta. Matth. 8. notanter dicebat Iesus: *Non inueni tantam fidem in Israel*; notanter inquit Israelis nomen me- *Matth. 8.*
minit, vt populi sui maliciam aggrauaret. Israel enim idem erat, ac videns Deum: & turpissimum erat, quod nomen Deum videntis haberent, qui cæcutientes in fide tã longe à nominis operibus aberant. Quo spectans D. Basil. Sel. orat. 19. *Nomen, quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum est, vt amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur appellationi, cuius virtute cares, contumeliã irrogas? Quid gestas cognomen, quod persona probro sit? Factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.* Sic bonus expendebat Iudæorum maliciam, qui cum per Israelis nomen vocarentur videntes Deum, cæcitate sua circa omnia, quæ Dei erant, nomen maxime fœdabant. Apocal. 13. *Nequis posset emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nomini eius: Et numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Bestia vocatur Antichristus, cuius nomen ex numeris sexcenti, sexaginta sex conflatur. At scio antiquam fuisse aliquorum sententiam, qua asseretur Neronem amortuis resurgentem futurum esse Antichristum. Quibus si obijcias Antichristi nomen non esse Neronem, sed illud, quod facia: numerum prædictũ? Respondet Victorinus in rem presentem: *Ne-* *Basil. Sel.* *Apoc. 13.* *Victor.*
ronem suscitatum Deus mittet Regem dignum dignis, & Christum qualem meruere Iudæi. Et

quoniam

quoniam aliud nomen allaturus est, aliam etiã vitam instituturus, vt sic eum tanquam Christum excipiant Iudæi. Ait enim Dan. Desideria mulierum non cognoscet, cum prius fuerit impurissimas. Expende illud: *Quoniã aliud nomen allaturus est, aliam etiam vitam instituturus.* Nec enim pessimus hominum audebit opera facere, quæ nomini non correspondeant. In illo enim solo nomen suam habet claritatem, in quo illi correspõdent facta. Ioan. 1. videns Iesus Petrum, ait illi: *Tu vocaberis Cephas*; quod interprætatum sonat petram; & mirabar, quod rudi adhuc discipulo nomen apponatur, quod nõ dubitat Paulus apponere Dei filio dicens, 1. ad Cor. 10. *Petra autem erat Christus.* Sed admirationem subtulit D. Ambr. ser. 47. dicens: *Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Petra autẽ erat Christus. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.* Nullum nomen mereturis, qui factis non correspondet. Vt pateat fœlicitas Societatis Iesu, qui ordo per Ignatium excitatus, non ab Ignatio, sed à Iesu cognominatur, vt de nominis consortio discat, quam debet in operibus Iesu assimilari. Nota est Hæbræorum lex Ruth. 2. memorata: qua frater solebat defuncti fratris nomen excitare. Accipiebat enim viduam de fratre, & illi iunctus quos gignebat filios nomine defuncti fratris agnominabat. Quod mystice ab Apostolis factum in Christi Ecclesia D. August. notabat in Psalm. 44. aiens: *Sumus Christiani, non Petriani. Et si nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine defuncti. Per illum nati, sed illi nati.* Defuncti Iesu semen Apostoli in Ecclesia excitabant, nomine Christi appellãtes regeneratos, vt ex nomine cognoscerent cui nascebantur. Sic Ignatius velut vterinus Christi frater, quando conuersioni eius Maria adfuit. Quos filios in domino genuit, de Iesu nomine appellati; vt & si per Ignatiũ nati, tamen Iesu respondeamus, vt veri filij vero patri.

Ioann. 1.

1. AdCorinth. 10.

D. Amb.

D. Aug.

1. *Reg.* 25. Nunc ergo domine mi, viuit dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi; & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum. Qua propter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo, & da pueris, qui sequuntur te dominum meum. Aufer iniquitatem famulæ tuæ; faciens enim faciet dominus tibi domino meo domum fidelem, &c.

§. XXIII.

Magnis conatibus vix potest non adiungi effectus.

QVod fœmina tantis precibus, tot donis negotiabatur, iam supponit obtentum dum ait: *Nunc ergo Domine, viuit Dominus, & viuit anima tua, quia prohibuit te, ne venires in sanguinẽ, & c.* Adhuc, Dauid in via erat ad perdendũ Nabalem, adhuc milites suos secum armatos habebat; non dum iusserat arma poni, nondum gradum reflexerat, & Abigail cum eo loquitur, quasi iam placatus esset, quasi iam alienus esset à cogitatione rei sanguinis effundendi, dum ait: *Quia prohibuit te, ne venires in sanguinem, & c.* Sed vnde scis, ò mulier, Dauidem prohibitum esse, ne virum percutiat? In quo putas placatum iam esse eius animum? An in verbis eius? Sed nihil locutus est. An in vultu? Sed armatus adstat, & armatis cinctus. In quo ergo fundas placatam esse eius mentem? Crediderim id maxime fundatum in ipsius fœminæ obsequijs, & officijs; quod fœmina viã arripuerit, quod dona exhibuerit, quod se humiliauerit, quod instaret precibus, quod armatam phalangem non expauerit, vt placaret iratum, clarissimi erat argumenti, quod tantis conatibus nõ possit non adesse effectus. Quis enim crederet posse tantos conatus esse sine effectu? Fuit aliquando filius, qui dum vidit totam paternam domum flammis ardere, ausus est per medias flammas intrare, & parentibus salutis viam offerre. Sic primo liberauit patrem: & denuo flammas aggreditur, vt simul matrem in tuto assereret, nec valuit. Quod miratus Quintilian. Declamat. 2. ait: *Facinus est existimare, iudices, nõ hoc quoque maximis contigisse conatibus, vt seruaretur, & mater.* Et merito sapiens Philosophus putat facinus, quod credantur magni conatus posse sine intentatę salutis effectu

Quint.

fectu esse. Nunquam enim id solet videri.
Matt. 15 Hinc Matth. 15. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit dicens Iesu: Miserere mei domine fili Dauid, filia mea male à Dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum.* Mulier proprios lares relinquit, viâ arripit, vt ad Iesum accedat; & accedens clamat, adorat, reuerentiam non paruam exhibet, & inter tot officia, nec vnum extorquet à Iesu salutare verbum. Quantum hoc? Ait Orig. hom. 7. in diuersos: *Vide*
Orig. *aliud novum, & in expertum negotium: petit, & obsecrat, & lamentum suum produxit in clamorem, & amator omnium Deus non respondit ei verbum. Tacet fons vitæ, & pius medicus continet medicinam, & abnegat curam.* Expende illa: *Novum, & in expertum negotium*; quippè, quod tantis conatibus effectus non respondeat, novum est, & in expertum, semel, & ad breue tempus visum. Illud commune, & fere semper expertum, quod nõ cassa sint magna conamina. Nota est Zachæi historia, vt ardenter cupiebat videre Iesum, vt nobilis publicanorũ princeps arborem ascenderet, vnde saltem transeuntem videret. Quid tunc? Luc. 19.
Luc. 19. *Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Nec miror, tantus enim hominis conatus frustrari non debuit. Vt dicat D.
D. Thom. Thom. in Cat. ex Cyrillo: *Vidit quidem hominis animam promptissime nitentem ad sancte viuendum, & eum ad pietatem conuertit.* Expende illud: *Promptissime nitentem*: nisus enim & conatus non vulgaris raro non prosperatur à Deo, vt sortiatur effectum.

§. XXIIII.

Stultitiæ malũ homini durius est qualibet alia sensibili pœna.

NOn leue malum, sed maximum petit Abigail inimicis Dauid, cum dicit: *Fiant sicut Nabal inimici tui, &c.* dixerat enim paulò ante de Nabale, *stultus est, & stultitia est cum eo*; Stulti autem similitudo pro maximo malo tribuitur hominibus. Prouerb. 13. dicit: *Amicus stultorũ similis efficietur*: quasi nil aliud maius malum proponi possit ei, qui stultis se addicit, quam quod & ipse habeatur stultus. Quo spectans D. Ambr. lib. 3. Officior.
D. Amb. cap. 4. inquit: *Sultitiæ condemnatur, qui contumeliam facit. Nonne hoc magis fugiendum, quam mors, quam dispendium, quam inopia, quam exilium, quam debilitatis dolor? Quis enim vitium corporis, aut patrimony damnũ non leuius ducat, vitio animi, & existimationis dispendio?* Sanè cordato homini super omnia damna temporalia est, quod stultus, & mentis inops habeatur, prædicetur. Oseas cap. 9. ait: *Venerunt dies visitationis,* Oseæ, 9.
venerũt dies retributionis: Scitote Israel stultum, &c. Græce explicatius proponuntur, qui sint illi visitationis dies: sic enim legit D. Cyril. Alex. *Venerunt dies vltionis, venerunt dies tribulationis* Ecce tibi vltio diuina instat aduersus Israelem, tribulatio magna, & calamitas vrget miseros. Et in quo est hæc vltio? Quæ est ista tribulatio, & calamitas? Vnũ illud audio: *Scitote Israel stultum*: Explicate Lyra: *Patet omnibus, quod populus Israel factus est stultus*: & quidem inter durissimas tribulationes, & calamitates sensibiles forte hæc est omnium prima, quod quis omnibus fiat stultus, & insipiẽs. Quo trahendus D. Basil. locus dictus, 1. Tom. in Euang. Hist. in concione 6. de Antichristo ex Luc. cap. 12.
Cyril. Al.
Lyra.

§. XXV.

Immisericordi auaro citius, & certius malum accidit, quam alijs peccatoribus.

NOn ait Abigail; Fiat Nabal sicut inimici tui, sed: *Fiant sicut Nabal inimici tui*; præsumebat enim Nabalis malum iam esse in ianuis, nec differendũ, sed inferendum statim. Non enim cunctantur mala, vt opprimant immisericordes auaros, sed citius ad illos veniũt, quã ad alios. Ille durissimus dives, nequid pauperibus daret, dicebat Luc. 12. Scio, quid faciam,
destruam horrea mea, & maiora faciam. Bene Luc. 12.
quod suis destructionem dicit, ædificationem autem non ita bene auguratur. Et quando ipse est, qui destructionẽ, & reædificationem meditatur, cur si liceat destruere, non liceat & reædificare? Non licebit reædificare per tempus, quia multo citius solent perire immisericordes auari. Ait D. Basil. citatus in Cat. Græca ad hoc D. Luc. caput: *Maiora inquis, ædificabit; incertum* D. Basil.
est, si non destructa successori dabit. Nam ipse velocius migrabit hinc arreptus, quàm illa iuxta auaritiæ ipsius cogitationem erigantur. Expende illa: *ipse velocius migrabit hinc ar-*

rep-

reptus; quippe immisericordes in pauperes omnium velocissime abripiuntur ad mala. Nosti, vt Ægyptij persequentes Israelitas, in ipsa persecutione submersi fuerint marinis aquis; & multo antea Sodomitæ cœlestibus flammis fuerint absumpti. Et esto ij peccatores fuerint, cur eorum supplicium in hac vita cæptũ est. Multi enim alij peccatores, & scelestissimi homines in futurum sæculum reseruantur puniendi, cur illis adeo supplicium maturatum est? De illis locuta Dei Sapientia, cap. 19. ait:

Sap. 19. *Iuste enim patiebantur secundum suas nequitias. Etenim dei establiorem in hospitalitatem instituerunt; alij quidem ignotos non recipiebãt aduenas, alij quidem bonos hospites in seruitutem redigebant.* Vtrique in hospites crudeles fuerunt; Sodomitæ peregrinos egentes non admisere; Ægyptij famelicum Israelem recipientes innumeris ærũnis oppressérunt. Cur mirer, si in hos incunctanter pœna venerit? Ait D. Athanas. in Syno-

D. Athan. psi: *Pro morte verò Ægyptiorum in mari rubro fuit ira Dei absque misericordia, & iter populi insolens. Quod propter inhumanitatem erga aduenas mala ista passi sunt Ægyptij, quemadmodum & Sodomitæ.* Sic qui immisericordia erga pauperes laborauerũt, pœnas non distulere; sed illas velocissime, & certissime ad se traxerunt. Vt cæteri vitiũ caueamus, quo festinatissime ruimus in ineuitabilem ruinam, extremãque miseriã.

1. *Reg.* 25. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentiũ, apud dominum Deum tuũ: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quási impetu, & circulo fundæ. Cum ergo fecerit dominus tibi domino meo omnia, quæ locutus est bona dete, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum, &c.

§. XXVI.

Quod tibi à Deo dari vis, id tu proximis præsta.

PRudentissima fœmina vitæ cõcessæ viro suo parem remunerationẽ promittit ex Deo dicens: *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam; erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud dominum Deum tuum.* Quasi diceret; vbi tu à persecutione viri mei cessans illi vitam impertiueris, sic Deus te inter multas persecutiones custodiet, & tibi vitam quietam, & securam faciet. Quotiescumque te ab hostibus impetitum videris, ad partem, & sortem euadentium, & viuentium ex Deo peruenies. Et quidem id sapienter asseritur, illud enim certissime ex Deo habebimus, quod ipsi proximis nostris præstiterimus. Elias benemeretissimæ hospitæ suæ filium vnicum mortuum nouit; & totus in lachrymas effusus clamabat ad dominum, 3. Reg. 17. *Etiam ne viduam afflixisti, vt interficeres filiũ?* Quod sane semper mihi difficile fuit vtsum, quod Deus tantæ mulieris filiũ mori vellet; præcipue, quem sciebat statim donandum Eliæ precibus? Si tãcito puer orante Elia resuscitandus erat; cur voluit Deus, vt moreretur? Sanè tunc temporis Elias in magna afflictione habebat positum totum Israelem, eius enim sententia inhibiti erant cœli, ne pluerent, & fame enecabantur vniuersi. Occidit autem dominus filium viduæ, & afflixit matrem eius vehementer; vt cum Elias optaret sibi à Deo donari vitam pueri, & matris leuamentum; curaret & ipse simile quid præstare afflictis Israelitis. Id enim, quod proximis præstamus, certius à Deo habemus. Hinc aiebat Elias ad Deum apud D. Basil. Sel. orat. 11. *Video, quo me machinamenteo petas, sentio, quibus à te artibus circumretitus sum. Humanitate me respondere postulas, vt cum pro viduæ filio supplicauero: Libera, ò conditor à morte filium viduæ: occurrat, & ipse mihi hac conclusione: Liberaigitur & tu filium meum Israelem à siccitatis decreto.* Sic necessum est, vt nos præstemus proximis nostris, quod præstari nobis à Deo volumus. Quo respiciebãt illa, Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Expende illa; *sicut & nos, &c.* præmittere namque nos debemus in proximos, quæcumque volumus ex Deo veniant nobis. Amat enim Deus æmulari opera nostra. Circa quæ ait D. Nyssen. *Iudiciũ de proximo, quod in tua potestate est, qualecumque fuerit, sententia par erit, & respondebit. Quæ enim apud te statueris, hæc tibi per Deum in diuino iudicio confirmabuntur:: Tuam affectionem Deo ad bonum pro exemplo esse vult; vt tu ad Deũ dicas. Quod ego feci, fac: imitare seruum tuum domine: remis-*

Basil. Sel.

Matth. 6.

D. Nyss.

missi debita, nec tu quidem exigas; latum dimisi meum debitorem, talis item tuus fiat. Sic quidquid boni feceris proximo, par tibi à Deo venturum expecta. Is enim est Deus, qui nostra in proximos opera æmulari nobiscum nō cessat: siue in bonis, siue in malis par pari referens. Notum est illud, Matth 2. Videns autem Herodes, quoniam illusus esset à Magis, *iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.* Sic crudelissimus Rex neci dedit quotquot, biennio illo nati fuerant Bethlehemitis filij. Et quid inde? Accipite Imperfectum hom. 2. in Matth. Vbi ait: *Post hæc autem dignam pœnam Herodes suscepit. Nam filios suos tres interfecit, & non interfectos ab alio vidit occidi, vt ne vel paternam super illos demonstraret pietatem in luctu, sed ipse occidit, vt & filios perderet, & de morte eorū crimen acquireret. Viscera sua laniabat in filijs, & dolorem eorum non sensit. Vt quemadmodum parvuli mortem suam non senserunt propter infantiam: sic ille dolorem viscerum suorum non sensit propter insaniam.* Quid malus in Bethlehemitarum filijs fecerat, id ipsum passus est in suis.

Matth. 2.

§. XXVII.

A Deo facile, & firmissime à ruina custodimur.

QVis nesciat, quos muros, quas turres, quæ propugnacula, quæ armata agmina paret Rex mundi, vt suos valeat à malo incursu custodiri? Apud Deum autem facillime, & firmissime sine ijs custodiris, dicit enim Abigail: *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentiū apud Dominum Deum tuū.* Vt enim ad florum fasciculum tenendum, custodiendum, non armata, sed nuda paratur manus, & apertus sinus; sic pro viuentium custodia firmissima manus Dei sufficit, eiusq; sinus. Quo spectans Eucherius in præsenti ait: *Mire omnipotentem prouidentiā describit superni pectoris, cum dicit animam viri sancti quasi in fasciculo viuentiū apud Deum esse custoditam. Sicut enim facillimū est, cuilibet fasciculum herbæ, vel fœni sua manu retentū conseruare: ita virtus Domini omnes per orbem electos ab initio vsque in finē sæculi, nequis ex illis vlla ratione pereat, sine labore conseruat.* Non maiorem inferunt laborem Deo, vniuersi qui conseruantur in vitam, quam florum fasciculus homini, vt teneatur in manu, vel in sinu. Id quod aliter ostendebat Dominus metuenti perire in Ægypto, dū Exodi, cap. 4. inquit: *Dixitq; Dominus rursus: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuū. Retraxit, & protulit iterū, & erat similis carni reliquæ.* Ecce tibi, vt in eo, quod manus applicatur ad sinum, omnis lepra, imò omnis fugit infirmitas. Quo hæc spectāt? Ait D. Cyrill. Alex. in Cat. Græca: *Ex hac re Moyses edoctus est immunditiam omnem, ac sordes Iudæorū facile elui posse, quotiescumque Deus illos ad se admitteret, & quasi in sinu suo iterum eos reconderet.* Tāta est Deo facilitas pro excludendis omnibus malis à suis aſſeclis, quanta in adhibenda manu ad sinū. Dū in sinu Dei es; ride mænia, ride turres, ride vniuersa munimenta mundi; securior ibi es ab omni malo incursu. Nō nisi amēs credet posse perdi, qui à Deo designati sunt ad vitam. Hinc Matth. 2. Herodes, vt natum Regem Iudæorū occideret, *occidit omnes pueros, qui erāt in Bethlehem:* proquo aiebat Imperfect. hom. 2. *Quid agit insensata tua ira Herodes? Nūquid potes tu mutare sententiam Dei, aut perdere illū, quem Deus defendit? Sed quid mirum, si Herodes homo iniquus putabat se posse mutare consilium Dei? Ipse denique sapientissimus Salomon, cū propter peccatum suum audisset à prophetis, Hieroboā regem futurum, posuit persequi eū, putans posse eum perdere, quem Deus protexit: quia zelus sapere nescit.* Insensatus fuit Herodes; desipuit Salomon; dum ille Iesum, hic Hieroboam putauit posse perdi; & quidem illi reges erant potentissimi, Iesus autem puer parvulus, & Hieroboam priuatus Salomonis servus, sed vterque erat in fasciculo viuentium apud Deum, & ideo perdi nequiuere.

Exod. 4.

Cyr. Al.

Matth. 2.

§. XXVIII.

Diaboli serui per crebras calamitates ad extremam contendunt.

NOn ignorabat Abigail, quid accidat his, qui à Deo deficiunt, vt morem gerant Satanæ: dicit enim: *Inimicorū tuorū anima rotabitur, quasi impetu, & circulo fundæ:* vt enim lapis in funda circū agitur, & postea iacitur; sic impij à diabolo, iugi perturbatione, & solicitudine versātur, vt tādē in extremū excidiū abeāt. Quo spectās Angelom⁹ in præsēti fatur: *Inimici eius insisten-*

insistentibus sibi aduersitatibus, sicut lapis funda circum actus, sic instabili motu perturbandi, & suis essent expellendi finibus, vel etiam ab humanis rebus auferendi. Mihi crede, nunquam suos sinit quiescere Satanas; multis illos in præsenti perturbationibus vexat, exagitat, vt tandem eos in æternum perire faciat. Aiebat Iesus ad discipulos suos,

Luc. 22. Luc. 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Non quidem expetit Satanas homines, vt eos in quiete habeat, & securitate; sed vt eos agitet, vexet, & post mille perturbationes præcipitet in Barathrum. Ait D. Augustin. in Psalm. 100.

D. Aug. *Quid est vexare sicut triticū? Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, vt panem faciat; sic neminem manducat diabolus, nisi primo per tribulationē euerserit, contriuerit, vt manducet.* Hic est diaboli mos erga suos, vt eos plurimis exagitet, multis repleat amaritudinibus, antequam perdat funditus. Hinc Matth. 8. dicit:

Matth. 8. *Cum venisset Iesus transfretum in regionem Gerasenorum occurrerunt eum duo habentes dæmonia de monumētis exeuntes*: quippè dæmones quorum dominabantur, clausos habebant in defunctorum sepulchris.

Basil. Sel. Vt merito dicat D. Basil. Sel. orat. 23. *Cum ipsi dæmonum essent dominilium, pro domicilio habebant monumenta.* Hanc ab hospite suo Satana habebant sedem, nimirum, vt sepulti iacerent viui. Proquo ait Pascas. lib.

Pasc. 5. 5. in Matth. *Attende, quæ sanitia dæmonū, qui vesanor, aut quæ rabies erga humanū genus, dūferre nequeunt mori homines, qui vivos gestiunt sepelire, & se ipsos sepulchris mandāt, vt homines redigant in sepulchra. Digna quidē vtrorumque conditio, vt qui cœlo præsidere nolunt, pascantur cadaueribus, & fœtentur putredine, deliciantur fœtore, quibus tota voluptas est vitijs deseruire.* Hæc misera conditio eorum, qui malunt Satanæ, & vitijs, quam Deo seruire; vt per ærumnarum moles currant ad vltimum perditionis periculum.

§. XXIX.

Nunquam non pauenda principi iniusta sanguinis effusio.

MErito ad Dauidici regni quietem putat Abigail pertinere, quod ab innoxiorū sanguine effundendo abstineat. Dicit nam quia: *Cum ergo fecerit Dominus tibi Domino meo, omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in scrupulum, & in scrupulum.* Non absolute dicit, quandiu vixeris, non tibi erit hoc in scrupulum; sed notanter ait, quando *constituerit te Deus ducē super Israel*; quasi peculiare hoc sit principibus, quod illis magis pauēda debeat esse innoxij sanguinis effusio. Qui enim innoxius sanguis effunditur ab eo, qui principatum ascendit, nunquam cessat clamare contra illū. Oseæ, cap. 1. ex meretrice natus est filius; de quo locutus Dominus ait:

Oseæ, 1. *Voca nomen eius Iezrahel, quoniā adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam Regnum domus Israel.* Vbi noster posuit, *super domum Iehu*; Septuag. habent: *Super domum Iuda.*

Septuag. Et mirabar, quodmodo Dominus ruinam minetur vniuerso Israelis Regno propter sanguinē in Iezrahel effusum. Fuerat enim antiquitus Naboth iustus a rege Achabo occisus, cuius sanguis Iezrahelem ciuitatem fœdauerat. Processerāt inde multi anni, nec tamen sanguinis illius clamor cessauerat aduersus Regnum Israeliticum clamare. Neque vnquam iustissimus iniquitatum vindex Deus cessauit repetere pœnam de illo effuso sanguine. Ait enim ibi D. Cyrill. Alexand.

Cyr. Al. *Nascitur ergo propheta puerulus, cui & nomen inditur Iezrahel, veluti Deo commissum in Naboth peccatum recordante. Viro namque iusto, & religioso iniuste trucidato, quomodo iustorum tutor, ac patronus quieuisset? Contriturum igitur promittit arcum Israel, &c.* Expende illa: *Quomodo iustorum tutor, ac patronus quieuisset?* quippe vbi sanguis innoxius effunditur, præcipue à principibus, nescit Deus quiescere aduersus illos, donec plenam vltionem percipiat, in ipsius principatus ruina. Quo spectans Habacuc, cap. 2.

Habac. 2. *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* Quæ meditatus Theodoretus sic expendit: *Lamentis, & luctibus dignus es, qui ex iniustis cædibus regnum tuum auxeris, & non intellexeris, vt Deus omnipotens abs te reposcet rationes vitæ iniquè transactæ: nam si hoc cognouisses, non potestate, seu igne quodam vsus fuisses in multas nationes, nec eis inexpiabilia mala innexisses.* Non quidem triumphis, sed lamentis est prosequendus princeps, qui sanguinem innoxium profundit, nunquam enim Deus non illum de manibus eius exquiret. Imò eo ipso, quod quis innocenter percutiatur à Principe, iam inde iudicij autoritatem habet, qua

qua

qua perdat principem. Dan. 13. ab iniquis iudicibus ſententiam mortis, vt audiuit Suſanna, ait text. *Exclamauit voce magna Suſanna, ac dixit: Deus æterne, &c.* Circaque D. Ambr. lib. de Fuga ſæcul. cap. 9. ait: *Cũ morte damnaretur, exclamauit, quaſi iudex reorum, arbitra calumniantium, & innocentis conſcientia authoritate diuinam ſibi in iudicio accerſiuit cognitionem: non timore mortis percita, ſed arguentis cenſura poteſtate præcelſa.* Sic ibi, quippè innocentia patientis poteſtatem ſummit ex Deo ad ſuos occiſores perdendos.

Dan. 13. D. Amb.

1. *Reg.* 25. Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum; & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irẽ ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea. Alioquin viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi, niſi cito veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal, &c.

§. XXX.

Sic verba componenda, vt vtilia ſint auditoribus.

NOn ſolum Dauid manſuefacti animi gratias Deo reddit, ſed & Abigaili, & eius primum verbis. Ait enim: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit hodie te in occurſum meum; & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti, &c.* Non ſolum Deus, & Abigail benedicuntur, ſed & expreſsiſsime Abigailis eloquium in benedictionem venit. Quippè ait: *Benedictum eloquium tuũ*, nec miror fœminæ eloquium benedici, quod ſic formatum fuerat, vt iratum ad manſuetudinem, & hoſtem ad amicitiam redderet. Quod in ſponſa ſua laudabat Dominus, Cant. 4. ſatis: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Amat enim Dominus in ſuis domeſticis illud eloquium, quod pariat dulcedinem audientibus, illoſque ad ſuauitatem referat. Vt dicat Guillielmus Abbas apud Delrium in Tropol. *Sunt, qui vtilia quidem dicũt, ſed tamẽ inſipide, & amare dicendo auditoribus vtiles non ſunt. Mulcendi ergo ſunt auditores ſermonis dulcedine, ne vtilia inutiliter audiant. Vnde ſcriptum eſt: Qui dulcis eſt eloquio maiora percipiet*, Prouerb. 16. *Item: Sapiens in verbis ſe ipſum amabilem facit*, Eccleſ. 20. *Item, Verbũ dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Habent equidem hoc dulcia verba, vt in audientium animis nouas excitent flammas amoris. Ad ingreſſum Mariæ clamabat Eliſabeth, Luc. 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis. Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Antequam Maria acceſsiſſet infans in vtero Eliſſabeth exiſtens in peccato originali erat, & inde Dei habebatur inimicus. Modo ad Mariæ verbũ exiliens in vtero totũ ſe ſiſtit Deo: adeo potens fuit Mariæ verbum, vt vel in frigido corde peccatoris pyras diuini amoris accenderet. Ait Beda hom. 2. in præſenti: *In vno eodemque momento cum voce ſalutantis Mariæ gaudium naſcitur infantis, quia dũ vox ad aures peruenit corporales, virtus ſpiritualis cor intrauit audientis, nec ſolum genitricem, ſed & ſobolem amore Domini aduenientis accendit.* Dulcis Mariæ vox in frigido, adhuc, pectore infantis flammas diuini amoris excitauit; ſic vox ſuauis valet frigida peccatorũ pectora calefacere. Hinc Ioan. 10. dicit: *Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent Ieſum. Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex patre meo, &c.* Lapidibus armatos videt, & non fugit Ieſus, ſed cum illis colloquium protrahit. At ſupra Ioan. 8. dicit: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum; Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.* Vtrouique armãtur lapidibus Iudæi, quos in Ieſum iaciant; ſed primo Ieſus ſe abſcõdit; ſecundo nõ ſe abſcondit, ſed illos placide alloquitur. Et cur non etiam in ſecundo caſu fugit? Cur ibi nõ ad fugam, ſed ad placida verba ſe confert? Qui nouerat placidę vocis efficaciam ad calefaciendas animas, noluit hoc remedio gelidos in iniquitate Iudæos fraudare. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 7. in Ioan. cap. 11. *Vt nihil non tentatum relinqueret, quod eorum ſaluti conducere putaretur: Placida enim verba, ac mitia, iracundia concitatum animum mitigare ſolent, & ad manſuetudinem reducere.* Peritus medicus remedia variabat, & vſus aliquando fugâ, modo ad verba recurrit mitia, vt quæ ſoleant ſuauiare, vel furibundos. Additque exemplum de noſtro dicẽs: Quod

Cant. 4.

Gui. Ab.

Prou 16.

Eccl. 20.

Luc. 1.

Beda.

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Cyr. Al.

Quod nobis ipse Dauid suo prodit exemplo, cuius districtum mucronem in totius domus Nabal exterminium, ipsa Abigail vxor eius suaui loquentia, & humanitate, vaginæ recondidit. Sic ibi.

§. XXXI.

Qui amore agitur, non potest non pati, quæcumque dilectum suum pati videt. Vbi de Maria, & Iesu.

SApienter dicebat Dauid: *Prohibuit me, ne malum facerem tibi*: sed Dauid non iurauerat malum facere fœminis, sed viris; dixerat namque: *Si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem ad parietem*, qua elocutione, vt bene notat Carthus. & Abbul. non comprehendebantur fœminæ, sed viri. At quia Abigail amabat Nabalem, vt bona eius vxor, quidquid mali inferendum Nabali credebatur, non poterat nō dilectrici eius coniugi infligi. Quæ te pertingent tela, quæ non peruadant prius dilectorem tuū?

Luc. 2. Aiebat Simeon ad Mariam, Luc. 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransiuit.* Et qui gladius pertransiuit animam Mariæ, nisi gladius, qui transfodit dilectum filiū? Pulchrè ait D. Bern. serm. in cap. 12. Apo-

D. Bern. cal. *Vere tuam, ò beata mater, animam gladius pertransiuit. Alioquin non nisi eam pertransiens carnem filij tui penetraret.* Sic Mariæ anima per amorē adhærebat Christo, vt nulla cuspis posset Christi carnem attingere, quin prius, aut simul pertransiret Mariam. Crede mihi, nequit separari â passione, qui non separatur à patientis amore.

Matth. 2. Ait Matth. cap. 2. de Ioseph: *Qui consurgens accepit puerum, & Mariam matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.* Expēde illud: *Et secessit in Ægyptū*, non solus ibat Ioseph, sed & Maria, & puer ibant cum illo. Cur ergo nō dixit, quod secessērūt? Cur singulariter maluit dicere de solo Ioseph, quod secesit? Nonne & puer Iesus secesserat? Absit; imò, vt relinquebātur pueruli coætanæi eius, qui Herodianorum militū gladios paterentur, non poterat Iesus separari ab illorum passione, vt in ipsos adacta tela, in se susciperet. Ait Sedulius lib. 2. cap.

Sedul. 6. *Inter necatos tamen infantes, quos occubuisse certum est, non peryisse; quamquam Christus abfuerit, absens esse nō potuit; qui periculis sanctorū semper insertus, alienis pro se corporibus irrogata pio motu sentit in se supplicia.* Nunquam solus patitur amator Christi, sed quæ in illum retorquentur tela, simul Iesum transuerberāt. Vt merito videns D. Athanas. Christi sponsas ab Arrianis laniari, earumque latera iaculis transfodi, dicat in Apol. ad Constant. Imper. prope finem:

D. Atha. *Lateribus earum ita iam tertio laceratis, vt nunquā quicquam tale, nefarioroſissimi quidem homines sint passi. Pilatus enim, qui inseruiebat per id tempus Iudæis, lancea vnum latus Saluatoris perfodit: isti autem rabie sua Pilatum vicerunt, cum non vnum latus Christi, sed vtrumque lacerarint: membra enim virginum præcipua, & propria Christi sunt.* Expende illud: *Non vnum latus Christi, sed vtrumque lacerarint*; & quidem illi nō Christi, sed virginum latera lacerabant, at in dilectis sponsis suis non poterat non reputari Christus eadem tormenta in illis pati. Tantus est in Christo suorum amor!

1. *Reg.* 25. Venit ergo Abigail ad Nabal, & ecce erat ei cōuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucūdum, erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum, pusilū, aut grande vsque mane. Diluculo autem, cum digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hęc, & emortuum est cor eius, & factus est quasi lapis. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

§. XXXII.

Soliditas, & veritas in solo Deo, & Christo eius.

CRediderim Nabalis conuiuium non vocari absolute regium, sed quasi regis; vt eius vacuitas ostenderetur. Dicit namque: *Ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuiū regis*; quasi conuiuiū regis erat, nō vere conuiuiū regis; nihil enim verū, solidūq; inuenies extra diuinissimi regis mēsam. Vt dicat ipse Ioā. 6. *Caro mea vere est cibus, & sāguis meus vere est potus:* quid est, vere est cibus, & vere est potus,

nisi

niſi quia in ſolo illo ſummi regis conuiuio ſoliditas eſt; & veritas? Hinc 1. Reg. 5. vbi arca Dei capta eſt à Philiſthinis, & introducta in templum Dagon, eiuſque lateri in altari appoſita; *Ecce Dagon iacebat pronus in terram ante arcam Domini.* Et cur Dagon ſic cedit arcæ domini? Euſeb. Cæſarienſ. apud Druſium lib. 1. quæſt. 82. explicans nobis, quis fuerit Dagon ait: *Dagon inuento frumento, & aratro vocatus eſt Iuppiter arotrius.* Sic nomen Dagonis deducit non à Dag, qui eſt piſcis, ſed à Dagan, quod eſt frumentum. Ne miremur, quod vniuerſæ mortalium ſegetes cedant arcæ, in qua erat cœleſte manna, & ſolum verum conuiuium ſummi regis. Non enim quærendum nobis verum aliquid eſt, niſi apud Deum, & Chriſtum eius. Ex quo monebat Paul. ad Colloſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt, quærite; vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Et cur non quæ ſuper terram? Dixerat, 1. ad Corinth. 7. *Præterit enim figura huius mundi*; ſuper terram figuræ currunt, non veritates, quæ ſolum in Deo, & Chriſto eius inueniuntur. Ait D. Paulinus epiſt. 4. *Omnia, vt Eccleſiaſtes ait, ſub ſole vanitas. Proinde ſuper ſolem veritas. Ita, & qui in veritate conſiſtunt, etiamſi intra mundum viuãt habitatione corporea, tamen ſupra mundum ſunt conuerſatione cœleſti. Et aſtrorum choros, & cœlorum polos euolantes Spiritu ſcandunt, & ſupervadunt, celſioreſque elementis agunt; non ſubditi rebus, & vſibus elementorum, ſed affixa in Chriſto vita ſuperiores mundo fiunt, manentes in eo, qui eſt ſuper omnia Deus.* Sic qui veris inhiant, neceſſum eſt, vt mundalia ſuperent, & ſupra ſolem agant, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei patris, in quo vno vera, & ſolida poſſunt capi. Huc trahe dicta Tom. 3. de Chriſto Fig. lib. 7. cap. 20. §. 4.

1. Reg. 5.

Euſeb.

Ad Colloſ. 3.

1. Ad Corinth. 7.

D. Paul.

§. XXXIII.

Conuiuia raro non ominoſa hominibus.

DIcturus ſacer textus extremam Nabalis ruinam ab eius incipit regali conuiuio, dicens: *Ecce erat ei conuiuium, in domo eius, quaſi conuiuium regis, &c.* Et ecce ſimul conuiuium, & ruina; nihil enim magis iunctum Nabalis morti, quam eius conuiuium. Sic fere ſemper conuiuia ominoſa ſunt hominibus. Ariſtobolus captus à Pompeio, tenebatur in vinculis; illum Cæſar ſoluit, & Ieroſolymam miſit, vt ſuos armaret in Pompeium. Redit ille alacer in patriam, & dum â ſuis excipitur, inter feſtiua conuiuia occubuit. Rem miratus Egeſippus lib. 1. cap. 22. ait: *Ita luſa ſunt diſpoſitiones Cæſaris, & deſtituta Ariſtobuli cupiditates, noua quadam mutationum varietate, vt tutior fuerit exul inter hoſtes, & in vinculis captiuus, quam inter ſuos ciues Dominus in cubiculo, rex in conuiuio.* In vinculis erat captiuus, & exul, ſed viuebat, ſed nullum vidit mortis periculum; reſtituitur ſuis, dominus erat in domo, & patria ſua, primus videbatur in conuiuijs, ſed ibi amiſit vitam. Sic conuiuia illi triſtiora erant, quam carceres, & vincula. Et quando conuiuia non initia luctus? Ammoni conuiuium præambulo fuit mortis, 2. Reg. 13. & Simoni Machabæo, 1. Machab. 16. & filijs Iob, cap. 1. Balthaſari regi aſsidenti in conuiuio, Dan. 5. *Apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis, &c.* Quæ verba ſic ponit Arabicus Alexandrinus: *Egreſſi ſunt digiti manuum è pariete contra lucernam ſuper calice, rege vidente, &c.* Digiti è pariete egrediebantur, qui mortem regis firmarẽt; ſed illud notandum, quod dicuntur digiti illi apparuiſſe *ſuper calice.* Vt enim manus in margine poſita oſtendit paginæ notandam clauſulam; ſic digiti illi apparentes ſuper calice oſtendebant totam illius tragœdiæ clauſulam eſſe in potu conuiuali. Quid enim in conuiuijs certius oſtendi ſolet, quã mors ineuitabilis? Sapiens Æſther dum ruinam Amano parat, illum ad conuiuium trahit, ſic enim ait, cap. 5. *Veniat Rex, & Aman ad conuiuium, quod paraui eis, & cras apariam regi voluntatem meam.* Cur ad conuiuium vocat, quem cupit occidere? Vocat ad conuiuium, ne mortis retia effugiat. Ait Rupert. lib. 8. de Victor. Verbi Dei, cap. 18. *Ad conuiuium vtrumque inuitauit, amicum, & inimicum, regem, & Aman. Prudenter prouidebat illic aperire inimicitias, vnde effugere non poſſet hoſtis homicida.* Ea quippe ſunt prophanis conuiuia, quæ penitus effugiendæ mortis aditum occludant. Imò ſic de ijs Clichtouæus obſeruat cõment. in lib. 2. de Fide orthod. à Damaſceno ſcriptum, cap. 13. *Quinimo vbi repentina deſcribitur vltio, & ſubitaria plaga à Deo hominibus immiſſa, annotatur tunc illis potiſsimum immiſſa, qui corporalibus delicijs erant intenti.* Nempe apud Matth. 24. *nos admonet Dominus, quod diebus Noe ante diluuiũ erant comedentes, & bibentes vſque ad eũ diẽ quo intrauit Noe in arcã, &*

Egeſip. 1.

2. Re. 13.

Alexan.

Æſther. 5.

Rupert.

Matt. 24.

non cognouerunt, donec venit diluuium, & tu-
Luc. 17. *lit omnes.* Sic Luc. 17. *dicitur de Sodomis, quod edebant, & bibebant, & repentina Dei vltio omnes perdidit. Rursus seruus nequam, manducansque & bibens cum ebriosis inspe-rato domini aduentu prohibetur damnandus. Et Satanas filios Iob comedentes, & bibentes vinũ ruina inopinata domus oppressit.* Sic ibi, vt videas, quantis malis sub sint conuiuia.

§. XXXIIII.

Maximæ indicium ebrietatis est, quod Deum tibi infensissimum non sentias, sed læteris interea.

NOn paruæ ebrietati tribuit textus, quod erat Nabal lætus, & iocũdus; dum ait: *Et cor Nabalis iocundũ, erat enim ebrius nimis.* Et post armatũ in se verbis iniurioſis Dauidem hostem validissimum, quomodo iocunditati & gaudio vacare posset, nisi ebrius nimis esset? A summa credo ebrietate venire, quod irritatum hostem non meminerit, sed vacet delitijs. Qua ebrietate correpti sunt, quicumque post offensum Deum, post acuminata tela diuinæ iustitiæ, hostiles Dei iras in nos trahimus, & gaudijs mergimur huius vitæ. Sapienter ad tales vociferabatur Ioel, cap.
Ioel. 1. 1. dicens: *Expergiscimini ebry, & flete, & vlulate omnes.* Ebrios vocat ad somni excussionem, ad fletum, & lamentum; quasi enim essent somno ebrietatis sepulti, longe ab omni re luctus, & tristitiæ, sic monet, vt summant tantæ ebrietati contraria, nimirum vigilantiam, lachrymas, & luctum. Et cur ebrios vocat, quos minime flentes videt? An si flerent, iam non ebrij? Plane; quia vt sobrietatis signa sunt periculorum sensus, & fletus ortus ex illorum timore; sic ebrietatis indicium est maximũ, quod pericula tuis operibus comparata nec sentias, nec fleas, sed longe sis ab omni tristitia, lætus in extremo discrimine. Ex quo
D. Greg. aiebat D. Greg. 33. Moral. cap. 27. *Ebrij, quippe vocati sunt, qui mundi huius amore cõfusi, mala non sentiunt, quæ patiuntur. Quid est ergo dicere: Expergiscimini ebry, & flete; nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in deuastatione cordis, tot sibi succedentibus vitiorũ pestibus, vigilantibus lamentis obuiare?* In malis es, vndique cingeris hostilibus diuinæ iustitiæ spiculis, & non sentis; sed magis inflas sæcularibus gaudijs, prorsus lõge factus à illecebris; plene ebrius es, profunda te ebrietas tenet. Væ tibi nisi vigilaueris, nisi ebrietatẽ dimiseris, & vacaueris fletibus. Huc spectat Isaias, cap. 28. *Væ* Isai. 28. *coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erat in vertice vallis pinguissimæ, errantes à vino. Ecce validus, & fortis Dominus sicut impetus grandinis, &c.* Expende appositiua illa, nimirũm: *Coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, flori decidenti, gloriæ exultationis*; proculdubio superbus, floridus, exultãs glorioſus, ebrius est, profundissimaque ebrietate laborat, dum nõ sentit spicula Dei illi iam iam imminentia. Deus fortissimus ad perdendum iratus est in te; & tu floridus, redimitus rosis, exultans in gaudio? Nonnegabo te ad partem pertinere ebriorum.

§. XXXV.

Auaritia deploratissima vitiorum.

FActus Nabal certior de imminente hoste, de appropinquante iam iam suorum omnium excidio, obriguit prætimore, nec tamen resipiscentiæ vllum signum dedit. Sic enim ait textus: *Indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuũ est cor eius, & factus est quasi lapis.* Circa quæ Caiet.
Caiet. *Mors cordis appellatur tam mala dispositio interna in animo, vt tãquam mortuus animus fuerit, sine opere, & sine resipiscentia.* Tenuit cor hominis ingẽs timor, & periculi pauor, sed nulla illum tenuit resipiscentia. Tristitia homini ariditatem lapidum inuexit, sed nullam iuhumanitatis suæ inuexit pœnitentiam. Miraris, quod sic timeat, & non resipiscat? Crede mihi hoc auarorum propriũ est, nulla inter mortis, damnationisve pericula sciunt pœnitere, quod non dederint. Adeo auaritia lethalis est, vt super omnia alia vitia homines perdat. Post somniatæ statuæ partes enumeratas, vt caput aureum, pectus argenteum, ventrẽ æneum, crura ferrea habuerit, dicebat Daniel, cap.
Daniel. 2 2. regi: *Tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te.* Et cur regnum futurũ post Nabuchodonosor creditur minus illo? In Nabuchodonosor auri principatus, & dominatio ostendebatur; & merito post auri dominationem reliqua

omnia

omnia alia vitia minora creduntur ad homines perdendos. Quo ſpectans Rupert. lib. 6. de Victor. Verb. Dei cap. 17. ait: Sanè, quod dixit Daniel ad Nabuchodonoſor: *Tu es ergo caput aureum, & poſt te cõſurget regnum aliud minus te, libenter ſic accipimus, vt ſubintelligamus, ad nequitiæ, & malitiæ opus. Quia videlicet regnum illud contra verbum promiſſionis diuinæ minus egit.* Rupert.

Equidem minoris momenti ſunt, quę fiunt ab alijs, vt perdantur cœleſtia, quam quæ fiunt ab auri amore, ab auaritiæ affectu. Is in quo intrauit, omnia virtutis, & innocẽtiæ funditus perdit. Dicebat Balaã, Num. 23. *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Num. 23. Sic afficiebatur homo conſpectu iuſtorum, vt eorum ſimilitudinẽ ſibi cuperet in fine. Poſt paululum autem, cap. 24. dicebat ad regem ſanctorum inimicum: *Pergens ad populum meum dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat, &c.* Sic aduerſus ſanctos promittit conſilium. Et vnde tam cito mutatus eſt? Nonne ipſe modo optabat ſanctis commori? Quomodo tam ſubito oblitus eſt ſanctitatis, & virtutis concupitæ? Ait D. Greg. 33. Moral. 21. *Contra eorum vitã, quibus ſeſimilem etiam moriendo fieri popoſcerat, conſilium præbuit: & cum occaſionem de auaritia reperit, illico oblitus eſt, quidquid ſibi de innocentia optauit.* D. Greg.

Ecce tibi, vt intrante auaritia; illico omnia virtutum ſemina funditus perduntur: vt ſciamus quã poſt illam minoris momẽti ſunt alia vitia. Adeò, vt victa auaritia, facili negotio reliqua omnia credantur poſſe vinci. Aiebat Dominus, Ioann. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Ioan. 12. Et tamen exaltatus à terra in cruce apparuit, & rari fuerunt, qui tũc ad Ieſum tracti ſunt. Quomodo ergo tunc credentur tracta omnia ad Ieſum? Theophilactus in cap. 23. D. Lucæ ait: *Et hoc, quod dixit Dominus, quando exaltatus fuero, traham ad me omnes; nunc videtur conſummatum. Exaltatus in cruce traxit latronem, traxit centurionem.* Theoph. Et merito dũ traxit latronem, & centurionem creditur Ieſus traxiſſe omnes, vt enim in latrone, & cẽturione, qui ardenter pecunijs inhiãt, auaritia deuicta eſt, ſic inde reliqua omnia vitia creduntur deuicta, & tracti vniuerſi ad Deum. Vtinam in nobis euaneat auaritia, fallar, niſi ad Deum euolemus.

(†)

§. XXXVI.

Triſtitia, mœroris ve malũ omnium acerbiſſimum.

NOtanter dicitur Nabal à Deo interẽptus, quippè ait: *Cumque pertranſiſſent decem dies, percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.* Nec ob aliud crediderim, quod Deus dicatur Nabalem percuſſiſſe, niſi ad oſtendendam ſummam illi plagam inflictam, quæ ſane fuit ingens animi triſtitia, & mœror, quo audita vxore correptus fuit. Dicit enim Ioſephus lib. 6. *Sequenti vero die poſtea quam ſobrio rem totam expoſuit, in tantum mœrorem eum coniecit, vt toto corpore ſyderatus decima poſt die mortem obiret.* Ioſeph. 6. Ecce tibi à Deo peracta percuſsio, nimirum mœror iniectus hominem perdidit, quod fuit malum omnium acerbiſsimum. Caſtigaturus Dominus mulierem, Geneſ. 3. dicit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, &c.* Geneſ. 3. Quæ verba ſic à D. Chryſoſt. leguntur: *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuũ. In triſtitia generabis filios.* Chryſoſt. Vide, vt tota pœna à Deo mulieri inflicta in mœrore ſit, & triſtitia. Et cur autrix peccati fœmina mœrore ſolo caſtigatur, niſi quia hæc pœna omnium putatur acerbiſſima? Ait D. Chryſoſt. epiſt. 8. ad Olymp. *Multiplicans*, inquit, *multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum. In triſtitia generabis. Nuſquam dolor, nuſquam labor, & ſudor; ſed mœror, & gemitus. Et illa, quæ ex vs vindicta deſcendit doloribus, & infinitis mortibus eſt coæqualis, imo etiam multo deterior.* Chryſoſt. Sic ſanctus ſuper omnem pœnam ponit pœnam triſtitiæ. Et paulò antea illam explicans ait: *Triſtitia animarum crudele tormentũ eſt, dolor quidam inexplicabilis: & iudicium omni iudicio vindictaque deterius. Nam & vermi eſt ſimilis venenato, non ſolum carnem, ſed animam ipſam perimens. Tinea non ſolum ad oſſa, ſed ad corda pertingens: perpetuus quidã carnifex non animam dilanians, ſed vires animæ conſumens; & iugis nox ac tenebræ profundæ, & tempeſtas, & turbo, febris non apparens omni igne validius incendens, & pugnare requiem non habens, &c.* Quid hoc malo acerbius? Sanè tantum malum eſt triſtitiæ, vt qui in ſanctis veteris teſtamenti præmiſerat vincendæ mortis exemplum, in ſolo Ieſu voluit oſtẽdere, vt vinci poteſt triſtitia. Hinc ad paſsionẽ accedẽs dicebat Ieſus, Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Matt. 26

Discipuli autem Actorum, cap. 5. *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Actor. 5. Homines gaudeat in pœnis, filius Dei maluit tristari; & cur magis sibi elegit tristitiam, quando cæteris dedit gaudia? Ait D. Amb. lib. 10. in Lucam: *Homo enim in plaga, & sciens, inquit, ferre infirmitatem, nos volant erudire, vt quia in Ioseph didicerамus carcerem non timere, mortem vincere; discеremus in Christo, & quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus.* D. Amb. Expende ab illis: *& quod est amplius, &c.* quippè supra carceres, supra equuleos, supra mortem est tristitia; quam vincere ab vno Iesu didicimus primum.

1. *Reg.* 25. Quod cum audiuisset Dauid mortuum Nabal ait, Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & maliciam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi vxorem. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam dicentes; Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. Quæ cõsurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, &c.

§. XXXVII.

Non parua dignitas personæ in verborum modestia elucet.

VOcatur Abigail in vxorem eius, cui & ipsa regnũ deberi paulo ante prædixerat; & cũ ad futuri regis coniugium vocatur, quid illa? Ait textus: *Cõsurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Iam magnificentia regni radiabat in Abigaile; tanta namque verborum modestia fœminam ostendebat ad regnum ire. Sic Maria requisita, vt mater Dei fieret, respondit, Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. In re, & merito Dei mater eligebatur, in ore suo vocabatur ancilla. Et cur ancillam te vocas, cũ mater, & regina eligeris? Pulchrè ait D. Ambr. ibi: *Ecce enim ancilla Domini, apparatus officij est.* D. Amb. Expende vocem *apparatus*, quæ magnificentiam significat Calepino; vt iam in verbo modestissimo ancillæ magnificentissimum quid præparati cordis indigitet. Nunquam enim non à modestis verbis aliqua magnitudo, & excellentia personæ non affulget. Monebat Iesus, Matth. 5. *Ego autem dico vobis, nõ iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis.* Matth. 5. Sanè Ierosolyma ciuitas erat magni regis, nimirum, Christi Domini, & eius dicata gloriæ; cur ergo non explicate dixit, *Quia ciuitas mea est?* Ille Rex Babylonis dicebat, Dan. 4. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni?* Dan. 4. Cur & Iesus verus Rex regum non dicit de Ierosolyma, quia ciuitas mea est? Fugit meus Iesus verborum iactantiã, quæ bouinam hominum stultitiam præseferunt; amauit verborum modestiam, qua magis eius magnitudo, & præstantia eluceret. Vt dicat Sedul. lib. 1. Paschali, cap. 21. *Neque per Ierosolymam, quia ciuitas regis magni est. Tanquam si diceret mea, qui apertius dissimulauit exprimere, vt humilitate sermonis culmen suæ panderet maiestatis.* Sedul. Maxime panditur maiestas, & præstantia personæ in modestis verbis, & humilibus. Vera enim magnitudo, & præstantia ad modestiam verborum inclinat. Tres illi pueri nacti in fornace ardenti filij Dei cõsortium, & inaudito miraculo insigniti sic cæperũt clamare, Dan. 3. *Benedictus es Deus patrum nostrorũ & laudabilis, & superexaltatus in sæcla.* Dan. 3. Et iure possent dicere, Benedictus Deus noster, cur maluerunt Deum patrum suorum, quam suum vocare? Ait ibi Catena Græca: *Post tantã virtutẽ, adhuc, ad suos patres confugiunt dicentes; Deus patrum nostrorum: quanto enim maioribus rebus ornati erant, tanto se submissius gerebant.* Excellentia qua fulgebant, cogebat illos nequid magnum suum prædicarent, sed verbis modestis altitudinem animi monstrarent.

(t)

§. XXXVIII.

Summa fœlicitas coniungũ nec in æternitate diſiungi.

NE mireris, quod Abigail, vel inter mariti funera, aures præbeat nouo coniugio, imò, quod illa ad illud feſtinet. Dicit enim: *Et feſtinauit, & ſurrexit Abigail, & aſcendit ſuper aſinum; & ſecuta eſt nuntium Dauid, &c.* Sic bona ad primum nuntium feſtinas? Sic properas Dauidi coniungi pene calẽte cadauere prioris mariti? Ne mireris hoc in prudenti hac, & proba fœmina; quam ad ſecundas nuntias non impellebat Venus, ſed virtus; properabat enim coniungi marito, à quo nec in æternitate poſſet diſiungi. Vt vidit primũ in tenebras ire, ſic amabat eum habere, quo poſsit gloriari in æterna luce. Nonne hoc ad ſummam pertinet coniugum fœlicitatem? Canebat de Apra coniuge Chriſtianus poeta habitus, tom. 8. Biblioth. Patrũ.

Fœlix Apra, cui licuit terraque poloque
Coniugis egregij iuge tenere bonum.
Quo terris tibi clarus honor ſub nomine eodem
In cœlis etiam gloria perpes erit.

Quanta fœlicitas, quod ſotium temporalis vitæ in æterna non amittas? Quod omni ex parte Deo immortali te ſiſtas? Plane locutus Nazianz. de matre ſua, quo tempore maritum Deo auerſum habebat, ait orat.

Nazian. 19. *Hoc vnum æquo animo ferre non poterat, (quamuis alioqui fœminas omnes patiẽtiæ laude ſuperaret,) ſe dimidia tantum ex parte, ob ſegmenti ſui auerſionem, Deo copulari, ac non ad corporum coniunctionem, Spiritus coniunctionem adiungi.* Vocat maritum ſegmentum vxoris, quando ex duobus fit vna caro per coniugium. Vnde bona fœmina intolerabile putabat, quod vna caro eſſet cũ marito, & non vnus Spiritus: & quod tanta ſui pars à Deo eſſet abiuncta, adeò, vt neceſſum videretur in æternitate diuidi. Propter quod enixe curabat ſibi maritum in virtutibus reddere ſimilem, vt ſic integra & carne, & mente poſſẽt Deo ſiſti, & in æternum vniri. Ne miremur, quod prudens mulier, vbi honorabile coniugium ſortiendum erat, ad hanc fœlicitatem ſancti mariti ſibi iungendi, cum quo Deo integra ſiſteretur, curreret.

CAPVT XII.

Dauid dormienti Sauli parcit.

Textus Hiſtoria.

ZIPHÆI Interea, notis Dauidis latebris, renuntiant Sauli, quã facile poſſet in extremas anguſtias deducere hoſtem. Collis erat nomine Hachila in ſolitudine Ziph, qui ſcientibus Ziphæis Dauidi dederat aliquale ſuffigium, ſed qui inueniri nollet, cito collem deſeruit, partem nactus ſolitudinis vaſtiorem. Id diuino inſtinctu actum euentus probat, quando Saul Ziphænorum nuntio perſuaſus cum ter millibus ſelectorum militum collem occupat: vbi nocturnis tenebris præpeditus paulliſper ſubſiſtere cogitur. Quæ autẽ nox Saulem præpediebat, ne progrederetur; Dauidem excitauit, vt auderet, duobus ſtipatus ſotijs infatigabilis hoſtis ſui militi appropinquare. Vt autem vidit totum exercitũ ſepultum ſomnõ, aſſumpto Abiſai ſecum tacit⁹: peruenit vſque ad Saulis tentoriũ; dormiebat alte Rex, dormiebat Abner, & cæteri exercitus principes omnes. Et tamen Dauid minime acquieuit Abiſai vocibus poſcentibus ad mortem regem; ſed haſta ſublata, & aquæ amphora, quæ ad caput domientis regis erant, inde proſiliens venit ad ſecuriorem locum; vnde magnis clmoribus excitat Abnerũ exercitus principem, & vehementer accuſat hominem, quod regem reliquerit patentiſsimũ morti. Ad nominis ſui ſonum excitatur Abner, excitatur Saul ad voces, quas ſtatim agnouit Dauidis eſſe, vt quæ repetito teſtarentur in hoſtem regem maximam animi affectionem. Hoc conuictus Rex novum init fœdus cum Dauide; à quo accipiens haſtam, & amphoram aquæ tantæ virtutis teſtes, ad ſuos redit, vt libere abiret Dauid, quo volet.

PARS MORALIS circa textus literam.

VLTIMA Hæc fuit Saulis in Dauidem expeditio, tandem enim & rabidiſsimi hoſtes beneficijs acceptis frangi ſolent, & qui beneficijs certat celeriorem acquirit victoriam.

1. *Reg.* 16.

1. *Reg.* 26. Venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudinis. Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum illo tria millia virorum de electis Israel, vt quærerent Dauid in deserto Ziph, &c.

§. I.

Inuidia nunquam non desipit.

MVltoties Saul irritus manserat in persequendo Dauide, adeò, vt ipse iam adductus fuerit eò, vt regnum Dauidis præuiderit, dum cap. 24. ait: *Scio, quod certissime regnaturus sis;* & tamen modo, audito Ziphæorũ nuntio, statim exurgit in Dauidem, ait enim: *Surrexit Saul, & descendit in desertũ Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, vt quærerent Dauid, &c.* Quem scis certissime regnaturum, cur moliris occidere? Nonne satis doctus es experientia Dauidem à Deo protegi, & seruari in regem? Quo cõsilio aduersus ea, quæ noscis Dei esse insurgis? Plane ostenditur, quam longe sit inuidia ab omni consilio, & sapientia. Audierat etiam Herodes natum regem Iudæorum, quem in scripturis destinatum esse ex Deo ad regnum; & ideo scripturas consulit, vt locum natiuitatis exploret. Quid tunc? Ait Matth. cap. 2. *Tunc Herodes videns, quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem.* Quãta hęc Herodis stultitia? Quem sciebat regnaturũ ex Deo cogitabat occidere inter alios? Duo dicebant scripturæ; primum dicebant de regno Christi; deinde de loco natiuitatis eius. Herodes autem credens locum natiuitatis non posse esse alium, quam qui prædictus erat; regnaturum perdi posse credebat. Vnde hoc? Ex qua scientia? Sed in inuido nõ requirenda scientia. Ait adhæc pulchre Imperfectus hom. 2. in Matth. *Si credis Herodes verum esse, quod dictum est de puero, & de stella eius, quare sine causa insanis in pueros? Nũquid potes tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum, quem Deus defendit? Sed quid mirum, si Herodes homo inquus putabat se posse mutare consilium Dei? Ipse sapientissimus Salomon, cum propter peccatum suum audisset à prophetis Hieroboã regem futurum, posuit persequi eum, putans posse illum perdere, quem Deus protegit, quia zelus sapere nescit, & ira non potest habere consiliũ.* Expẽde illud: *Zelus sapere nescit;* vbi enim inuidia intrauit, vel in sapientissimum Salomonem, sic illud desipere fecit, vt putaret posse perdi eum, quem Deus destinabat in regem. Nihil vnquã rationis, nihil scientiæ in inuido videbis. Erat quãdoque Isaac in Geraris florentissimus, nec paruam vtilitatem vicinis omnibus afferebat, & tamẽ ait Genes. 26. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham illo tempore obstruxerunt implentes humo, in tantum, vt ipsemet Abimelech diceret ad Isaac, Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es.* Et quo recedet Isaac, vbi non sit te potentior? Sapientius ergo faceret Rex potentiorem sibi obstringere, quã infensum abigere. Cur ergo non magis potentiorem demulces, & iustum circa te retines? Sed inuidia erat, quæ nihil cum ratione, & sapientia sinit fieri. Vt dicat D. Chrysost. hom. 52. in Genes. *Aquas iusto inuident, & neque Rex, qui in tanta potestate erat, inuidiam continere potuit: sed dicit: Abi à nobis, quia potentior nobis factus es tu. Cuius gratia abigis iustum? Num aliqua in re tibi nocuit? Num iniuriam intulit? Sed ita se habet inuidia, nihil cum ratione operatur.* Nõ exquiras ab inuidis rationem, nec sapientiam, nec consilium, solum enim nouerunt in omnibus desipere.

Matth. 2.

Matth. 2.

Gen. 26.

Chrysost.

1. *Reg.* 26. Dauid autem habitabat in deserto. Videns autẽ, quod venisset Saul post se in desertum, misit exploratores, & didicit, quod illuc venisset certissime. Et surrexit Dauid clam, & venit ad locum, vbi erat Saul, cumque vidisset locum in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps miliciæ eius, & Saulem dormientem in tẽtorio, & reliquum vulgus per circuitũ eius, ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abisai, &c.

§. II.

§. II.

Contra proximũ, nec oculis pro prijs credendum.

ACcipite incredibilem Dauidis ſanctitatẽ, de illo enim ait text. *Videns autem, quod veniſſet Saul poſt ſe in deſertũ, miſit exploratores, & didicit, quod veniſſet certiſsime.* Videns, quod venillet hoſtiliter Saul, adhuc, miſit exploratores, per quos certior de aduentu fieret: & cur maiorem quæſiuit certitudinem de re, quã ipſe propriis oculis videbat? Et ſi videbat, tamen vt ait Salianus, vix adducebatur, vt crederet Saulem oblitum eſſe accepti à ſe nuper maximi beneficij, & ideo mittit exploratores, vt rem certò ſciat. Sic bonus non credebat oculis ſuis, vt tantũ facinus Sauli tribueret. Quanta hæc Dauidis ſanctitas, & iuſtitia? Non aliter, Matth. 1. *Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirẽt, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto. Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam.* Matth. 1. Et cur non traducebat ipſam, cuius facinus in vtero tumenti videbat? Ait pulchre Imperfect. homil. 1. in Matth. *Conceptionem manifeſte videbat, & fornicationẽ ſuſpicari non poterat.* Tanta erat Ioſeph iuſtitia, & ſanctitas, vt nec oculis crederet, vt ſuſpicaretur facinus de proximo ſuo. Videbat oculis tumentem vterum, & adhuc non adducebatur, vt crederet in vxore errorem. Vtinam ſic omnes affecti ſimus erga proximos noſtros, vt credamus citius falli oculos noſtros, quam illos maculari poſſe. Iſaac metu mortis dixerat in Geraris Rebeccam ſororem eſſe ſuam, non vxorem. Gen. 26. Quid tunc? Geneſ. 26. *Cum pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem moraretur, proſpiciens Abimelech Rex Paleſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua. Et accerſito eo ait, Perſpicuum eſt, quod vxor tua ſit. Cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe?* Vidit Rex eos Iſaaci cũ Rebecca iocos, qui cũ ſorore eſſent inceſtuoſi, nec ſtatim de inceſtu damnauit homines; ſed magis credidit coniuges, quam inceſtuoſos, licet ex communi opinione, & eorum teſtimonio inceſtum proponerent oculi. Ex quo merito exaltat Lyppomanus regis probitatem, ait enim: Lyppom. *Dicit ergo Abimelech in ſenſu ſuo, cur dixiſti ſororem tuam eſſe? Regis autem notatur hic probitas, qui non indicabat inceſtum.* Quantum erat ex communi, conſtantique omnium opinione inceſtum videbat Rex, nec tamen adducebatur, vt iudicaret inceſtum, ſed ad ſanctiorem diſciplinam confugit, vt magis credat eos eſſe coniuges. Sic ſe habent ingenui, & iuſti viri in proximorum erroribus, vt vel in conſtanti malorum apparentia nullius mali admittant ſuſpitionem.

§. III.

A Beatiſsimæ Trinitatis numero, nunquam non auſpicatiſsimum auſpitium.

MIrabar Dauidem tantum fidiſſe nocturnis tenebris, vt ad hoſtiũ exercitum auderet eccedere. Dicit namque textus: *Surrexit Dauid clam, & venit ad locum vbi erat Saul, cumque vidiſſet locum in quo dormiebat, & c. ait Dauid ad Achimelech Hatheum, & Abiſai, & c.* Sciens hoſtilem exercitũ pernoctare in vicino colle duobus ſotijs aſſumptis nimirum Achimelech, & Abiſai pergit Dauid ad hoſtes. Cur non magis noctis beneficio vtitur, vt fugiat tantum exercitum, & ſe abſcondat? In quo audet appropinquare hoſti? An in armis? Sed tantum tres erant viri, qui ſi ab hoſtibus ſentirentur, facile perderentur. In quo ergo tam audax factum aggreditur? Crediderim, quod in ternarij numeri Sacramento; ideo enim Dauid cum duobus alijs tantum ad hoſtem accedit, vt oſtendatur quam auſpicate procedat, qui ſub Beatiſsimæ Trinitatis numero incedit. Et quis hoſtis ſub hoc ternario non declinat ab armis? Dan. 7. quatuor Imperia mundi ſub quatuor beſtiarum nomine oſtendens ait: *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: aſpiciebam, donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* Dan. 7. Sub leænæ huius nomine creditur oſtendi Nabuchodonoſor rabidiſsimus fidelium hominum hoſtis. Is ergo efferus tyrannus dicitur tãdem deducendus ad humanitatem, vt leænam exuat, & hominem induat. Sed vnde hoc fieri poteſt? Qualiter immaniſsimus fidelium hoſtis reducetur ad humanitatẽ? Dan. 3. tres pueri Hæbræi ab illo in fornacem ardentem coniecti, illæſi manebant inter flammas, quod miratus Nabuchodonoſor & illis placatur, & totus effundi- Dan. 3.

tur

tur in Dei laudes. Sic trium puerorum miraculum feram in hominem reddiderunt, vt pateat, quã auspicatus sit numerus Beatissimæ Trinitatis. Adhæc Rupert. lib. 6.

Rupert. de glor. Trinit. cap. 7. ait: *Non casu, sed prouidentia Dei, tantummodo tres pueri sunt illi martyrio destinati, quo bestia leæna docta fuit saltem ad horam assumere vocem hominis, & Deũ confiteri.* Tres pueri immissi in caminum furiosum regis animum sedarunt, & è bestia in hominem transmutarunt, idque prouidentia Dei factum, vt manifestaretur Sacramentum Trinitatis. De huius enim Sacramenti virtute auspicate contra aduersarias potestates vadis. Sic Thamar in suo facinore præcauens periculum futurum tria pignora à Iuda petijt, & accepit nimirum annulum, armillam, & bacu-

Gen. 36. lum. Quid tunc? Ait Genes. 38. *Post tres menses nuntiauerunt Iudæ dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumescere. Dixitque Iudas; Producite eam, vt comburatur. Quæ cum educeretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens, De viro cuius hæc sunt, concepi. Cognosce, cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus ait; Iustior me est, &c.* Qui sic in Thamarem iracebatur, vt iusserit comburi fœminam, visis tribus eius pignoribus protinus in illã sedatur. Proquo D. Zeno

D. Zeno. in cat. Lyppom. ait: *Thamar arguitur, quod de fornicatione conceperit, & Ecclesia quasi legis adultera, Iudæorũ est à senioribus accusata, quod Sabbatum ruperit, quod eorum traditiones abiecerit. Thamar protulit monile, annulum, Virgam; seque liberauit Sacramento numeri ab imminenti supplitio Ecclesia ipsa veritate in nomine patris, & filij, & Spiritus Sancti, non tantum diaboli præsentes ignes extinguit, sed etiam futuri diei iudicij incendia superabit.* Sic vbi Trinitatis Sacramentum splẽdet, vniuersas incursiones malas abijcit. Nec miror, nam in huius numeri Sacramẽto præsentissima deitas adsit, quæ vniuersa mala abigat. Hinc Ioann. 19. vbi Iesus cruci suffixus est; titulus cruci affigi-

Ioan. 19. tur, qui eius regnum declararet. *Et erat scriptum Hebraice, Græce, & latine:* sub tribus linguis scriptus titulus ter Iesum Nazarenum Iudæorum regem pronuntiabat. Et quid inde? Pulchrè canit Sedul. lib. 4.

Sedul. *Scribitur & titulus, Hic Rex est Iudæorum*
Quod nihil à deitate vacet, nam cœlitus actum
Hoc Hebræa refert, hoc Græca, latinaq; lingua
Hoc docet vna fides, vnum ter dicere regem.

Expende illud: *Quod nihil à dietate vacet*; quippè triplicatur titulus in cruce, dũ tribus linguis scribitur, vt nec crux, nec passionis conflictus à Deitate vacet, quæ se præsentissimam ostendit aduersus mala, vbicumque fulserit numerus Trinitatis.

1. *Reg.* 26. Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem & dormiẽtem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius, Abner autem & populum dormientes in circuitu eius. Dixitque Abisai ad Dauid: Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas; nunc autem perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit. Et dixit Dauid ad Abisai, Ne interficias eum, &c.

§. IIII.

In virtutum facinoribus progrediendum.

AVdet Dauid inter confertissimos hostes, & si dormientes progredi, & vsque ad regis tentorium peruenire. Dicit enim: *Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem, &c.* Nec id ausus est Dauid culpabili audacia, & temeritate, vt perderet hostem; sed impulsus à Deo, vt qui iã semel hosti in manus habito pepercerat, nunc secundo exurgeret ad similem gloriam. Sic bonus post semel vita donatum hostem, noua discrimana aggreditur, vt nouiter parcat hosti, & victoriam victorijs addat, quo perfectus euadat. Semel enim vicisse, etiam Tyronum est, at multarum cumulus victoriarum ostendit veteranum. Apocal. 6. *Vi, & ecce equus albus,* *Apoc. 6.* *& qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Magnum erat in hoc duce, siue Imperatore, quod non vincebat, vt quiesceret, & potiretur securus spolijs partæ victoriæ; sed post vnam victoriam, sese ad aliam parabat, & instaurabat certamina, & congressiones, vt nouam semper acquireret victoriam. Adeò, vt non putaret se vicisse, nisi modo haberet, quod vinceret. Id in Cõstantino Imperatore extollebat incer-

tus

tus author eius Paneg. dicens: *Quis nam iste tã continuus ardor? Quæ diuinitas perpetuo vigens motu? Omnũ rerũ interualla sunt. Cessat terra noualibus, dicũtur interdũ flumina sistere, & ipse dies noctibus acquiescit. Tu Constãtine solus infatigabilis, bellis bella cõtinuas, victorias victoryis cumulas, quasi præterita sint obliterata, si desinas, nõ putas te vicisse, nisi vincas.* Quid pulchrius? Sanè innumeri sunt, qui vnam pugnã strenue pro Deo, & virtute peragant, at qui post periculosam victoriã partam nõ ament esse in otio, rari sunt. Ille rarus, & præstantissimus est, qui infatigabilis interualla non amat pugnarũ, sed bella bellis cõtinuat, & victoriã victorijs cumulat; nec putat aliquid egisse, si desinat; nec vicisse, si nouiter ad aliã victoriã non se præparat. Tales amabat milites Dominus, Luc. 12. fatus: *Beati serui illi, quos cũ* Luc. 12. *venerit Dominus inuenerit vigilantes::: & si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Solent vigiles mutari per varias vigilias noctis, alij enim dantur pro prima vigilia, alij pro secũda, alij pro tertia. Et nullus est qui, transacta sibi assignata hora, nõ abeat, & se somno tradat; at diuinus Imperator, sic suas vigilias distribuit, vt vellet omnes in omnibus esse vigilantes. In omnibus enim vigilijs venit, & quos simul in prima, & secũda, & tertia vigilia inuenit vigilãtes, ijs coronã parat. Quisquis ergo ad coronã Dei contendit, non cõtenus sit vna vigilia, sed ab vna ad aliã, & ab hac ad aliã pertrãseãt. Vidi sæpe qui acriter cũ mũdo cõflixerũt, & mũdo vigilãti animo renuntiarũt, Deoque nomen dederũt, in aliqua religiosa familia. Sed post hanc victoriã, quiescentes, iam prælijs cũ mundo renuntiant; imò ambiunt sæculi splendores in dignitatibus, in Episcopatu. Hi exierũt vincentes, sed nõ vt vincerent; vigilarunt prima vigilia, sed non secunda, neq; tertia. Scio è Sotietate Iesu Beat. Franciscũ à Borgia strenue pugnauisse cum mundo, dũ Gandiæ Ducatũ exuit, & nostram paupertatem induit. Sed & postea dum ter ad dignitatem Cardinalitiam vocatur, ter obstitit; vt videatur in secunda, & tertia vigilia vigilans. Et post primã victoriam, non quieuit, non somno indulsit, sed ad aliam se accinxit, non reputans præterita, si desinat, nec putans se vicisse, nisi vincat, semper infatigabilis bella bellis addit, victorias victorijs cumulat, quo summũ pertingit perfectionis apicem. Luc. 7. *Ecce mulier in ciuitate pec-* Luc. 7. *catrix, vt cognouit, quod accubuisset Iesus in domo Pharisæi attulit alabastrũ vnguenti, & stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Tanta erat Maria in obsequijs saluatori præstandis, tanta in pugnando cũ gloria mundi, cum carnis voluptatibus. De qua merito dicit Sedul. lib. 4. Paschal. cap. 5. *Prouoluta vestigijs, nec fletu proluere, nec crinibus detergere, nec precioso quiescebat vnguẽto pedes osculans irrigare.* Sedul. Nulla quies erat in duello accepto pro tollendis peccatis. At in ijs hæsit? Abiit ait Ioan. 12. *Ante sex sex* Ioann. 12. *dies paschæ venit Iesus Bethaniam::: Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis, &c.* Iterum in arena mulier, iterum armatur alabastro, iterũ bellũ indicit gloriæ fœminarũ, dum vnguentum effudit, dũ nec capillis tergendo parcit. Et quantum hoc? Merito ait Bed. hom. 2. habita tom. 3. Biblioth. Homiliar. *Ibi quippe rudimenta* Bed. *pœnitentiæ, hîc institiam perfectarum designat animarum.* In prima vnctione pœnitentiũ delineabat victorias, & certamina; & quãdo non ibi hæsit; sed secundo facinora instaurat, & secundo accedit, vt vnguenti, vt capillorum periculum faciat; tunc exiuit vincens, vt vinceret, tunc ostenditur vigilans in omni varietate vigiliarũ, quo summum attingit perfectionis apicem.

§. V.

Iuueniles anni nihil non bellicũ & cruentum spirant.

VT videt Abisai hastam fixam in terra, ad illã properat, vt dormientem interficiat; sic enim ait: *Dixitq; Abisai ad Dauidem: Conclusit Deus inimicũ tuũ hodie in manus tuas, nunc autem per fodiam eum lãcea, &c.* Vt iunior Abisai, nimirũ sororis Dauidis filius, sic viso hoste nihil magis cogitat, quã arma capere, & hominẽ interficere. Ipsi sibi petit munus lanceę capiendæ, & percutiendi hostẽ. Sic iuueniles animi nihil aliud meditantur, quã bella, quam percusiones, quam rixas. Vbi monitu Dei Achab egreditur aduersus Benadab regem Syriæ, 3. Reg. 20. ait: *Egressi sunt ergo pueri* 3. Reg. 20. *principum prouinciarum in prima fronte, &c.* Ecce tibi, qui in prima frõte exercitus apparẽt, nimirũ pueri principũ, hoc est, filij nobiliũ omniũ, qui vt iuueniores, sic primo cõgressu gaudẽt. Quo spectãs D. Synesius ep. 116. ait: *Pugna, & cõtẽtio absit quidẽ omnino, sin aliqua interuenerit, eã iunior inchoet. Tale enim quiddã Neptuno in animũ venit, vt* D. Synes.

auspicandi prælijinniori Deo faceret potestatē. Grandiorem vero natu præire ad honestissima quæque consentaneū est: honestissima porro concordia est. Sic, vt graues anni concordiā cū omnibus ambiūt, ad illamque attenti sunt comparandam; è cōtra iuueniles animi nihil citius meditantur, quā arma, quā cruenta certamina. Et in rixis, & contentionibus primum locum amant.

§. VI.

In virtutibus ceptis magna est tenenda constantia.

SEmel Dauid infensissimo Sauli perpercerat, sotios ab eius interfectione prohibens supra cap. 24. modo in simili discrimine constitutus idem facit. Quippè ait: *Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eū, &c.* Post semel datā veniā, & post experientiam ingratitudinis Saulis potuisset Dauid mutare consiliū, & permittere tanti hostis interfectionē; sed ipse constantissimus, vt primo cohibuit sotios ab illius interfectione, sic modo Abisai cohibuit. Sēper sui similis Dauid in executione virtutū, vt quam primo amplexus est, & secūdo, & semper retineat. Luc. cap. 11. *Quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbū Dei, & custodiunt illud.* Quando matrem suam laudibus extolli videt Iesus, ipse tunc præfert auditores diuini verbi. Et cur necesse fuit inter maternas laudes miscere præcellentiā auditorū Verbi Diuini? Iam semel antea Luc. 8. auditores Verbi Diuini prætulerat carnalibus parentibus, in quo perseuerans cōstantissimus, quauis occasione oblata ostendit, quam sit sui similis in doctrina virtutum. Adhæc ait Tertull. lib. 4. in Mar. *Exclamat mulier de turba Beatū vterum, qui illū portasset, & vbera, quæ illū educassent: & Dominus: Quinimo beati, qui audiunt sermonē Dei, & custodiunt illū. Quia & retro sic reuocerat matrē, aut fratres, dū auditores, & obsecutores Dei præfert.* Expēde ab illis: *Quia & retro sic, &c.* nimirum, quia & antea auditores Verbi Diuini, & obsecutores parentibus carnalibus prætulerat, vbicūque se offert occasio, semper ostēditur idē, semper sui inuenitur similis, & constantissimus in asserenda virtute. Qualis constantia supponitur in animis cœlestibus. Vnd Gen. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei, luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram & præessent diei, ac nocti.* Quæ verba sic legit D. Athanas. orat. 3. contra Arian. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius ad exordia diei, luminare minus ad exordia noctis, &c.* Et mirabar, quod luminare maius, nēpe Sol dicatur solūmodo factus ad exordia diei. Et quādo dies sine Sole procedere nō potest, quomodo Sol dicitur factus solūmodo ad exordiū? An post exordiū non lucebit iā in meridie? Absit: imò ea est constantissima cœlestiū naturarū præstantia, vt quæ semel cēperint bona facere, semper inueniantur in eisdē, semper suæ beneficentiæ memores, semper sui similes. Ex quo sapienter Andræas Creten. hom. in Annunt. probat à Dei filio nato nō potuisse corrūpi Mariæ Virginitatem, vt qui eā in conceptu incorruptā seruarat. Ait enim: *Quod ex te per partū prodyt, virginitatē tuā haud corrumpit, nam qui formauit, idem quoq; cōmuninit castitatis tuæ signacula.* Vt semel cæpit Dei filius cōplacere sibi in matris virginitate, sic semper in illa sibi cō placuit, & illā peculiariter formans, & custodiens eamdem in conceptu, & in partu, semper idē, semper sui similis, non perdens in partu, quod in formatione, & conceptione seruarat.

§. VII.

Sacratis rebus vim inferri, nūquam non culpabile, & detrimentosum.

LAudo sapientem illam Dauidis sententiā, nimirum: *Quis enim extendens manū suam in Christum Domini, & innocens erit?* Eò ipso, quod Christus domini sit, hoc est, vnctus, & sacratus Deo, culpabiliter, & periculosè offenditur. Quo spectās Caietan. in præsenti ait: *Sēper Dauid fixū in corde, & in ore habuit honorem summi Dei, adeò, vt innocentē nullū censuerit, quod in vnctum à Deo manus extenderit.* Vane de innocentia præsumit, qui audet res sacras violēter tractare. Culpa enim hæc est, & quæ cōtestim seuere à Deo solet castigari. Azotij arcam Dei in bello captiuauerāt, 1. Reg 5. quā vt captiuā Idolo suo Dagō apposuerūt. Quid tūc? Nō curo idoli plagas, sed ad Azotiorū plagas accedo, dicit enim text. *Aggrauata autem est super Azotios, & demolitus est eos, & percussit in secretioribus partibus natum Azotum, &c.* Miraris? Sed accipe supplicium maius, quod huic adiungit D. Athan. epist. ad Solitar. fatus: *Quidā magna vi thronum Episcopi conuellens ad se distrahit, minime*

Tertull.

Caiet.

Gen. 1.

1. Reg. 5.

D. Athan.

D. Ath.

An. Cret.

Luc. 11.

me animaduertens in ſeſe vltionem diuinã attrahere. Vt enim olim Azoti incolæ auſi arcã attingere, ſtatim ſecundum hoc factum peribãt, ſed ita vt prius ſedium tormentis excruciarentur: ita quoque miſer iſte auſus ſellam conuellere, fracmento ligni inde in ventrem illius reſiliente, & quaſi ab ipſa vltione impacto, inteſtina ſua perforauit, & eadem vi, qua ſolium diſrumpere conabatur, rupta aluo ſua inteſtina effudit, celeriuſque quam ipſe thronum auferret, thronus ei vitam ſubſtulit. Quid horribilius? Dum ſacrũ Epiſcopi thronum in templo nititur Arianus homo rumpere, fracmento illius proſiliente rupturam patitur ipſe ſuorum viſcerum: & citius à throno interficitur, quam thronum cõfringat. Sic pereunt, qui ſacris vim inferre non dubitant. Vnde infra cap. 15. §. 20.

1. *Reg.* 26. Tulit igitur Dauid haſtam, & ſcyphũ aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non erat quiſquã qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor domini irruerat ſuper eos. Cũque trãſiſſet Dauid ex aduerſo, & ſtetiſſet in vertice montis de longe, & eſſet grãde interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filiũ Ner, dicens: Nonne reſpondebis Abner?

§. VIII.

Quod dormienti ſubrepit, excuſabile apud ſapientes eſt.

TVlit Dauid haſtam Saulis, & ſcyphũ aquæ, nec dicitur poſt hæc doluiſſe; ſed ſolũ dicit textus: *Tulit igitur Dauid haſtã, & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, & non erat quiſquã, qui videret, &c.* De ablata lancea dicit, de dolore in ablatione tali non loquitur. At ſupra cap. 24. non lanceã, ſed particulã Chlamydis eripuit, & maxime doluit; dicit enim: *Præcidit ora Chlamydis Saul ſilenter. Poſt hæc percuſsit Dauid cor ſuum, eò, quod abſcidiſſet oram Chlamydis.* Et forſam non tã indecorũ erat viro bellatori, quod ei pars Chlamydis, quam quod arma eriperetur. Cur ergo Dauid qui doluit in ablatione laciniæ Saulis, nõ doluit in ablatione lanceæ? Cũ tollebatur Chlamydis pars, non dormiebat Saul, ſed erat vigilans in ſpelũca; & valde indecorũ eſt viro bellatori, quod ei vigilãti poſsit veſtẽ tollere hoſtis. Et ideo merito Dauid doluit, quod indecorũ quid faciebat regi, dũ ei vigilanti eripit veſtis orã. At cũ haſta tollitur, nõ vigilabat Saul, ſed dormiebat; quod autẽ dormiẽti aliquid eripiatur, nõ adeo eſt ei indecorũ, ſed maxime excuſabile apud ſapientes, & ideo Dauid nõ doluit in haſtæ ablatione. Quando enim non excuſabilis eſt, qui dormiens patitur dolũ? Sic Iudic. 16. voiẽs mulier perdere Samſonẽ, *Dormire eũ fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocauitque tonſorẽ, & raſit ſeptẽ crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: Statim enim ab eo fortitudo receſſit.* Sic mulier raſit, & eneruauit fortiſsimũ illum iuuenem Samſonem; neque hoc valde mirandũ eſt; quod enim ego vehemẽter admiror, eſt, quod Deus homĩ ſic eluſum, & raſum à fœmina expectet ad pœnitẽtiã, & illi vires redintegret. Cur Deus homini cõſulit, qui ſic ſe à fœmina tonderi, & radi permiſit? Cur non eijcis, vel à meretricibus electũ? P cuſabilis apud Deũ apparuit Sã quod nõ vigilans, ſed dormiens i calamitatẽ venit; vt ei crines erip Pulchre D. Auguſt. lib. 2. de Miral Scrip. cap. 6. ait: Nõ tam in longo amiſſam virtutẽ recuperabat, quã d ſpeciale, quod negligẽs amiſit, afflictu. nitentia creſcẽtibus capillis paulatim in. petrabat: præſertim cũ *in huius mãdati trãſgreſsionem ex parte licet aliqua excuſabatur; quamuis ſuæ virtutis Dalidæ petenti myſterium licere nõ negauit, non tamen ſe imperante, vel cõeedente, vel ſentiente tondetur. Vnde afflictus poſtea à Deo impetrauit facilius, quod nõ ſponte, ſed dormiens ſeductus amiſerat.* Expende hæc. *Quod non ſponte, ſed dormiens amiſerat:* nunquã enim quod dormienti eripitur, nõ aliqualẽ excuſationem ei accumulat, qui ſi plene vigilaret, talia ſibi fieri nõ permitteret. Hinc Matth. 13. *Cũ autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici.* Quibus verbis non oſtenduntur mala à diabolo ſeminata per prælatorũ, cuſtodũque populi culpam, ſed quæ accidunt quotidie cũ legitima eorum excuſatione. Ideò dicit: *Cũ dormirent homines*; non ſomno pigritiæ, ſed ſomno naturæ; vt enim dum viuimus in præſenti, neceſſum eſt dormire; ſic quod dormienti accidit, habet excuſationem culpæ. Quo ſpectans Caietan. in præſenti ait: *Dicit homines dormire, vt inculpabiles intelligamus*

In

Matt. 13.

Caiet.

mus naturali somno occupatos. Describuntur igitur dormientes homines, vt in eis hominibus fata zizania scribantur, si vidissent enim prohibuissent. Vt inculpabiles significentur prælati. Nam & Apostolorũ tempore, imò ipso Iesu præsente fata zizania Iudæ proditoris, & Simonis magi. Plane sciebat Dominus multa mala ex diabolo oriri in Ecclesia absque vlla culpa prælatorũ, vt Iudæ, & Simonis magi mala orta sunt; eaque sapienter dicit orta dormiẽtibus hominibus, ne inde culpabiles videantur, vt nõ est culpabilis, cui dormienti subrepit malum. Sic turpis nuditas Noe, Gen. 9. non culpæ datur, quia dormiẽti accidit. Nec Lothi incestus prorsus dãnatur à Chrysostomo, vt cui dormienti concubitum filię subripuerint. Sic militibus Romanis nõ fuit difficile, nec putarũt sibi inhonorum fateri, quod ipsis dormientibus surreptum fuerit corpus Iesu à discipulis. Matth. 28.

9.

§. IX.

Non potest non prodi natura in casibus.

vestem, nõ aliud prius Dauid ac-
pit, quam lanceã, sic enim ait: *Tu-
t igitur Dauid hastam, &c.* Cur non
? Plane homo militaris non potuit
agis lancea sublata gaudere. Nequit
non prodi in casibus ardor naturę la-
ntis. Sic ipse Dauid, 1. Reg. 17. post percussum *Philisthæum*: *Assumens caput Philisthæi attulit illud in Ierusalem, arma vero eius posuit in tabernaculo suo.* De percusso hoste substulit caput, & arma, quæ reposita omnibus testarentur facinus. Verum Iudith, cap. 13. post Holofernem percussum, non gladiũ, nec arma reseruanda cæpit, sed interfecti caput assumit, & conopæũ, quippè ait: *Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorũ, & ecce conopæum illius, in quo recũbebat.* Compone modo Dauidem & Iudith; ambo in arenam prosiliunt pro Dei populo; ambo hostis gladio vtũtur, vt eius amputent caput, ambo spolia capiũt in rei memoriã. Sed quæ spolia? Dauid cũ hostis capite eius arma capit; Iudith nõ arma, sed compeũ aufert. Et cur hæc non magis gladiũ accipit, aut ille vestes interfecti capit? Equidẽ non potuit vtriusque natura non manifestari, qui vir erat, nihil prius reseruare curauit, quã arma. Fœmina autẽ magis sibi in conopeo, quod sericũ quoddam erat velum, complacuit. Currit fœmina ad sericũ velũ, currit vir ad gladiũ; & vtriusque in his conditio apertissime manifestatur. Nõ absimili æstu Achilles muliebri habitu indutus inter virgineos choros agens proditur. Vlysses enim corã choro virgineo proponit donaria, vittas sericas, fœmineos ornatus, & arma bellica, insuper erat, vt singulæ accipiant, quæ sibi magis placerent. Quid tunc? Ait Statius lib. 2. in Achil.

Hinc aliæ, quas sexus iners, Naturaque dutit Statius.
Aut teretes thyrsos, aut respondentia tentant
Tympana, gemmatis aut cingunt tẽpora vittis.
At ferus Æacides radiantẽ, vt cominus orbem
Cælatum pugnis sæuis, & forte rubentem
Bellorum maculis, & accliuem conspicit hastã:
Infremuit, torsitque genas, & fronte relicta
Surrexere comæ: nusquam mandata parentis
Nusquam occultus amor: Totoque in pectore
Troia est.

Sic dũ virgines ad gẽmatas vittas, Achilles non potuit non magis ad arma ire. Nũquam enim non proditur natura. Hinc cõficit Ethnicos Arnobius, quitoto nixũ affingere sibi diuinitatẽ nitebãtur. Ait enim lib. 2. *Vos vestrarum animarũ salutem in ipsis vobis reponitis, sierique vos Deos vestro fiditis intestinoque conatu: at vero nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, naturã intuẽtes nostrã virium esse nullarũ, & ab suis affectibus in omni rerũ contentione superari.* Expende hæc vltima, nimirum: *Et ab suis affectibus in omni rerum contentione superari*; nũquam enim non solet vincere affectus naturæ humanæ, vt se prodat. Quantumcumque velis videri diuinus, & mentita diuinitate super astra te exaltes; ad primam occasionem oblatam affectus se prodet humanus, qui te humanum iactet.

Iudith, 13

§. X.

Vbi maiores sunt oppositiones diuinis promissis; maiori cumulo ea Deus adimplet.

LIbere, & secure Dauid ingreditur tentoriũ Saulis dormientis, & inde egreditur, quin ab vllo vigili sentiretur. Quippè ait text. *Non erat qui suquã, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Non equidem ex natura rei, sed ex Dei miraculo tantus oppresit somnus Saulis exercitum, vt Dauid libere ingrederetur, & egrederetur. Et cur necessum fuit Deum

tanto

tanto vti miraculo, vt Dauid ingrederetur ad regem dormientem, quando nihil mali illi illaturus erat? Exercitus Saulis, quo validior aduersus pene inermem Dauidē, eo magis videbatur impedire Dei promissionem de tradendo Saule in manus Dauid, & ideò ad Deum pertinebat sopire exercitum, vt sic non semel, quod ad promissionem sufficiebat, sed pluries Saul traditus in manus Dauidis ostenderetur. Et sic inter maiores oppositiones, maiori cumulo sua promissa Dominus adimpleret. Ait Abbul. quæst. 14. Deus voluit, vt omnes dormirent, ita vt nemo posset impedire Dauid. *Promiserat enim Deus, quod traderet Saulem in manus Dauid, vt patet, cap. 24. Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te, ego tradam inimicum tuum, &c. Et non solum volebat Deus hoc facere semel, sed pluries.* Quod Deus promisserat de tradendo hoste iam ostensum, & adimpletum fuerat, cap. 24. vbi Saul in spelunca in Dauidis manus venerat. Sed noluit Deus id facere semel, sed pluries, vt quia persecutiones hostiles crescebant, etiam promissiones diuinæ augerentur. Sic Deus inter ipsas contrarietates maiori cumulo sua promissa exequi consueuit. Nota est Ionæ historia, vt Deus Niniuitarum conuersionē eius prædicationi promittebat; vt ipse munus refugit, vt in contrarium nauigat, vt tempestate iactatur, & in mare proijcitur. Quid tunc? Ait Ionæ, cap. 1. *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare::: Timuerunt viri timore magno, & immolauerunt hostias Domino.* Nec hoc solum, sed post paululum euomitus Ionas, prædicat in Niniue, cap. 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum.* Ecce tibi, vt fugiebat Ionas ne promissio Dei de conuertendis, & seruandis Niniuitis non adimpleretur, & ex fuga factum est, quod non solum Niniuitæ, sed & infideles nautæ, & ipse Ionas seruaretur. Sic solet Deus maiori cumulo implere promissa, vbi plures sunt oppositiones resistentes. Adhæc pulchre Theophylact. ibi: *Vides, ne hic diuinam dispensationem? Fugit Ionas, ne seruentur Niniuitæ, & ecce seruantur nautici, deinde & ipse, & exuberantius bonum perficitur. Sic diuina prouidentia, &c.* Expende illud: *Exuberantius bonum perficitur*; vbicūque enim contrarietas aliqua sese opponit diuinis promissionibus, hoc accidit, vt exuberātius, & copiosius perficiatur, quod Deus proposuit. Quis nesciat promissam à Deo Abrahæ filiorum multitudinem? Quā promissionem, vt perderet diabolus, per regem Ægypti vehementer Israelitas premebat. Sed ait Exod. 1. *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabātur, & crescebant.* Quo circa ait D. Chrysost. hom. 16. in Acta: *Præceptū regum non perdidit illos, sed auxit magis multitudinem. Vides, quod per quæ diabolus attentat impedire promissionem Dei, per ea creuerit? Hoc enim diuinæ potentiæ erat in tanta regis indignatione gentem crescere.* Tantum aberat, vt impedimenta obstarent diuinæ promissioni, quod inde exuberantius adimplebatur. In hoc enim potētia Dei elucet, quod ex maioribus angustijs promissiones suas ad latiorē deducit campū. Id præno scebat, & in se delineabat magnus ille Ioseph, qui dū se adorari à patre, & matre, & fratribus, in Sole, & Luna, & duodecim stellis per somnium acceperat; venditus à fratribus, & in Ægyptū deductus, ibi principatum tenuit. Et tunc ait fratribus, Gen. 45. *Nō vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem regis Pharaonis, & dominū vniuersæ domus eius, ac principē in vniuersa terra Ægypti.* Quæ verba explicatius in rem præsentē pulchra exponit paraphrasi Philo, ibi: *Hunc casum nō vobis imputo, sed Deo. Totius Ægypti procuratio mihi commissa est: Rex honorem mihi habet eximiū, & vt patrem veneratur. Color, obseruorque non tantū ab indigenis, verū etiā à plurimis gētibus, vel prouincialibus, vel liberis,* Sapienter euentū, fortunāq; suam vni Deo refert acceptā; omne alterius potestatis auxilium excludit. Et cur putat ab vno Deo suā fortunā profectam? Rei indicium est illud: *Color, obseruorq; non tantū ab indigenis, verū etiam à plurimis, &c.* Quippe promissio fuerat illū adorandū à domesticis suis, patre, matre, fratribus, in Sole, Luna, stellis, vbi autē per vēditionē, & seruitutē ad rem per ventū est, adorabatur, colebatur non solū à domesticis, non tantū ab indigenis, sed à plurimis alijs nationibus, & gentibus. Quod sola perficere potuit diuina potētia, cuius est medijs cōtrarietatibus exuberantius sua promissa adimplere. Et quando non adimplet promissa exuberantius? De Iesu dicebat Paul. ad Philip. 2. *Factus obediens vsq; ad mortem, mortem autē crucis.* Obedientiā pro nobis decreuerat vsq; ad mortē crucis. Quid inde? Ait Saluian. lib. 2. de Eccles. Cathol. *Qui cum vt Apostolus ait, in forma Dei esset, humiliauit semetipsum vsque ad mortem; mortem autem crucis; non contentus scilicet simplicem pro nobis subire mortem, nisi ipsam voluntariæ necis susceptionem summorū supplicioru susceptione cumulasset.* Sic multo addito cumulo promissa auget.

Abbul. *Ionæ, 1.* *Ionas, 3.* *Theoph.* *Exod. 1.* *Chrysost.* *Gen. 45.* *Philo.* *Ad Phil. 2.* *Saluian.*

1. *Reg.* 26. Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & & inquietas regem? Et ait Dauid ad Abner: Nunquid non vir tu es? Et quis alius similis tui in Israel? Quare ergo non custodisti Dominum tuum regem? Ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret regem Dominum tuũ. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini. Nunc ergo vide, vbi sit hasta, &c.

§. XI.

Vox iniuriam patientis clamorosissima est, vt longius percipiatur.

STiterat Dauid in montis vertice tã longo interuallo distans â Saulis exercitu, ne timeret capi à militibus concurrẽtibus. Et ibi sic altè clamabat ad Abner, vt excitatus ipse, caueret, ne rex excitaretur. Ait enim. *Quis es tu, qui clamas, & inquietas regẽ?* Vox erat vnius Dauidis stantis in vertice montis, & cum *esset grande interuallum* vsque ad exercitũ, nihilominus tanta erat vox, vt crederetur posse inquietare regem. Sed quî fieri potuit, vt vnius hominis vox tanta esset, quæ post superatum grande interuallum posset inquietare longe dormientem? Non miror, erat enim vox hominis iniuriam patientis, quę altissima est, & clamorosissime sonat, vt excitet cœlorum regem. Matth. 2. dicebat: *Tũc adimpletum est, quod dictum est per prophetã Ieremiam dicentem: Vox in Rama audita est, &c.* Tunc, inquam, quando occidebantur innocẽtes, audita est vox in Rama. Et quid Rama cum Bethlehem, cuius in finibus occidebantur pueruli? Ait Imperfect. hom. 2. in Matth. *Quamuis Rama non esset prope Bethlehem, tamen dicitur vox in Rama audita est, quoniã Rama hebraice interpretatur excelsum. Ideo dixit, vox in excelso audita est, quoniam de morte innocentium mittebatur ad cœlum, & ideo audiebatur in excelso. Sic & pauper quando violentiam patitur à potente, etiam si nõ est ausus vociferare, sed latenter lachrymatur, tacitus clamor eius in excelso auditur: quia non magnus clamor à Deo auditur, sed iustus.* Audiuntur proculdubio clamores patientium iniurias, quantumuis illi summisse querantur. Herodias vocem Ioannis Baptistæ non ferens, illius iussit caput amputari; & amputatum est Ioannis caput Mar. 7. *Missso speculatore præcepit afferri caput eius in disco.* At amputati capitis lingua obmutuit? An vox intercluſa fuit? Imo nunquam sonorius cępit audiri, quam post acceptam iniuriam tantam. Pulchre enim ait D. Basil. Sel. orat. 18. *Abscissum est caput, nec tamen vox Ioannis tacet, aternũ loquetur post funera. Accusatorem in te, mulier armasti; neque enim cum capite vocẽ quoque præcidisti. Etiam post accusationem superstes est tibi accusator, plena criminum tuorum terra, audaciam Maria ipsa mirãtur, cœlum superne cum Ioanne vociferatur.* Quis non crederet linguam in morte ligari, vocem intercludi? At iniuriam patientis vox nulla nouit ligamina, sed secum vociferationis sotiũ vniuersum assumit. Ait enim: *Cœlum superne cum Ioanne vociferatur.* Et quomodo non audietur vox, quæ clamoris sui cœlum sotium habet?

Matth. 2.

Matth. 2.

Mar. 7.

Basil. Sel.

§. XII.

Non vir, sed fœmina est, quæ incautam exhibet custodiam.

PRæclara illa Dauidis de Abnere ădubitatio est, dicit enim: *Nunquid nõ vir tu es?* Et merito in dubium vocatur, an sit vir, qui regem Saulẽ custodiens sic dormiebat, vt patientissimum aditum relinqueret ijs, qui vellent regem occidere. Quî enim in tantæ rei custodia obdormit, non vir, sed fœmina habendus; nec credendus Rex posse occidi dormiente custode, nisi per fœminam fuisset custoditus. Hinc 2. Reg. 4. de occisſoribus Miphiboseth locutus textus ait: *Ingressi sunt feruenti die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum, obdormiuit.* Quæ verba ponderans Rabanus ibi ait: *Non enim Isboseth inopinata morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem custodiam deputasset.* Nisi mulier esset custos Isboseth, minime posset per quelles aditum ad illum perdendum inue-

2. *Reg.* 4.

inuenire. Sola enim fœmina incauta est, vt abigat à suis periculum. Pharao ille, vt cepit timere sibi ab Israelitis pro tuta sui regni custodia omnes eorum masculos recẽs natos mandabat occidi. Quid tunc? Natus Moyses tunc fuit, & à parentibus expositus fluminis fluctibus, quem videns Pharaonis filia misertа eius, extraxit à flumine, nutriendumque illum tradidit, Exod.
Exod. 2. 2. *Accipe*, inquit, *puerum istũ, & nutri mihi; ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutrinit puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptauit in locum filij.* Si quis puer occidendus à Rege erat; maxime occidendus erat puer iste, in vno enim eo tota Israelitarum salus cõsistebat, & Ægyptiorũ perditio. Et nilominus pereuntibus cæteris, hic tantus Ægyptiorum hostis in Regia ipsa aditum inuenit, in qua adolescat, in regni, regisque perditionem. Et quis tantæ ruinæ aditum obtulit adeo securum? Sane filia Pharaonis, quæ magis vigilare debebat in custodia patris, hæc incaute recepit eius ruinam. Ait D. Aug.
D. Aug. serm. 89. de temp. *Nouum miraculum, genus fecit misericordiæ filia parricida. Nam cum parvulũ seruat ignara, patrem decipit incauta.* Vigilantibus Ægyptijs pro asseruando regis edicto, & summa cautela cauentibus, nequis Israelitarũ parvulus euaderet; vna fœmina, cui magis cordi debebat esse patris vita, incauta locum dedit extremo patris excidio. Sic male custodiunt suos fœminæ, non viri.

§. XIII.

In aliorũ defectu maxime tuũ officium ostenditur erga Deum.

NOn otiose tantus est Dauid in accusando, & damnando Abnerum, & omnem Saulis exercitum, quibus ait: *Non est bonum hoc, quod fecisti. Viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini, &c.* Et cur tantus est Dauid in accusanda, & damnanda Abneris & exercitus somnolentia, & custodiæ regis neglectu? An volebat illos regi odiosos facere? Absit; sed volebat, vt euidentius suum officiũ erga regem commendaretur, in aliorũ defectu. Quando enim Abner dormiebat, & dormiebant vniuersi viri bellatores, relinquentes regem morti expositum, quo incurrebant dignam mortis sententiam; vnus Dauid stabat regem à morte defendens, & protegẽs, vt testabatur è lectuli capite lancea arrepta. Quid isto officio commendabilius regi? Sanè tunc maxime ostenditur, & commendatur officium tuum exhibitũ aut regi, aut Deo, cum alij arctiori vinculo obstricti apparent deficientes. Sic Luc. 23. vix verbum locutus est latro ad Iesum, & statim audit ab illo: *Hodie mecum eris in paradiso.* Nulli antea tale dixit Deus, latroni primum paradisum prætẽdit. Et quale fuit officium latronis, quo tantum apud Deum promeruit? Vnde latronis merita sic innotuerunt Deo, vt tã cito raperent præmium? Ait D. Chrysost. hom. de cruce, & latrone apud Grethserum nostrum tom. 2. de cruce. *Quid latro eiusmodi egit, vt ex improviso de cruce dignus paradiso iudicaretur? Breuiter, si placet, dicam, latronisque bonitatem, & probitatem ostendam. Quando Petrus discipulorum Princeps negabat infra, tunc ille supra suffixus cruce confessus est.* Petri negatio latronis officium in Iesum & commendabile, & conspicuum, & tanto honore dignum fecisse videtur. Quando Petrus dominicæ Ecclesiæ princeps, sic obdormiebat, vt regem cœlorum negaret, eiusque iram negatione trina negotiaretur, tunc pene temporis latro pro Iesu stabat, eiusque prædicabat regnum. Quid isto latronis officio manifestius, & tunc commendabilius Deo? Faciunt equidem aliorum defectus, quod nostra tunc officia magis conspicua sint, & magis Deo commendentur. Numer. cap. 13. duo viri præstantissimi, nimirum Caleb, & Iosue maxime à Deo honorantur. Ait enim text. *Omnes qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram superquam leuauì manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun.* Sic duo hi viri è tãta multitudine ad vitam, & fœlicitatem separantur. Et vnde horum officia in Deum tanta meruerunt? Hi cum alijs decem iuerũt explorare terram promissam; & cum reuersi fuissent, cæteris decem murmurantibus, & metum incutientibus multitudini; illi soli pro Deo steterunt, eius promissa sperãtes, quo maxime sibi Deum obligarunt. Vt dicat Orig. hom. 9. in Numer. Cum regressi essent ij, qui inspexerant terram, & decem ex ijs, meticulosis sermonibus desperationem populo incussissent, duo vero reliqui, id est Caleb & Iosue bona nuntiarent, & hortarentur populũ permanere in proposito, *immortale eis à domino meritum con-* *Chrysost.* *Num. 13.* *Orig.*

tulit non tantum sua confessio, quam formido sodaliũ. Neque enim tam magnifice in eis virtus animi claruisset, nisi reliquorũ decem turpis ignauia formido patuisset. De turpi formidine sotiorum sic claruit Calebi, & Iosue virtus, vt sibi maxime deuinciret dominum, proquo ipsi steterunt, quando cæteri defectionem persuadebant populo. Sic in aliorum defectibus tuæ potes virtutis radios ostendere clariores.

1. *Reg.* 26. Cognouit autem Saul vocem Dauid & dixit: Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid? Et ait Dauid, vox mea domine mi Rex. Et ait: Quam ob causam Dominus meus persequitur seruum suum. Quid feci? Aut quid est malum in manu mea?

§. XIIII.

Hostibus, qui benefacit, de aduersarijs potestatibus triumphat, illisque dominatur.

VOx iuncta tanto beneficio hosti collato non potuit non innotescere Regi Sauli, vt quæ in ea recordabatur antiquas illas Dauidici cantus vires aduersus aereas potestates. Dicit enim textus: *Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Nũquid hæc vox tua fili mi Dauid?* Quæ verba sic pulchra elucidat paraphrasi noster
Salin. Salianus, ibi: *Nunquid hæc vox tua fili mi Dauid? Nunquid hæc illa vox, quæ olim tam suauiter cum Lyra meis auribus accidebat, vt ea non meus solum furor, sed Dæmon ipse mitesceret?* Sic in præsenti Dauidis voce memorabat Rex omnes victorias ab illa voce de furore dæmoniaco partas. Et cur vox hæc credatur in mentem regis adduxisse pristinas de furore diabolico victorias? Veniebat modo hæc vox iuncta tanto illi beneficio hosti collato; cum illi Dauid elegit parcere, cum posset occidere. Et quia virtute pollet, qua hostibus parcat, manifeste ostenditur triumphator, de furentibus quibusuis potestatibus, & tyrãnis. Adhæc dicebat Cassiodor. lib. de Anima memo-
Cassiod. rans virtutes bonarum animarum: *Nullum ladere cupiunt, læsi semper ignoscunt. Charitatem, & illis impendunt, qui eos scelerato odio prosecuntur. Tales animæ domino præstante, etiam noxijs spiritibus imperant: & illi, quos mundus patitur infestos, à creatura minore superantur. Adhoc in corpore posita fortiores sunt Angelis malis: adhuc, indutæ carni iubẽt potestatibus aereis, & quorum tentationibus non cedunt, eis diuina virtute dominãtur.* Crede mihi, nulli non tyrannidi dominãtur, qui infestos sibi hostes charitate prosequũtur. Hæc enim virtus est, quæ te faciet imperare superbissimis, & de omni rebelli triumphare creatura. Nec solũ furores humani, sed & diabolici se subdunt eius imperio, qui scit parcere inimicis. Supra 1. Reg. 17. de Dauide processuro aduersus Philistheũ dicitur: *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, & fundam manu tulit, & processit, &c.* Et qui fuerũt quinque illi lapides assumpti à Dauide, quorũ vno Philisthæus subijcitur? Ait Carthus. ibi art. 33. *Quinque limpidissimi lapides ex torrente electi possunt intelligi quinq; sapientissima verba Christi, quæ protulit pendens in cruce, quorum primo vulneravit in fronte diabolum dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sic oratio pro inimicis aerearum potestatum principem contudit. Quis neget & victorias, & imperia eius, qui nouit benefacere hostibus suis? Matth. 18. regnaturi figuram proponens dominus dicebat: *Quicũque humiliauerit se, sicut parvulus iste, hic maior erit in regno cælorum*: quasi tota regni altitudo eum petat, qui se parvulis conformat. Sed quid præcipuũ in parvulis inuenitur, quod nos ad regnum extollat? Nonne obliuio iniuriarum parvulis censetur esse propria? Adhæc dicebat D. Maxim. hom. circa hoc Euang. *Quicumque*
D. Max. *vult fratrem præuenire regnando, prius illum præueniat obsequendo, vincat eum officijs, vt possit vincere sanctitate. Si enim te nõ læsit frater, obsequium meretur, vt diligas: quod si forsitam læsit, magis obsequium meretur, vt vincas. Hæc enim nostræ Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, ladentibus patientiam rependamus. Qui ergo patientior fuerit ad iniuriam, potentior constituetur in regno.* Ecce tibi quibus in nobis potentia regalis nutriatur, qua possimus rebellibus naturis imperare; nimirum ex tolerantia iniuriarum, ex eò, quod quis sciat iniuriatoribus referre gratiã. Huc trahe dicta supra cap. 10. §. 29. & tom. 9. lib. 9. cap. 8. §. 2.

1. Re. 17.

Carthus.

Matt. 18

§. XV.

Sub Patre Deo omnis aditus malis occluditur.

NOn solum Dauidis vocem cognouit Saul, sed & grauissimum etiam discrimen, quod ipse adierat, & pari beneficium, quod iteratò à Dauide acceperat, agnouit. Quo adamantina illa duricies tandem cessit, & candidissimam securitatem tanto benefactori præparans, in illam prorupit vocem: *Nũquid hæc vox tua fili mi Dauid?* Filium vocat, vt iam non hostis, sed pater credatur, sub cuius votis nullum malum timetur. Et quidem à patre nihil iam potest filius timere, cui & vitam debet. Crede homo, quitibi patrem exhibet, omnimodam securitatem ab omnibus malis præbet. Vt hinc discas, quantũ Christo domino debeas, hic enim te in manibus patris constituit, ne funditus perire pertimescas. Quippe Luc. 23. à cruce clamauit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meũ.* Luc. 23. Quæ verba expendens D. Athanas. orat. de Incarnat. Christi ait: *Cum in cruce dicit: Pater in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud patrem deponit, ac commendat per ipsum, ac in ipso viuificandos.* D. Atha. Ecce tibi Iesus non solum suum Spiritum, sed nos omnes in manibus patris ponit. Et quid inde? Plane ex tunc nihil nobis manet non securum, & lætum. Vt merito ibi dicat Theophylact. *Hac autem voce primũ libertatem assecutæ sunt animæ nostræ, diabolo post hac nullã in eas habente potestatem, vtpote patri commendatas. Ante mortem Christi magnum ius fuit diabolo in animas. A quo autem tempore filius non inferno, sed paternis manibus commendauit Spiritum, libertatem consecuti sumus ab inferno.* Theoph. Expende illa: *nullã in eas diabolo habente potestatem, vtpote patri commendatas:* quippe ex quo patri Deo cõmendati sumus, tyrannicum diaboli iugum excussimus; nec contrariæ potestates nobis valent officere. Quãtum enim securitatis, quantum salutis nobis obtigit huc vsque, totum patri debemus diuino. Sic vbi ait Paul. ad Galat. cap. 2. *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum propter me.* Ad Gal. 2. Addidit D. Leo serm. 1. de Passion. *Tradidit semetipsum pro nobis, cooperante in hoc ipso patre, qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* D. Leo. Sic de patre habemus, quid quid pertinet ad nostram securitatem, & salutem. Vt hinc pateat, quam male agant, qui ad patris iura confugiunt, vt liberiori seueritate inferiores tractent. In quo astutissimus Herodes errabat, qui iratus in filios sibi proditionis suspectos, quòd iure iudiciali supplicium inferre nõ poterat, volebat iure patris. De quo Egesippus lib. 1. cap. 41. ait: *Bonus pater accusari filios libenter audiebat, non sinebat defendi: delectabatur, cum appeterentur, offendebatur, si purgarentur::: Scæna species erat, non iudicij disciplina condemnare absentes, cõdẽnare sine teste, sine iudice, solo naturæ priuilegio, quod ad salutem magis, quam ad periculum deriuari soleret.* Egesip. 1. Sic ne iuridice liberarentur non iudicem, sed patrem agebat. Nesciens ius paternum non ad damnum, sed ad salutem pertinere.

1. *Reg.* 26. Nunc ergo audi, oro, domine mi Rex verba serui tui, Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium; si autem filij hominum: maledicti sunt in conspectu domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate domini, dicẽtes: Vade, serui dijs alienis. Et nũc nõ effundatur sanguis meus in terra coram domino: quia egressus est Rex Israel, vt quærat pullicem vnum, sicut perdix persequitur in montibus.

§. XVI.

Nobilis & appetẽda mors, quæ instar victimarum in solum Deum refertur.

DVas proponit causas Dauid suæ perditionis, nimirum, vt Deum, aut hominem; in quarum altera mortem acceptat, in altera eam refugit. Et in qua acceptat? Plane in eo, quod mors illi accidat, vt victimis accidebat, quæ in odorem suauitatis vni cædebantur Deo. Quo spectant illa verba: *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium.* Hoc est, si Deus meam imperat mortem, ad quid hostiles phalanges? Ad quid furentes minas? Pone hostem, indue Sacerdotem, præsto

sum,

sum, vt immoler, vt sacrificer, tantum cædar, vt victima in odorem suauitatis vni Deo. Amanda quidē, non refugienda mors est prudenti viro, quæ instar victimarum in vnum Deum retertur, non in hostilem rabiem, nec in calamitatem aliam, aut culpæ pœnam. De occidendo filio præceptū
Gen. 22. Abrahamus acceperat, Genes. 22. *Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorū.* Et mirabar, quod iuuenis Isaac patre sene longe valentior, sic se ligari ad mortem pateretur, imò quod vt ait D. Zeno lib. 2. serm. 5. lætus Isaac accipiat mortis sententiam. Et cur lætus acquiescat iuuenis morti, quam natura refugit? Sanè tota mortis ratio Deus erat, cui vt victima cædebatur Isaac, & inde nihil in ea morte videbat fugiendum, sed amplectendum. Huc spectans Iosephus lib. 1. cap. 13. sic facit Abrahamum ad filium lo-
Ioseph. 1. quentem: *Nunc lege naturæ natus cum sis, vt moriaris, non vulgarem habebis vitæ exitum, sed a proprio patre patri vniuersorum Deo sacrificio ritu oblatus; ipso, vt credere par est, indignum te censente, qui aut morbo, aut bello, aut alia quapiam humana calamitate de vita discedas; sed inter precamina, & sacra animā tuam exceptam apud se collocabit.* Expende illa mortē cordato iuueni maximè suauiātia, nimirùm: *sacrificio ritu oblatus Deo*, insuper & illa: *Indignū te censente, qui aut morbo, aut bello, aut alia calamitate, &c.* quippe qui nec morbo, nec hosti, nec calamitati, sed vni Deo, vt nobilis victima cedit, non habet, vnde non in morte glorietur. De Athila rege, qui nuptiarum nocte, à sanguine enaribus effuso suffocatus interijt; dicebat orator in funere eius, teste Iordane Episc. lib. de rebus Geticis: *Hæc omnia prouentu fœlicitatis cū egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gēte incolummi inter gaudia lætus, sine sensu doloris occubuit.* Sic dum exaltat gloriosam, & appetendam regis mortem, illa in primis ponit, *non vulnere hostium, non fraude suorum*; nimirùm, quod nulli calamitati humanæ cedens occubuerit. Hoc enim solum videtur fugiendum in morte, quod calamitati cedamus; quod autem, vt victima cedamus vni Deo, id expetendum. Vbi 2. Machab. 7. septem fideliſsimi iuuenes cū matre Tyranno An-
2. Mac. 7 thioco sisterentur: *iussit ei, qui prior fuerat locutus amputari linguam.* Quid tunc mater? An immensum doluit filij sui primogeniti videns amputatam linguam? Absit, imò, vt canit Prudentius in hymno de Sancto Romano ait: ------ *Mater aiebat: satis*
Iam parta nobis gloria est, pars optima
Deo immolatur, ecce nostri corporis
Digna est fidelis lingua, quæ sit hostia.

Expende in tanta laniena, quid meditatur sibi glorioſum; nimirùm ait: *Digna est fidelis lingua, quæ sit hostia*; dum lingua non cedit morbo, non delicti pœnæ, non calamitati, sed vni Deo, vt hostia, vt victima in suauitatem oderis, nihil ibi non appetendunt, & glorioſum. Hinc in templi expugnatione tempore Pompei, Sacerdotes, qui poterant fugere, malebant iuncti victimis Deo oblatis mori. Dicit enim Egesipp. lib.
Egesipp. 1 1. *Stupebat Pompeius acres virorum animos, & nusquam remissa officia Sacerdotum in medio belli furore. Victima altaribus imponebantur, ante aram positi feriebantur.: Infulatique Sacerdotes inter suas hostias immolabantur, &c.* Sic ille, cap. 16. & 17. arbiebant equidem viri illi mortem, quæ victimis suis par esset; ne crederentur hosti, aut calamitati, sed vt victimæ vni Deo cedere.

§. XVII.

Vt sanctorum terra glorioſa est pijs hominibus, sic impiorum terra illis est calamitoſa.

HInc maximè offendunt Dauidem eius hostes, quod non permittant illum habitare in terra sanctorum, vt clametipse: *Qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, &c.* Non permittebatur Dauid ab hostibus habitare in terra illa, quæ parturiebat hæredes bonorum æternorum. Nec miror, quod inde summe Dauid doleat, terra enim sanctorum assignari solet inter primas iusti homines glo-
Iob. 1. rias. Nam de Iobo dicit, cap. 1. *Eratque vir ille magnus inter Orientales*: vt enim Orientis terra mater erat Patriarcharum, sic ad magnā Iobi gloriam spectabat, quod eius esset colonus. Id quod in Sancto Fœlice ponderabat D. Paulinus in Natal. 4 aiens:
D. Paul. ---------- *Cui nobile ductum*
Ex Oriēte genus: nec enim magis altera tellus
Fœlicis patriā decuit, quàm quæ Patriarchas
Quæque pios tulerat (Christi sacra vasa) Prophetas
Vnde, & Apostolicis fandēs sua flumina linguis
Totum Euangelij sonus emanauit in orbem.

Sic sancto viro assignatur terræ habitatio, quæ mater erat sanctiſsimorum hominum; à qua & Patriarchæ, & Prophetæ, & Apo-

stoli

ſtoli ducebant ortum. Inter tales eſſe glorioſum eſt maxime viro bono; qui pro ingenti calamitate habent, ſi in terra impiorum cogantur agere vitam. Ait Pſal. 98. *Moyſes, & Aarom in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocãt nomẽ eius. Inuocabant dominum, & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Cuſtodiebãt teſtimonia eius, & præceptum, quod dedit illis. Deus noſter, tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuiſti eis, vlciſcens in omnes adinuentiones eorũ.* Expende illa: *Vlciſcens in omnes adinuentiones eorum*; quaſi Deus vltionem aliquam ſumpſerit de Moyſe, Aarone, & Samuele, illis infligens pœnam non modicam. Et quidem de Aarone, & Moyſe nota eſt pœna, qua mori iuſsi ſunt ante ingreſſum terræ promiſsionis. Sed minime reputatur hæc pœna ab Auguſtino, quia cum valde ſenes mortui ſint, hoc non poterat illis eſſe pœna. In quo ergo verũ eſt, quod Deus in Moyſem, & Aaronem, & Samuelem vindicauit, & illis pœnã inflixit? Ait D. Auguſt. ibi: *Quid eſt, quod in illis vindicatum eſt, quæro, & ſecundũ homines non inuenio; ſecundum autem, quod ſcio pati ſeruos Dei quotidie in illis vindicabatur. Legite, & videte vindictas, ſed qui proficitis; forſitam vindictas patiebãtur, populos contradicentes, quotidie patiebantur inique viuentes, & inter illos viuere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta.* Sic acriter puniebantur ſerui Dei, nimirũ dum viuere cogebãtur inter impios, in populis Deo, & virtuti contradicentibus. Et tunc in illos ſeuere Deus vindicabat, quando illos inter ſceleſtos viuere faciebat.

Pſal. 98.

D. Aug.

§. XVIII.

Cõſortium prauis moribus raro quis non imbuitur.

HOc malum ab inimicis ſuis verebatur Dauid, ne cogeretur Idololatris adiuiuere: quo ſpectant illa verba: *Qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, ſerui dys alienis.* Non quidem id verbis dicebant, vt putãt Theodor. & Procop. ſed factis, dũ Dauidem cogebant apud Idololatras exulare: difficile namque non corrũpitur quis moribus eorum, cum quibus habitat. Et quis tantus, qui aliquando conſortium ſuorum Idola non adorauerit? Sanè magnus erat Aarom, ſed abſente Moyſe, dum populo præeſſet, eius vocibus acquieſcens Idolum conſtituit, & adorauit, Exod. 32. Et vnde in tantum barathrum eiectus eſt vir tantus? Ipſe requiſitus à Moyſe ibi ait: *Tu noſti populum iſtum, quod pronus ſit ad malum, &c.* Itaque in excuſationem ſui facinoris populi maliciam profert, & affectũ ad Idololatriam. Ne miremur tantum virum Idolis ſeruiſſe, quando in tali populo habitabat. Adhæc Petrus Damian. lib. de contemptu ſæculi, cap. 27. fatur: *Moyſes, quia ab humana cõuerſatione remotus bis quadragenario dierum numero ieiunauit, bis etiam legem Domini digito ſcriptam ſuſcipere meruit; Aarom autem qui ad cuſtodiam populi derelictus eſt, cognoſcitur Idola fabricatus.* Moyſi merita inde extollit, quod fuerit à populo remotus, & vni Deo in monte vacaret; Aaronis autem caſum inde oſtendit, quod in populo manſiſſet. Quis enim in populo clamante Idola ſic ſtaret, vt non raperetur ad Idolatriam? Hoc ſane propriũ eſt infirmitatis humanæ, quod ad prauos conſortium mores rapiamur. De quo plurã, Tom. 2. de Chriſto Figurato lib. 5. cap. 3. §. 27. & alibi.

Exod. 32

Petr. Da.

§. XIX.

Gloriæ, laudisve amor in principibus, vtilis Reipublicæ.

VT contineret Saulem Dauid, ſapienter illi propoſuit rationem indignitatis facinoris, quod nõ poterat glorioſum eſſe regi tanto. Ait enim: *Quia egreſſus eſt Rex Iſrael, vt quærat pullicem vnũ, ſicut perdix perſequitur in montibus.* Quam vile hoc, quam inglorium regi, quod tanto cinctus exercitu per montes, & abrupta petrarum erret quærens ad mortem vnum priuatum hominem, & deſtitutũ omni auxilio? Hæc equidem fiunt quotidie in Reipublicis, & regnis, in quibus non gloriæ nominis, nec laus ſpectatur, ſed alijs vitijs principes raptantur. Amor enim laudis, & gloriæ fere ſemper Reipublicæ vtilis eſt, dum principes ab infamibus facinoribus arcet. Aiebat Salluſtius in Conjurat. Catilinæ de Imperio Romano: *Sed ciuitas quãtum breui creuerit, tanta cupido gloriæ inceſſerat. Iam primum iuuentus magis, in decoris armis, & militaribus equis, quam in ſcortis, atque conuiuijs, libidinem habebat. Igitur talibus viris non labor inſolitus, non locus vllus aſper,*

Salluſt.

asper, non armatus hostis formidolosus, virtus omnia domuerat:: Primo magis ambitio, quã anaritia animos hominum exercebat; quod tamen vitium proprius virtuti erat:: Namque anaritia fidem, probitatem, cæteraſque bonas artes subuertit; pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Augmentum ciuitatis coniungit cum gloriæ ſtudio, quod enim Romani primi gloriæ ſtudioſi erant, maxime faciebat, ad Vrbis, Imperiſque augmentum. Inde turpia omnia, atque inhoneſta fugiebantur, ad ſola illa currebant omnes quæ laudari, & extolli poſſent in vnoquoque. Et in tãtum floruiſſe dicit Imperium, inquantum hoc gloriæ ſtudium, floruit. Ex quo enim non laus, nec gloria quæri cæpit, ſed pecunia, inde vniuerſæ peſtes Imperij erupere, quæ prædiderunt omnia.

1. *Reg.* 26. Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eò quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim, quod ſtulte egerim, & ignorauerim multa nimis. Et reſpondens Dauid ait: Ecce haſta regis: tranſeat vnus de pueris regis, & tollat eam. Dominus autem retribuet vnicuique, &c.

§. XX.

Pœnitentia ob temporalia cõmoda nihili æſtimatur.

ECce tibi Saulem pœnitentem, & nihilominus eius pœnitentia nihili æſtimatur. Et cur non æſtimatur? Accipe pœnitentis verba id inſinuantia, ait enim: *Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim tibi vltra malum faciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Expende totam pœnitentiæ cauſam in illis verbis: *Eò quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Nihil non temporale proponit pro ſuæ pœnitentiæ cauſa. Nõ enim pœnitet ob iuſtitiam, neque ob Deum, ſed ob mortis temporalis damnum vitatum. Quæ autem in ijs temporalibus ſiſtit pœnitentia, nihili à Deo æſtimatur. Aiebat Dominus, Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quibus verbis oſtenditur Ieſus cognouiſſe virtutibus ſuis Tyros, & Sidones mouẽdos eſſe ad pœnitentiam; & nihilominus non curat de procuranda illorũ pœnitentia. Quomodo ergo verum eſt, quod Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; & Tyris, & Sidonibus nõ dat ea, per quæ videt illos ad pœnitentiam venturos? Cur non magis ſatagit de pœnitentia Tyrorum extorquenda? Pœnitentia Tyrorum & ſi præuidebatur futura, nõ tamẽ futura præuidebatur ob aliquod æternum, ſed ob temporale aliquod commodum acquirendum, vel incommodum tollendũ. Talis autem pœnitentia nihili eſtimatur â Deo, nec nimis anxius eſt, quod fiat, vel non fiat. Quod ſpectans Rup. lib. 9. de Glor. & Honore fil. hom. ait: *Vnum verbum ſi fuiſſet prædicatum Tyris, & Sidonibus, cum teſtimonio tantarum virtutum, ſcilicet temporale exterminium, quod paſſuri erãt, pœnitentiam egiſſent. Porro alterum, ſi tunc prædicatum illis fuiſſet regnum Dei, non credidiſſent, neque pœnitentiam egiſſent. Vnde nec fuiſſent ſalui, & ad circo prædicatores illis mittere non curauit.* Iudæis prædicabatur excidium temporale, & æternum, & non conuertebantur, in hoc peiores quam Tyri, & Sidones, qui ſi audiſſent de temporali excidio, pro hoc tollendo pœnitentiam egiſſent. Non tamen illam egiſſent pro regno Dei acquirẽdo, & ideò Dominus nullam habuit curã pœnitentiæ illius, vt quæ in ſolis temporalibus cõſiſteret. Nihili fit enim pœnitentia, quæ ad æternam ſalutem non ſpectat. Notaſuit Semei temeritas in Dauidem, vbi illum vidit ab exercitu filij fugientem: ſed quando Dauid recuperauit regnum, venit ad eum Semei, & proſtratus humi ait, 2. Reg. 19. *Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, ne memineris iniuriam ſerui tui. Agnoſco enim ſeruus tuus peccatum meũ.* Annuit Dauid humiliato, & pœnitenti, & culpam agnoſcenti; ſed 2. Reg. 2. iam moriturus ait Salemoni filio: *Habes quoque apud te Semei filiũ Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi:: tu noli pati eum eſſe innoxium.* Et cur Dauid in hominem pœnitentem, & humiliatum ſic exardeſcit? Cur non magis veretur pœnitentiam, per quam ipſe non ſemel ſaluatus eſt? Ait Rupert. lib. 4. de Glor. & Hon. Fil. Hom. in fine: *Non iniuſtus in hoc facto inuenitur Dauid, quia nõ vero corde reconciliationẽ quæſiuit Semei,*

Matt. 11.

Rupert.

2. Re. 19.

2. Reg. 2.

Rupert.

Semei, non pro deſiderio iuſtitiæ pœnituit, ſed ſeruiliter metu pœnæ concidit. Mutauit vocē, non mutauit mentem. Expende illa: *Non pro deſiderio iuſtitiæ pœnituit*: quippe totus intentus temporali damno auferendo; nihil, quod ad virtutem ſpectaret in ſua pœnitentia reſpexit. Ne miremur, quod eius pœnitentia nihil à Dauide æſtimetur.

§. XXI.

Ignorantia magnarum poteſtatum propriſsima.

ILlud verum, & regum omnium propriſsimum de ſe Saul pronuntiat, nimirùm: *Ignorauerim multa nimis.* Vt ſeſe magnæ poteſtates à congreſsibus priuatorum arcent, paucorumque familiaritate vtuntur, qui nihil illis non ſuaue dicunt, ſic ignorare coguntur multa nimis. Quod ſapiēter notabat Seneca lib. 6. de Benef. cap. 30. inquiens: *Monſtrabo tibi cuius rei inopia laborent magna faſtigia; & quid omnia poſsidētibus deſit. Ille ſcilicet, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu, conceptuque falſorum.* Expende illa: *Ad ignorantiam veri perductum*; quippè vt maior eſt princeps, maiora audit mendatia, ſemper inter falſas aſſentationes verſatur, nihil curat non gratum, & ſuaue audire, quibus ad ignorantiam veri perducitur. Matth. 14 dicebat: *In illo tempore audiuit Herodes tethrarca famam Ieſu.* Et in quo tempore? Sanè in quo tēpore nec minimus erat in Galilæa, & Iudæa, qui ignoraret Ieſu magnalia; omnibus erant eius miracula conſpicua; & poſt hæc tandem eius percepit Herodes famam. Quod notans D. Chryſoſt. hom. 49. ait: *Non otioſe tempus Euangeliſta denotauit, verum vt cerui-ces tyranni, quibus cæteros deſpiceret, omnes intelligere poſſemus. Non enim ab ipſis ſtatim miraculorum exordijs famam Ieſu, ſed poſt multum tempus percepit. Huiuſmodi enim ſunt, qui in principatu viuunt. Nam quoniam faſtum rerum plurimum ſibi arrogant, parui facientes cætera, raro ea perdiſcunt.* Eu miseram conditionem principum longo vitæ ſpatio in ignorantia verſantium. Quæ vtiliſsimi priuatorum ſciunt, ea principes ignorant pœnitus, adeo vt contingat ſæpe à ſolo rege regni ſtatū ignorari. Quod ſciunt viliſsimi quique regni accolę; quod rident vicini, de quo hoſtes cachinantur, vnus ignorat princeps, qui rem debebat curare. Nec miror; duæ enim ſunt cauſæ, quæ hāc ignorantiam faciant; altera iuxta Senecam adulantium conuerſatio, qui occludunt aditum veritati. Altera cauſa eſt, ipſorum principum faſtus, in quibus occupati deſpiciunt cætera, quo fit, vt raro, aut nunquam, quod vtile, & proficuum ſit, ſcire videantur.

Senec.

Matt. 14

Chryſoſt.

§. XXII.

Ignorantia principum regulariter ſupina, & inexcuſabilis.

PErpende verba Saulis, nimirùm: *Apparet, quod ſtulte egerim, & ignorauerim multa nimis.* Qui dixerat ſe peccaſſe, peccati cauſam oſtendit fuiſſe multam ſuā ignorantiam. Et cur ignorantia non magis adducitur ad excuſationem peccati, quam ad eius oſtenſionem? Erat equidem ignoratio Saulis ſupina, & inexcuſabilis, quādo ille aditum occludebat veritati, vel male accipiens veraces, vel minime illos audiens. Ex quibus capitibus regulariter ignorātia principum eſt inexcuſabilis. Quis principum non graue, & moleſte accipiat eos, qui veritatem dicunt oppoſitam eius affectui? Tunc ſane veritati oſtium occludunt, & ignorantiam amplexantur. Vox eſt illa viri veritatem nuntiantis, Cant. 5. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea.* Ecce quid velit veritas, vt valeat intrare, nimirū animum audientem, amicū, & ſine felle, inſtar columbæ. Si enim non amice excipias ſincere ſuam ſententiā dicentem, ſed cū amaritudine, & felle; & ſolum amice excipias tuæ reſpondentem cupiditati, veritatē eliminas, & ſtudioſe quæris ignorātiam. Hac in re copioſiſsimus eſt D. Athan. in epiſt. ad Solitarios: Ait enim: *Aperi mihi*, inquit, *ſoror mea ſponſa: quod ſi aperiant, intrat; ſin grauentur, aut nolint aperire, abſcedit. Non militari manu veritas prædicatur, ſed ſuadendo, & cōſulendo. Quæ autem ibi ſuadendi libertas, aut conſulendi ratio, vbi qui contradicit, pro mercede aut exilium, aut mortem reportat?* Expende illa: *ſin grauentur, aut nolint aperire, abſcedit*; adhoc enim, vt facias à te veritatē abſcedere, ſolum ſufficit, quod in illa ſuſcipiēda graueris. Si graueris, abſcedit veritas, quid ſi moleſte feras? Si odioſum habeas dicētem? Si aſpere contemnas? Credat princeps, quod niſi amice, & ſuauiter accipiat ſincere dicentē; ejiciet veritatem, & ignorantiam accerſet.

Cant. 5.

D. Athan.

Non libere consulit, qui principem timet offensum, nisi ei placita referat. Et pergit Athanas. Athanas. ex 1. Reg. 24. *Dauid rationibus persuasit sotios, neque concessit eos insurgere in eadem Saulis. Iste vero nulla ratione instructus vi, & potentia omnes cogit: adeò, vt statim appareat eorum sententiam non secundũ Deũ, sed humanam esse: & Arianos nullum habere regem nisi Cæsarem.* Sanè vbi potentia regis prævalet in consultationibus, statim manifestatur in sententijs eorum, qui consulunt, quæ tales sunt, vt ostendant sic consulentes nullum alium vereri, nec in cœlo neque in terra nisi Cæsarem; hoc est, non Deum, sed temporalem regem. Ex quo capite raro non supina est ignorantia principum. Rursus aliud est caput, quod eam prorsus in excusabilem reddit, nimirũ incuria principum in ea indaganda. Debent enim principes multas tentare vias, & varias, vt ad eos veritas perueniat. Hinc nobilissimus Principum Iesus, Matth. 16. Matt. 16 *Interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Sciebat quidem Iesus, quid homines de se sentirent, cur ergo id à discipulis interrogat? Crediderim id factum à Iesu, vt formam daret principibus, qua scire cupiant, & curent, quales habeantur à suis subditis, & ab externis. Ait Petrus Damian. lib. 7. Petr. Da. epist. 12. *Scilicet, vt Rex Angelorum formam daret rectoribus hominum, quatenus non quid in os eorum assentatorie dicatur, attendant; sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant. Sicque, quod in se reprehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant: ad exequenda vero bona, quæ de se dicere cognouerint, auidius inualescant.* Hæc sit cura principum, vt minime in sibi adstantium testimonijs acquiescat, quæ vt plurimum assentatoria sunt; sed curet absentium indagare sententias. At quis principum hoc facit? Imò quando nullus inuenitur, qui non euolet ab sibi vtiles veritates perdiscendas; soli principes nec gradũ faciũt, vt ad illas perueniant. Ioannes erat Luc. 3. baptizans in Iordane, de quo ait Luc. 3. *Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis, qui habet duas tunicas, det non habenti: Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum; Magister, quid faciemus? At ille dixit ad illos: nihil amplius, quam constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, &c.* Ecce tibi, vt turbæ, & publicani, & milites abeunt, vt à Ioanne discant, sibi vtilia. Nunquid & vrbis proceres similiter venere? Dicit Rupert. lib. 1. de Glor. & Hon. Fil. Hom. *Turba interrogant, publicani interrogant, milites quoque interrogabant dicentes: Quid faciemus? Pharisæi vero nusquam interrogasse leguntur, & dixisse, quid faciemus? Claret igitur, quomodo consilium Dei sprcuerint, &c.* Vbi vniuersũ quærebãt veritatem, nullus principum legitur eam quæsisse, vnde merito eius contemptores habentur, & ignorantes culpabiliter. Rupert.

§. XXIII.

Beneficiorum continuatio ferissimum quoque animum deuincit.

DEderat vitam Dauid Sauli, in cuius testimonium hastam è lectuli capite tulerat; sed de primo beneficio vidēs Saulem persuasum; statim cogitat de addendo alio, hastãque restituens. Ait enim: *Ecce hasta regis, veniat vnus de pueris regis, & tollat eam.* Non sine regis dedecore arma eius secũ tolleret Dauid, vt notat Abbul. quod cauens illi hastam restituit, nec patitur beneficentiam suam in regem interrumpere: vt vel continuatione frangatur eius rabidissima ira. Sic monebat Seneca lib. 1. de Beneficijs, cap. 3. inquiēs: *Officia etiam feræ sentiunt. Nec vllum tam immansuetũ animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonũ ora à magistris impune tractantur. Elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus. Adeo etiam quæ extra intellectum sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit. Ingratus est aduersus vnum beneficium, aduersus alterum non erit; duorum oblitus est, tertium etiam eorum, quæ exciderunt, memoriam reducet. Is perdidit, qui cito se perdidisse credit. At qui inflat, & onerat priora sequentibus, etiam ex duro, & immemori pectore gratiam extundit. Non audebit aduersus multa oculos attollere. Quocumque se verterit, memoriam suam fugiens, ibi te videat. Beneficijs tuis illum cinge.* Sicibi: piaculum duxi, vel verbulum prætermittere; tu expendes singula, quæ sane persuadebunt, quam sint continuanda beneficia illi, qui vel à durissimis amat gratias excipere. Hinc Matth. 9. locutus de Iesu Domino ait: *Obtulerunt ei hominem mutũ dæmoniũ habentẽ. Eiecto dæmonio locutus est mutus, & mirata sunt turbæ dicentes: Nũquã apparuit sic in Israele. Pharisæi autẽ dicebãt: In principe dæmoniorũ eiecit dæmones. Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella docens* Seneca. Matth. 9.

docens in synagogis eorum: & curans omnem languorem, omnem infirmitatem, &c. Et cur non magis ab infirmorum cura desistebat? Quando pro ejecto dæmonio audit blasphemias à Pharisæis; cur adhuc instat curandis infirmis? Benignissimus, & sapientissimus Dominus etiam videns prima sua beneficia male accepta, non destitit, sed priora onerat sequentibus, vt cõtinuatione beneficiorum confirmet suos, si prima euanuerunt. Ait D. Chrysost. hom. 33. in Matth. *Christum videmus ijs iniurijs affectũ, non modo non vltum fuisse, sed nec commotum quidem; quippe qui etiam post hæc maledicta vrbes, & villas Iudææ circuiret, curans omnem languorem; qua quidẽ mansuetudine animi accusationes eorũ facile refellebantur. Nã signorum continua serie cõfirmationem hominum de se existimantium reddere volebat.* Expende illud: *signorũ continua serie, &c.* quod enim vno, aut alio sanitatis beneficio exhibito nõ perficiebatur, id continua illorum serie confirmaretur. Assiduitas enim meriti pertinacis omnia euincit etiam in animis durioribus petra.

Chrysost.

§. XXIIII.

Minime fidendum ei, quem noueris desertorem.

IVbet Dauid, vt vnus de pueris Saul accedat, & tollat lanceam, dum ait: *Ecce hasta regis, veniat vnus de pueris regis, & tollat eam.* Cur non magis ipse Dauid descendit, & illam manu propria tradit Regi, & pacem, & securitatem illi promittenti? Ait Carthus. *Quia non credidit verbis Saul cuius infidelitatem, inconstantiam, furiam, & rancorem fuit frequenter expertus.* Prudentissime quidẽ Dauid non fidebat regi, quẽ toties desertorem fuerat expertus. Sic supra cap. 24 post fœdus initum cum Saule, post iuratam pacem, *Dauid & viri eius ascenderũt ad tutiora loca.* Circa quæ ait Seuerus Sulpitius lib. 1. Hist. *Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari, lachrymas fundere, pietatem Dauid extollere, regem eum, & filium appellans. Sed Dauid, qui penitus ingenium mali spectatum haberet, & congnitum, nihil regi credendum ratus intra eremum se continebat.* Prudentissime nihil credebat regi, cuius malũ ingenium notum, & perspectum habebat. Nunquam enim te prudenter committis ei, qui in te pessimũ expertus fueris. Dicebat Matthæus, cap. 4. de Iesu, vbi secundo à Satana tentatus est: *Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.*

Seuer.

Matth. 4.

Quæ verba non paruam faciunt quæstionem, an Iesus voluerit se manibus tentatoris committere, vt portaretur ab eo? Et ait D. Cyprian. serm. de Tent. *Quod diabolus Iesum tulerit, videtur inconueniens, quod humeris eius saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit, quem præcipitatorem sciebat.* Equidem qui præcipitator agnoscebatur, non tantum valuisset apud Iesum, vt illi se crederet in ciuitatem sanctam deferendum. Ne vnquam tu te credas illi, quem præcipitatorem scieris.

D. Cypr.

§. XXV.

De omnibus triumphat, qui omnia refert Deo.

NOn miror Saulem in manus Dauidis traditum, quando video Dauidem nihil sibi adscribere, sed omnia Deo referre. Ait enim: *Dominus autem retribuet vnicuique secundum iustitiam suam, & fidem: tradidit enim te Dominus in manum meam, &c.* Non ait, ego hodie te cæpi in manus, sed Dominus te mihi in manus tradidit. Ne miremur, quod & hostes, & omnia in manus Dauidis veniant, quando in omnibus ipse non se, sed Deum spectat. Ionathas 1. Regum, cap. 14. aggressus Philisthinorum exercitum dicebat ad armigerum suum: *Ascendamus, tradidit eos Dominus in manus Israel.* Ecce tibi in cuius manus dicuntur hostes traditi, nimirũ in manus Israel, hoc est, videntis Deum, quando Israel idem est, ac videns Deum. Qui enim non se, sed Deum in facinoribus spectat, mirũ erit, si de omnibus hostibus trophæa non erigat. Vt dicat D. Greg. PP. lib. 5. in 1. Reg. Quisquis nititur magna agere, hæc benepensare nouit, si semper studiut diuinis laudibus imputare. *Bene ergo Ionathas de consequenda victoria confidens, non in manus suas, sed in manus Israel inimicos tradendos asseruit: vt triumphum ostenderet, & qualis debeat esse triumphator, pariter designaret. Israel quippe videns Deum interpretatur, cui ergo in manus hostes tribuuntur, vidẽs Deũ dicitur, vt non ea, quæ ei manu data sunt, doceatur attendere: sed tenens datũ ad largitorem munerũ cor leuare.* Inde nostri triũphi prosiliunt, inde nascuntur victoriæ, quas reportamus, si in benefactis nostris non nos, sed Deũ respiciamus, illiq; acceptum, quidquid egerimus referamus. Hoc vno nõ solũ triũphamus, sed & plenã inde acquirimus securitatẽ. Plenis timore hominibus, vt signũ securitatis, & pacis præstaret Do-

1. Re. 14.

D. Greg.

Genes. 9. minus, ait Gen. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Et quid erat in arcu, quod tantam securitatē hominibus posset designare? Nubes illæ, quæ in arcus formam apparent illuminatæ, totam illam illuminationem Soli referunt ex aduerso stanti. Vbi ergo homines similimodo, quidquid decoris, & splendoris habeant, non sibi, sed Soli iustitiæ Iesu referant, inde plenam acquirunt securitatem. Ait D. Aug. lib. 1. con-

D. Aug. tra aduersar. leg. & Prophet. cap. 20. *Nolo dicere, quid arcus ille significet resplendens è nubibus, fulgore, & radijs luminis, quo roscida illustratur obscuritas, grata quodammodo cōfessione respondens: & quomodo Deus non perdat hominem dilubio spirituali, dum est eorum memor, quorum illuminatæ nubes figuram gerunt. Quoniam non de suo lucere sciunt, sed de Sole iustitiæ, sicut illæ nubes de Sole visibili.* Qui ergo nubes arcum ostendentes æmulatur, in eo quod lumen suum non sibi, sed Deo tribuat, is maximam à Deo aduersus hostes habet securitatem, & pacem.

CAPVT XIII.

Dauid apud Achis.

Textus Historia.

TIMENS Autem Dauid Saulis potentiam, & pertinacem inuidiam eo adductus est, vt sibi tutior videretur vicina Philisthinorum terra, si ad eos confugeret. Erant tunc Philisthæi Israelitarum hostes notissimi, qui vt gratam haberent tāti ducis discessionem à Saule, sic illi in suis amicum pararent suffugium. Res acta fuit per legatos cum Rege Philisthinorum Geth, nomine Achis; ad quem pacta fide cū suis Dauid accessit, multis sibi regem offitijs deuinciens. Nec potuit esse Gethæo regi suspectus homo, qui tunc primum Saulis odia non sensit, cum sub Philisthinorum Aulæ vmbra viueret. Imò sic affectus in Dauidem extitit Rex, vt petenti commodiorem locum sibi ab aula dissitum liberalissime annuerit, Siceleg oppidum Dauidi in habitationem assignans. Qui cum omni familia, & gente sua Siceleg moratus in Israele plurimum turbarū excitauerat, plerisque, & fortissimis refluentibus ad eum, quos veteris amiciæ gratia solicitauerat, aut Saulis res vltimæ, quibus se subducebant, vt cum Oriente Sole vitam producerent. Erant Dauidi quotidiani excursus in finitimas terras Deo infensas, & Gethæo regi minime subditas. Quæ inde spolia asferebat, & pretiosa, & multa; sic Achis præsentabat, quasi ea tulisset de Israelitarum finibus; quod maxime illi gratum erat, vt qui sibi inde Dauidem addictiorem coniecisset. Quā spe, cum bellum indictum esset omnibus Ethnicis cōmune aduersus Saulem; Achis sibi belli sociū Dauidē adscripsit. Nec facile ab hoc destitit Satraparum suorum obnixu; qui tanti belli fortunam minime credendam clamabant viro Israelitæ. Hæ voces fregerunt regē, quibus persuasus, etiam si inuitus Dauidem exemit bello, & dum peragitur, domum remisit.

PARS MORALIS circa textus literam.

QUAM Nos vocat Dauidis securitas, quam cæpit Deus parare apud Israelis hostes infensissimos, vt pateat omnibus, quā duriores sunt domesticæ insidiæ.

1. *Reg.* 27. Ait Dauid in corde suo, aliquando incidam vna die in manu Saul: nonne melius est, vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorū, vt desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? Fugiam ergo manus eius. Et surrexit Dauid, & abijt ipse & sexcenti viri cum eo ad Achis filiū Maoch regē Geth.

§. I.

Sic diuinis promissis fidendum est, vt omnia naturaliter ad ea conducibilia peragamus.

SCiebat certissime Dauid se non perituru sub Saule, & nilominus sic eius pertinax odium cauit, quasi posset sub illo perire. Ait enim: *Nōne melius est, vt fugiā, & saluer in terra Philisthiim?* Sic ad salutem quærit terram Sauli hostilem, vt in ea ab illo securus maneat. Et cur necessum est, sic cauere hostem, à quo scis per Dei promissionem liberandum? Sapienter Dauid in Dei promissionibus, sic omnia

omnia vtilia peragit, quasi per ea sola salutem debeat sperare. Vt dicat Lyra in præsenti: *Non dixit hoc Dauid, eò quod timeret occidi à Saule, cum sciret ex diuino promisso se post Saulem regnaturum. Sed non debebat Deum tentare omittendo ea, quæ erant ad conseruationem vitæ propriæ, & suorum.* Lyra. Nihil eorum prætermittitur à Dauide, quæ rationabiliter videbantur cõducere ad sui conseruationem, etiam si certus fuerit de diuina erga se protectione; vt hinc minime videretur tentare Dominum, & eum ad miracula facienda cogere. Similiter Iacob certificatus erat de diuino auxilio, quo hostes euaderet vniuersos: & nihominus, Genes. 32. dicitur de eo: *Timuit Iacob valde, & perterritus diuisit populum, qui secum erat; greges quoque, oues, & boues, & camelos in duas turmas dicens: Si venerit Esau ad vnã turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, saluabitur.* Gen. 32. Ecce vt cauit Elau congressum, & sic curat disponere sua, vt salua ab illius furore euadant. An non certificatus erat à Deo de salute; cur ergo sic anxius disponit, quæ saluti obtinendæ aptiora videbantur? Prudentissime Iacob Deo credens, & fidens, sic se gerit in disponendis salutis suæ medijs, quasi in ijs solis dispositionibus salutem constitutam habeat; nihilque prætermittit eorum, quæ conducibilia erant, vt hostem euaderet. Quo spectans D. August. lib. 1. quæst. in Genes. 102. Quæri potest quomodo Iacob habuerit fidem promissis Dei, quandoquidem dixit: Si venerit ad castra prima frater meus, & exciderit ea, erunt secunda in salutem? Sed etiam hoc fieri potuit, vt euerteret castra eius Esau, & tamen Deus post illam afflictionem adesset, & liberaret eum, & quæ promisit impleret. D. Aug. *Et admonẽdi fuimus hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen, quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea Deum tentare videamur.* Sic credere Deo debemus in promissis, vt nullo modo de illorum euentu possimus dubitare; & sic debemus curare media ponere conducibilia ad ea exequẽda, quasi aliter illa obtinere nequeamus: ne aliter videamur Deum tentare, qui in promissis suis cooperationem amat suarum creaturarum. Quo trahenda sunt dicta Tom. 3. de Christo Figur. lib. 7. cap. 4. §. 1. & alibi.

§. II.

Regnum, cuius author est Deus non tam armis, quam virtutibus paratur.

CVm hoc esset certissimum Dauidi, nimirum, quod à Saule non esset perdendus, sed potius, quod ipse magis in Saulis regnum erat cooptãdus; cur sibi salutarius putat fugere à Saule, quam cum illo conferre manus? Sic enim dicit: *Aliquando incidam vna die in manu Saul; nonne melius est, vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorum?* Quis hoc de tanto duce confortato à Deo speraret, quod citius eligeret fugam, quam prælium? Erant illi, fateor, soti pauci, qui non excedebant numerum sexcentorum, sed Ionathas 1. Reg. 14. vno tantum armigero comitatus ausus est inuadere ingentem hostium exercitum, illis verbis persuasus: *Nõ est domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis.* 1. Re. 14. Cur ergo, & Dauid post hoc exemplum certus de diuino promisso, non magis eligit expectare Saulis manum, quam fugere, & in alienis, & hostilibus nationibus exulare? Cur magis amat exilium, & mille alia discrimina in fuga pati, quã hostem perdere, aut profligare, si cum illo conferat manum? Non miror hoc à Dauide factum, qui Regnũ ex Deo certissime sperabat; quod enim Deo authore Regnum exurgit, non sic armis adolescit, vt virtutibus animi. Isaias, cap. 2. Regni Christiani procellum meditatus dicebat: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, &c.* Isai. 2. Et deinde Sion pauci Christi discipuli, & inermes in arenam prosilierunt, vt Regnũ initiarent Christianum, & orbem terrarum subiugarent. Et ij non arma sumere, sed mundum fugere, suis auditoribus suadebant. Quomodo ergo in ijs fugitiuis regnũ pararetur, quod leges daret orbi terrarum? Vt hoc regnum à Deo erat, & Deum spectabat non armis, sed potentioribus virtutibus debebat parari. Vt dicat D. August. lib. 18. de ciuit. cap. 54. *Ibi fides tam insignibus initijs incanduit, vt aliqua hominum millia in Christi nomine mirabili alacritate conuersa, venditis suis rebus, vt egenis distribuerentur, proposito sancto ad paupertatem voluntariã peruenirẽt, atque inter frementes, & sanguinem sitientes Iudæos se vsq; ad mortem pro veritate certare,* D. Aug.

non armata potentia, sed potentiore patientia præpararent. Expende hæc: *Non armata potentia, sed potentiore patientia*: quippe à paucis Apostolis multa hominum milia conuersa ad nomen Christianum Ierosolymis, nō omnino temerarie possent sibi persuadere, quod sumptis armis valerent Ierosolymam expugnare, & renuentibus Iudæis stabilire Regnum Christianum. Imò id ipsum Romæ accidere posse, si Christiani ad arma irent, probat sapienter Tertull. in Apolog. cap. 37. Christiani autem fugitiui potius maluerunt in montibus errare, & cauernis terræ, quam armorum potentia nitentes prælia meditari. Noscebant enim
Tertull. regna à Deo parata fundari, non *armorum potentia, sed potentiore patientia*; id est, non armis, sed virtute, sed sanctitate. Et quis neget potētiorem esse virtutem, & sanctitatem ad regna fundanda? Cum huc peruenio non possum non mirari ingentem virtutem Boozi aui Dauidis, qui intempesta nocte inueniens sibi accubantem pulcherrimam puellam Ruth, eiusque coniugium petentem iure propinquitatis iuxta Moysi legem, adeo continens fuit, vt annuens coniugio nec illam tetigerit, donec omnia legis perfecerit. Propinquiorē aliū adiuit, iubet, vt sumat vxorem Ruth ad fratris semen suscitandum, aut cedat iuri suo. Cedit ille; & post hæc Booz maiores natu populi conueniens Ruth, cap. 4. ait:
Ruth, 4. *Testes vos estis hodie, quod possederim omnia, quæ fuerunt Abimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noemi, & Ruth Moabitem vxorem Mahalon in coniugium sumpserim, vt suscitem nomē defuncti in hæreditate sua, &c.* Sic bonus probat, & testatur ad illud coniugium ire, non ob aliam causam, quam ob religionē, & obseruantiam legis. Sanè in nullo alio coniugio veteris Testamenti inuenies hāc obtestationem, religionis, & obseruantiæ. Cur in isto prouisa tuit hæc sanctitas legalis, & obseruantia virtutis? Iam in isto coniugio iaciebantur fundamina Regni Israelitici à Deo promissi Iudæ tribui. Merito ergo fundamēta Regni â Deo promissi tanta præmittuntur religione, & virtute, quando regnū à Deo peculiariter veniens nullo firmius fundatur, quam in sanctitate, & virtute. Ait sapiēter Imperfect hom.
Imperf. in Matth. *Ergo Booz pro merito suæ fidei illam accepit vxorem, vt ex coniugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Nam Booz senior constitutus, non sibi vxorem accepit, sed Deo: non propter passionem corporis sui, sed propter iustitiam legis, vt susciteret semen proximo suo, non magis amore, quam religione feruentior.* Sic dum genus regale à Deo promissum fundabatur, & sanctitas, & religio, & accuratissima legis obseruantia præmittebatur.

§. III.

Fidelis seruus se intra domini sui fortunam continet.

FVgientem Dauidem vniuersi serui eius sequuntur, dicit enim: *Surrexit Dauid, & abijt ipse, & sexcenti viri cum eo ad Achis, &c.* Exulare apud hostes elegit Dauid, & nullus fuit è seruis eius, qui eum in eodem exilio non sequeretur. Fidelissimi sotij, & serui intra eamdem fortunam se cum domino suo continuerunt: cum errante errabant in montibus Israel, cum fugiente fugiebant, cum exulante exulare omnes elegere. Fallar, nisi hinc clareat præstantia serui, quod vel humilem fortunam domini sui sequitur. Genes. 18. *Apparuit Abrahæ Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi in feruore diei. Cūque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri, &c.* In confesso est apud omnes expositores, quod hi tres viri Abrahæ apparentes meridie Angeli erant, qui vt Abrahæ sic cæteris Testamenti patribus manifeste apparebant. At Matth. 1. dicit: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est.* Non manifeste, non clare apparet Angelus Ioseph, sed in somnis. Et qui Angeli apparuerāt Abrahamo pomeridiana luce, aperte, & clare; cur Iosepho non clare, sed in somnis apparet? Erat iam Angelorum Dominus sub latebris veteri Mariani, & ideo Angeli etiam latere amabant, & sub obscure se hominibus repræsentabant. Nesciunt enim fideles serui domini sui habitum non æmulari. Ait Rupert. lib. 2. de Glor. & Honor. Fil. Hom.
Gen. 18. *Matth. 1.* *Rupert.* *Ante minorationem talis filij manifeste visos esse Angelos hominibus seruis, & ancillis huius Domini, interim autem dum minor est, nō manifeste sed in somnis, vbi descenderat in vterum Virginis, Angelus Domini in somnis apparuit Ioseph.* Nolunt boni serui aliter esse, quam Dominus eorum, qui vt suam gloriam tegens in vterum descendit virginalem, eoque tenebroso in carcere occludebatur. Sic Angeli eius serui proprium splendorem

abscon-

abſcondunt, & non niſi ſub nigris ſomniorum latebris apparent. Et quis Dominus ſeſe occultans, & diſsimulans non amat ſeruos, qui ſciant ſe occultare? Ioann. 19.

Ioann. 19 *Poſt hæc autem rogauit Pilatũ Ioſeph ab Arimathæa (eò quod eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu: Venit autem, & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum ferens mixturã myrrhæ, &c.* Multi fuiſſent Deo ad manum, quorum opera vti poſſet, vt corpus filij ſui ſepulchro traderet; cur ergo maluit vti opera Ioſephi, & Nicodemi, qui occulte Ieſum ſequebantur? Sapienter quidem cũ filius Dei ſepulchro occultabatur, quęſiti ſerui ſunt, qui ſe ſcirent occultare, vt ſic & ſerui, & Dominus eſſent ſub eodem habitu. Ait D. Epiphan. orat. de Chriſti

D. Epiph. ſepult. *Papè abſconditum inter omnia myſterium, duo occulti diſcipuli veniunt, vt eum in ſepulchro occulant, qui occulte apud inferos degebat.* Amabat Dominus, quod in ſuis ſeruis appareret habitus, ſub quo ipſe ſtabat. Vt hinc diſcamus, qui ſerui Dei ſumus vt illum debemus, vel in abiectiſsima fortuna æmulari. Vane enim gloriatur quis nomine ſerui, aut ſotij Ieſu, qui eius obſcura, & occulta fugit. Nemo eſt, qui ignoret, vt Ruth Moabites coniugalem ſocietatem inierit cum Booz. Ait enim Ruth, cap. 4.

Ruth, 4. *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* In quo concors omnium patrum ſententia credit figurari, vt Chriſtus vocauit Eccleſiam gentium ad intimam ſecum ſotietatẽ, & vnionem. Sed vnde Ruth mulier gentilis eo deuenit, vt in ſe exprimeret eas animas, quæ intima Societate Ieſu fruuntur?

Imperf. Ait Imperfect. hom. 1. in Matth. *Ruth pro merito fidei ſuæ nupſit Booz, quia propriã gentem contemſit, & terram, & genus, & non deſpexit ſocrum viduam ſimul, & peregrinam, deſiderio ducta generis eius magis, quam ſui: talibus verbis dicens ad ſocrum ſuam: vbicũque ieris, ibo, & vbicumque manſeris manebo. Populus tuus, populus meus eſt, & Deus tuus, & Deus meus eſt, vbicumque mortua fueris, moriar, & ibi ſepeliar.* Merito hæc affotiatur Dei filio, quæ ſic eius generis adhæret veſtigijs; nec gaudet aliter viuere, nec aliter mori quam ipſe. Vt hanc mentem ebibant, qui amãt Ieſu Societate videri digni.

1. *Reg.* 27. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipſi & viri eius, & domus eius, Dauid, & duæ vxores eius Achinoam Iezraelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. Et nuntiatum eſt Saul, quod fugiſſet Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum.

§. IIII.

Beneficentia Chriſtiana non vni, ſed pluribus.

QVi paulò ante cap. 26. cum ſolo vno ſotio inter Saulis exercitus vſque ad eius tentorium accedit, dicente textu: *Venerunt ergo Dauid, & Abiſai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, &c.* Modo apud Achis non ſolus, nec cum vno ſocio, ſed cum omnibus ſuis diuerſatur. Dicit enim textus: *Habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipſi, & viri eius, & domus eius, Dauid & duæ vxores, &c.* Bonus princeps iam in omnibus halans Chriſtũ, cuius erat pater futurus, de cuius habebat Spiritu, quod ad pericula vnũ ſocium ægre admitteret; ad ſecuritatem autem nullum excluderet, ſed cum omnibus ſocijs, & familia, & vxoribus in ea viueret. Ad Saulem hoſtem, vbi diſcrimen, cum vno accedit: ad Achis amicum, vbi protectio cum omnibus ſuis venit. Proh Chriſtianus princeps, vt qui Chriſtum habebat in lumbis! Sanè Chriſtianum eſt non vni, ſed benefacere pluribus. Aiebat Pſalm. 117. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Et mirabar, quod ædificantes aliquem lapidem reprobaſſent. Ædificantes erant Iudæi, qui dum operi incumbunt, inuenerunt lapidem Ieſum, lapidem quidem expollitum, & præclarũ; & qui vel ſolus potuiſſet ædificium illuſtrare. Et nihilominus ædificatores hunc lapidem abijciunt, reprobant. Et cur illum reprobãt? Ait pulcherrime ibi Arnobius:

Pſal. 117.

Arnob. *Iidem ædificant, peruenerunt ad lapidem angularem, qui duos parietes amplectebatur, & duos conderet in ſemetipſo. Et quia ipſi in vno pariete ſtare volebant, reprobauerũt lapidem, qui non erat aptus ad vnum, ſed ad duos.* Quid pulchrius? Expende illa: *Qui non erat aptus ad vnum, ſed ad duos*: quippe is eſt Ieſus, qui neſciat vnum amplecti, ſed plures. Creaturarum proprium eſt totam ſuam beneficentiam in vnum ſtagnare; at Ieſus ſic beneficus eſt, vt pluribus benefacere gaudeat. Luc. 1. *Ingreſſus Angelus ad Mariam dixit: Aue gratia plena.* Verum Matth. 28.

vbi mulieres stabant ad Christi sepulchrũ
Matt. 28 post Iesum rediuiuum; *Ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete*: Ad quæ sapienter notat
D. Epiph. D. Epiphan. orat. de Sepult. Christi: *Ibi Angelus, Aue Virgini Mariæ intonuit: hic magni consilij Angelus Christus mulieribus clara voce, Aucte dixit.* Angelus vni, Christus pluribus salutem enuntiabat; & si angelica creatura sit, suam curtat beneficentiam ad paucos, de solius Spiritu Iesu venit, quod velis plurimis abundare, & nescias ad vnum bona claudere. Psal. 131. *Si*
Psal. 131 *introiero in tabernaculum domus meæ, si ascẽdero in lectum stratu mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino.* Sic omnia sua ablegat, vt locum domino quærat. Et cur ad inueniendum locum domino, necessum est, prius omnia ablegare propria: nisi quia Dominus tunc inuenitur, quando nihil in vnum stagnatur, sed plurimis proficere potest?
D. Aug. Vt dicat D. Aug. ibi: *Multi nefaciant locum Domino, sua quærunt, sua diligunt, potestate sua gaudent, priuatum suum cõcupiscunt. Qui autem vult facere locũ Domino, non de priuato, sed de communi volunt gaudere.* Is enim locus Dei creditur, qui non determinatur ad vnum, sed pluribus est communis. Huc trahi possunt dicta tom. 1. in Euang. lib. 1. cap. 7. §. 8. & lib. 2. cap. 3. §. 5. & cap. 9. §. 5. & alibi.

§. V.

Deus suis pressuras parat, quæ vtiles sint.

DAuid à patria sua exulans in Geth dicitur habitare, nimirum: *Habitauit Dauid cum Achis in Geth.* Geth autem torcular significat, vt videas qualia exilia, quales pressuras paret Deus suis, nimirũ pressuras non absimiles ijs, quas vuæ in torculari patiuntur. Quod enim premũtur in torculari vuæ, ad magnum proficit fructum; sic pressuræ seruorum Dei maxime sunt fructiferæ. Ait Psalm. 55. titulus:
Psal. 55. *Ipsi Dauid in tituli inscriptionem cum tenerent eum Allophyli in Geth.* Quæ verba non tantum ad Dauidem refert D. Aug. sed ad totam cõgregationem electorum, qui in hac vita premuntur, & quorum pressuræ vti-
D. Aug. lissimæ sunt. Ait enim: *Quomodo ergo hic tenetur in Geth? Tenetur in torculari corpus eius, id est, Ecclesia eius. Quid est in torculari? In pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Vua in vite, pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est.* Equidem pressuræ torcularis ad maximũ eruendum fructum inueniuntur; quibus similimæ sunt pressuræ electis suis parate à Deo, quæ nũquam veniunt sine ingenti fructu. Neminem latet coniugium Iacob cum Lia, & cum Rachele. Primo enim Laban, Gen. 29. *Liam filiam suã introduxit ad eũ.* Deinde transacta seruitutis hebdomada *Rachel duxit vxorem.* Hanc auide duxit, illã ægre tulit. Cum Rachele gaudebat, cum Lia laborabat. Rachel illi erat ad gaudia, Lia ad pœnam. Et Rachel sterilis erat, Lia autem fœcunda filijs domum implebat. Et cur Deus in vxore lætitiæ sterilitatem posuit, in ea autem quæ laboris, & offensionis fuerat, fœcunditatem fecit? Iam inde ostendebantur quam fœcundi, & fructiferi, qui dãtur iustis, labores essent. Vt dicat D. Aug. lib. 22. aduersus Faustum, cap. 54. *Itaque duæ sunt vxores duæ liberæ. Verum tamen vna amatur, & altera toleratur; sed quæ toleratur, ipsa prius, & vberius fœcundatur, vt si nõ propter se ipsam, certe propter filios diligatur. Labor enim iustorum maximum fructum habet, &c.* Non patitur Deus suos electos infructuosis laboribus conteri; quidquid illis laboriosum, & offensiuum accidere permittit, fructibus & vtilitatibus implet, vt hinc saltim ab illis amari possit.
Gen. 29.
D. Aug.

1. *Reg.* 27. Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis detur mihi locus in vna vrbe regionis, vt habitem ibi: Cur ergo manet seruus tuus in ciuitate regis tecum? Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg, propter quam causam Siceleg facta est regũ Iuda. Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum quatuor mensium. Et ascendit Dauid, & viri eius & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi & de Amalecitis, &c.

§. VI.

§. VI.

Solius veracis est non refugere oculos inspectoris, & probatoris.

CONfugerat Dauid ad Achis se populi Israelitici hostem simulans, ideo refugit iuxta Achis, & potentes aulicos habitare, sed malvult longe ab illis vitã agere. Proquo dicebat ad regem: *Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbe regionis, &c.* Prætextu vitandi Aulæ grauaminis discessum ab aula petit; nec miror, quod fugiat regis, aulicorũque oculos, qui se illis simulaturus erat hostem Israelis. Solus ille, qui verax est, & in veritate ambulat, nec videri, nec probari metuit. Ioann. 20. *Post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: pax vobis. Deinde dicit Thomæ; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Non solum videri, sed & tractari vulnera sua permittit. Cur non magis refugit sic tractari ab incredulo? Verax erat Iesus, & in veritate ambulabat, ideo nullam inspectionẽ, nullam probationem refugit. Pulchrè Sedulius lib. 5. Pasc. cap. 23. ait: *Quisquis dolos artificis caca sub imagine fraudis exercet, vanasque nebulas, & figuras ad decipiendas instruit mentes incautas, non vult sua facta cognosci, quod lateat sub nubis velamento fallacis, oculosque compositis miseros simulachris illudens, odit sollicitos, si deprehendi caperit. Dominus autem verax in omnibus Christus, non irascitur ambigenti, sed vt digitos quoque mergat in vulnera, facile concedit.* Equidem vt verax erat Iesus sic nullam inspectionem, aut probationem refugit; amant enim vera inspici, & probari. Simulata, & ficta nunquam non oderunt, vel à propinquo videri. De Iobi virtutibus gloriatus Dominus sic in Diabolum exultabat, cap. 1. *Nũquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* In Catena Græca dicitur: *Homo irreprehensibilis, iustus, verus, pius, abstinens ab omni re mala.* Hunc tamen tantum virum, tam sanctum, tam sibi placentem non dubitat Deus tradere in manus Satanæ dicens: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Et de propria eius persona, cap. 2. ait: *Ecce in manu tua est.* Cur domine tam crudeli exploratori permittis virum tantum? Cur nõ magis refugis manibus diaboli Iobũ tractari? Præmiserat causam in illis verbis: *Homo irreprehensibilis, pius, verus:* vt Iob verus erat in vijs suis bonis, veraque animi virtutes habebat, sic crudelissimi inspectoris nõ refugit in illo Deus oculos, nec manus. Simulata, & vana metuant tangi, quæ solide vera sunt, non refugiunt à crudelissimis inspectoribus, probatoribusve tractari.

Ioann. 20

Sedul.

Iob. 1.

§. VII.

Diuturna conuersatio nequit non monstrare fallacem.

SApienter Dauid cauit commorari in Achis aula, dicens: *Si inueni gratiam in oculis tuis detur mihi locus in vna vrbe regionis, &c.* imò nec ibi longo tẽpore fuit moratus, dicit enim: *Fuit autem numerus dierũ, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum quatuor mensium.* Nec si diuturnior fuisset Dauidis cũ Achis, & eius proceribus commoratio, potuisset hostilitas eius in Israelem ficta esse, & simulata non monstrari. Quando enim assiduitas cõuersationis non reuelauit fallacem? Pulchrè dicebat Rex Gothorum apud Cassid. 6. variar. 9. dum quemdam promouet ad dignitatem Palatij: *Considera, susceptæ dignitas, quo debeat splendore tractari, per quã supra cæteros iudices, familiaritatem principis habere meruisti. Nam sicut Sol ortus corporũ colores fugata nocte detegit, ita se morum tuorum qualitas, assiduè viso principe, non cœlabit. Mens tua & oculis nostris patebit & auribus. In vultu, & in voce cognoscimus seruiẽtium mores.:: Superbus varicatis gressibus patet, Iracundus luminum feruore declaratur. Suddolus terrenum semper amat aspectũ, &c.* Expende illa: *Assiduè viso principe non cœlabit:* nunquam enim factum est, vt in assidua conuersatione principis, non aliquãdo pateat serui dolus, ac fallacia. Quo crediderim, sapientissimum Salomonem spectasse; qui accipiens à Patre præceptum de puniendo Semei, 3. Reg. 2. vocauit hominem, & ait illi: *Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron; scito te interficiendum, &c.* Et cur maluit Salomon, vt iste Semei magis Ierosolymis habitaret, cum iuramento non exeundi, quã in alia ditionis suæ ciuitate? Solent potius prin-

Cassiod.

3. Reg. 2.

principes â propria curia nefarios homines eijcere, & ingressum in illam vetare. Cur similiter Salomon non istum Semei ab Ierosolymorum curia abiecit, illumque in alia ciuitate clausit? Cur magis voluit eum præ oculis habere in curia commorantem? Suspectus iste erat Dauidis generi, ex quo Dauidem ab Absalone fugiente lapidauerat, & credebatur cõceptũ aduersus Dauidicum regnum odium dissimulare; ideò in Regia manere cogitur, ne assidue conspectus animum posset cœlare, sed magis prodeuntis maliciæ minime euaderet pœnas.

§. VIII.

Aulæ conuictus saluti spirituali contrarius.

NOn negabo Dauidi respectum etiam virtuosum in verbis, quibus postulat recessum ab Achis Regia aiens: *Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbe regionis, &c.* Sunt enim in Regijs principum vehementiores occasiones, quæ homines à virtutum studijs retrahant. Sunt exuberãtiores voluptates, Idola in maiori honore, delitiæ vniuersæ in adoratione, quibus qui nolit vinci, fugiat, necesse est, aulam. Paul. ad Hebr. cap. cap. 11. dicit de Moyse: *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, &c:* Circa quæ ait D. Chrysost. hom. 26. *Nullus Iudæorum dimisit aulam regalem amplã, & claram, neque tales thesauros, neque cum posset filius regis esse, contempsit, sicut Moyses fecit.* Sed cur Moyses, qui tantus erat in aula contempsit, & fugit aulam? Ait D. Amb. lib. de Fuga sæculi, cap. 4. *Fugit Moyses â facie regis Pharaonis, ne eum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia.* Plane vt liberum se, & in coinquinatum seruaret Moyses, hoc sibi putauit necessarium, vt nimirum fugeret aulam. Quem aulæ dignitates non irretiant, ne perpeti volatu cœlum tranet? Quem aula nõ coinquinet, ne possit intrare in sanctam ciuitatem? Fallar, si qui aulæ terit limina, vel mẽte recolat manentem in cœlis ciuitatem. Scitur historia Ioseph, vt apparuit in Ægypto exaltatus, vt se fratribus manifestauit, vt adduxit ad Ægyptum patrem. Itaque bonus senex Iacob ingressus est Pharaonis aulam, & interrogatus à rege de ætate, ait Genes. 47. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorũ, &c.* Expẽde illud: *Peregrinationis*, se enim, adhuc, in aula existens peregrinũ putabat, spectans manentem in cœlis ciuitatem. Quod miratus Paulus ad Hebr. 11. ait de piscis patriarchis; *Et confitentes, quod hospites, & peregrini sunt super terram.* Sed quid magnũ, quod homines pastores nullam fixam habentes substantiam se peregrinos confiteantur? Sanè non magnum hoc fuisset, si patres illi nullam regum aulam intrassent. At ex quo Iacob triuit limina aulæ Ægyptiæ, magnum fuit, quod se confiteretur peregrinum cum patribus spectans in cœlis aliam manentem ciuitatem. Ait Rup. lib. 9. in Gen. cap. 18. *Eorum confessio nusquam clarior, aut certior inuenitur, quam hoc loco, vbi peregrinus Iacob in aula regis non oblitus patriæ cœlestis, vltro peregrinum se confitetur.* Expẽde illa aurea verba: *In aula regis non oblitus patriæ cœlestis:* hoc maxime Iacobi confessionem extollebat, & clariorem faciebat, quod in aula regis existens non obliuisceretur cœlestẽ patriam. Adeò difficile est, quod cœlum memineris dum existis in regum aulis.

Ad Heb. 11.

Chrysost.

D. Amb.

Gen. 47.

Ad Heb. 11.

Rupert.

§. IX.

Cultus diuini pompa efficacissima ad trahendos homines.

NOn abnuo Saliano nostro, qui in hoc recessu Dauidis ab Achis curia, cum ait: *Detur mihi locus in vna vrbe regionis, &c.* putat fuisse cautelam, qua remoueret suos à periculo Idololatriæ. Nouerat enim Dauid in magnis viribus, præcipue in regum curijs maiorem semper esse religionis pompam. Adeò, vt nullibi inueniantur Idola maiori in honore, & cultu, quam in Idololatrarum regum curia. Cauit ergo prudenter, ne sui sotij manerent in curia, in qua videntes Idolorum cultum pompatice institui, raperentur inde in Idololatriam. Efficacissima enim est religionis pompa, vt ad se homines alliciat. Hæc cura sollicitabat etiam Ieremiam, dum Israelitas captiuos qui Babylonem pergebant, moner Baruch, cap. 6. *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari ostentantes metum gentibus. Videte ergo, ne & vos similes efficiamini, &c.* Plane miseri Israelitæ plures alias vrbes imperij Nabuchdonosor inhabitabant captiui, & per plures iter agebant, vt Babylonem peruenirent.

Baruch, 6

Cur

Cur non monentur à Ieremia, vt caueant Idololatriam in alijs vrbibus, sed in sola Babylonia? Ratione insinuat textus aiens: *Videbitis in Babylonia Deos in humeris portari ostentantes metum gentibus.* Vt enim Babylon Regia erat Ethnici Imperatoris, sic in illa religionis cultus maior, & spectabilior, in pompa, & ostentatione, qua Idola circumferebantur, vt reuerentiam sibi cõciliarent. Ideo propheta veri Dei ibi maiorem adhibuit cautelam, vt suos remoueret à periculo Idololatriæ, vbi in maiori pompa, & splendore Idola versabantur. Crede mihi religionis cultus pompaticus efficacissimus est, vt hominum animos rapiat. Hinc primos illos patriarchas diuini cultos fundatores maxime extollens Ecclesiasticus, cap. 44. ait: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua:: Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi:: Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, &c.* Quantum hoc ad viros præstantes, & glorioſos, quod pulchritudinis studiũ habeant? Nonne hæc laus proprior est fœminarum? Imò, & in fœminis sordet, quod multum studium sit illis in pulchritudine comparanda; cur ergo de tam sordido studio præstantissimi viri prædicantur? Non loquitur Spiritus Sanctus de pulchritudine comparanda vultibus humanis, sed de pulchritudine comparanda templis, & aris, in qua vt maximus est illex ad trahendas animas, sic maxime laudabiles sunt, qui circa eam augendam occupãtur. Ait ibi Rabanus: *Pulchritudinis studiũ habentes, vt Moyses, & Salomon, qui tabernaculum, & templum cum varijs vasibus ædificarunt.* Et post hunc Carthus. fatur: *Id est, diligenter intenti circa ornatum cultus diuini, & templi decorem.* Sanè hæc fuit virtus magnorum virorum, imò, vt plus dicam, virtus fuit parentum illorum, qui nos in Deo, & Christo genuerunt. Ex quo enim diuini cultus gloriam promouerunt, non paucas fidelium myriades pepererunt Deo.

Eccl. 44.

Raban.

Carthus.

1. *Reg.* 27. Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad terram Ægypti. Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum, & mulierem: tollensque oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis.

§. X.

Tunc salubriter à mũdo fugis, cum fugiens, non somno stertis, sed virtuti operam nauas.

IOsue gladiũ euaserant Gessuri, & Gerzi, & aliqui ex Amalicitis, qui tamen ab Israelitis erant expugnandi; & modo à Dauide expugnatur. Dicit enim: *Ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis.* Sic Dauid dum fugit ad Achis, peragit eas virtutes in debellandis gentibus, quas Israelitæ debebant debellare. Non enim ideo fugit ad Achis, vt inerti vitæ se dederet, sed in hac fuga sua Israelitarum ditioni augẽdæ operam nauat. Non enim aliter viri strenui fugiunt mala; sed ideo fugiunt, vt bona faciant, vt virtutes maiores peragere videantur. Id in alijs Dauidis fugis notabat D. Ambr. lib. de Fuga sæculi, cap. 4. aiens: *Sic fugit etiam Dauid à facie Saulis, & à facie Absalonis. Denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & insidiatori pepercit, & parricidæ salutem roganit.* Vidimus non semel Dauidem fugientem, sed nunquam in fuga ociantem, aut escitantem. Supra, 1. Reg. cap. 22. *Fugit in speluncam Odollã;* & nactus in spelunca hostem confregit viros suos sermonibus, multũque laborauit, ne illum percuteret. Fugit deinde, 2. Reg. 15. ab Absalone, & dum figitivus agit, anxie curabat, vt Absalon viueret. Nõ equidem Dauid fugiebat à periculis, vt desidiosam ageret vitam; sed fugiens augebat incrementa pietatis, incrementa virtutum. Videns Rebecca odiũ Esau in Iacob, Gen. 27. monebat filium: *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum, &c.* Fugit ergo Iacob, sed quis memoret, quæ fecerit, dum fugit? Ait D. Athan. in Apol. de fuga sua: *Certe Iacob inter fugiendum pluribus visionibus, ipsque diuinis dignus est habitus, & quo magis desertus, destitutusque erat, eo magis Dominũ pro se habuit, qui impetũ Esau coercuit; idemque vt pater Iudæ esset, obtinuit; ex quo Iuda secundum carnem progeminatus est Dominus.*

D. Amb.

1. Re. 22.

Gen. 27.

D. Atha.

Plane

Plane Iacob interfugiendum ea faciebat, quibus dignus habitus est, qui admitteretur ad visiones diuinas. Et cur cœlum non pateret ei, qui fugiens paternæ domus pericula, sibi lapidem apponit pro lecto? Qui nocte integra stat in arena cum Domino luctaturus? Nonne is etiam est Iacob, qui fugiens septem laborum annis comparauit nuptias, quibus pater fieret Iudæ, & auus Christi? Proh virum omni corona dignũ! Fugit sane pericula, non vt otiosus esset, & desidiosus viueret, sed vt augeret incrementa virtutum. Quam fugam nobis persuadebat Dominus, Matth. 24. dicens: *Orate, ne fuga vestra sit in hyeme, neque in Sabatho.* Et quando maxime nobis conueniebat fugere, monemur, vt oremus, ne in Sabatho fugiamus. Et cur nobis suspecta sit Sabathi Fuga? In Sabatho intelligitur vacatio laboris, quæ vacatio sane ominosa est fugientibus mundi discrimina. Dicebat D. Basil. in Proœmio ad Isaiam: *Intelligendum est dictum illud Euangelicum, ne nobis tunc incidat fuga cum per inertiam vitam nostram traducimus.* Equidem periculosum est simul iungere inertiam vitæ, & sæculi fugam. Cum enim fugimus, nihil habeamus inertiæ, nihil desidiæ, sed ad virtutum nobilissimarum opera nos debemus accingere. De quo supra cap. 5. §. 11.

Matt. 24

D. Basil.

§. XI.

Qui zelo virtutis ducitur, æque omnes reos punit siue viros, siue fœminas.

FOrte Dauidi tribuas inusitatæ sæuitiæ, quod nec mulieribus parceret; dicit enim textus: *Percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum, & mulierem.* Quod vel ferissimorum prædonum superat sæuitiam; ij enim minime solent mulieres percutere. Sic infra, cap. 30. *Amalecitæ impetum fecerunt ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni. Et captiuas duxerunt mulieres ex ea, &c.* Ecce tibi Amalecitæ sæuissimi prædones, & quod amplius est, maxime irritati à Dauide in eius villam irruũt, omnesque occidũt, exceptis fœminis, quas duxerunt captiuas. Et esto; quod Dauid nollet eas captiuas ducere, ne manifestarent in Geth astutiam suam; cur malebat eas perdere, & armâ sua muliebri sanguine inficere, quod non facerent prædones sæuissimi? Nonne hoc Dauidis facinus fuit crudelissimum? Ait ibi Carthus. *Respondetur, quod non, quia totæ illæ terræ ad terram filijs Israel repromissam diuinitus pertinebant, sicque tempore opportuno poterant occupari ab Israelitis, & perfidi habitatores territoriorũ illorum ex iussione diuina erant tunc occidendi, sicut & tempore Iosue factũ est Chananæis.* Sic Carthusiano suffragantur vniuersi expositores, iuxta quos Dauid in perdendis populis illis executor erat diuinæ vindictæ circa perfidos habitatores, ne miremur, quod nullam fœminis veniam tribuat. Qui enim Dei, siue virtutis zelo ducitur, æque omnes reos perdit, siue fœminæ sint, siue viri. Actor. 9. dicitur de Paulo: *Saulus autem, adhuc, spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum, ad Synagogas, vt siquos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.* Paulus primus inuentus est, qui æque amabat perdere viros Christianos, ac mulieres. Actor. enim 6. *Iudæi conuocantes Apostolos, cæsis denuntiauerunt, ne loquerentur de nomine Iesu.* Nullam vocant mulierem, nulli mulierum molestiam inferũt; & ipsi carnifices, qui in horto adolescentem sequentem Iesum voluerunt comprehendere, in caluario non nullas videntes fœminas crucifigi astare, nullum illis verbũ asperum referuntur dixisse. Paulus ergo primus fuit, qui æque aduersus fœminas, & viros cæpit sæuire. Et cur quando cæteri Iudæi, adhuc, fœminis parcebant, vnus Paulus inuenitur, qui æque sæuiat in illas? Quæstioni respondet D. Chrysost. hom. de Herendis repreh. & conuersione Pauli inquiens: *Rapit viros & mulieres, non viros tãtum, sed & mulieres. Neque naturam reuerebatur, neque sexus miserebatur. Zelo tamen, non furore hæc faciebat. Nam Iudæi, quid respexerint, ipsi manifestabant, nempe quod omnia honoris & gloriæ gratia fecerint. At Paulus non sic, sed zelo Dei, tametsi non secundum scientiam. Ex hinc est, quare Iudæi mulieres quidem dimiserunt, viris autem infesti videbantur, quoniam in illos transisse gloriam suã videbant: hic autem ob zelum erga omnes taliter se gerebat.* Quid pulchrius? In quibus non Deus, nec virtus spectabatur, sed honoris, & gloriæ respectus temporalis; partiaria erat vindicta; & si enim in eadem secta viderent viros simul & mulieres, illos feriebant, ijs veniam dabant. At Paulus, vt zelo Dei licet non secundum scientiam ferebatur, sic vt fœminas in eodem cum viris credebat esse reatu, sic æque aduersus illas

Carthus.

Actor. 9.

Actor. 6.

Chrysost.

illas ſuum rigorem monſtrabat. Adeò eſt proprium diuini ſpiritus nõ reſpicere perſonas, vt vel erroneus zelus, qua parte Deũ attendebat, quas cum viris æque reas fœminas putabat, à vindicta non ſeparabat.

§. XII.

Mundiales Principes vbi lucrum ſpectant, nil ſuſpectum habent.

SEparatus Dauid â rege prædarum lucra ab eo non ſeparabat; ait namque textus: *Tollenſque oues, & boues, & aſinos, & camelos, & veſtes reuertebatur, & veniebat ad Achis.* Et plane nullo alio magis ſecurum faceret regis animum, quam exhibitis muneribus quotidianis. Hæc enim certiſsima erant ſecuritatis pignora, quibus maxime ſe credunt principes mundiales. De quodam aſtutiſsimo aulico dicebat Egeſip. 1. Egeſipp. lib. 1. cap. 41. *Si immerſit in Iudæã vir Lacongenere, Euricles nomine, nimis cupidus opum; earumque pro negotio contemptor, vbi maiora potiundi ſpes refulgebat. Denique non contentus facultatibus, in effuſiones regias animum intenderat, venandique artifex Herodem antiquis, opimis adorſus muneribus::: in intimam eius amicitiam breui peruenit, vt inter primos ſecretorum arbitros eligeretur.* Sic homo aſtutus regem muneribus adorſus, intimis eius ſecretis ſe inſinuauit, nihil enim verentur principes ab eis, à quibus lucra capiunt. Hinc prudentiſsimus Iacob, vt nouit filios ſuos tanquam exploratores in Ægypto habitos, pro cuius criminis ſuſpitione Simonem in vinculis ibi detineri, & adhuc filium ſuum minimum Beniamin repoſci à Prorege, aiebat cap. Geneſ. 43. Geneſ. 43 *Si neceſſe eſt facite, quod vultis. Sumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, &c.* Vnũ requirebat Prorex Beniaminum videre; at ſapiens ſenex præterquam, quod Beniaminum permittebat, inſuper & munera ferri imperabat dicens: *Deferte viro munera.* Et cur munera mandat viro, qui filios proditionis ſuſpectos habebat? Ideò crediderim, quod ſenex mittebat filios cum muneribus, vt omnem ſuſpitionem proditionis aboleret. Neſciunt enim principes illos habere ſuſpectos, à quibus honorantur muneribus. Philo. Adhæc aiebat Philo lib. de Ioſeph: *Nunc adiungenda ſunt munera tribus de cauſis, ad parandam Præfecti gratiam; ad fratrem citius redimendum è vinculis; ad tollendã, quantum fieri poteſt, explorationis ſuſpitionem.* Sic in exhibitis muneribus explorationis ſuſpitionem tollebat, vt quæ ſoleant regium animum ſecurum efficere, & prorſus quietum. Sic ambitioſiſsimus Tryphon. 1. Machab. 12. cupiens perdere Ionatham, inuenit illum quadraginta millium ſelectorum militum exercitu potentem, & magis timuit. Quid tunc? *Excepit eum cum honore,* 1. Mach. 12. *& commendauit eum omnibus amicis ſuis, & dedit ei munera: Et credidit ei Ionathas, &c.* Non putabat Ionathas in tot honoribus, & muneribus aliquid eſſe ſimulationis, & doli. Sic enim munera, & officia occupant principes, vt nihil mali de offerẽtibus munera ſuſpicari permittant. Aiebat ibi Ioſephus lib. 13. cap. 10. locutus de Tryphone: *Videns igitur Ionatham non imparatum* Ionat. 13 *ad certamen, muneribus & comitate conatus eſt ei imponere, iuſſis ſuis ducibus, vt imperata Ionathæ facerent, quo magis omnem illi ſuſpitionem eximeret. Ionathas vero nihil mali ſuſpicatus, &c.* Vt officia, & munera vidit, non dubitauit rem eſſe in tuto, ſub qua miſere perijt fiducia.

1. Reg. 27. Dicebat autem ei Achis, In quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid, contra meridiem Iudæ, & contra meridiẽ Ierameel, & contra meridiem Ceni. Virum, & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth dicens, Ne forte loquãtur aduerſus nos. Hæc fecit Dauid, &c.

§. XIII.

Lucra temporalia excæcant.

MVlta erant, quæ Dauidem poſſent facere ſuſpectum regi Philiſthæo; cũ enim

enim tot prædas attulisset in dies, easque insinuabat factas in Israele, dum regi interroganti respondebat: *Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Iezrameel, &c.* Nullum vnquam spolium ostendit, quod posset certificare regem ab aliquo Israelita detractum fuisse. Nec vnum captivum, nec vnam captiuam afferebat vnquam. Et cur Rex, qui scisciatabatur de prædis, non attendebat omnia esse communia gentibus, nil proprium de Israelitis afferri? Cur aliquid proprium non desiderabat videre? Plane præsentibus donis captus nihil aliud videbat habent enim hoc temporalia dona, vt vel acutissimos quosque excæcent.

Psal. 141 Dicebat Psalm. 141, *Considerabam ad dexteram, & videbam.* Vt posset videre, ad dexteram considerabat, quasi in sinistra excæcaretur. Et quid erat in sinistra, ob quod videre non posset, sed cæcus maneret? Ait

Prou. 3. Prouerb. 3. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.* Æternitas dierum in dextera ponitur, quæ considerata mirum in modum acuit visum mentis; at diuitiæ in sinistra sunt, ne miremur, quod ibi prorsus mentis oculi obcæcentur. Ait enim D. Augustin dictum Psalm.

D. Aug. *In dexteram considerabat, & videbat; in sinistram, qui considerat, excæcatur.* Crede mihi, si ad sinistram respexeris, vbi sunt diuitiæ temporales, vbi sunt munera, & dona, & lucra terrena, prorsus cæcus manebis, vt nihil possis videre. Angelo Laodiciæ dicebat Dominus, Apocal. 3.

Apoc. 3. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Et quod est collyrium tantæ virtutis, quod possit nostros aperire oculos ad videndum? Ait An-

And. Cæs. dræas Cæsarien. ibi cap. 9. *Per collyrium autem innuere videtur externarum rerum penuriam, munerumque despicientiam. Nam si dona videntium oculos excæcant, omnino munerum contemptus hos aperiet.* Munera quidem oculos excæcant, cui cæcitati nullum aptius remedium inuenitur, quam si prorsus temporalia omnia bona despicias. Cõtemptus enim munerum, donorumve collyrium validissimum est, quod possit reddere oculos ad videndum clarissimos.

§. XIIII.

Solius Dei est, quod dictis facta correspondeant.

QVam aliter verba Dauidis à factis eius sonabant; verbis enim persuadere volebat regi, se aduersus Israelitas irruisse: dicebat enim: *Contra meridiem Iudæ, &c.* de facto autem non Israelitis, sed Gessuritis, & Amalecitis meridianis bellum inferebat, nec vllum captivum adducebat in Geth, ne manifestarentur opera eius contraria verbis. Dicit namque: *Nec adducebat in Geth dicens, Ne forte loquantur aduersus nos.* Nec miror, homo erat Dauid; solius autem Dei est, sic se gerere, quod nunquam facta discrepent à verbis. Genes. 18. *Cum eleuasset oculos Abraham, apparuerunt tres viri.* Tres viri apparuerunt Abrahamo, ipse autem, teste Apostolo, vnum adorauit, à quo & promissionem accepit filij nasciturj post annum. Quid tunc? Genes. 21. dicit: *Visitauit Dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit, quæ locutus est. Concepit, peperitque filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus.* Expende, quæso, ordinem; in primo dicitur vir apparuisse, & filium promisisse, & natiuitatem eius prædixisse. Deinde vbi Sara concepit, iam non vir, sed Dominus dicitur visitasse illam. Postremo, vbi & concepit Sara, & peperit, & filium præmanibus habit, non vir, nec Dominus dicitur, sed Deus fuisse, qui omnia locutus fuit, & peregit. Et cur non à principio Deus, sed vir, aut Dominus? In principio sola erant verba promittentis, & prædicentis, in solis autem verbis sine factis correspondentibus non apparet Deus; in fine autem vbi iam facta perfectissime, & plenissime verbis correspondebant, tunc iam non vir, nec Dominus, sed Deus, cuius solius est nunquam non verba factis implere. Quo spectans D. Hilar. lib. 4. de Trinit. ait: *Vir in loquendo nuncupatus, Dominus in visitatione significatus, Deus prædicatur in facto.* Vbi sola erant verba, vir apparebat, cui conuenit verba, sine facto habere: vbi autem verbis factum plene respondit, iam ibi Deus clarissime ostenditur. Quo adduco illud, Genes. 41. vbi Pharao exaltauit Iosephum, illumque fecit secundum in regno. Tunc enim dicit textus: *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptia saluatorem mundi; deditque illi vxorem. Aseneth filiam Puthipharis Sacerdotis Heliopoleos.* Sæpe Puthipharis mentio facta est in ijs capitibus sub alijs honoris titulis; & nunquam sacerdos vocatus est à diuino spiritu, nisi modo quando propinquus Iosepho factus est. Et cur modo præcipue explicatur fuisse sacerdos? Vt

D. Hil.

Genes. 41

modo

modo facta correſpondebant verbis, quæ promiſſerant exaltationem Ioſeph, ſic diuinitas clariſsime in Ioſeph patebat, cui appropinquare munus præcipuum Sacerdotis erat. Ideò in propinquo eius Sacerdotium notauit ſacer textus, vt innueret diuinitatem conſpicue Ioſepho aſsiſtẽtem, quando prædictis eius honoribus facta correſpondebant. Non longe abeſt D. Auguſt. quæſt. in Geneſ. 136. dicens: *Duos Puthiphar habuit honores, & Sacerdotium Solis, & militiæ principatum. Congruenter alibi ille honor eius commemoratus eſt, qui talibus actibus congruebat: hîc vero poſtea quam in Ioſeph apparuit non parua diuinitas, ipſe honor debuit nominari ſoceri eius, qui pertineret ad diuinitatem.* Quid propinquius diuinitati quã ſacerdos? Merito ergo memorat textus Puthipharem Sacerdotem, vbi propinquus oſtenditur Ioſepho, in quo non obſcure diuinitas apparebat implẽs factis antiquæ, & odioſæ promiſsionis verba.

D. Aug.

§. XV.

Ille maxime adhæret Deo, qui patriam, parenteſque deſpicit propter Deum, & conculcat.

INde ſibi addictiſsimum ſervum Dauidem putat Achis, quod illum aduerſus populum ſuum, fratreſque ſuos credebat irruiſſe. Dicebat enim: *Multa mala operatus eſt contra populum ſuum: erit igitur mihi ſervus ſempiternus.* Sic credebat Achis de eo, qui fratribus ſuis inferebat bellum. Satius Deus opt. max. illos ſibi adiungit, vt fidos, & conſtantiſsimos ſervos, qui parentibus carnalibus virtutem impedientibus bellum inferunt; illiſque deiectis, & conculcatis ſtant pro Deo. Sanè Leuitæ poſt occiſos cognatos audiunt ex Moyſe, Exod. 32. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.* Non parentibus, non cognatis, non fratribus pepercerunt in cauſa Dei; ex quo manent conſecrati, & addicti Domino, diuinarum participes benedictionem. Quando enim non addictiſsimus erit Deo, qui ſic cognatos in Dei cauſa ignorat? Ipſos Leuitas memorans, Deuth. 33. inter aliorum benedictiones ait: *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos; & fratribus ſuis ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuũ, & pactum tuum ſeruauerunt:: & ponent thymiama, &c.* Sic ab ignorantia, & deſpectione carnalis cognationis pro Deo, ad diuinas benedictiones, imò ad Dei ſortem aſcenditur. Geneſ. 1. *Creauit Deus cete grãdia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas; & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus, quod eſſet bonum, & benedixit eis, &c.* De aquarum creaturis loquens oſtendit, vt Deus non ſolum eas crearit, ſed & benedixerit. At de terræ creaturis loquens ait ibi: *Fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuos, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus, quod eſſet bonum.* Non addit, quod benedixerit eis. Et cur minime benedicens terræ creaturis Deus oſtenditur creaturis aquarum benedixiſſe? Inter aquarum creaturas inuenitur genus volati; non enim ſoli piſces ab aquis prodiere, ſed & vniuerſæ volucres. Volucres autem aqueam originem deſpicientes, contemnentesve alta petunt, in aere cœli ducunt vitam, quo benedictionibus diuinis aptiores in poſſeſsionem Dei intrant. Accipite D. Anaſtaſ. Sinaitam lib. 5. Examer. pulchre addubitantem, & reſoluentem dubium. Ait enim: *Quam ob rem, quæ ex aquis quidam genita ſunt omnia Deus benedixit, è terra autem genitos animantes priuauit benedictione?* Hæc quæſtio erat; ſed ecce eius reſolutio. *Quæ ortum habent ex terra, verſantur etiam perpetuo ſuper terram; quæ autem nata ſunt ex aquis, alia quidem dicuntur marina, alia autem, cum receſſerint, in alium ſublata appellantur cœleſtia. Hoc eſt volucres cæli, quas etiam Deus cognoſcit ſicut dicit per Prophetam cognoui omnes volucres cæli.* Equidem à terra genitum animal ſemper terræ incubat, neſcit patriam illam cognationem deſpicere. Ab aquis autem orti alites, nihil prius obliuiſcuntur, quam aqueã cognationem: cœli alta petunt, cœlitumque ambiunt habitationem tenere; quo & Deo familiares, & noti aſsiſtunt, implenturque benedictionibus diuinis. Fœlix qui harum æmulatur naturam carnalique cognationi valedicens, ad cœleſtia aſpirat; is benedictioni diuinæ addictus, perpetuò Deo aſsiſtet. Ex quo dicebat Dominus, Ioann. 2. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Secundam natiuitatem ex aquis proponit fideli ſuo.

Deut. 33

Geneſ. 1.

D. Anaſt.

Ioann. 2.

Et cur secunda natiuitas ex aquis proponitur, nisi vt more volucrum ex aquis orti sola appetamus cœlestia? Ait D. Zeno ser. 10. de Iudæis: *Nostrum mare interimens omnia peccata genitali vnda submergit; vt cœlestes effecti terram desiderare non norint.* Hoc de genitali fonte habeamus, vt terrenum originē despiciētes ad cœlestia euolemus.

D. Zeno.

1. *Reg.* 28. Dixit Achis ad Dauid, sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui. Dixitque Dauid ad Achis, Nunc scies, quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad Dauid, Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus::

Ex cap. 29. Dixerūtque Principes Philisthiin ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? &c.

§. XVI.

Amor, qui est in te erga proximum, nihil te ab illo timere sinit.

ET apud Achis, & apud Philisthæos alios Dauid innocenter, & sine querela vixerat. Sed Achis Dauidem secum prælij socium aduersus Israelitam ducit, dum ait: *Scito, quod mecum egredieris in castris tu, & viri tui.* Cæteri autem Philisthæi maxime Dauidis societatem in illo prælio detrectant dicentes: *Quid sibi volūt Hebræi isti?* imò irascentes in Achis, & tandem facientes, ne in exercitu suo maneret Dauid. Et cur Principes Philisthæorum sic cauebant Dauidem? An sciebant plura de illo damnata illa Philistæis, quā sciebat Achis? Minime; omnia enim mala â Dauide facta Philisthæis sub Saulis signis sciebat Achis; sed vt amabat Dauidem, eius familiaritate deuictus nullum sibi malum poterat timere ab illo, quod sapiēter timebant cæteri Philisthiin. Sic amor nihil tibi ab amato timere sinit. Moyses iussus à Deo Israelem populum ducere, non paucis detrectat munus, Exod. 3. imò audiens secū iturum Angelum, qui ducem agat, magis clamat ad Deū, Exod. 33. *Si non tu ipse præcedas, nō educas nos de loco isto.* Sciebat enim periculosissimū esse populo peccatori sub Angelo pergere, à quo plures clades pro peccatis suis receperat. Verū Isaias vt vidit Deum, qui quærebat virum mittendum ad populū Israel, statim clamat ipse, cap. 6. *Ecce ego, mitte me.* Sanè Moyses noscēs populi duritiā, & odium in prophetas, & duces suos, & clades ab Angelis immissas, detrectabat munus. Cur Isaias non similiter detrectat? An ignorabat magis, quā Moyses furorē populi in duces, vt Dei nuntios lapidauerāt, & occiderant? Minime ea ignorabat Isaias, sed vt erat igne seraphico possessus, & vehemēter amabat populares suos, nihil poterat sibi timere ab illis. Ait D. Basil. orat. 17. de Humil. & vana glor. *Moyses quidem, quod populus esset sceleratus, quique opus haberet eo, qui connuere delictis, & peccata remittere posset, id quod ipsi Angeli efficere nequeunt, siquidem illi vlciscūtur eos, qui sceleribus se obstrinxere, nequaquam possunt. Isaias vero propter amoris exuperantiam sibi persuadebat, nihil eorum, quæ acciderant, vnquā à populo sibi accidere potuisse.* Expende ab illis: *Propter amoris exuperātiā*, quippe, vt amabat proximos, & si sciret multa mala ab illis in duces, & prophetas venisse, nihil horū credebat sibi posse obuenire. Sic enim amor hominū animos afficit, vt ab amatis sibi nihil timeant. Post Abelis munera Deo gratiora visa iratus Cain, & vehementer iratus, nulliſque Dei vocibus lenitus dixit ad Abel, Gen. 4. *Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum, &c.* Sanè maliciam Caini, atramque eius bilem conspicuam faciebat demissio vultus. Cur Abel non magis suspectum habuit vultum Caini? Cur maluit cum illo ire in campum, & non magis timuit tristitiam vultus? Erat Cain frater, & eum Abel vehementer amabat, vnde nihil sibi potuit timere ab illo. Ex quo sapienter extollit Claudius Marius maliciam Caini supra Dæmonis maliciā. Quippe ait lib. 2. in Genes. :::

Exod. 3.

D. Basil.

Gen. 4.

Cla. Mar.

---------- *Longe serpente nefando*
Deterior, tua me timor si crimina, namque
Attulit ille necē; tu vero hanc primus in fers
Tanto illo peior, vitari publicus hostis
Quod potuit: tu priuatus nulla arte caueri
Iā poteras: Quis enim dilecto à fratre timeret?

Expende illa: *Dilecto à fratre*; quippè â fratre, quem oderis, potes quidem, & debes tibi timere; at à fratre dilecto, qui multum amatur, nullus est, qui timere sibi queat. Nunquam amor locum timori præbet. Matth. 28. post Christi Domini resurrectionem apparuit Angelus sicut fulgur.

Matt. 28

Quid

Quid tunc? *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus, Nolite timere vos.* Timebant milites adeo, vt præ timore in terrā deciderint velut mortui: quorum timorem minime leuat Angelus, sed totus est in ostendendo, quam longe deberent esse mulieres sanctæ à timore. Sed quando milites timent, cur non timeāt mulieres? Amabant mulieres dominum, & ideo non erat vnde timere possent. Ait
Cyrill. Ier. D. Cyrill. Ierosol. catech. 14. *Infirmū quidem muliebre corpus, virilis autem prudentia! Aqua multa non extinxit dilectionem, neque flumina demerserunt. Et Angelus ad ipsas dixit; ne timeatis vos; non dico militibus ne timeatis, sed vobis. Illi timeant:: vos autem non est necesse timere. Perfecta enim charitas foras mittit timorem.* Milites custodes nullo Christi tenebantur amore; & sic non erat, cur non timerent sibi à fulgurantibus Christi ministris. At mulieres, quarum erga Christi dilectio minime extincta in passione erat, nec inter fulmina ab Angelis vibrata timent; nescit enim amans timere ab amato suo. Ioann. 20. refert, vt nocturnis tenebris venerit Maria Magdalena videre sepulchrum, vt vidit apertum, vt nuntiauit id Apostolis, quorum Petrus, & Ioannes currentes inuenerunt sepulchrum vacuatum corpore Christi. *Abierunt ergo iterum*
Ioann. 20 *discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Et mirabar, quod mulier auderet sola manere iuxta monumentum defuncti. Cur Maria non magis abis cū abeuntibus discipulis? Pulchre Origen. ibi: *O Maria quid spei, quid consilij, aut quid cordis erat tibi, vt sola stares ad monumentum discipulis abeuntibus? Cur hoc fecisti? Sapiebas plus illis, aut diligebas plus quā illi, quia non timebas, vt illi.* Sic amor faciebat, ne fœminæ timeret sola stare ad dilecti sepulchrum.
Orig.

1. *Reg.* 29. Ait Achis ad principes Philisthiim: Nūquid ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul regis Israel, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quicquā ex die, qua trāsfugit ad me, vsque in diem hanc? Irati sunt autem aduersus eum principes Philistiim, & dixerunt ei: Reuertatur vir, &c.

§. XVII.

Seruile ingenium irreconciliabile.

SApienter Achis comendans Dauidem suis cauit illum vocare aut generum, aut filium Saulis regis, sed magis eum vocat seruum. Quippè dicit: *Nunquid ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul regis, &c.* Cur bone non magis dicis Dauidem generum, aut filium esse Saulis regis? Cur generum prætermittēs seruum regis dicis? Volebat Achis proponere suis Dauidem prorsus irreconciliabilem Sauli; quod non ageret, si Dauid diceretur regis Saulis filius; filij enim facilime reconciliantur cum parētibus, etiam si maxime fuerint illis iniurij. Non sic serui, quorum seruile ingeniū, vt maxime distat à filiali, & regio animo, sic prorsus irreconciliabile inuenitur cum debitoribus suis. Exemplum esto seruus ille, qui multorum talentorū debitor existens apud Regem, iam iam cum omnibus bonis, filijs, & vxorem venundandus erat, Matth. 18. vt sic Regi solueret debitum
Matt. 18 suum. Quid tunc? *Procidens autem seruus ille, orabat regem dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit illi. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat illi centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens, Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet, &c.* Quid grauius? Ecce tibi duo in præsenti proponuntur; qui debitores habebant; alter ad primam debitoris precationem, ingens debitum remisit, & sibi hominem iniurium facile reconciliauit. Alter autem, vt debitorem vidit, suffocabat eum, nullisque precationibus placatur, sed misit eum in carcerem, nulli reconciliationi locum præbens. Vnde hoc? Ille Rex erat, hic seruus, cuius ingenium reconciliationem nescit. Quo spectans D. Chrysost. homil. 61. in Matth. ait: *Vidisti misericordiam Domini, vide*
Chrysost. *nunc inauditam serui crudelitatem. Nec verba quidem ipsa veritus est, quibus salutem acquisiuit; Nec portum quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit; nec modus ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriam eum reduxit, sed omnia illa crudeli-*

tate oblitus omni fera sæuius in conservum insiliebat. Sic pertinax est in odio, & furore seruilis animus nullum reconciliationis locum ostendens. Vbi seruile ingenium cæpit aliquē despicere, & odisse, nequit vnquam mollescere in illum. Quod expertus
Iob. 19. Iob dicebat, cap. 19. *Orabã filios vteri mei. Stulti quoque despiciebãt me.* Quæ sic in Cat. Græca leguntur: *Blandiens autem vocabam filios concubinarum mearum; illi autem me in perpetuum reiecerunt.* Qui iuxta Vulgatam despiciebant Iobum, iuxta Græcum, in perpetuum reijciunt. Et cur in perpetuum reijcere dicuntur? Nonne Iobi filij erant? Nonne facile filij ad patrem flectuntur? Cur isti credebantur in perpetuum patrem afflictum reiecturi? Erant Iobi filij, sed ex concubinis, & ancillis, vt ex Agar Ismael, quod notabat Nicetas ibi. Qui ergo ex matre ingeniũ trahebant seruile, nihil non durum, & illiberale meditabantur, vt notat ibi noster Pineda; nec semel incipientes despicere, & reijcere patrem, cessabũt; sed in perpetuum manebunt irreconciliabiles illi. Tale est ingenium seruile nescies regressionem ab incepta malicia.

1. *Reg.* 29. Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis? Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei, Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in cõspectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris, & non inueni in te quicquã mali, ex die qua venisti ad me vsque in diem hanc; sed satrapis non places, &c.

§. XVIII.

Suspicio mali nõ debet præualere aduersus proximum, vbi in illo plura virtutum opera apparent.

CAntatissima illa Philisthæi percussio à Dauide peracta obijcitur illi, vt suspectus Philisthæis habeatur. Qua nota, nihilominus ait Achis ad Dauid; *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, &c.* Et cur Philisthæus sic censet de homine, quem Philisthæorum percussorem nouerat? Cur sibi prorsus bonum, & rectum asserit illum, cuius contra Philisthæos triumphi cantabantur? An ignorabat cantus illos, & non credebat illos? Non ignorabat; sciebat enim clare Dauidis facinus contra Philisthæos de cantatũ; sed tot opera postea in illo bona pro Philisthæis viderat, vt ijs totam suspitionem deponeret mali. Quippè ait: *Non inueni in te quicquam mali ex die, qua venisti ad me, vsque in diem hanc.* Tot dies bene gestarum operum non potuerunt contemni abono principe, vt haberet suspectum hominem pro vno opere malo. Vtinam & nos hanc Achis mentem ebibamus, nec ex vno malo indicio iudicemus fratrem, quem possumus inuenire multis bonis operibus commendatum. Matth. 1. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, &c.* Et qualis erat hæc Iosephi iustitia, quæ vxoris tumentẽ vterum, & non à se videbat, & nilominus refugiebat illam castigare? Nonne vterus tumens manifestissime aduersus illam clamabat? Cur ergo iustus non magis illã vult castigare, aut corrigere? In quo potest cõmẽdari iustitia viri cauẽtis castigare vxorem, aduersus quam vterus tumens clamabat? Erant tamen pro Maria tot virtutes, tot opera sanctitatis, quæ notata à Ioseph iustissime cogebant hominem, nequid suspicaretur de Maria malum. Hæc enim est perfecta iustitia, vt plus credamus multis virtutibus proximi visis, quam vni vel euidẽtissimo indicio mali. Imperfect. hom. 1. in Matth. aiebat: *Cum esset iustus capit sibi cogitare de illa: Comessatrix, aut vlolenta nunquam fuit: non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix. Non supervirum oculos suos extulit, nec infixit aspectum. Hæc & alia similia tractans, nihil horũ inueniebat in ea, sed ex diuerso omnia laudabilia, omnia admiranda. Quo possibilius posse credebat mulierem sine viro parere, quam Mariam posse peccare.* Sic multitudo virtutum Mariæ ponderata cogebant hominem iustum, ne contra illam, vel indicio tumentis vteri fidem faceret. Efficaciores enim debent esse multæ virtutes, vt bonum de fratre persuadeant, quam alicuius signũ peccati, vt persuadeat malum. Quo spectans Dominus Isaiæ, cap. 66. aiebat: *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, vt con-*

Matth. 1.

Imperf.

Isai. 66.

congregem, & c. Quid est venire Deum, vt congreget opera, & cogitationes? In officio defunctorum tremendus ille dies proponitur, *cum discussio venerit, atque ventura ira*; sane discussio simul cum ira Dei venit; ira enim est, quod nostra opera discutiantur sic, vt mala appareant per se sine bonis. At ad bonitatem Dei spectat, quod veniat, non discussurus, congregaturus opera, & cogitationes hominum. Vbi enim multæ virtutes appareant congregatæ malis operibus, sæpe continget, vt mala debeant bonis obrui. Ex quo monebat D. Basil. orat.

D. Basil. 17. *Si proximum tuum scelere se contaminantem videris, ne hoc solum ipsius facinus animo lustres, sed ea omnia, quæ fecit, aut facit probe tecum reputes, & sic multis partibus ipsum lõge meliorem esse reperies, nimirum cum in vniuersorem, non in parte accuratius perpenderis. Nam nec Deus ipse homines ex parte ponderat. Ait enim: Ego venio, vt & facta, & cogitationes ipsorum congregem.* Nunquã equidem fratris error solitarie attendendus, sed simul illi adiungẽda omnia eius opera bona; quæ sæpe iustum hominem cogent, ne valeat cogitare malum de proximo. Hoc ipsum docebat Cicero Marcum Catonem orat. pro Lucio Murena fatus: Saltatorem appellat Lucium Murenam Cato. Maledictum est, si vere obijcitur, vehementis accusatoris. *Quare cum ista sis authoritate M. Cato non debes accipere maledictum ex triuio, aut ex aliquo scurrarum conuiuio, neque temere Consulem populi Romani saltatorẽ vocare. sed conspicere, quibus præterea vitijs affectum esse necesse sit eum, cui vere istud obyci possit.* Quid sapientiuis? Cõgreganda equidem sunt alia, vel mala, vel bona facta proximi, & ex adiunctis alijs iudicandum, an in illum posset tale maledictum cadere.

1. *Reg.* 29. Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inueneris in me seruo tuo à die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos Domini mei regis? Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid: Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus, &c.

§. XIX.

Reus vbi se credit non conuincendum, multis clamat, & quæritur.

MVlta equidem fecerat Dauid, quæ si Achis nota essent, iam reiectus esset ab aula, imò à toto regno. Et nilominus audet modo querulas voces aduersus regem proferre dicẽs: *Quid feci, & quid inueneris in me seruo tuo, à die qua fui in cõspectu tuo, & c.* Et quãdo ipse sciebat à se multa esse peracta, quæ eiectionem mererentur, cur sic audet clamare? Cur non potius tacitus hæret, & discedit? Hoc proprium est hominis rei, quod vbi sua male facta abscondita credit, multis clamoribus, & querelis suam intonet innocentiam. Quod venuste notabat Abbul. in præsenti quæst. 7. aiens: *Iste est modus illorum, qui rei sunt criminis. Nam si accusantur, & obyciatur eis crimen, & non probetur; magis conqueruntur, quam si nullo modo ad eos pertineret.* Communissimum est reis omnibus hoc ingenium, quo multa pro se clament, dum crimina sua latere credũt. Sic requisitus Cain à iudice Deo de fratre Abele, Genes. 4. nõ hæsitauit, non obmutuit, sed respondit: *Nescio; nunquid custos fratris mei sum ego?* Et cur conscius criminis sui ad vocem iudicis non magis obmutuit? Putabat crimen suũ latere, nec probari posse, & ideo de reorum more multa clamat pro innocẽtia sua. Ait ibi Eucherius: *Cain ad cumulum peccati sui fallaciter, ac superbè respondit, putans Deum latere, quæ gesserat.* Sic criminosi omnes de probationis defectu animos sumunt, quibus multa querulose clament in defensionem suã. Qui autem innocens est, magis tacitus totum fori strepitum ridet. Nemo ignorat quot falsa testimonia congerebantur in Iesum, Matth. 26. *Iesus autem tacebat.* Et cur non magis loquitur aduersus falsos testes, eorũque minime cõuenientia testimonia cõuincit? Ait D. Amb. lib. 10 in Luc. *Accusatur Dominus, & tacet. Et bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Melior enim causa, quæ non defenditur, & probatur.* Expende illa: *Ambiant defendi, qui timent vinci*: qui enim ex proprij reatus conscientia possent timere, ne forte pateret delictum; ij ambiant defendi, multa comminiscantur, multa & faciant,

Abbul.

Genes. 4.

Eucher.

Matt. 26

D. Amb.

ciant, & dicant; quæ rem prorsus obnubilent. Illa equidem est melior causa, in quà tacens homo victor existit. Silentiũ enim sæpe non crimen, sed innocẽtiam evulgat. Quod notans Paulus Oros. dum mordebatur, quod apud Ioannem Ierosolymitanum de hæresi accusatus tacuisset, ait in Apol. de lib. arb. *Quasi vero Susanna ideo de adulterio confessa credenda sit, quia arguẽtibus alys non negauit: aut testimonium falsorum testium Dominus Iesus, quia tacuit, approbauit?* Equidẽ duæ sunt innocentissimæ personæ, quæ silentio innocentiam suam probarunt, nimirum & Iesus, & Susanna. Ij accusati tacuerunt, nec tamen illos reos silentiũ monstrabat.

Paul. Or.

CAPVT XIV.

Dauid recuperat Siceleg.

Textus Historia.

DISCESSERE Israelitæ ab Ethnicorum campo læti; sed nõ diurna illis exultatio erat, Nam venientes die tertio Siceleg, oppidum solo æquatum inueniunt; nec vllus vel filiorum, vel servulorum de ciuitatis naufragio emerserat, qui cladis historiam referret. Hostes enim omnia vastarant, & vniuersos viros senes, pueros, & fœminas rapuerant, nec non & duas cantatissimas Dauidis coniuges, nimirum Achinoam, & Abigail, quæ luctuosissimam viduitatem viro faciebant. Omnium erat dolor maximus, sed Dauidis dolor pene intolerabilis erat, vt qui maiora amiserat, & sociorum animos in se cladis immanitate concitatos videbat. Defecerant vnicuique lachrymæ ad luctum, sed cæpit omnes ardor vindictæ tenere; non tamen sciebant hostes, nec qua illos via persequerentur, sciebant. Interea Dauid oraculo diuino certificatus de fœlici euentu cum sexcentis socijs viam arripit; quorum ducenti lassi coacti sunt manere circa Torrentem Besor, ne cæteris oneri essent. Vix à torrente discesserant quadringenti alij cum Dauide, & miserum hominem humi cubantem, & pene expirantem inueniunt; quem cibo, & potu reficiunt, & ab illo vinificato discunt, vt servus erat Amalecitæ hominis, qui cum non parua suorum manu venerat, & Siceleg incẽderant, bonaque omnia, & pueros, & fœminas prædati ad sua iter agebant. Ipse autem infirmitate correptus à domino suo despectus moriturus iacebat, tribus enim ab hinc diebus omni prorsus cibo caruerat. Hũc, iurata ei prius incolumitate, ducem sequitur Dauid; & post paululum in amænissima valle lætantes, & cõiuantes prædones offendit, quos funditus perdit, vxoresque recuperat, & prædam ingentem. Nec mora, ad suos, qui lassi remanserant, cum triumpho regreditur, inter quos, renuentibus licet viris pessimis, spolia partitus est, ne quis maneret non lætus.

PARS MORALIS circa textus literam.

QVÆ In absentia Dauidis perdita erant, facile recuperantur adueniente illo; vt nos videamus, quid habemus in Dauidis filio Iesu; dum enim non absit, sed adsit, viuimus.

1. *Reg.* 30. Cum ergo venisset Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eã succensam igne, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas, leuauerũt Dauid, & populus, qui erat cum eo, voces suas, & planxerũt, donec deficerent in eis lachrymæ. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant Achinoã Iezraelites, & Abigail, &c.

§. I.

Ingenuo viro æque luctuosa est Sponsæ ærumna, ac totius patriæ perditio.

SElecti milites Dauidis, & ipse Dauid nunc primum videntur in lachrymas effusi propter Siceleg ciuitatem succensam, & vxores captiuas. Ait enim textus: *Cum inuenissent eam succensam igne, & vxores, & filios, & filias ductas esse captiuas, leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo, voces suas, & planxerunt:: Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, &c.*

Iam

Iam dixerat Dauidem, & ſotios planxiſſe propter ciuitatem incenſam, & vxores captiuas. Cur nominatim addit duas Dauidis vxores in captiuitatem veniſſe? Nõne ſatis oſtendebatur Dauid plãgere ſuas vxores, quando dicitur cum ſotijs plangere vrbis excidium, & vxorũ captiuitatẽ? Cur neceſſum fuit ſpeciatim addere illud: *Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerãt*? Crediderim Dauidis fletus duas adæquatas cauſas aſsignari ibi; ex vna enim parte proponebatur totius vrbis excidium cum captiuitate omnium perſonarum; ex alia parte ſpeciatim oſtenduntur duæ Dauidis vxores captiuæ, vt ipſe in medio duarũ cladium credatur æque doluiſſe pro duabus vxoribus ſuis captiuis, ac proclade totius vrbis. Vxoris enim ærũna, æque afficit ingenuos viros, ac totius patriæ excidiũ. Quod vt modo viſum fuit in Dauid, ſic etiam patet in filio eius Ieſu erga ſingulas animas iuſtorum, quas ſpiritualiter deſpondit ſibi. Quippè Ioann. 11. vbi Magdalena fratris mortem lugebat, ait text. *Ieſus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, turbauit ſemetipſum;:: & lachrymatus eſt.* Magdalenæ lachrimæ Ieſu lachrymas extraxerunt; ſed & alibi etiam dicitur lachrymatus Ieſus. Luc. 19. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* Bis dicitur fleuiſſe Ieſus, ſemel ſupra Magdalenam, & ſemel ſuper ciuitatem Ieroſolymam, vt oſtendat, quam æque afficiatur nobiliſsimus animarũ ſpõſus ad vnius ſponſæ ærumnam, ac ad totius ciuitatis excidium. Dicit enim Radulphus Flauiacenſis lib. 1. in Leuit. cap. 4. *O vis, & potentia lachrymarum, quæ cœli, ac terræ Dominum eum, qui Angelorum, & hominũ lætitia eſt ad lachrymarum humilitatem, & infirmitatem depoſuerunt! Et nuſquam Dominum Ieſum lachrymantem reperies, niſi hic cũ Mariæ ploranti compatitur, ſeu cum miſeræ ciuitatis excidium prænuntiaſſe refertur.* Et Magdalenam, & Ieroſolymam lachrymis proſequitur ſaluator, vt oſtendat quam pari dolori ſit illi, & vnius animæ ſponſæ ſuæ ærumna, & ærumna totius populoſiſsimæ ciuitatis.

Ioann. 11

Luc. 19.

Radulph.

§. II.

Vna Maria Virgo toti populo Angelorum, electorumque hominum aut par, aut maior ad Deum trahendum.

DIxerat Dauidem vehementer commotum propter excidium ciuitatis, & omnes vxores captas; & ſtatim addit illud: *Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, &c.* Et cur neceſſum fuit in tanto excidio, & tam generali has nominatim proferre; niſi vt oſtenderentur illæ, ad mouendũ Dauidẽ toti illi populo fuiſſe pares? Nec miror, quod duæ vxores erga Dauidem ingẽti populo pares eſſent, quãdo vna dilecta Sponſa Maria in mouendo Deo ad impartiendas gratias toti Angelorum, & electorum hominum populo eſt æqualis, aut maior. Hanc reſpiciebat Spiritus Sanctus, Cant. 4. aiẽs: *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli*; in duobus hinnulis capreæ gemellis exprimitur tota illa beatorum vniuerſitas, quę in montibus æternis paſcitur, conſtans ex duobus populis Angelorum, & hominũ. Et quid eſt, quod Mariæ vbera ijs duobus populis gemellis Angelorum, & hominum compatiãtur? Crediderim ibi ſignificari, vt Mariæ gratia in ſollicitãdo Deo aut par, aut maior ſit toti beatorum vniuerſitati. Ait Richar. Victor. part. 2. in Cant. cap. 23. *Itaque cum tam Angeli, quam ſanctæ animæ pro peccatoribus ſollicitæ ſint, & eis tam meritis, quam interceſsione ſubueniãt; credendum eſt Beatam Virginem tantum in hoc poſſe, quantum vtrãque hanc creaturam; imo vtroque potior iudicatur.* Nunquam hanc excellentiam Mariæ negabo, quod ipſa ſola meritis ſuis totum Angelorum, electorumque hominum populum adæquet, & peruadat. Qui hanc habuerit pro Deo ſolicitando, plus habet, quam ſi haberet totam Angelorum, & hominum ſanctorũ vniuerſitatẽ. Hinc Ioan. 19. cum Ieſus in cruce ageret, videns diſcipulum dilectum illi matrem cõmendauit dicens: *Ecce mater tua.* Et quando Eccleſiam ſuam totam Petro commendauit, qui eum negauit; cur Ioanni perfectiſsimũ eius aſſeclam vſque ad crucem ſolam Mariam commendauit? Equidem crediderim in hoc non minus recepiſſe Ioannem, quam Petrum; ex bonis enim Chriſti Maria potior erat pars, & præſtãtior, & ſaltim nõ inæqualis toti Eccleſiæ vniuerſitati. Quod reputans Guarricus Abbas ſerm. 4. de Aſſump. *Sic quippe inter Petrum, qui plus diligebat, & Ioannem, qui plus diligebatur, hæreditatem ſuam Chriſtus diuiſit: vt Petrus ſortiretur Eccleſiam, Ioannes Mariam.* Non dedit Ieſus dilecto ſuo minus, ſed in Maria præſtantiſsimam dedit ſuæ hæreditatis partẽ, & quæ Angelorum, hominumque Eccleſiam coæquaret, vel excederet.

Ric. Vict.

Gu. Ab.

1. Reg. 30.

1. *Reg.* 30. Et contristatus est Dauid valde; volebat eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filijs suis, & filiabus: confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo. Et ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech, Applica ad me Ephod, &c.

§. III.

Turpissimum est Dei beneficijs singularibus abuti in eius offensam.

ET perdidit Dauid vxores suas, & suorum militum incurrit odium; dicit namque textus: *Volebat eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filijs suis.* Et quidem isti viri omnes milites erant, & armati venerant cũ Dauide ab exercitu Philisthinorum, cur non potius ad gladios, & ad arma currunt aduersus Dauidem? Cur magis rusticorum more lapides volunt arripere? Tota illorũ militaris disciplina ex Dauide venerat, cui duci, & magistro totum referebant armorum vsum. Ideò malunt rusticorum more ad lapides ire contra Dauidem, quàm acceptam ab illo militarem disciplinam vertere in illum. Turpe enim est in beneficiorum authorẽ beneficijs vti. Vt videas homo, quàm turpe sit, quod tu facis diebus singulis, dũ beneficijs à Deo acceptis veteris in offensam diuinam. Dicebat Isaias, cap. 54. Deo: *Omnem linguam resistentem tibi, iudicabis.* Et mirabar, quod inter plurima hominis membra Deo suis operationibus prauis resistentia; vnius linguæ resistentis Deo mentionem faciat, eámque diuino iudicio exponat. Et cur magis linguã meminerit in malis? Plane cætera membra communiora sunt nobis, & alijs animalibus; lingua autem sermonem proferens sita est propria hominis, vt nulli ali animali sit data. Cum autem talem linguam à Deo habeamus præ cæteris omnibus animalibus; turpissimum est, & magno supplicio dignum, quod tanto dono, & tam peculiari abutamur, vt in ipsum doni largitorem impingamus. Ait D. Petrus Dam. lib. 2. epist. 18. *Profecto illi operarij sunt iniquitatis, qui linguarũ manus exercent in sermonibus otiosis. Et quam inhonestum est, vt in hoc munere, quo creaturis omnibus homo præponitur, ipse largitor à Domino frequẽtius offendatur?* Inhonestum quidem, & turpe est, quod in datorem vertas dona, quibus præ alijs illustraris. Opponebat Dominus populo suo Osex, cap. 2. *Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Beal.* Quippè nullus populus tantũ auri, & argenti possedit, quantũ dicitur possedisse ex Deo populus hæbræus. Ait enim 3. Reg. 10. *Fecit, vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta lapidem* De quo populo simile dici potuit? Et tota hæc auri, argentive copia, qua populus Israelita à Deo præ omnibus alijs fuit ditatus, eo deuenit, vt Idola aduersus Deum eleuarent. Ait ibi Rupert. lib. 1. in Oseam: *Cum ergo dixisset; & argentum multiplicaui ei, & aurum; pulchrè continuo addidit: Quæ fecerunt sibi Baal. O dira ingratitudo! De auro, & argento meo fecerunt mihi cõtraria, vitulos, & Baal cætera deorum portenta.* Merito vocatur dira ingratitudo, imò & turpissima, quod de beneficijs acceptis bellum benefactori facias.

Petr. Da.

Osea, 2.

3. Re. 10.

Rupert.

§. IIII.

Ab exanthlatis laboribus, & arumnis non desperatio, sed maior nascatur fœlicitatis fiducia.

INter ciuitatis euersionem, bonorum rapinas, captiuitatem vxorum, & penè suorum rebellionem, & summam propter hæc tristitiam, dicitur nilominus de Dauide: *Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.* Et quidem labores, & ærumnæ præsentes aptiores erant, vt confringerent robustissimum, quî fieri potuit, vt Dauid ex illis, nõ deiectionem, sed maius eliceret robur fiduciæ? Plane confortabatur non in alio, quam in Deo, cuius est non perpetuare mala in mundo, sed certis vicibus prospera assuere aduersis, & læta tristibus. Indè sapiens Dauid, vt erat in aduersis iam non poterat ex Deo non expectare accurrentia fœlicia. Hinc malus Herodes bene confirmabat milites suos, qui propter pestilentiam, & equorum amissionem prostrati vix audebant hostem adoriri. Ait enim apud Egesip. lib. 1. cap. 32. *Nihil*

Isai. 54.

Egesip.

Nihil ese ergo, quod timeamus, quasi grauia passuri, qui pertalimus grauissima. Propitius iam potest esse, qui vindicauit; & mitior, quam si non vindicasset. Quid seruatur post terremotum, & pestilentiam, nisi misericordia? Quia soluimus duplicia peccata. Sic sapienter de exanthlatis laboribus non delectionem, sed fiduciam eliciendam persuadet, cum â Deo post tristia statim læta soleant venire. Quo spectans Iob, cap. 17. aiebat: *Dies mei* Iob. 17. *transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursus post tenebras spero lucē* Quando nihil in se sentiebat nō dissipatū, adhuc ait: spero lucem. Et vnde speras lucem, si totus iine die, & tenebrosus es: Ex ipsis tenebris lucis venientis spem fouet, quando in hac vita nullæ veniunt tenebræ, quæ nō afferant lucem sibi assutam. Vt dicat D. D. Greg. Greg. lib. 13. Mor. cap. 15. *Lux post tenebras speratur, quia hîc aduersitas, atque prosperitas alternant, vt sibi succedere vicissim nō desinant. Vnde fit, vt in luce nox in suspitione sit, & in nocte lux in præsumptione.* Quis in nocte est, qui non expectet lucem aduenturam? Sic vniuersæ pressuræ iam aduentare indicant lætitiam. Genes. 1. ait: *In prin* Genes. 1. *cipio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi:: Dixitque Deus: Fiat lux, &c.* Ecce tibi, vt inanitas & tenebræ opprimebant terram; statim Deus aduocat lucem. Quo spectans Drogo Hostiens. Dro. Hos. lib. de Sacram. Pass. ait: *O creator optime, si vsque modo operaris opus hoc, quod operatus es in diebus antiquis; quare in anima mea opus hoc non operaris? Anima enim mea inanis, & vacua est, & tenebræ super faciem abyssi dic, vt fiat lux.* Sic post pressurarum tenebras à Deo lux exigitur, quando omnia fiunt iuxta dies antiquos. Novum enim esset, & inauditum in mundo, quod post mala bona non venirent.

§. V.

Fiducia magna largiorem postulatis inuenit Dominum.

SVnt, adhuc, maxime expendenda verba textus dicentia: *Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo, & ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me Ephod: Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere; absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Ecce tibi Dauid solum quærebat, an proficiscens comprehenturus erat latrūculos; Dominus autem respondit, non solum latrunculos cōprehendendos à Dauide, sed & eorum prædam integre excutiendam. Et cur Dominus largior in respondendo, & promittendo, quam Dauid in postulando? Hic effectus est illius propositionis positæ in initio, nimirum: *Confortatus est autem Dauid in Domino*; hoc est iuxta Caietan. *Fiduciam* Caietan. *accepit non in se ipso, sed in summo Deo gubernatore suo.* Vbi ergo Dauid confortatus in fiducia accessit, non miror, quod Deum largiorem suis postulatis inuenerit. Mulier illa Chananæa, Matth. 15. clamabat ad Iesum dicens: *Miserere mei, & c.* non solum non exaudiebatur, sed & repelleba- Matt. 15. tur. Vbi autem plena fiducia dicebat: *Etiā domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*: nihil non obtinet ex Deo. Cum misericordiam postulat, repulsam patitur; cum saltem micas, vt canis expetit, omnia accepit. Vnde hoc? Aiebat Dominus: *O mulier magna est fides tua!* Magna fiducia largiorem postulatis Deum inuenit. D. Basil. Sel. orat. 20. *Totam tibi*, ait, *curationis mensam explico: nō* Basil. Sel. *vt canī micas, sed vt filiæ panem largior. Tu quidem Iudæos fide vicisti: ego vero datu meo tua postulata.* Sic vincūtur, superanturque diuinis dōnis postulata eorum, qui fide prævalent apud Deum. De Abrahamo dicebat Paulus ad Hebr. vt patriam reliquerat peregrinus factus in terra non sua. Imò addit: *Fide demoratus est in terra repro-* Ad Hebr. *missionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamēta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor est Deus.* Dum ij Patres spectabāt ciuitatem æternam, nec passum pedis habere voluerunt in terra, sed tanquam peregrini in ea erant. Sed tandem Deus & illos æterna ciuitate donauit, & semini eorum dedit dominium totius terræ Chananææ. Et cur ad donum æternæ ciuitatis adiecit Deus & dominium terræ? Vt illi fidentes in Deo terram spernebant, & vnam spectabant ciuitatem cœlestem; sic suis postulatis largiorem inuenerunt Deum. Ait Rupert. lib. 1. in cap. 2. Osee: *Peregrinus erat Abrahā,* Rupert. *peregrinus Isaac, peregrinus Iacob pertranseuntes de gente in gentem, nullam propriam terram habuerunt. Expectabant enim fundamenta*

menta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor est Deus. Et quidem fides illorum hoc emeruit, vt illud quoque, quod non quærebant, scilicet terras, vel regiones gentium ipsis, & semini eorum repromitteret Deus. Expende illa: *vt illud quoque, quod nõ quærebãt*, quippe nunquam Deus non vincit beneficijs postulata, imò optata eorum, qui eum magna fiducia quærunt.

1. *Reg.* 30. Abijt ergo Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant cũ eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassi quidam substiterũt. Prosecutus est autẽ Dauid ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire nõ poterant torrentem Besor. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid; dederuntque ei panem, vt comederet, &c.

§. VI.

Melius est, quod in via Dei persistens deficias, quam quod retrocedas.

SIne vlla censura recensentur ducẽti viri è sotijs Dauidis qui lassi substiterunt, dicit enim: *Subsisterant enim ducenti qui lassi trasire non poterant torrentem.* Sexcenti Dauidis socij cum illo iter arripuerãt; ducenti autem peruenientes ad torrentẽ Besor sic defecerunt præ lassitudine, vt minime progredi potuerint, sed ibi subsistere coacti fuerint. Nec hoc dedecet Dauidis sotios, quando enim dicuntur iter agressi, & progressi minime retrocessisse, sed lassi substitisse, & defecisse; id potius parit cõmendationem, quam vituperium. Moribundo Ezechiæ dicebat Isaias, cap. 39. *Ego reuerti faciam vmbram linearũ, perquas descenderat in horologio Achaz in Sole retrorsum decem lineas.* Sic iussu Isaiæ sub Ezechia Sol reuersus est retrorsum decem lineis. At moriente Iesu cœlorũ rege, Luc. 23. *Obscuratus est Sol, &c.* Non retrocessit, sed deficiens in via lumen amisit. Et quando sub Ezechia Sol retrocessit, cur sub Iesu cautum est ne retrocederet? Expectabat hoc ad aliqualem gloriam Iesu, ne sub eo militantes creaturę retrocederent, sed mallent in via deficere. Ex quo dicebat D. Cyrill. Ierosol. Cathech. 3. *Propter Ezechiam Sol reuersus est, propter Christum vero Sol obscuratus est, non retrocedens, sed deficiens, atque per hoc vtriusque differentiam & Ezechiæ, & Iesu monstrauit.* Vt differens est Iesus ab Ezechia, sic quæ Iesu militabant creaturæ, non retrorsum abibant, quod maximæ essent ignauiæ; malebant enim in via progredientes deficere, quam retrò gradũ facere. Hinc pulchre illud de Sole sub Iesu notabatur, nimirum, *non retrocedens, sed deficiens*: quippè licet in via Dei lassus deficias, commẽdationem semper habet, quod non retrocesseris ab ea. Miseri illi Iudæi semper ad Ægyptum corde reuertentes inter eremi difficultates clamabant, Exod. 14. *Multo melius erat seruire Ægyptijs, quam mori in solitudine.* Quo assertum versat, & damnat Origen. in Cat. Lyppom. fatus: *Quia dicunt; Melius fuerat nos seruire Ægyptijs, quam mori in eremo, tentationis, & fragilitatis hæc verba sunt. Alioquin falsum est, longe enim melius est in eremo mori, quã seruire Ægyptijs. Qui enim in eremo moritur, eò ipso, quod separatus est ab Ægyptijs, & discessit à Satana, habet aliquem profectum. Melius enim perfectam vitã quærenti est in itinere mori, quam nec proficisci quidem, &c.* Ignaui, & erronesplane sunt, qui vel viam Dei non arripiunt, vel eam arripientes retrorsum conuerrũtur; laudabilis enim viri est, quod vel deficiens in itinere moriatur. Memini Petrum ad Iesum super aquas ambulantẽ, de quo ait Matth. 14. *Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eũ, &c.* Cur manum extendit Dominus, vt saluaret hominem, qui ob paruitatem fidei mergebatur? Esto quod illũ saluare voluerit, cur saluauit illum non aliter, quam manu sua? Fuit hoc laudabile in Petro, quod agrederetur ire ad Iesum ambulãs super aquas; & quod videns ventum validum reflantem, & timore possessus nec animo, nec corpore retrocederet, nec retrorsum mitteret pedem, nec manum, nec oculos, licet mergi cæperit in via, sed subsistens in sua submersione ad Iesum clamaret. Vt dicat D. Hilar. can. 14. in Matth. *Quod autem trepidanti Petro non virtutem perueniendi ad se Dominus indulserit, sed manum extẽdit, apprehensumque susti-*

Isai. 39.

Luc. 23.

Cyr. Ier.

Exod. 14.

Orig.

Matt. 14

D. Hil.

ſuſtinuit, hæc ratio eſt. Non erat quidem Petrus Domini ſui indignus acceſſu, nam & tentauit accedere. Tentauit equidem Petrus accedere ad Ieſum, nec retroceſsit, potuit ſubſiſtens in itinere mergi, ſed non conuerſus fuit retrorſum, quo diuinum fauorem meruit.

§. VII.

Miſericordia pauperi exhibita viam aperit fœlicitati, duritiesextremæ ruinæ.

ECce tibi vnus Ægyptius ſeruulus fame enectus à domino ſuo deſpectus, & à Dauide inuentus totius Dauidicæ fœlicitatis, & Amalecitarum ruinæ occaſio fuit. Ait enim textus: *Inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauidem, dederuntque ei panem, &c.* Qui viuificatus cibo exponit, vt cum domino ſuo Amalecita venerat, vt incenderant Siceleg, vt ipſe ægrotãs deſpectus fuerat à domino, & toto triduo iacens nihil ederat. Quis nõ miretur Dei prouidentiam in vno paupere iſto ægroto, quem in ſui perditionem deſpexit Dominus, & in ſuam fœlicitatem fouit Dauid? Equidem id quotidie accidit hominibus; in illo enim paupere, qui à te male deſpicitur, ingens ſæpe oſtiũ aperitur ruinæ tuæ: in illo autem quem foues, tota tua confirmatur fœlicitas. Iam pridem hoc ominoſum fuerat Amalecitis, & auſpicatũ Iſraelitis. Dicit enim, Exod. 17. *Cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* In extenſione, aut contractione manuũ erat totius victoriæ, aut perditionis punctum. Nec mirum, ſi enim manum ad fouendum pauperem extendas, funditus perduntur Amalecitæ, de omnibus aduerſarijs poteſtatibus ages triumphũ. Ait D. Auguſt. hom. 17. ex Quinquagintat: *Quando vnis ex minimis Chriſti Eleemoſynam das, extendis manum, & vincitur Amalech.* Hæc eſt victorioſa manus extenſio aduerſus vniuerſa contraria, ſi pauperi aliquid tribuas. Inde victoria plaudit, & via ſalutis tritiſsima: quod ſi manum contrahas, ſtatim diſcrimina proſiliunt, & ruinæ. Genes. 19. duo Angeli ſub ſpecie peregrinorum venerunt Sodomam; *Loth eum vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis, &c.* Populoſiſsima erat ciuitas, & de ingenti populo vnus Loth inuenitur, qui exceperit peregrinos. Quid inde? Pulchre Orig. homil. 5. in cap. 19. Geneſ. ait: *Loth in Sodomis habitabat, alia eius benegeſta non legimus. Hoſpitalitas in eo ſola ex vſu veniens memoratur. Euadit ignes, euadit incendia ob hoc ſolum, quod domum ſuam patefecit hoſpitibus. Hoſpitalem domũ Angeli ingreſſi ſunt, clauſas hoſpitibus domos ignis ingreſſus eſt.* In deſpecto paupere venit ignis, qui omnia voret, & conſummat; vt in paupere confoto plaudum: vniuerſa fœlicia. Et quis per cõfotos pauperes, ad fœlicitatem non tendit? Cantatiſsima eſt illa regis cœleſtis ſententia ad ſeruos fœlices dicta, Matth. 25. *Eſurini enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me, in carcere eram, & veniſtis ad me.* Ad ſex reducit dominus beneficia, quę â nobis proficiſcuntur in pauperes. Et cur in officijs pauperi exhibitis ſextus iſte numerus magis placuit? Crediderim in eo reſpexiſſe dominum ad opera ſex dierum, qua tandem inculere Sabbatum, in quo nullus labor, ſed placidiſsima requies apparuit. Ait Rupert. lib. 5. de Glor. & Hon. Fil. Hom. *Notandum, quod huius gratiæ ſex operaſunt, quamdam habentia ſimilitudinem ſex dierum, quibus Deus mundum perfecit, in eo videlicet, quod & ipſa ſuum promeretur Sabbatum, vt qui hæc fecerit, etiam ipſe requieſcat â laboribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. Primum eſt, eſurini, & dediſti mihi manducare; ſecundum, ſitiui: tertium, hoſpes eram: quartum, nudus: quintum infirmus: ſextũ, in carcere etiam. Ingredientur enim in Sabbatum, id eſt, in requiem Domini qui hæc ſunt operati, &c.* Nunquam non bona officia pauperibus exhibita non excludunt labores, & requiem pariunt.

Matt. 25

Orig.

Rupert.

1. *Reg.* 30. Dixit ei Dauid potes me ducere ad cuneum iſtum? Qui ait: Iura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus Domini mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum. Et iurauit ei Dauid. Qui cum duxiſſet eum; ecce illi diſcumbebãt ſuperfaciem vniuerſæ terræ comedentes, & bibentes, &c. Et percuſsit eos Dauid, &c.

Exod. 17

D. Aug.

Gen. 19.

§. VIII.

Ingenua mentes ad magna cõtendunt petenda, seruiles animi nil aliud æstimant, quam liberari à flagello.

MVltus est Abbulen. in examinandâ seruuli huius ratione, qua cauet mortem, & reditum ad pristinum Dominum, cum ait ad Dauidem: *Iura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus Domini mei.* Vilis, & rudis seruulus timebat, vbi non erat timor. Nec nõ & illud totum erat animi seruilis, quod nihil sibi dari bonum à Dauide postulat, sed solum petit à malis præsumptis liberari. Serui enim hoc sibi magnum putant, si sint à flagello liberi; de alijs bonis obtinẽdis nõ curant. Quod ponderans Hugo Victor. dum seruilis, & filialis spiritus differentiam adducit, ait: *Hug. Vi.* *Sanè duo sunt timores, vnus seruilis, alter filialis. Seruilis habet formidinem, filialis amorem. Seruilis de peccato perpetrato, filialis de dono accepto. Seruilis de tormento subsstinendo, filialis de premio accipiendo.* Sic ser. 10. instit. monast. vt enim seruilis spiritus nil cogitat, nil æstimat, nisi mala cauere, sic ingenuus, & filialis affectus ad dona, & premia, & magnalia consequenda tendit. Hinc Paul. ad Rom. 8. *Ad Rom. 8.* *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Accepisse dicimur Spiritum non seruitutis, sed adoptionis, in quo clamamus. Et si nobis clamãdum est, qualis est ista adoptio? Cur non magis serui, quam filij dicãtur, qui sub clamoribus, & gemitibus sunt? Clamant sanè & filij, sed pro obtinendis bonis à patre? Ait enim ibi D. Ansel. *D. Ansel.* *Cum autem clamant, aliquid petunt. Et quid petunt, nisi quod de illis dictum est, Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur?* Ecce tibi, quo tendat ingenuorum clamor, non equidem, vt liberentur solum à malis, sed magis, vt virtutũ bonis impleantur. Seruilos mentes vnum hoc magnum æstimant, si flagellum caueant; ingenuæ autem & magnæ mentes magis de bonis obtinendis satagunt. Fœlix ille latro, Luc. 23. clamabat: *Luc. 23.* *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Novus hic clamor hominis afflicti, qui minime petebat de præsentibus malis liberari, quotquot cæci ad Iesum vsque tunc clamarunt, quotquot leprosi, nil magis petebant, quam præsenti liberari calamitate. Latro autem nullũ de malis præsentibus verbum facit; sed magis bonis obtinendis insudabat. Totus enim fidei ingenuitate immutatus, vilem, & seruilem mentem euacuauerat. Ait D. Ambr. serm. 45. *Iste latro deuotione fidei tam repente immutatus est, vt præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet vtile sibi esse de æterno iudicio petere, quã de temporali supplicio postulare.* Sic adoptionis Spiritus valuit vilissimum hominem immutare, vt temporalia mala despiciens, æternis bonis obtinendis inhiaret. Quam aliter purpuratus ille dives clamabat, Luc. 16. *Eleuãs oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit, Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Presto erat illi rogare, vt etiam inde deportaretur in sinum Abrahæ; vt requies Lazari sibi impertiretur. Cur nihil de ijs memorans solum petit aduentũ Lazari cum aquæ gutta? Seruilis eius spiritus solum cogitabat, si posset flagellum leuare; de bono aliquo obtinendo nullam mẽtionem facit. Vt dicat Chrysol. serm. 122. *Chrysol.* *Adhuc, diuitem malicia non deseruit, qui non se ad Lazarum deduci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.* In eò, quod ipse iret ad Lazarum summa erat tunc tẽporis fœlicitas; in eò, quod Lazarus ad illum veniret portans refrigerium aquæ, aliquale flagelli remedium cogitabat. Nequam autem seruus hoc vnum habet pro magno, si flagellum euadat; cætera autem bona habere nihili facit.

§. IX.

Ab vnis Christi epulis in vitam, & regnum itur.

DVm mensis Amalecitæ incũbunt, misere à Dauide trucidãtur, dicente textu: *Ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedẽtes, & bibentes, & quasi festũ celebrãtes::: Et percussit eos Dauid, &c.* Quid aliud fartę mensæ, quam morrem pariunt? Pulchrè dicebat fœmina, 3. Reg. 17. *3. Re. 17.* *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panẽ, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululũ olei in lecytho; en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciã illud mihi, & filio meo, vt comedam^o, & moriamur.* Expẽde illa, *vt comedamus, & moriamur:* conexa sunt mũdialis mẽsa, & mors. Circa quæ D. Basil.

Sel.

Basil. Sel. Sel. orat. 11. *Vnum, idemque cibi, & mortis tempus præstolamur, post hanc escã mortis pabulũ erimus.* Nihil aliud à mũdialibus mensis est sperandum. Sola enim est diuina Eucharistiæ mensa, quæ vitam pariat, & cœlicitatem. Nemo nescit Nabalis conuiuiũ, quod fecerat tonsoribus gregum suarum, cuius cum minime participem faceret Dauidem, eius in se concitauit iram. Nouit Abigail vxor Nabalis Dauidem iratum, & properantẽ, vt occideret Nabalis familiam, & assumens de conuiuio munera, eũ

1. Re. 25. illis irato occurrit dicens, 1. Reg. 25. *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Quid tũc? *Suscepit Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei, vade pacifice, &c.* Ecce tibi è conuiuio sumpta munera gladium auerterunt à domo Nabalis, feceruntque vt tam vxor, quam omnis familia pacifice viuãt. Et quæ conuiuij munera tanti fuerunt, vt tantam causarent salutem? Ait Rup. lib. 2. ibi cap.

Rupert. 13. *Quæ autem sunt munera, cũ quibus ad nostrum festinauit Dauid ista Abigail? Vt taceã de alijs, illud præcipuc munus, illa maxime singularis oblatio prudentiam huius laudabilem effecit, quã quotidie immolat in sancto Altari, sanctum Sacrificium immaculatã hostia Corporis Christi, & sanguinis. His muneribus non solum iram, vel gladium euasit, sed coniux effecta est magni Dauid.* Quid pulchrius? Proponetibi ob oculos mensam, & mensam; mensam Nabalis, & mẽsam Abigailis: mẽsam mundialium, & mensam Ecclesiæ Christianæ. Illæ gladios, & mortes solicitabãt, hæc gladios auertit, & vitam affert. Qui cũ Nabale carnalibus mensis incubant, iram Dei sollicitant, sub cuius pereant gladio. Tunc Ecclesia vera Abigail proponit suã mensam, explicat cœlestẽ benedictionem, corpus, & sanguinẽ Christi, & facit nos inuitã, & pacem abũdare. De hac enim diuina mensa habemus, quod omniũ possimus

Ad Coll. 2. dominari. Vt dicat Paul. ad Colloss. 2. *Videte, nequis vos seducat per philosophiã, & inanem fallaciam, secundum traditionẽ hominum, secundũ elementa mundi, & non secundũ Christũ, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Expende illud: *Estis in illo repleti*, ex eo enim, quod quis summat Christi corpus, illoque repleatur, non mirer, si sibi subdat aduersarias potestates vniuersas. Dicit D. Hilar.

D. Hil. lib. de vnit. Patris, & Fil. *Nunc igitur in eo repleti sumus, id est, per assũptionẽ carnis eius, in qua diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat, & huius spei nostræ nõ exigua potestas in eo est. Nam quod repleti in eo sumus, hoc est caput, & principiũ omnis potestatis, secundum illud: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestiũ, terrestrium, & infernorũ.* Equidẽ, quod Iesus habet per se, hoc nos habebimus per communicationẽ eius carnis, & sanguinẽ, quibus repleti terribiles, & venerabiles simus omni creatæ potestati, & super omnia regnabimus.

§. X.

Non senilem pigritiã, sed iuuenilem ardorem referat, qui adspirat ad salutem.

SVb gladio Dauidis pereũt vniuersi Amalecitæ exceptis paucis, de quo dicit: *Non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderãt camelos, & fugerant.* Expende, qui ruinã fugiant, & salutem teneant inter pericula, nimirũm: *Quadringenti viri adolescentes*; illorũ enim est salutem tenere, qui iuuenili ardore viam arripiũt virtutis. Ait Isaias, cap.

Isai. 40. 41. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinẽ, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, &c.* Et cur dicuntur pennas sicut aquilæ assumere? Aquila senũ abijcit, excussũsque veteribus plumis, & nouis assumptis iuuenescit: sic qui ad salutem aspirant, dimissa vetustate, iuuenili ardore festinent. Vt dicat ibi D. Cyril. Alex.

Cyril. Alex. *Renouabuntur igitur sicut aquilæ. Prompti enim, & instar iuuenum alacres vias conficient diuinæ pietatis, dante illis Christo, qua aduitã suppeditant.* Vbi enim iuuenili ardore viam virtutis arripiunt, non mirer, si in

Ioann. 3. vitam abeant. Dicebat Iesus, Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* Regeneratio ex aqua, & Spiritu Sancto præponenda est, vt quis possit cœleste Regnũ intrare. Et cur regeneratio supponenda est? Ait

D. Zeno D. Zeno lib. 3. serm. 13. *Vt sacro occeani lacteo profundo demersi, surgentes inde nouelli nouello cum die, sua luce radiantes possint immortalitatis per aereum tramitẽ cursu seruato, ad repromissionis tempus, vbi in perpetuum quis oritur, peruenire.* Datur fontis vterus, vt inde quis renascẽs repueraſcat, vt sic ablata vetustate, nihil in se non nouũ, & splendidum ostendat, quo vitam rapiat immortalem. Vbi enim novus in virtutis tramite vigor splendet, nullus timetur aduersarius, nulla non victoria in conflictu potest reportari. Ait Genes. 5. *Ambulauitque*

Genes. 5. *Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum*

eum Deus. Circa quæ verba cõcors est omnium Sanctorum sententia Enoch translatum à Deo fuisse in paradisum, vbi vsque ad tempus Antichristi reseruatur, cum eo pugnaturus. Et cur Enoch ad hoc prælium reseruatur? Rationem indigitat nominis interpretatio, Enoch enim idem sonat, ac innouatus. Ille autem ad victorias merito reseruatur, qui iuuenili, nouelloque spiritu in via virtutis gaudet. Ait D. Cyprian. de mont. Sina, & Sion: *Enoch, in consummatione mũdi innouari habet in mundo, vnde etiã translatus est ad confundendum, & reuincendum Antichristum. Et ideo Enoch interpretatur renouatus.* Equidem qui innouari scit, & iuuenescere in via virtutis nullum non perdet aduersarium, nulla non attinget magnalia. Quo trahenda dicta Tom. 2. de Christo Figur. lib. 5. cap. 26. §. 9. & Tom. 2. in Euang. lib. 7. cap. 1. §. 12. & tom. 3. lib. 15. cap. 11. §. 10. 11. 12. & alibi.

D. Cypr.

1. *Reg.* 30. Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit. Nec defuit quisquam à paruo vsque ad magnum tam de filijs, quam de filiabus, & de spolijs, & quæcumque rapuerant: omnia reduxit Dauid. Et tulit vniuersos greges, & armenta, & minauit antefaciem suam; dixeruntque. Hæc est præda Dauid.

§. XI.

Ab vno Iesu venit, quod integre, & perfecte possimus in vitam reformari.

Sic clamabant omnes gratulantes Dauidi de præda capta ex hostibus, nimirùm: *Hæc est præda Dauid*; quasi dicãt, ait Carthus. *Tam præclaram, copiosamque prædã decuit ipsum Dauid diuina virtute acquirere.* Non solum in illa præda spectabatur pretium, sed copia, quando omnia quæ ablata fuerant integre, & perfecte restituebantur, adeò, vt verum sit illud: *Nec defuit quisquam à paruo vsque ad magnũ, tam de filijs, quam de filiabus, quã de spolijs, & quæcũque rapuerant, omnia reduxit Dauid.* Plane sic decebat Dauidẽ omnia integre, & perfecte reducere. Id quod proprium Dauidici sanguinis crediderim esse; quando ab vno Iesu Dauidis radice venit, quod integre, & perfecte possimus à malis emergere, & bona obtinere. Aiebat lex, Leuit. 12. *Die octauo circũcidetur infantulus, &c.* Dicebat autẽ Iesus Marci, cap. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Nõ qui circumcisus, sed qui baptizatus fuerit, is ad salutẽ peruenit. Et quãdo lex circumcisionẽ imperabat, cur Iesus nõ circumcisionem, sed baptismum petit? Non in circumcisione, sed in baptismo totus homo immergitur, & emergit, quo melius figuratur salus à Iesu data, de quo solo venit, vt plenarie emergamus à malis, & in vitam introducamur. Quo spectans D. Hilar. lib. de vnit. Patr. & Fil. ait: *Cum enim consepelimur baptismate, ei mori necesse est, & veteri homini, quia regeneratio baptismi resurrectionis est virtus. Et hæc resurrectio Christi est, nõ spoliari carne præputy, sed totos commori ei, & per id postea totos viuere* Expẽde illa: *Et hæc resurrectio Christi est, nõ spoliari carne præputy, sed totos, &c.* quippè hæc est præda nostri diuinissimi Dauidis, quod non ex parte restauret perdita, sed integre, & perfectè; vt toti à malis emergentes, toti in vitam intremus. Iosue cap. 5. dicit: *Ait Dominus ad Iosue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israel.* Nec parua est quæstio apud Doctores, quo pacto possint Israelitæ secũdo circumcidi? Si iã primo omnes circũcisi erant, & pelliculæ detractæ, quid faceret secunda ista circũcisio mãdata Iosue? Plane, vt hęc secunda circũcisio mandabatur Iosue, qui nomine, & re figura erat expressissima Christi; sic intelligenda est non de circumcisione carnali circa aliquã partem corporis, sed de circumcisione spirituali, quę totũ hominẽ reformet, & salvũ faciat. Nequit enim, quod à Iesu venit, in parte herere, nisi integre, & perfecte nos totos in vitã agat. Adhæc ait D. Zeno lib. 3. ser. 8. *Iesus Nauè Christi imaginẽ præferebat, qui verus omnium saluator esse cognoscitur, factis, & nomine:: Qui cultris spiritualibus nõ in damnũ hominis præputiũ carnis, sed in augmentũ hominis præputiũ facinorosi cordis incidit:: Denique prior circũcisio desecat carnẽ, secũda animi desecat vitia. Illa portionẽ, hæc hominẽ totũ. Igitur vos, qui circũcisi estis circumcisione Domini nostri Iesu Christi, elaborate, ne vestra integritas mutiletur.* Sic è multis claciora in rem præsentem elegi, vt pateat, quam proprium sit Iesu, non partialiter, sed totaliter hominibus salutem tribuere; ne quid non integrum, & perfectũ habeant homines in vita per Christum sibi redita.

Leuit. 12

Marc. 16

D. Hil.

Iosue, 5.

D. Zeno.

§. XII.

§. XII.

Christianum est nec debilissimum, nec vilissimum in re salutis despicere.

QVam merito æstimatur vni Dauidi conuenire præda, quæ vel debilissimis, & vilissimis lucro fuerit. Ait enim textus: *Nec defuit quisquam à paruo vsque ad magnum, tam de filijs, quam de filiabus: omnia reduxit Dauid.* Merito hæc dicitur præda Dauid, quia in solo Dauidis semine Iesu, quod nullus adeo infirmus, aut vilis sit, qui ad salutis media nõ veniat.

Gen. 17. Cauebat lex, Genes. 17. *Circumcidetur in vobis omne masculinum.* Vt enim remedium circumcisionis antiquæ dabatur pro peccato originali tollendo, & antiqui serpentis veneno; sic videbatur quasi cauere infirmitatem fœminarum, per quam serpentis ille halitus obrrepserat, & solos masculos legere. Hinc Iesus Mar. 16. clamat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Nullum excipit, nullam infirmitatem, aut vilitatem contemnit, & masculis, & fœminis negotium salutis credit. O sola Dauidici seminis potentia, subqua omnes salutis remedium tenent, à paruo vsque ad magnum, tam de filijs, quam de filiabus. Pulchrè adhæc ait D. Zeno lib. 3. serm. 8. *Nostra spiritualis circumcisio tantum potestatis gerit, vt à fœmina caperit, quod priori impossibile fuit. Denique à muliere, quæ prior peccarat, circumcisionis incepit cura. Et quia suasione per aurem irrepens diabolus Euam interemerat; per aurem intrat Christus in Mariam; vniuersa cordis uitia, vulnusque mulieris, dum de virgine nascitur, curat.* Expẽde illud: *tantum potestatis gerit, vt à fœmina caperit, &c.* quippè vnus Christianæ potestatis est non cauere infirmissimum, nec in bonis partiendis vilissimũ quemquam despicere, vel de filijs, vel de filiabus. Mũdiales parentes toti filijs promouendis intenti, cauent bona filiabus largiri, ne obscuretur splendor familiæ, easque in hæreditate despiciunt. Nõ sic Dominus Iesus, sed eius tanta est potentia, vt neque in fœminis, neque in vilissimis obscurari timeat. Hinc cũ in cruce defunctus ageret morte sua Principes tenebrarum spolians, dicit Ioan. cap. 19. *Vnus militum lancea latus eius apperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua.* Et cur sic defunctus magis in latere voluit feriri, quã in alia corporis parte? Quando omnia tormenta crucifixorum subiuit, cur solam fugit fractionem crurum, & magis elegit in latere feriri? Plane à latere primi hominis mulier exiuit, quæ se perdidit, & virũ; Iesus suum latus exhibuit, vt ostenderet, quã non timeat sibi à fœminis, sed potius illas etiam dirigat in salutem; nequid vel infirmissimum relinquatur, quod non restauretur in vitam. Quo spectans D. Zeno lib. 3. serm. 8. ait. *Ne non ex integro principium suo statui redditum videretur: prior vir consumatur in cruce, atque eius fœliciter soporato simili-*

Ioan. 19.

D. Zenõ.

ter de eius latere ictu lanceæ non costa diuellitur, sed per aquam, & sanguinem, quod est baptismum, atque martyrium Spirituale corpus Spiritualis fœminæ effunditur, vt legitime Adam per Christum, Eua per Ecclesiam renouaretur. Expende illa: *ex integro principium suo statui redditum*; Sola enim potentia Christi valuit omnia in salutarem statum restituere, & infirmis fœminis, & validis viris prospiciens, vt nullus in bonorũ participatione deesset, nec de filijs, nec de filiabus, à paruo vsque ad magnum. Quisquis infirmus es, quisquis debilis, & pusillus lætare in Christo, in quo solo habebis, quod viuas. Cẽturio ille, Matth. 8. clamabat ad Iesum: *Puer meus iacet in domo paraliticus.* Non magnus aliquis vir, sed puer erat, seruili conditione infimus; nec valebat, sed infirmus iacebat. Et tamen Iesus nihil moratus respondit: *Ego veniens, & curabo eum.* Proh diuinissimi medici præstãtiam. Cur nõ magis despicis puerulum vilem, & infirmum? Ait apud D Basil. Sel. orat. 19. *Qui propter omnes veni, non vnũ despiciam, curabo eum.* Hæc est præda, hæc est victoria Dauidici seminis Christi, quod nullum despiciat, quod nullus sit, qui non dirigatur in vitam, à paruo vsque ad magnum, tam de filijs, quam de filiabus.

Matth. 8.

Basil. Sel.

1. *Reg.* 30. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor, qui egressi sunt obuiã Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populũ salutauit eos pacifice. Respondens autẽ omnis vir pessimus, & iniquus, de viris, qui erãt cũ Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum non dabimus eis quicquam de præda, &c.

§. XIII.

In nullo statu, ac conditione nõ timendum est nobis à malicia.

CVi non faciat illud timere? Nimirùm: *Omnis vir pessimus, & iniquus de viris, qui erant cum Dauid.* Et cũ Dauide, subtanti ducis schola, & disciplina viri erant pessimi, & iniqui. Vbi ergo securitas? Vbi non timeamus à malicia? D. Ephrem in Paræn. 35. monet: *Vis ostendam tibi charissime ex nostra ignauia malum ortũ esse? Loth in Sodomis habitabat, & non cum eorũ malicia peryit. Giezi prophetæ Elisæo seruiebat, & peccauit. Similiterque Samuel apud Eli permanebat, & simul cum filijs ipsius versatus est, & illi ceciderunt, & hic saluatus est, &c.* Ecce tibi, vt etiam in perfectissimorum societate, & disciplina multi nequam inuenti sunt, qui abeant in perditionem, quando alij euolant in salutem. Vt nullo in statu, & conditione, non maxime caueas à tua malicia. Ex quo dicebat Iesus, Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt principes, & Pharisæi: : secundum opera eorum nolite facere.* Ecce tibi in ipsissima Moysi cathedra inueniuntur operarij iniquitatis, quorum opera fugienda, & detestanda sunt. Ex quo D. Augustin. in Psal. 51. ait: *Non ergo desperemus de ciuibus Regni cœlorum, quando eos videmus aliqua gerere Babyloniæ negotia, aliquid terrenum in republica terrena. Nec rursus gratulemur omnibus hominibus, quos videmus agere negotia cœlestia, quia & filij pestilentiæ sedent aliquando in cathedra Moysi, de quibus dicitur, Quæ autem faciunt facere nolite. Illi in terrenis rebus leuant cor in cœlum, isti in cœlestibus trahunt cor in terram.* Permixti sunt mali bonis in hac vita; nullus perfectionis status est, nulla sanctorum societas, quæ hanc mixtionem non gustet. Ne vsque deficiat timor, quo operari cõuenit nostram salutem. Matth. 25. *Simile est Regnum cœlorum decem virginibus, quinque erant fatuæ.* Et cur necessum fuit virginibus fatuas adiungere, quæ procul dubio erant perituræ? Ait D. Aug. lib. de Sancta Virginit. *An vero propter aliud credendum est permittere Deum, vt misceantur numero professionis vestræ multi, & multa casuri, & casura, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur?* Sic amat Deus, vt cum timore, & tremore nostram operemus salutem, vt vel ad statum perfectionis multos casuros admittat, quorum casibus augeatur perfectorum timor, ne vsquam viuant securi.

D. Ephr.

Matt. 23

D. Aug.

Matt. 25

D. Aug.

§. XIIII.

Diuersa hominum studia parem solent acquirere apud Deum mercedem.

ILla fuerunt nequissimorum virorũ verba, nimirùm. *Quia non venerunt nobiscũ, non dabimus eis quicquam de præda.* Nũquam enim non à malo, & nequam spiritu venit, quod excludamus à premio eos, qui nobiscum in eosdem actus non veniunt; etiam si in alijs se exerceant. Vnde adhæc sapientius Dauid aiebat: *Non sic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui surrexerant aduersus nos, in manus nostras: : Æqua enim pars erit descendentis in prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividunt.* Hic est Dei Spiritus, apud quem diuersa hominum studia æqualem possunt habere mercedem. Siue enim in arenam descẽdas, & alius domi sedeat quietus; siue domi quiescas; & alius in arenam descendat, ab vtroque æqua pertingi potest merces apud Deum. Non equidem omnium est eadem posse præstare; sed per diuersa studia nullus est, qui apud Deum non valeat æqualem mercedem comparare. Post mortuum in cruce Iesum ait Ioann. cap. 19. *Post hæc autem rogauit Pilatũ Ioseph ab Arimathæa, vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus: : ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum, &c.* Ecce tibi duorum virorum studia circa Iesum diuersissima; alter enim quasi in stadio pugnat, dum audet adire Pilatum, & crucifixi corpus petere. Alter quasi domi sedens aromata præparat, quibus defuncti sepulturam magnifice tractat. Nec ille de aromatibus curat, neque hic audet ire ad Pilatum. Vter sanctior? Pulchrè ait D. Epiphanius orat. de Sepult. dom. *Ambo vna veniunt, animique affectione in Christum se mutuo excedũt. Nicodemus in myrrhæ, & aloes coemptione, & quantitate ardentem in Christum affectum, egregiamque animi magnificentiam declarat. Ioseph autem audaci, intrepidaque cum Pilato congressione illustri laude se dignum probat. Hic audacter, omnique timore prorsus abiecto ingressus est ad Pilatũ, &c.* Nec Ioseph mordet Nicodemum, quod non secum ierit ad Pila-

Ioann. 19

D. Epiph.

Pilatum; nec Nicodemus Ioſephũ momordit, quod non ſecum emerit aroma. Quod enim fratrem mordeas, quod tecum non ſit in tuis laboribus, & ſtudijs, id nunquam non eſt maligni opus. A Deo enim venit, quod quiſque iuxta ſuum genium Deo militet, vel in ſtadio decertans, vel ad ſarcinas laborans pro earum cuſtodia. Æquam enim accipiet mercedem, licet diuerſum ſit opus. Huc ſpectat illud, Luc. cap. 13. *Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, &c. Et iterum dixit, Cui ſimile æſtimabo Regnum Dei? Simile eſt fermento, quod accipiens mulier abſcondit in farinæ ſata tria, &c.* Fallar ſi magis diuerſa ſtudia inueniri poſſunt, quam ſunt ſtudia viri, & fœminæ; vt enim virorum proprium eſt arua tractare, ſic fœminæ eſt proprium domeſtica tractare negotia. An ſapiet mulier, quæ de viro queratur, quod ſecum nõ agit fermentum, & in malla abſcondit? Vel ſapiet vir, qui mordeat fœminam, quod ſecũ nolit ruſticare in agro? Abiit, ſed tam vir, quam fœmina per propria ſtudia perfectiſsime attinget Regnum cœlorum. Circa quæ ait D. Petrus Chryſol. ſerm. 99. *Ante regnum ſuũ grano ſinapis comparabat, nunc illud efficit ſimile fermento. Ante ſinapis granum memorat accepiſſe virum, mulierem nunc aſſerit accepiſſe fermentum: Vere, ſicut dixit Apoſtolus, neque vir ſine muliere, nec mulier ſine viro in Domino. Ad vnum regnum diuerſum ſexum varia ſimilitudo perducit.* Non enim Regnũ cœlorum ſolis viris, ſolis fortibus, & valentibus, ſed etiam fœminis, hoſt eſt, infirmis, qui laſſantur in via, proponitur. Diuerſa enim ſtudia nos ad idem præmiũ diſponunt; nec enim eadem ſunt petenda ab omnibus. Sic enim pergit Chryſol. vbi ſupra: *Vir in agro ſinapis arborẽ ſerit, domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ; quia virum foris expectat labor, intus mulierem domeſtica cura cõſtringit.* Quippè ab infirmis non petendum eſt, quod in campum exeant, ſufficit, quod domeſticis inuigilent, vt vel ſic valentibus ſe æquare in premio poſsint.

Luc. 13.

Chryſol.

Chryſol.

1. *Reg.* 30. Venit ergo Dauid in Siceleg, & miſit dona de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis dicens: Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini, &c.

§. XV.

Illi maxime participẽt tua bona, qui in partem venerunt malorum.

NOn alijs tribubus miſit Dauid dona, ſed ait: *Miſit dona de præda ſenioribus Iuda, &c.* Et cur his ſolis miſit? Sto à ſententia Carthuſiani, qui putat tribum Iuda frequenter infeſtatam eſſe ab hoſtibus Amalecitis, vt merito Dauid dona dederit eis ſolis, qui ſimilem afflictionem ab hoſtibus paſsi fuerant. Hoc eſt enim & diuinum, & regium, quod non admittas ſotios bonorum niſi eos, qui & malorum ſocij extent. Dicebat Paul. ad Rom. 8. *Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & cõglorificemur.* Ecce tibi tũc dicimur participaturi Chriſti hæreditatem, cũ eius paſſiones participamur. Et merito, indignum enim eſt, qui admittatur ad bona, qui nullam habuit malorum communionem. Iure Romano cum primum filij mortuis parentibus hæreditatem adibant, tenebãtur hæreditatis partem cedere Imperatori. Hoc tributũ remiſsit Trajanus, de quo ait Plinius in eius Paneg. *Egregie Cæſar, quod lachrymas parentum vectigales eſſe non pateris. Ne ſocium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus.* Puduit ſapientem Imperatorẽ, quod filij, qui ſoli parentum luctum portabant, non ſoli, ſed cum ſocijs adirent bonum hæreditatis. Et ſapienter cauit, ne ſocius haberetur boni, qui ſocius non habitus fuiſſet mali. Bona enim nunquam magis regie diuiduntur, quam inter eos, qui etiam malorum habuerunt partem. Hinc dicebat Ioann. Apocal. 1. aiebat: *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno.* Circa quę Rup. ait: *Particeps autem quicumque eſt in tribulatione, ipſe quoq; in regno particeps iure eſt. Et hoc apud cœleſtem regem ius legale eſt.* Hoc de cœleſtis regis indole venit, quod eos maxime participes faciat regalium bonorum, qui & laborum, & afflictionum participes extiterunt. Quare dicebat Ieſus ad ſuos diſcipulos, Luc. 22. *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt edatis, &c.* Apud tantum regem nunquã non veniunt ad gloriæ participationem, qui pro illo propriæ vitæ diſcrimina ſubierunt. Vt veriſsime dicat D. Ennod. epiſt. 19. *Semper*

Ad Rom. 8.

Plin.

Apocal. 1

Luc. 22.

D. Enn.

ad gloriam iungitur, quod de incolumitatis propriæ cura decesserit. Et gloria, & pericula sibi semper debent respondere; vt qui in periculis fuerit, debeat etiam gloriæ particeps esse. De Daniele euecto ad principatum dicit, cap. 2. *Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera Prouinciæ Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago.* Et cur de tot contribulibus hos ad participationē principatus elegit? Ait alibi datus Hieron. *Non obliuiscitur eorum, qui secum periclitati fuerant. Itaque facit eos iudices prouinciarum.* Sic bonus laborum socios, ad fœlicitatis societatem venire fecit.

Daniel. 2

Hieron.

§. XVI.

Boni Spiritus est fœlicitatis tuæ participes facere propinquos tuos.

NOn alijs, quam cōtribulibus suis dona misit Dauid; dicit enim: *Misit dona de præda senioribus Iuda, &c.* vt ipse erat de tribu Iuda, sic nactus victoriā fœlicitatis suæ participes contribules suos fecit, dona ad illos remittens. Nunquam enim non laudi est, quod fœlicitatis tuæ culmen & propinqui, & contribules tui sentiant. Sic de Daniele assumpto ad Babyloniæ principatum dicitur, cap. 2. *Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera prouinciæ Babyloni Sidrach, Misach, & Abdenago.* Cum primum se Daniel in culmine potestatis vidit, statim de promouēdis Sidrach, Misach, & Abdenago egit cū rege. Est enim boni viri suos facere bonorum suorū participes. Ait in præsenti Theodoretus: *Daniel sperauit à Deo auxilium se consecuturum, & quæ sperauerat consecutus ostendit erga proximum dilectionem, & participes eorum, quæ acceperat, fecit tribules suos.* Nō cunctatus in potestate bonus Daniel, sed nihil prius in ea legitur fecisse, quam Præfecturas acquireret tribulibus suis, cum illis fœlicitatem suā communicans. Adhoc boni viri creduntur tenere principatus, vt suis faueant, eosq; in honores promoueāt, & fœlicitates. Sic de se credebat Ioseph, cū fratribus suis dicebat, Genes. 45. *Prosalute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.:: Præmisitque me Deus, vt reseruemini super terram.* Caietan. ex Hebr. *Vt viuificem vos ad euasionem magnam.* Sic bonus credebat totam suam exaltationem euenisse, vt ipse prospiceret suis contribulibus, & fratribus, & cognatis: illisque suam gloriam communicaret. Nec aliter Mardochæus sentiebat, cum dicit Æstheri cunctanti pro populo suo rogare; *Quis nouit, vtrum id circo ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Sic dicit, cap. 4. persuasus hanc solere esse prouidentiam Dei, quæ priuatas personas euehit ad principatum, vt ipsæ suos etiam promoueant, cum illisque proprias glorias partiantur.

Daniel. 2

Theod.

Gen. 45.

Caiet.

CAPVT XV.

Dauid flet Saulem.

Textus Historia.

IVOS Dies quieuerat Dauid in Siceleg post Amalecitarum prælium, & ecce die tertio homo venit, sciſſa veste, pulvere conspersus caput, qui humi deiectus luctuosam Israelitici exercitus cladem referebat. Vt aggressi fuerant Philisthiin, vt fugati, & percussi Israelitæ; & Saul, & Ionatha à viuis excesserāt. Et ne cladis atrocitas dubium ingeneraret Dauidi audienti; se non minimam causam Saulis mortis fuisse profitetur. Inueni, inquit, regem in culmine montis Gelboe in gladium incūbentem; nec vires erant præ multitudine vulnerum, quibus se posset antea interficere, quam properantes hostes accederēt, & illuderent viuenti. Clamabat ille ad me, & enixe petebat, vt festinato illum occiderem, & malis eriperem adeo certis. Currebant hostes, sed præcucurri ego, & hoc misero gratum feci, vt citius moreretur, occisoque abstuli diadema, & armillam, quæ tibi libentissime offerrem. Hæc dicebat Amalecita homo, & Dauidem ingenti opplebat luctu, vt lamentis multis, laceriſque vestibus vsque adveſperam & Saulem, & Ionatham prosequeretur. Nec sic delectatus fuit oblato diademate, vt compunctus regis nece, adeò, vt vel inter lachrymas Amalecitam reum confessum trucidari iuberet. Hinc permittens luctui habenas, multa dixit, quæ defunctis, maximæ laudi, & commendationi essent.

PARS MORALIS circa textus literam.



D Saulis necem libens accedo, ex qua Dauidis, incipit oriri regnum; nisi enim de tantis cineribus non poterat nasci tanta Phœnix.

2. *Reg.* 1. In die autem tertia apparuit homo veniēs de castris Saul veste conciſſa, & puluere conſperſus caput, & vt venit ad Dauid cecidit ſupra faciem ſuā, & adorauit. Dixitque ad eū Dauid: Vnde venis? Qui ait ad eum; De castris Iſrael fugi, &c.

§. I.

Non tam verba, quam luctus, & dolor animum explicant.

QVi cladem Iſraelis euaſerat, ad pedes Dauidis ſe conijcit, nil de clade dicens. Ait enim textus: *Apparuit homo veniens de castris Saul, veste conciſſa, aſperſus puluere caput, & vt venit ad Dauid cecidit ſuper faciem ſuā, & adorauit.* Nil luctuoſi temporis in veſte ſciſſa, in puluere ſparſo ſuper caput, in corporis deiectione prætermiſit, à ſolis verbis abſtinuit. Et cur in tanti luctus ſpecie ſic tacet? Cur non magis luctus cauſam verbis explicat? Maluit ſapienter luctu, quam verbis mentis qualitatem exprimere; luctus enim efficacior eſt omnibus verbis, vt mentis interna publicet. Poſt Petri miſerum præcipitium ſignificatum dicebat de illo D. Lucas, cap.

Luc. 22. 22. *Et egreſſus foras Petrus fleuit amare*: quibus dicitur Petrus fleuiſſe ruinā ſuam, ſed non dicitur, quod fuerit locutus. De Iacob

Oſeas, 12 dicebat Oſeas, cap. 12. *Fleuit, & rogauit eum*: fletibus preces adiunxit, vt obtineret cupita. Cur, & Petrus non etiam fleuit, & ſimul rogauit? Cur ſolis fletibus inſtitit, ab omni prece, ab omni verbo abſtinens? Equidē ſolus fletus, ſolus luctus teſtis erat interni animi luculentiſsimus. Ait S. Eli-

S. Eligius. gius Neuionen. hom. 16. *Beatum Petrum legimus culpam fleuiſſe, quid tamen pœnitens in fletu dixerit, non inuenimus. Lachrymatus eſſe dicitur, verum quod preces quoque ſatisfaciens fuderit, non refertur. Cur hoc? Niſi quia vtiliores ſunt preces lachrymarum, quam imploratio ſermonum. Qui ſermo in precando falli poteſt. Sermo enim interdum non totum hominis profert negotiū; lachryma totum ſemper loquentis produnt affectum.* Minor eſt temper ſermo, quam qui ingentem animi motum declaret; luctus autem nunquam non pandit, quidquid animus intrinſice ſentiat. Hinc prodigus ille filius poſtquam ſubſtantiam diſsiparat, factus egenus, & pannoſus porcorum cuſtos cupiebat ſaturari de ſiliquis, & nemo illi dabat. Quid tunc? Ait D. Lucas, cap. 15. *In ſe autē reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicā ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnus de mercenarijs tuis. Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cum autem, adhuc, longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrit, &c.* Expende, vt in ſe reuerſus ille cogitabat ad patrem ire, multaque patri dicere. At dum ad patrem properat, nec vilum ab eo verbum audit pater, ſed vt primum vidit illum, antequam aliquid loquatur, iam miſertus accurrit illi. Et cur pater non magis expectat verba filij? Cur non ſe cohibet pater, vſque dum filius accedat, & loquatur, & precetur? Equidem pannoſus habitus, lurida facies, oculorum lachrymæ, oris ſingultus, vel ante verba explicabant patri pœnitentiā filij, & ideo miſericordiam non differt. Ait D. Thom. in cat. ex Chryſoſt. *Senſit autem pater pœnitentiam, non expectauit recipere confeſsionis verba, ſed præuenit petitionem miſericorditer agens.* Non equidem verba, ſed luctus fecerunt à patre ſentiri animum filij pœnitentem; & cum ſigna pœnitentiæ vidit in habitu, in luctu, in ſqualore, non expectauit verba, ſed antequam os aperiret filius, iam noſcebatur eius deſiderium, & fouebatur eius indigentia.

Luc. 15.

D. Thom.

§. II.

A mortis periculis nemo non ſe in bonam frugem recipere debet.

QVam humilis, quam fidelis hic homo ſe Dauidi ſiſtit; *Vt venit ad Dauidem, cecidit*

cecidit super faciem suam, & adorauit. Amalecita erat, & forte filius Doeg, qui Saulem incenderat contra Dauid; & nō dominus nō dubitat se Dauidi sistere, illique humilem, & fidelem venerationē deferre. Vnde hoc? Ipse ait: *De castris Israel fugi.* Fugiebat à morte, quam ob oculos in castris habuerat, ægre euaserat; non mirer, quod ita se morigerum, & humilem Dauidi ostendat. Quis enim mortem iam instantem euadit, & non se ad bonam frugem recipit? Cū Iesus è sepulchro vocaret Lazarū; exijt ille ligatus pedes, & manus institis, & ait Dominus,

Ioann. 11 Ioann. 11. *Soluite illum, & sinite abire.* Expende, quanta illa fuerit permissio Saluatoris adolescēti, nimirum: *Sinite abire,* Ma-

Matth. 8. tth. 8. dixerat adolescenti: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Hunc non permittit à se abscedere; illum autem permittit abire, quo velit. Et cur domine quando adolescentē â te recedere non permittis, nec abire ad sepeliendum patrem suum, Lazarum abire permittis, quo volet? Exierat Lazarus à sepulchro, in quo iacuerat quatuor diebus, & qui à faucibus mortis euadit, haud dubium, quin viam arripiat salutis, & non abscedat à Iesu. Sic enim de Lazaro statim dicitur, Ioann. 12.

Ioann. 12 *Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cū*
Orig. *Iesu.* Quo spectans Orig. ibi fatur. *Propter illud imperium Christi, Soluite illum, & sinite abire, eius pedes, & manus solvuntur, velumque ab eius ore detrahitur, quo detracto, eo itinere ambulat, vt ad vnum perueniat, sicque in numero eorum, qui cum Iesu accumbunt.* Ecce tibi qualem viam arripiat Lazarus, post exuta sepulchralia linteamina; abire permittitur, quo velit, ipse autem, *eo itinere ambulat, vt ad vnum perueniat, sicque in numero eorum, qui cum Iesu accumbunt.* Nō ad alia deflectit, sed eo viam dirigit, vt cum Iesu accumbat. Sic sic, qui à mortis euadūt vnguibus, horrent præcipitia, & ad vnam semitam iustitiæ festinant, qua cū Iesu viuāt. Quæ enim virtutes non credantur de eo, qui à mortis faucibus ereptus viuit? Mar.

Mar. 6. 6. videntes Iudæi Iesu virtutes; *Alij autem dicebant, quia Elias est. Alij autem dicebant; quia propheta est, quasi vnus ex prophetis. Quo audito Herodes ait: Quem ego de collaui Ioānem, hic à mortuis resurrexit.* Adeò propriū est eorum, qui à mortis faucibus euadunt, vt sese facinoribus virtutis efficiendis dedant; vt ex virtutibus â Iesu factis illum â mortuis venisse crederent. Ait enim D. Da-

Damasc. mascen. orat. de Transfig. *Quia tantam miraculorum abyssum perspiciebant, vnum aliquem ex veteribus prophetis esse suspicabantur, qui à morte ad vitam redyisset, atque hinc effici, quod tantam gratiā consequeretur.* Tantæ virtutes facilius credebantur posse esse ab eo, qui à mortis faucibus venire, quam ab alio, qui nunquam mortis discrimina sensisset. Qui enim semel à mortis faucibus ereptus venit, non mirum, quod ingentes gratias negotietur ex Deo, & mirandas virtutes operetur.

2. *Reg.* 1. Casu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat super hastam suam: porro currus, & equites appropinquabant ei, & conuersus post tergum suum, videnſque me vocauit, cui cum respondissem, adsum: dixit mihi, Quisnam es tu? Et aio ad eum, Amalecita ego sum. Et locutus est mihi, sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ, & adhuc, tota anima mea in me est.

§. III.

In morte non Dominum, sed servum Dei agit, qui ad vitam pertinet.

VIde deplorati hominis cladem in Saule expressam, de quo morituro dicit: *Et locutus est mihi, sta super me, & interfice me.* Non expectabat præceptū moriendi à Domino Deo, sed ipse magis quasi vitæ suæ Dominus mortem imperabat sibi inferendam clamans: *Interfice me.* Miser in eo ostēdebatur ad mortem pertinere æternam, qui moriturus non servum Dei, sed fugitivum agebat. Persuadebatur Iosephus à socijs, vt sibi mortem inferret; quibus ille respondit apud Egesipp. lib. 3. cap. 17. *Cur exeundi hinc præceptum non expectamus? Miles tesseram expectat, servus imperium. Siquis horum sine præcepto exierit, aut desertor, aut fugitivus est.* Equidem quando homo nō Dominus est vitæ suæ, sed servus creatoris sui. Ne tanquam fugitivus servus vapulet, qui servus est imperium Domini expectare debet. Ad fugitivorum ergo partem pertinet, qui in morte imperium Domini non expectat; ille ad vitam pertinet, qui vt

Egesip. 3.

servus

seruus sub Dei imperio decedit. Appropinquante die mortis iussus est Moyses à Deo, vt in montem ascenderet, ibique moreretur. Ascenditque Moyses in montem,
Deut. 34. Deuth. 34. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab iubente Domino.* Quātum hoc, quod dicatur Moyses mortuus iubente Domino? Sanè ijs explicabatur, quam perfecti serui conditionem tenuisset in morte. De quo ait Egesipp. lib. 3. cap.
Egesip. 3. 17. *Nunquid anteascendit Abarim Moyses, quā diceretur ei, ascende in montem Abarim? Sed dictum est, ascende, & ascendit, & mortuus est quasi bonus seruulus. Expectauit Domini præceptum.* Proh fœlicitatem illorum, qui in morte bonorum seruorum adimplēt conditionē! Sanè ille perfectissimus seruus est, & ad gaudium spectat Domini, qui nec ante, nec post præceptum Domini amant mori. De meo Iesu aiebat Paul. ad Philip.
Ad Phil. 2. 2. *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens:: Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, &c.* Perfectissimæ seruitutis ad Deum præbebat formam, in eò, quod factus fuerit obediens vsque ad mortem. Sed in quo hanc seruitutis perfectæ formam tradebat? An in acceptanda morte à Patre præcepta? Crediderim, non solum in eo, sed etiam in non anticipanda hora mortis, nec post ponēda. Dicebat enim lo-
Luc. 12. quens de morte sua, Luc. 12. *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur.* Coarctabatur Dominus multum vsque dum in mortem veniret. Nec tamen ideò accelerauit horā, nec tempus breuiauit, sed longanimis expectauit punctum à patre præfinitum. Quid diuinius? Quippè ostendebat, quā debeant seruuli in morte, non suo, sed arbitrio domini stare. Ait D. Athanas. in Apolog. de
D. Atha. fuga sua: *Neque ante tempus permisit se capi, neque cum tempus adesset, sese occultabat, sed se ipsum obtulit insidiatoribus, vt omnibus manifestum faceret, à superno iudicio pendere vitam, aut mortem hominum.* Nulla quidem coarctatio, aut anxietas, aut desiderium valuit eò adducere Iesum meū, vt vel minimum mortis horam accelleraret, nec differret; sed nobis perfectissimæ seruitutis erga Deum formam tradens præceptū moriendi punctum expectauit, vt sub perfectissima obedientia animam ageret.

(t)

§. IIII.

Non à virtutis vigore, sed à vitio timiditatis venit, quod tibi mortem inferas obvitandum malum temporale.

ILlud ponderā in deplorato isto rege, quod ait, nimirùm: *Interfice me, quoniā tenent me angustiæ.* Eligebat mortem, vt angustias deuitaret, quod nō à virtutis vigore veniebat, sed à timiditate. Pulchrè enim aiebat Egesipp. lib. 3. cap. 17. *Id imbecillitatis suffugium est, non virtutis trophæū; captare lucrum supplicium:: Denique pauidæ mulieres, vbi aliquid imminere sibi periculum nouerint, solent se præcipitio dare: Angusti enim animi molem formidinis, & mortis metum sustinere nequeunt.* Nunquā non venit ab imbecillitate, & timiditate, quod anxie dolorum, pœnarumque compendia captes. Ideò enim ad mortē curritur, quia aliquod malum aliud timetur, quod minime potest sustineri. Id quis virtutis robori tribuat, & non potius infirmitati? Virtutis studiosos monebat Ecclesiasticus, cap. 2. *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore sustine; & in humilitate tua patientiam habe.* Et sanè nullus dubitabit omnia hæc ad maximum virtutis robur conducere. Conueniant ergo huc vniuersi, qui sibi mortem intulerunt, & videant, quam longè à verbis illis fecerint. Ideò enim se peremerunt, vel quia in dolore non valebant sustinere, vel quia in humilitate non habebant patientiam, quod totum pertinet ad infirmitatem. Dicitur 2. Machab. 7. *Contigit autem septem fratres, vna cum matre sua apprehensos compelli à rege, &c.* Septem fratres comprehenduntur, & ad tyrannum deferuntur, cuius iussu horrenda, & prolixa tormenta sustinuerūt pro lege patria. Sed etiam, 2. Machab. 14. de cantatissimo Iudæo Razias nomine dicit: *Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam disrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cū iam comprehenderetur, gladio se petyt, &c.* Compone modo hunc, & illos. Illi se à tyranni satellitibus comprehendi sinunt, & pro patria lege imperterriti stant inter gladios, inter sartagines ardentes, inter ignes. Nullum opprobrium fugiunt, nullum tormentum declinant, sed spectante mundo, suam confessionem perficiūt. Hic autem, vt iam

Egesip. 3.

Eccles. 2.

2. Mac. 7.

2. Mach. 14.

iam

iam comprehendisse vidit à carnificibus, gladio se petijt, & morte sibi illata totas tyranni quæstiones effugit. In quo ergo istorum robur apparet virtutis, in Machabæis, at in Razia? Equidem nullus est, qui non putet Raziam infirmum, timidum, & stultum, si ad robur septem fratrum comparatio fiat. De illo ait D. August. lib. 2. contra Gaud. cap. 23. *Senior ille Razias hoc facere debuit, quod leguntur septem illi fratres etiã exhortante matre sua fecisse, vt comprehẽsus, & à lege Domini sui non auersus, omne quod illi applicitum esset, acciperet, & in dolore sustineret, & in humilitate sua patientiam haberet; quod circa humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum.* Expende illa: *Non valens ferre*; nõ equidem trophæũ erat virtutis, quod se occideret, sed imbecillitatis suffugium, qua non valebat sustinere, vel inimicorum ludibria, vel dolorum segetes. Septem autem illi fratres, vt validi erant, & virtute roborati, sic compendia pœnarum non quæsierunt, sed in doloribus sustinuerunt, & in humilitate patientiam habuerunt.

D. Aug.

§. V.

Facinora ante acta maxime cruciant impios in mortis hora.

Illa maxime ponderãda sunt, nimirùm: *Tenent me angustiæ.* In Hebræo enim loco *angustiæ*, legitur *Sauas*; quod verbum, vt ex Exod. 28. patet, significat etiã oram vestimenti sacerdotalis. Sed quid est, quod Sauli morituro sub eodem vocabulo proponuntur angustiæ, & vestes sacerdotales? Nemo nõ scit Saulis impietatem, qua Sacerdotes in ciuitate Noue interfecerat, ideò iustissime in hora mortis Sacerdotes interfecti hominem maxime vexabant. Ait Abbul. quæst. 5. *Videbatur sibi, quod propinquus morti videret Sacerdotes domini accusantes eum in iudicio coram Domino.* Eu quantæ, & quam intolerabiles hinc angustiæ! Crede mihi homo, quæcumque nũc perpetras facinora, licet obliuioni videantur tradita, tunc reuiuiscẽt, cum morti appropinquaueris, & obiecta memoriæ crebris accusationibus, & morsibus miserum tuum animum lacerabunt. Hæ maximæ, & intolerabiles angustiæ erunt impio morienti. Quo spectans Isaias, cap. 13. ait: *Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones, & dolores tenebunt, &c.* Quæ verba sic in rem præsentem expendit D. Aelredus in Allegor. Tilmanni aiens: *Tunc omne cor hominis impij tabescet, profluente vndique ex conscientia latebris sanie immunditiarum, & vitiorum sordibus, ex quibus & vermis procreatur, qui non moritur, & accenditur ignis, qui non extinguitur. Et conteretur, vt nec spe veniæ aliquando respiret. Et torsiones, & dolores tenebunt eos. Anxietatem mentis, quæ imminente iam morte ex flagitiorum recordatione prosedit, per tortiones intelligo. Illã vero quam facinora parturient, per dolores. Quæ enim tunc facinorosis anxietas, quorum crudelissima tormenta reddentur? Quæ flagitiosis tunc erit tristitia?* Eu qualem tristitiam, qualem anxietatem generabunt facinora impiorum menti mortis tempore obiecta!

Exod. 28.

D. Aelr.

2. *Reg.* 1. Stans super eum occidi illum, sciebam enim, quod viuere non posset post ruinam: & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.

§. VI.

A diuitiarum negotio mendacia prosiliunt.

Mendacij accusatur iste nũtius ab omnibus expositoribus, quos vidi; Dicebat enim: *Stans super eum occidi illũ: & tuli diadema, quod erat in capite eius, &c.* In primis Saulem non occisum ab hoc fuisse multis probat Abbul. & Salianus. Deinde quis credat Saulem in bello illo habuisse diadema in capite, ad quod funestissimis auspitijs ibat? Sanè apud Phithonissam sine diademate erat, & ideò minime agnitus fuit ab illa; & eius hospitio rectà, ad locum pugnæ iuit. Nõ ergo ab eius defuncti capite diadema tulit, sed aliunde id habuit, forsam à Doeg patre, si creditur eius filius fuisse. Et non miror, quod tot mendacia effutiret, quando simul manibus tractabat aurum diadematis, & armillarũ. Dicit enim Iosephus habitus in Glossa: *Simul signa mortis ostendit aurum brachiorum eius, atque coronam.* Simul in huius manibus

bus aurum, & in ore mendacia concurrebant. Nunquam enim à negotio diuitiarũ mendacia non profiliunt. Dicebat Dominus, Matth. 6. *Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ.* Mammon Idolum erat diuitiarum; & negat Dominus ſimul nos Deo, & diuitijs ſeruire poſſe. Et cur præcipue diuitias meminit, vt oſtẽdat illis, & Deo ſeruire ſimul homines non poſſe? Diuitiæ tales ſunt, quales ſi tractentur, ab illis nunquam non profiliant ſegetes mendaciorũ: Adhęc Rup. lib. 6. de Glor. & Honor. Fil. Hom. ait: *Nõ ergo poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ. Hi enim ſunt duo Domini valde ſibi cõtrarij, ſicut veritas, & mendacium. Mammon autem princeps huius mundi falſus eſt Dominus, & inique dominatur, & omnino mentitur, &c.* Plane Deus, & aurum contrarij ſunt, vt veritas, & mendacium. Vt enim à Deo veritas ſcaturit; ſic mendaciorum fontes ſunt in auro. Huc trahe dicta tom. 2. in Euang. lib. 6. cap. 2. §. 8. & tom. 3. lib. 14. cap. 13. §. 7. & cap. 9. §. 2. & tom. 4. cap. 12. §. 12. & tom. 2. de Chriſto Figur. lib. 5. cap. 29. §. 4.

Matth. 6.

Rupert.

§. VII.

Quæ tua ſũt, humiliter, & abiecte tractanda, nõ quæ aliena.

ECce tibi nuntius hic prætendebat diadema Dauidi dicens: *Tuli diadema, quod erat in capite eius; & attuli ad te.* Prætendebat, in quam, diadema, vt manibus Dauidis caperetur. Apocal. 4. Dominum ſedentem in throno circuibant viginti, & quatuor ſeniores, qui totidem coronas habebant in capitibus ſuis. Et cum daretur gloria ſedenti in throno; *Procidebant viginti, & quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronũ, &c.* Ecce tibi hi viginti quatuor ſeniores demittebant coronas ſuas ante thronum ad pedes ſedentis in throno. Ille autẽ nuntius nõ dicitur dimiſiſſe diadema ad pedes Dauidis, ſed illud ei porrigebat ad manus. Et quando ſeniores illi ad pedes demittebant coronas, cur & hic non etiã ad pedes Dauidis dicitur dimiſiſſe diadema? Diſcriminis rationẽ inuenio in verbis illis: *Mittebãt coronas ſuas ante thronũ*: qua parte ſuas putabant coronas eas dimittebant, & ad pedes ſedentis Domini iaciebant. Nũtius autẽ non ſuum diadema deferebat, & ideò minime illud demittebat ad pedes, ſed magis honorabat. Vt hinc diſcamus nos abiecte, & humiliter tractare, & vſque ad pedes Domini deijcere, quidquid noſtrum eſt, quantumuis excellens videatur. Quod autem noſtrum nõ eſt, ſed alterius, aut etiam ſummi regis, id maxime debemus æſtimare. Luc. 7. de Magdalena dicitur: *Stans retroſecus pedes Ieſu lachrymis cœpit rigare pedes eius: & vnguento vngebat.* Sic vnguenti alabaſtrum ad pedes Ieſu ponebat, quos ipſo vngebat vnguento. Sed & de eadem dicitur, Matth. 26. *Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrũ vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput eius, &c.* Bis dicitur acceſſiſſe Magdalena ad Ieſum defferens alabaſtrũ vnguenti. Primo vnguentum poſuit ad pedes Ieſu; ſecundo nõ ſuper pedes, ſed totum illud effudit ſuper caput. Et cur primo cauit effundere ſuper caput, & illud ſuper pedes effudit? Pulchram rationem diſcriminis attigit Rupert. lib. 10. ad cap. 12. Ioannis fatus: *Quando primũ ad Dominum acceſſit, tunc vnguento, quod non propter ipſum Dominũ emerat, ſed ob fragrantiã ſui corporis vegetandã compoſuerat, ſolos vnxit pedes Domini: nunc vero iã iuſtificata vnguento, quod propter hoc ipſum emerat, caput per vnxit.* Equidem primum vnguentum ſibi emerat Magdalena, & in proprios vſus deputauerat; & merito quod ſuũ nouit, ſuiſque vſibus appropiatum, ſic deſpicit, vt illud non niſi ad pedes Domini iaciat. Secundũ autem vnguentũ non ſibi emerat, ſed domino, dominique vſibus dicauerat, & quod domino nouit appropiatum ſic æſtimat, vt illud ponat ſuper ipſius Domini caput. Vtinã, & nos ſic quæ ſunt noſtra deſpiciamus, & quæ ſunt Dei, vel proximi in æſtimatione, & honore habeamus.

Apoc. 4.

Luc. 7.

Matt. 26

Rupert.

2 *Reg.* 1. Apprehendens autẽ Dauid veſtimẽta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerũt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionatha filiũ eius, & ſuper populũ domini, & ſuper domũ Iſrael, eo quod corruiſſent gladio. Dixitque Dauid ad iuuenem, qui nuntiauit ei: Vnde es tu? &c.

§. VIII.

Senſus mali tẽporalis nũquam non iungitur ignorantiæ.

INter narrandam Saulis mortem dixerat nuntius iſte ſe eſſe natione Amalecitam;

tam; & nilominus Dauid post id auditum inter planctus, & lachrymas quærit ab illo: *Vnde es tu?* Siquidem id iam dixerat, iam clarè se Amalecitam professus fuerat, cur Dauid adeo desipit, vt iterum roget de illo? An poterat ignorare, quod paulò ante audierat? Equidē id ignorabat, dolor enim conceptus de amicorum morte, & strage Israelitarum etiam notissima ab eius mente repellebat. Habent enim hoc malorum temporalium sensus, vt nunquā sine ignoratione rerum veniant. Post mortuum Lazarum soror eius cū lachrymis Iesu adstabat. Quid tunc? Ait Ioan. cap. 11. *Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant, cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit, vbi posuistis eū? Et lachrymatus est Iesus.* Duobus infirmitatem naturæ humanæ assumptæ ostēdebat, & lachrymis pro defuncto amico, & ignoratione sepulchri. Sed quando ipse omnia sciebat, & sepulchrum non poterat ignorare; cur maluit præseferre in præsenti sepulchri ignorantiam? Qui se omnipotentem ostensurus statim erat in Lazaro suscitando; cur & simul non se omnia sciente ostendit, sepulchrum sciens? Cur maluit simulare ignorantiam? Vt in lachrymis pro amico defuncto ostendebat infirmitatem assumptæ naturæ, sic etiam eamdem ostēdere placuit in ignoratione sepulchri, quando hæc duo ita conexa sunt, vt sensus, & dolor mali temporalis non inueniatur sine ignorantia. Quo respiciens D. Hilar. lib. 10. de Trinitat. ponderans Iesum pro Lazaro flentem, & de sepulchro interrogantem ait: *Iam infirmus ad sciendum, quam infirmus ad flendum.* Æque se prodūt hæ duæ affectiones in homine, & lachrymæ pro damnis temporalibus, & ignorantia. Infirmitas quæ dolorem excitat pro temporalibus, mirum esset, si secum ignorantiam non traheret. Moniti discipuli de vacuato Iesu sepulchro, cucurrerunt ad illud, & inuenerūt vacuum, solaque ibi manentia Iesu linteamina. Tunc ait Ioan. 20. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos, Maria autem stabat ad monumentū foris plorans.* Discipuli iuxta D. August. vt viderunt sepulchrum vacuum, recordati sunt verbum resurrectionis à Iesu auditum, & ideò læti inde recesserunt. Sed & Maria simile resurrectionis verbum à Iesu audierat, cur ergo simili modo nō eius recordatur, & à sepulchro abit? Equidem, vt illam grandis dolor tenebat de morte dilecti, & lachrymæ opplebant faciem eius, sic & ignorantia replebatur. Ait Orig. hom. vlt. in diuers. *Credite mihi, si Maria Iesum cognosceret, ipsum in monumento non quæreret; & si verba illius corde retineret, non de mortuo doleret, sed de viuente gauderet; nec de sublato ploraret, sed de resurgente exultaret. Dixerat enim Iesus, quod sic moreretur, & quod die tertia resurgeret, sed pro dolor! Nimius dolor cor illius repleuerat, & memoriam horum verborū deleuerat.* Vt in Maria dolor, & lachrymæ pro temporali damno durabant, sic ignorantia replebatur, ne vel notissima posset recordari. Id quod amplius ostenditur, vbi paulò post illi Iesus apparens, Ioann. 20. ait: *Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei, &c.* Coram habet Iesum, & non agnoscit eum, sed putat hortulanum. Et vnde in illa cæcitas tanta, & ignorantia, nisi à luctu, & lachrymis pro re temporali? Ait Orig. vbi supra: *O dolor miserabilis, amor inenarrabilis! Mulier ista, quia densa nube doloris obtecta, non videbat solem; qui mane surgens radiabat per fenestras eius, & per aures corporis eius iam intrabat domum cordis eius.* Inter clarissimos diuinissimi Solis radios sic lachrymis temporalibus obcæcabatur, vt quem præsentem habebat, ignoraret.

Ioann. 11

D. Hil.

Ioann. 20

Orig.

Ioann. 20

Orig.

2. *Reg.* 1. Et ait ad eum Dauid: Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini? Vocāsque Dauid vnum de pueris suis ait: Accedēs irrue in eum. Qui percussit illū, & mortuus est. Et ait ad eum Dauid: sanguis tuus super caput tuū: os enim tuum locutum est aduersum te, dicēs; Ego interfeci Christum Domini.

§. IX.

Quæ iuris naturalis sunt in punitione reorum non licet prætermittere.

SVppono Dauidē mortuo Saule iurisdictionē habuisse regalem in Israele; vel si mauis illam saltē habebat in Siceleg ex concessione regis Achis, qui vt Dauidi dedit oppidū illud ad habitandū, sic illi iurisdictionē concessit, vt inibi suis præfectus esset. Ex hac ergo iurisdictione conuictū reū mortī tradidit, sed cū hominē properāter trucidari iubet, simul illud notat: *Os enim*

enim tuum locutũ eſt aduerſum te dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini. In quo nihil iuris naturalis prætermiſsũ in rei punitione oſtendit, quãdo ipſe ſuũ ſcelus publice confeſſus eſt, & aliquales excuſationes addidit, nimirũ, quod iã Saul viuere non poterat, & quod hoſtes appropinquarẽt, qui eũ ignominioſius opprimerent, & quod ipſe Saul petierit ſibi mortem inferri. Tot ipſe excuſationes in ſui facinoris approbationem affert, quibus auditis, & nõ antea iuſſit Dauid hominẽ interfici. Suppleuit forſam, alias terminorum dilationes, quæ in ciuilibus cauſis, & criminalibus ſolent cõcedi; at id quod ad confeſsionem criminis, & defenſionem rei pertinebat, minime ſuppleuit, vt quæ veniebant à iure naturali. Nec tanta feſtinatio fuit in executione ſupplicij, quod prius cum reo non ſeruaretur totum ius naturale. Vt Principes hinc diſcant, quam ſemper in reorum punitione attenti eſſe ad id, quod ius naturale poſtulat, de quo nulla poteſt eſſe ſuppletio. Scio quondam ab Imperatore Henrrico damnatum eſſe Robertũ regem Siciliæ abſentem, & indefenſum. Quod notans ipſe Imperator, ne ſuæ ſententiæ aliqua nullitatis nota inureretur, ſuæ poteſtatis plenitudine vtens dicit ſe in proceſſu illius damnationis ſupplere, quidquid minus factum eſſe videatur. Cui inter alia ſic reſpondit Pontifex Romanus lib. 2. Clementin. de re iudicata, cap. 2. prope finem. *Nec prædicta ſuppletio circa ſubditum etiam ad ea potuiſſet referri, per quæ de crimine præſertim ſic graui delato, defenſionis (quæ à iure prouenit naturali) facultas adimi valuiſſet; cũ illa Imperatori tollere non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt.* Roman. 2

Poſsint equidem, vel ab Imperatore, vel à Principe, vel à Prælato multa ſuppleri vel tolli, quæ ante damnationem reorum, aut in ipſius damnationis proceſſu fieri conſueſcunt. At eà quæ iuris naturalis ſunt, vt nõ damnetur quis inauditus, nec indefenſus nulla ratione poſſunt tolli, aut ſuppleri, nulloque prætextu. Defenſionis locus dandus proximo, vt ipſa natura petit, ſic à nulla poteſtate vnquam tollendus?

§. X.

Iniuria regi illata nunquam non lethalis inferenti apud pios.

SApienter illud à Dauide dictum: *Os tuũ locutum eſt aduerſus te dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini.* Nequit enim à ſubdito fieri regi iniuria, quæ ſimul illi lethalis non ſit. Proquo cauebat, Pſalm. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos*; quaſi id futurum eſſet hominibus exitiale, ſi ſuos reges iniurioſe trãctent. Qua enim manu percutis regem, & tibi mortem infers. Id quod docebant Patres Concilij Toletan. 4. num. 74. vbi ſic: *Quis enim adeo furioſus eſt, qui caput ſuum manu ſua propria deſecet? Illi (vt notum eſt) immemores ſalutis ſuæ propria manu ſe ipſos interimunt, in ſemetipſos, ſuoſque reges proprias conuertendo vires. Et cum Dominus dicat. Nolite tãgere Chriſtos meos, illis nec metus eſt vitare periurĩ, nec regibus inferre excidium.* Sic putant ſanctiſsimi Patres eodẽ ſempentelo tranſigi & regem, & eius percuſſorem; ne poſsit quis regem percutere, quin ſimul ſibi lethale vulnus infligat. Crede mihi nunquam non tantum ſcelus ſanctiſsimi Patres voluerunt pœnas dediſſe. Ait enim Concilium Toletanum, 6. num. 18. *Teſtamur coram Deo, & omni ordine Angelorum, coram prophetarum, atque Apoſtolorum, vel omnium martyrum choro, coram omni Eccleſia catholica, & Chriſtianorum cœtu, vt nemo intendat in interitum regis, nemo vitã principis attrectet, nemo eum regni gubernaculis priuet, nemo quolibet machinamento in eius aduerſitate ſibi coniuratorum manũ aſſocietur. Quod ſi in quicquam horum quiſquam noſtrorũ temerario auſu præſumptor exiterit, anathemate diuino percuſſus abſque vllo remedij loco habeatur cõdemnatus æterno iudicio.* Expende illa: *Abſque vllo remedio*; quibus regis percuſſori omnem aditum ad euadendum intercludunt. Conc. Tol. 4. Conc. Tol. 6.

§. XI.

Hæc ſit prima Regis cura, vt prædeceſſoris ſui percuſſorem puniat.

POſt delatum ad ſe diadema regni nil prius locutus eſt Dauid, quam ſententiam mortis in eum, qui Saulem percuſſerat. Dicit namque textus: *Vocanſque Dauid vnum de pueris ſuis ait ad eum: Accedens irrue in eum, &c.* Hæc profecto debet eſſe prima iuſti regis cura, vt pertutiat illũ; qui auſus fuit mortẽ inferre prædeceſſori ſuo. Sic monebat Cõcil. Toletan. 6. num. 18. *Is autẽ, qui occiſi regis ſedem fuerit aſſecutus, ſi vult tanto expiari piaculo, quaſi propry patris eius vlciſcatur interitũ, in cuius defenſionis auxilĩ vniuerſi regni Gothorũ cõſentiat fortitudo. Si antẽ deſidia cauſa, & minori zelo tam funeſtum noluerint vindicare ſcelus, ſint* Pſal. 104 Conc. Tol. 6.

omnes ex nostra sententia opprobrium cæteris gentibus. Quam sapienter, & pie accendũt sanctissimi Patres recentis regis animum aduersus prædecessoris percussorem, ne & suspitioni, & opprobio sit nationibus. An non maximum opprobrium principis est, apud quem liceat viuere impune, qui ausus est regi imponere funestas manus? Nec miror, quod Sanctum Concilium sic feriat principem, qui inultam reliquit prædecessoris sui lethalem iniuriam; quando Cæsareæ leges ab hæreditate remouent eum, qui non vlciscitur iniuriam illatam illi, cuius hæres fuerat. Sic C. de his, quibus vt indignis hæreditas aufertur, & leg. Hæredem D. eodem titulo, vbi sic cauetur: *Hæredes, quos necem testatoris inultam omissione constiterit, fructus integros cogantur reddere. Neque enim bonæ fidei possessores ante controuersiam illatã videntur fuisse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt.* Sanè nõ sine culpa hæredis, prædecessoris occisor iustitiæ seueritatem non timet.

§. XII.

Christianum est maxime cauere iniurias regibus inferendas.

HOc primum in Dauide audio, quod miretur potuisse regem à subdito percuti, ait enim text. *Et ait ad eum Dauid, quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideris Christum Domini?* Hoc ante Dauidẽ à nullo fuit dictum; vnus inuenitur Dauid, qui primus audaciam percutiendi regem miretur. Et cur id in Dauide primò inuenitur, nisi quia iam ille ordinabatur futurus pater veri Christi? Quippè hoc maxime Christianum est, quod intolerabile putes videre regem sub aliqua iniuria. Quo spectans Concil. Tolet. 6. num. 16. ait: *Quis ferat, aut quis Christianus toleranter videat regiam sobolem, aut posteritatem spoliari rebus, aut priuari dignitatibus?* Conc. Tol. Expende illud: *Quis Christianus toleranter videat?* quasi hoc putent Patres Christianorum proprium, quod minime tolerare, aut ferre possent regibus illatas iniurias. Non videtur Christiano posibile, quod quis videat regem iniuria affectum, quanto magis, quod illi mortem inferat. Qui autem regibus malum inferri patiatur, is longe abest à Christianismo. Adhæc aiebat Concil. Toletan. 4. num. 74. *Quicumque à modò ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis qualibet meditatione Sacramentum fidei suæ, quod pro incolummitate regiæ potestatis pollicitus est, violauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate exuerit, anathema sit in conspectu Spiritus Sancti, & martyrum Christi, atque ab Ecclesia catholica, quam periurio prophanauerit, extraneus efficiatur, & ab omni communione Christianorum alienus.* Conc. Tol. Et merito à Christianis omnibus alienat hominem, qui in regem audeat, quando Christianorum propriũm est non ferre iniurias regibus illatas. Nec non & Concil. Tolet. 5. num. 2. ait: *Quæcumque in vniuersali, & magna synodo conscripta circa principum salutem, & vtilitatem sunt, hæc quoque adiecta custodiantur, videlicet, vt omni benignitate, omnique firmitate circa omnem posteritatem Principis nostri Chintillani regis teneatur dilectio::: Quod si quis nostræ contestationis temerator extiterit, & quacumque argumentatione odiose eos molestare, aut in aliquo fuerit conatus ladere, sit anathema in Christianorum omnium cœtu, atque superno condemnetur iudicio.* Conc. Tol. Sic à Christianis eijcit eum, qui regem temerauerit, vt quod alieniſsimum est omnis Christiani. Hæc ex multis Conciliorum Toletanorum dictis collegi, & libentisime trãscripsi, vt videãt reges quale habeant in Hispanis Cristianis asylum.

2. *Reg.* 1. Planxit autem Dauid planctũ huiusce modi super Saul, & super Ionatham filium eius, (& præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum.) Et ait: Considera Israel, pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt, quomodo ceciderunt fortes?

§. XIII.

Ille præstanti viro dignus luctus, qui operibus cauet calamitatem deploratam.

LVgebat Dauid occisos reges, & inter lugendum præcipiebat, vt doceren-

cerentur filij Iuda arcum. Sic enim habes: *Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius, (& præcepit, vt docerent filios Iuda arcum, &c.)* Quid ſagittandi ſchola ad planctū pro Saule interfecto? Ait ibi Carthuſ. *Vt parentes nati ex tribu Iuda inſtruerent filios ſuos in arte, & exercitio ſagittandi, vt de cætero poſſent reſiſtere Philiſthæis, qui ſagittando præualuerūt.* Ceciderat Iſraeliticus exercitus, ceciderant Saul, & Ionatha à ſagittarijs Philiſthinorū percuſſi; ideò Dauid dum percuſſos plorat, vt ſagittandi arte docti Iſraelitæ Philiſthæos ſagittantes repellere poſſent. Proh lachrymas, & planctus egregio, & præſtanti viro dignos, qui ſic plorat, vt operibus ſtudeat præcauere ploratus occaſionem. Inanes ſunt lachrymæ, & non virili, ſed muliebri animo dignæ, in quibus & manus torpent, & deſidia pollet. Ille viriliter luget calamitatem, qui cauſas eius remouet in poſterū. Ioann. 11. vt Ieſus meus nouit Lazarum amicum defunctum eſſe, non plorat, ſed gaudere ſe aſſerit. Vbi autē appropinquabat, defuncto exſuſcitando: *Infremuit Spiritu, & turbauit ſemetipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eū?* *Et lachrymatus eſt Ieſus:* *Ieſus ergo rurſum fremēs in ſemetipſo venit ad monumentū. Erat autem ſpelūca, & lapis ſuper poſitus ei. Ait Ieſus: Tollite lapidem.* Non antea lachrymatur Ieſus, nec luctū exhibet, niſi cum accedit ad ſepulchrum, & lapidem tolli iubet, vt Lazarum vocet in vitam. Et cur qui antegaudebat, nunc ſolū exhibet & lachrymas, & luctū? Equidem non erant Ieſu dignæ lachrymæ, cū quibus nullū opus fiebat pro tollenda morte amici: tunc digne flet Ieſus, cū ſimul iubet tolli, quæ mortis ſunt, vt amicus procedat in vitā. Quo ſpectans D. Zeno ſerm. de Lazaro ſuſcitato aiebat: *Flebat Deus mortalium lachrymis excitatus; & cum Lazarum poteſtate ſua fretus mortis de vinculo reuocaret, præſtabat pietatis officium ſolatio lachrymarum.* Vilis homuntionis eſſet flere calamitatem, & nihil agere pro præcauenda illa; ſed manibus diſſolutis torpere deſidia. Diuini autem viri ille fletus erat, qui tunc fiebat, quando poteſtas eo adhibebatur, vt vincula mortis diſrumperet. Tenebant diuinos oculos lachrymæ; ſed quando ſimul manus imponebatur operi, quo mortuus in vitam iret. Conueniant huc, qui mortuam animam ſuam deflent, & cognoſcant, qualis debet eſſe pro anima defuncta luctus. Tunc ſanè digne, & vtiliter defletur emortua anima; cum inter dolendum, & plorandum, operi incumbimus, quo præcaueatur ruina. Pœnitentiæ lachrymas commendans Dominus Iſaiæ, cap. 1. ait: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere.* Lachrymarum lauacrum in primis petitur, ſed inter lachrymas, illud maxime addendum, nimirūm: *Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere*: vanæ enim ſunt lachrymæ, quas nō comitantur opera, quibus peccati clades caueatur. Proquo monebat Piſtenſe Concilium, cap. 1. *Quiſe bonis operibus, & lachrymis à peccatis mundat, & iterum grauia peccata perpetrat, timere debet, ne ipſas lachrymas in conſpectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit à peccatis. Quod non dicimus, vt ſi iterum alius ceciderit, in peccatis iaceat, ſed vt à peccatis, quantum poteſt, ſe caueat.* Expende iſtud: *à peccatis ſe caueat*, hoc enim ſemper debet quis addere lachrymis pro peccatis, nimirū, vt ea faciat, quibus ſe à peccatis caueat. Immundæ enim, & viles erunt apud Deum lachrymæ, quæ nullam diligentiam, nec cautelam aduerſus peccata pariant.

Carthuſ.

Ioann. 11

D. Zeno.

Iſaiæ, 1.

§. XIIII.

Externa vaſtatio, & perditio index eſt internæ vaſtationis per peccatum.

NOn otioſe Dauid iubet Iſraelitis, vt attente conſiderent ſuper principibus ſuis mortuis, ſiue interfectis; ait enim: *Conſidera Iſrael pro his, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati. Inclyti Iſrael ſuper montes interfecti ſunt, quomodo ceciderunt fortes?* Equidem fortes erāt Saul, & Ionathas, & cæteri duces, inſuper pro ſe habebant munitiſsima ſuorum montiū præſidia; & nihilominus inter montium ardua à ſagittis hoſtium inueniuntur, perduntur. Quomodo id potuit contingere? Ex hoc conſideranda morum illorum perditio, vt in maligno præſidia ſua ponebant; in nullo enim clarius oſtendi ſolet perditio interna popularium morum, quā in vaſtatione, & perditione extrinſeca. Dicebat Iſaias, c. 1 *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequā, filijs ſceleratis, dereliquerūt dominū, blaſphemauerūt ſanctum*

Iſaiæ, 1.

ctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Sceleribus traditi dereliquerunt dominum, siue deseruerunt; & abalienati sunt retrorsum. Quid inde? Ait ipse: *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, regionem vestrã coram vobis alieni deuorant.* Expende quam se mutuo respiciãt externa mala, & interna vitia: desolatio bonorum temporalium, & desolatio internarum virtutum. Reliquerunt, aut deseruerunt Deum; deserta mansit eorum terra: abalienati sunt retrorsum in corde suo, alieni deuorant regionem suam. Plane in externa desolatione perfectissime à Deo depingitur, quid interno animo apud homines fiat. Huc adest Con-
Conc. Pis. cilium Pistense, cap. 1. inquiens: *Ideò terrã nostram in conspectu nostro alieni deuorãt, quoniam alienos à Deo diabolos, effugata gratia Spiritus Sancti in animas nostras recepimus. Ideò terra nostra deserta est, sicut in vastatione hostili, quia flores, & fructus fidei spei, & charitatis ac cæterarum virtutum ab ara cordis nostri deuastauimus::: Et ostendit nobis in exterioribus vastationibus, quæ de interioribus depopulationibus intelligere valeamus.* Quid sapientius? Proculdubio exteriores vastationes nos faciunt considerare, & intelligere, quæ intime in cordibus gerantur. Alieni enim vorantes regionem ostendũt, vt damus sedem cordis alieno domino diabolo, sub cuius halitu gubernamur. Deserta terra clamat, vt Deus, & virtutes à nobis deseruntur, pessumdãtur. Sic enim solent externa mala interiorum malorum signum dare. Nemo ignorat calamitatem Lothi, quando captus ducebatur ab ho-
Gen. 14. stibus, dicit enim, Genes. 14. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæorum, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt. Nec non et Loth, & substãtiam eius, &c.* Sic hostes vnà cum substantia Sodomorum, & Loth captivum duxerunt. Et cur à Deo permittitur Loth in captiuitatem, & seruitutem ire? Merito, in illa enim captiuitatis, & seruitutis pœna ostendebatur, vt Loth non ingenuo, sed seruili animo, accepta à patruo optione eligendi, sibi potiora, & præstantiora elegerat. Quod notabat D. Ambr. lib. 1. de
D. Amb. Abrah. fatus: *Loth infirmioris consilij pœnas luit, vt etiam ipse captiuus abduceretur, quoniam vitio seruilis nequitiæ à potiore deflexerat, & partem flagitiosorum elegerat.* Datum fuerat ab Abrahamo Lotho, vt eligere solum, quo separatus habitaret; vidit ille Sodomorum solum & fœcundissimũ, & præstantissimum; & seruili affectu potitus, maluit cum flagitiosis Sodomis præstantiorem terram possidere. Hinc factum est, quod paulò post à Deo seruituti, & captiuitati daretur: seruitutis enim calamitas seruilem eius animum, & vitiosum ostendebat. Vt constet, quam ostendatur in exterioribus vastationibus, quid intelligere, & considerare de internis depopulationibus debeamus.

§. XV.

Iesu mortui conspectus non parum debet mouere humanos animos.

IN Principum Israelis morte merito cãtabat illud pro lugubri oratione regius vates: nimirum: *Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt.* Et vtinam non consideremus pro eo, qui supra excelsa Israelis in cruce vulneratus occubuit. Vt inclytus Israelis super montem Caluarium, & interfectus, & sepultus est. Quo hunc inclytum, & præcelsum regem in monte mactari considerat, vel lapideus est, vel eo timore corripitur, quo impellatur in vitam. Aiebat Dominus, Matth. 12. *Viri Niniuitæ surgent in* *Matt. 12.*
iudicio cum generatione ista, & condemnauit eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Iona, &c. Et mirabar, quod obdurati peccatores Niniuitæ audito Iona naufrago ad pœnitentiam mouerentur. Quid viderunt in naufrago isto, quo sic afficerentur? An tetigit illos, vel vmbra Christi passi, & sepulti quæ in Iona erat? Equidem ab hac Christi passi vmbra sic obstinatissimi peccatores concutiuntur, vt possint spẽ vitæ suscipere. Dicebat D. Isidor. Pelus.
lib. 1. epist 154. *Viri Niniuitæ surgent in iu-* *Isid. Pel.*
dicio, & condemnabunt generationem istam. Quoniam, qui legem minime audierant, Prophetæ comminationem extimuerunt, atque figura dumtaxat, & vmbra dominicæ sepulturæ audita, ad inopinatam euentum metu perterriti sunt. Expẽde illa *vmbra dominicæ sepulturæ audita, &c.* quamuis enim Idolatræ, quãuis in peccatis obstinatissimi vbi diuinissimi Iesu mortui vmbra tacti sunt, eum timorem conceperunt, quo in pœnitentiam inopinatam currerent, & salutem. Et quis ad tanti mortui conspectum salutari metu non contremiscat? Audio in 4. Reg.
13 rem miram; dicit enim: *Quidam autem* *4. Re. 13.*
sepelientes hominem, viderunt latrunculos, &

proicce-

proiecerunt cadaver in ſepulchrũ Eliſæi. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo. Quid diuinius? Ad tactum mortui mortuus iuit in vitam. Vtinam, & nos tractemus mortuum Ieſum, & fallar niſi inde veniamus in ſpem viuam. Dicebat Hugo Victor. lib. 2.
Hug. Vi. Miſcell. 1. titul. 59. *Intra nos eſt hortus in quo ſepulchrũ eſt Domini; in quod ſi cadimus, ſuſcitamur; vt corpus à latrunculis delatum timore perſequentium in ſepulchrum Eliſæi dum cadit, viuum reſurgit.* Qui venit ad ſepulchrum Eliſæi mortuus, ſurrexit inde vivus; & nos ſi habentes in corde noſtro, in conſideratione noſtra Ieſu ſepulchrum, ad illud accedimus, vt vel mente tangamus mortuum diuinum, quam celerrime inde in vitam ibimus.

§. XVI.

Turpius quis in ſuis interimitur.

HOc Dauid, vt turpiſsimum Iſraeli, ſic in primis vehementiſsime notabat, nimirum: *Conſidera Iſrael prohis, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati, &c.*
Lyra. Circa quæ merito ait Lyra: *Mortui ſunt ſuper excelſa tua. Quod eſt turpius, videlicet, quod ſunt deuicti in terra propria.* Non enim in alienis peregrinabantur, ſed in proprijs erant, vbi præſidia & nota, & parata; & ibi nihilominus in ſummam deuenerunt calamitatem. Quid turpius potuit excogitari? Dum ciues Ieroſolymitani à Præſidibus Romanis grauarentur, premerentur, clamauit ille Ananias apud Apoloniũ Nouarien. lib. 1. Excid. Ieroſol. fatus:
Apolon. *At quondam Aſſyrij leuior iactura tyranni*
Captiuos pati decuit quodcumque iuberet
Excitium, noſtris Laribus furioſior iſte
Sauit, & in ciues nihil non crudeliter audet
Dum ſpoliet, rapiatque palam.
Componit calamitatem Iudæorum captiuorum ab Aſſyrio tyranno obortam, cũ calamitate, quam patiebantur propria in ciuitate, & in domibus proprijs ſub Præſide Romano. Et illa leuior creditur, quando nõ mirum, quod captivus in terra aliena pateret iniurijs, & verberibus. At quod in domo propria ibi ſpolietur, pertutiatur, id nunquam non turpiſsimæ, & abiectiſsimæ calamitati datur. Quis non turpe ducat, quod in ſuis conſiſtens homo iniurias hoſtiles non euadat? Ad magnum opprobriũ Ammonis regis ait text. 4. Re. 21.
Seruiuitque immunditijs, quibus ſeruierat pater eius, & adorauit eas, & dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non ambulauit in via Domini. Tetenderuntque ei inſidias ſerui ſui, & interfecerunt regem in domo ſua. Expende illud turpiſsimum regi, nimirum: *Interfecerunt regẽ in domo ſua.* Quãdo enim non turpe eſt, quod Rex interficiatur non in arena, nec in hoſtium ſtadio pugnans, ſed dormi ſtertens? Merito monebat Bachiarius epiſt. ad Ianuarium de lapſis: *Require primum, frater, virum iſte, qui cecidit, in pugna inuentus, an in domo fuerit vulneratus, quia plus miſericordiæ meretur, quem in certamine hoſtis percuſſerit, quam ille, quem dormientem latro confodit.* Equidẽ dignior fauore eſt cauſa eius, qui in pugnã progreſſus vulnera accepit; quam ille, qui domi ſedẽs, & ſomno ibi indulgẽs patuit latronũ telis. Vide ſupra cap. 8. §. 12.
4. Re. 21.
Bachiar.

2. *Reg.* 1. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorũ. Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat ſuper vos, neque ſint agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortiũ, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo, &c.

§. XVII.

Lapſus proximi tui, ne præſertim apud impios diuulges.

AVdiant hæc vniuerſi, qui vident proximos ſuos cadentes, nimirum: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur filiæ Philiſthiim, &c.* Prohibentur caſus Iſraelitarum renuntiari Philiſthinis; vt videas, quam ſit fœdum, quod fratris tui caſus renunties impijs hominibus, & prophanis, & non magis illos occultare ſatagas. Ex quo ſapienter dicebat Bachiarius epiſt. ad Ianuarium de lapſis: *Ecce prohibetur, ne interminis Geth, neque infinibus Aſcalonis, hoc eſt, in notitiam hominum mundanorum, caſus fratris, vel ruina ſeminetur. Et nos paſſi ſumus*
Bachiar.

non solum ipsam, quam incolit ciuitatem, sed etiam totum orbem, famæ ipsius desperatione complere. Quātum hoc netas? Vtinam magis videntes fratrum casus illos occultemus. Pietas enim est mortuum fratris cadauer terram operire, & sepulchro abscondere; nec non & maior pietas erit, si mortuam fratris vitijs animam occultes, ne impij rideant ignominiā eius. Habes 3. Reg. 13. vt vir Dei deceptus à Pseudopropheta comederit panem contra Domini præceptum; propter quod percussus à leone in via fuit, & interemptus. Iacebat ergo viri Dei cadauer in terra, quod audiens Pseudopropheta, qui deceperat eum, strauit asinum suum, & festinans tulit cadauer viri Dei, & sepeliuit in sepulchro suo. Dicit
3. Re. 13. enim textus: *Et posuit cadauer eius in sepulchro suo, &c.* Peruersè quidem fecit iste, cū virum Dei decepit, & frangere Dei præceptum fecit, sed in hoc strenuo, & religiosè se gessit, quod audiens mortuum nō passus est cadauer eius patere oculis prætereuntium, sed illud proprio abscondit sepulchro. Quid inde? Accipite Bachiariū
Bachiar. vbi supra pulchrè monentem: *Sed nos, vel Pseudopropheta imitemur officium, & eum, quem percussit leo diabolus, debito omnibus honore tumulemus. Solet enim Christus de tali sepulchro mortuos suscitare, tantū ne cadauer eius deuorandum feris, aut alitibus, id est, hominibus sæculi relinquamus.* Expende ab illis: *Debito omnibus cum honore tumulemus, &c.* est enim sanctum hominibus, vt defuncti fratris cadauer, quanto maiori possunt honore sepelire, & terra operire, ne fiat esca feris, aut alitibus cœli. Sic similiter nos fratris animam percussam peccatis, & mortuam cum debito honore tumulemus, opperiamus, ne à feris, nimirum ab impijs hominibus mordeatur, laceretur. Nec impune quis morticina fratris reuelat, vt ab impij mordeantur. Ammonitæ,
2. Reg. 10. suscipientes Dauidis legatos;
2. Re. 10. *Præcidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos:* sed inde magnam Dauidis irā sibi compararūt. Nec miror, qui enim tantum abest, vt abscondat turpia fratris sui, vt potius palliū auferat, & ea patere faciat, absque dubio maximā Dei irā in se trahet.
Bachiar. Ait vbi supra Bachiar. *Præcidit vero tunicas vsque ad inguina, cū turpia facta in oculis hominū reuelauit. Sed est super hoc spes: Crede mihi, quia regi nostro dolebit iniuria; vlciscetur nos milites suos, quibus in dehonestatione sua fecit ista immicus.* Equidem nunquā non erit vltio ex Deo aduersus eos, qui publicant turpia facta fratrum.

§. XVIII.

Humanæ mentes æque afficiuntur in substantiæ profusione, ac in vitæ profusione.

IN tanto excidio charorum vnum montibus Gelboe imprecatur Dauid sterilitatis, & penuriæ malum. Ait enim: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos, &c.* Alius potius peteret montes tantæ stragis conscios crebis fulminibus ferriri, & redigi in cineres, & fauillas. Cur Dauid solā illis sterilitatē precatur? Quid sterilitas, & penuria frugum cum morte charissimorum virorum? Plane humanæ menti non minus est substantiæ bonorum spoliari, quam vel morte charissimorum percuti, vel mactari. De Zachæo dicebat Dominus, Luc. 19. *Eo quod, & ipse sit filius* Luc. 19.
Abrahæ. Cur filius Abrahæ dicitur, qui tam lōge ab Abrahamo distabat? Abrahamus enim inde in Dei Ecclesia celeberrimus est, quia filium Deo duxit immolandū. In quo ergo potuit Zachæus huic facinori assimilari, vt diceretur filius Abrahę? De Zachæo illud dicitur: *Ecce dimidium bonorum meorum do paaperibus, & siquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Et qui sic bona sua offerebat, non mirer, si assimiletur ei, qui se in filio vnigenito Deo mactabat. Ait D. Chrysost. hom. 20. in Lucā: Fit Zachæus Abrahæ filius, fide, non genere; merito, non sobole, deuotione, non stirpe. Primò Zachæus videre dominum concupiuit, sicut de Abraham ipse Dominus dixit: Abraham pater vester concupiuit Deum meum videre, vidit, & gauisus est. Secundò, quia Zachæus hospitio meruit Dominum suscipere, sicut suscepit & pater. *Sed Abraham Domino filiū, Zachæus* Chrysost.
substantiam obtulit. Ille hæredem, hic hæreditatem donauit. Ille immolandum solum, quod habuit, pignus exhibuit, hic patrimonij substātiam domino immolauit. Vnde recte Abrahæ filius Zachæus nuncupatur, dum ordinem paternæ gloriæ exequitur. Quid pulchrius? Nō minor Zachæus cēsetur in oblatione suorum, bonorum, quam Abraham in iugulatione vnici filij sui pro Deo mactati. Par equidem animi valentia solet inueniri, vel in vita profundenda, vel in bonis dandis. Ex quo Paulus post enumeratam multorum patientiam, qui in vinculis, & carceribus

ribus pro Christo mortem expectabant, dicit ad quosdam epist. ad Hebræos, cap.
Heb. 10. 10. *In altero autem sotij taliter conuersantiũ effecti.* Sotij esse dicuntur eorũ, qui in vinculis, & carceribus mortem quotidie expectabant. Sed qui liberi erant, nec vincula, nec carceres experiebantur, in quo poterant illorum esse sotij, & æquales? Ait ibi
D. Brun. D. Bruno: *Vere sotij. Nam & vos compassi estis vinctis ministrando eis in vinculis necessaria de bonis vestris.* Illi sanguinem fundebãt pro Deo, vos bona vestra offerebatis, in quo vere ostendebamini & sotij, & æquales. Non enim minus putat esse profundere bona, ac profundere sanguinem.

§. XIX.

Terra sterilitate mulctari solet ob sanguinem iustorum effusum.

CÆlestem rorẽ eripit mõtibus Gelboe Dauidis imprecatio, quo necessum est, vt steriles fiant, & nullos fructus edant. Ait namque: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos, nec sint agri primitiarum, quia ibi, &c.* Et meritò maledictio sterilitatis percutit terram, quę tantorum virorum sanguine rigata est. Quando enim sanguis iniuria elicitus non sterilitatem infert terræ, quam polluit? De primis illis fratribus locutus textus sacer, Genes.
Genes. 4. 4. ait: *Cum essent in agro consurrexit Cain aduersus fratrem suum, & interfecit eum.* Expende locum interfectionis, in agro erant, non in horto, vbi fructus gignuntur; non in nemore, vbi plantæ coalescunt, sed in agro omni fructu carente, vt iam ibi prænotaretur sterilitas, quæ fraternum sanguinem effusum cõsequitur. Adhæc pulcherrime D. Ambr. lib. de Abel, & Cain ait:
D. Amb. *Quid igitur sibi vult, quod ait; Eamus in campum, nisi quia locus nudus gignentium eligitur parricidio? Vbi enim frater habebat occidi, nisi vbi fructus deesset? Tanquam præsagiens natura tanti sceleris loco germina denegauerat, quia non conueniebat, vt idem solum, & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundum naturam germinaret.* Nesciunt & sterilitas terræ, & sanguis proximi iniuria effusus separari; sed simul iungi fere semper notantur. Quo spectabat diuina vltio Caini mulctans facinus, ait enim ibi: *Nũc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Hãc de fratris sanguine effuso super terrã mercedem accipit, vt nullos illi fructus terra pariat. Vt dicat D. Chrysost. ibi: Magna pœnæ species, & graue indignationis põdus. *Laborem quidem,* inquit, *sustinebis, &* *Chrysost.*
quæ tu facere potes, omnia facies, & operaberis terram tali sanguine coinquinatam, non senties autem aliquem fructum tam multorũ laborum, sed inutilis erit omnis labor tuus, quem feceris. Expende illud: *Non senties aliquem fructum, &c.* est enim hoc familiarissimum terræ sanguine infectæ, vt sterilescat, nullosque fructus reddat. Hinc ait Actor. 11.
Actor. 11. *His autem diebus superuenerunt à Ierosolymis prophetæ Antiochiam, surgensque vnus nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare.* Et quæ tantæ sterilitatis, & famis causa? Ait Euchumen. ibi: *Hoc autem & Christus prædixerat, non* *Euchum.*
quod id ab initio fieri oportuerit, sed propter mala, quæ aduersus Apostolos fiebant. Itaque & carceres, & vincula, & gladij, qui Apostolos vexabant, hanc immanem traxerunt sterilitatem.

§. XX.

Sacra iniuriata præsentissimũ malum iniuriatori inferunt.

EXpendenda sunt illa: *Abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium.* Saul ille Christus Domini, humi deiectus, & viliter tractatus, & interfectus dicitur; & quasi designans textus causam, à qua tantum malum euenit, addidit illud, nimirùm: *A sanguine interfectorum, ab adipe fortium.* Et qui sanguis interfectorum, vel quis adeps fortiũ sic Saulem abiecit in interitum? Cum sciam à Saule interfectos fuisse Sacerdotes Domini in ciuitate Noue, qui adipem Deo offerebãt, non dubito ab ijs fuisse ipsum similiter tractatum; quando sacra nunquam non similiter perdũt suos iniuriatores. Id quod notabat Glossa in præsenti aiens: *Saul reprobatus est à Deo, & ab incircumcisis viliter occisus, tanquam non esset vnctus oleo, propter sanguinem interfectorum Sacerdotum, qui domino adipem adolebant, quos innoxios Saul iussit interfici.* Itaque sanguis Sacerdotum

effusus

effusus à Saule sine respectu sacræ vnctionis, Saulē viliter occidi faciebat sine vllo respectu, & reuerentia sacræ eius vnctionis. Sic enim sacra suos iniuriatores tractare solent. Quis nesciat Antiochi regis extremam calamitatem post locum sanctum prophanatum ab eo? Dicit 2. Machab. 9. multa de illius plaga, vt internis viscerum doloribus cruciabatur, vt à vermibus exedebatur, & intolerabili fœtore contubescebat. Et tandem ait: *Igitur homicida, & blasphemus pessime percussus, & vt ipse alios tractauerat, peregre in montibus, miserabili obitu vita functus est.* Id quod notās Aquisgranense Concilium lib. 2. cap. 26. ait: *Horrida plane, cunctisque mortalibus est pertimiscenda mors Antiochi regis, qui pro eo, quod ausus est templum intrare, & vasa Deo sacrata inde auferre, atque sceleſtibus manibus sancta vasa, quæ ab alys regibus ad ornatum loci, & gloriam Deo fuerant oblata indigne contrectare, & in suos nefandissimos vsus conuertere iusto Dei iudicio, tam horribili morte debuit occumbere.* Et statim subdit in exemplum nostrū: *In cuius interitu sagaciter animaduertendum, quod Deus omnipotens inuasionem, vel ablationem sibi oblatarum rerum, in vltā nec dimittit, nec dimisit, nec dimissurus sit.* Quid grauius? Accipite aliud in eodē lib. 2. Machab. 13. vbi de Menalao dicitur, vt se ingessit amicitiæ, & familiaritati Antiochi; & vt Antiochus primo illius consilio vsus est, sed postmodum Lisiæ opera illum odisse cæperit, adeò vt iusserit interfici illum. Quid tunc? Ait text. *Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum vndique habens cineris; hac prospectum habebat in præceps. Inde in cinerem deyci iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege prænaricatorem legis contingit mori, nec terra dari Menelaum. Et quidem satis iuste, nam quia multa erga aram Dei delicta commiserat, cuius ignis, & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.* Sic qui sacros cineres macularat, cineribus obrutus interijt. Ex quo etiā monebat Concil. Agrisanense lib. 2. cap. 27. *Pro eò, quod circa aram Domini in multis deliquerat, tā exitiabili morte periit. Cuius exēplo deterrendi sunt non solum hi, qui circa arā Dei adseruiendum domino, verum etiam hi, qui alys propter suam explendam cupiditatem, in auferendis Deo sacratis rebus consiliū dant.* Sic ibi; quo trahenda sunt dicta supra cap. 12. §. 7.

2. Machab. 9.

Aquisg.

2. Machab. 13.

Conc. Ag.

2. *Reg.* 1. Sagitta Ionathæ nūquam redit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis. Saul & Ionathas amabiles & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi; aquilis velociores, leonibus fortiores. Filiæ Israel super Saul flete, quia vestiebat vos coccino indelitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

§. XXI.

Perfectorum opera integra, & plena, ne per inanem gloriam euaneant.

MErito inde commendantur Ionatha & Saul, quod eorum tela non fuerint effectu vacua. Quippè dicit: *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis.* Magnum hoc in stadio militari, quod nullum à tua dextera contortum telum maneat inane, sed effectum sortiatur. At in duello virtutis; quis tale præsumet? Quis adeo fœlix erit, vt in nullo virtutis opere, aut deficiat, aut inanescat? Sapiēter dicebat Paul. Orosius in Apolog. pro libero arbitrio: *Aut facile arbitraris, vt simplex scurrilitate careat, laius verbo, sollicitus iracundia, patiens negligentia, mitis pigritia, doctus inflantia, summissus inuidia, extra illam, quæ est omnīū bonorum operum caligo, vanæ gloriæ concupiscentiam.* Equidem quæcumque virtus habet deflexiones suas, per quas difficile non aberrat; præter illam vanæ gloriæ cōcupiscentiam, quæ omnibus virtutū operibus insidiatur, & omnium bonorū operū est caligo generalis. Crede mihi, si virtutis opera in te examinaueris, rarū inuenies opus, quod aliquo vel excessu, vel defectu careat, & quod per vanam gloriam non maneat inane. Adeò, vt omne virtutis culmen attigisse credaris, cum opera tua ex nulla parte euaneant, sed plena, & integra à Deo inueniantur. Apoc. 20. dicebat: *Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, &c.* Cuius Angeli si officia consideres, non tam Angelus, quam sacerdos apparet Christianus: proprium enim Sacerdotū habere clauem, & pote-

Paul. Or.

Apoc. 20

potestatem soluendi, & ligandi. Quando ergo clauis, & potestas ligandi malum ei datur, quibus appertissime sacerdos ostenditur; cur & sacerdos non dicitur, sed magis Angelus vocatur? In Angelo ostenditur virtus, & puritas, quę in nullo euaneat, sed plena, & integra manet; talis autem integra, & plena virtus ad perfectionem pertinet Christianam, qua tota hostilitas impeditur diaboli. Circa quæ ait Victorinus ibi: *Qui enim Virginitatis integrum seruauerit propositum, & decalogi fideliter præcepta impleuerit, & contra impuros mores, vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum vigilauerit, ne dominentur ei: vere sacerdos est Dei, & integre creditur regnare cum Christo, & apud eum recte ligatus est diabolus.* Expende illud: *Virginitatis integrũ seruauerit propositum*, quippe, vt patet ex Matth. 25. ad integrum virginitatis propositũ pertinet intentionis rectitudo, ne cum fatius virginibus ob inanem gloriolam cęlestium nuptiarum inanis fiat. Quando enim in virtute qualibet variatur propositũ, hoc est, variatur intentionis scopus, & temporalis plausus requiritur, tũc virtus illa corrumpitur, & prorsus euanet. At quãdo ex omni parte integra, & plena est virtus Regnũ Christi integre, & perfecte attingit, & hostem mittit in vincula. Vt autem integra, & plena virtus sic triumphat; ita virtus à rectitudine intentionis deflectens, & gloriæ studet vanæ, non hostem ligat, sed suũ authorem ostẽdit morti alligatum. Exemplum habes præclarũ in Absalone, de quo ait, 2. Reg. 18. *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subtercõdensam quercũ, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terrã, mulus pertransit, &c.* Euaserat Absalon belli discrimina, & liber à telis fugæ se dabat, inter hæc vero caput eius adhæsit quercui, & capillis arbori alligatur, vt sic morti pateat. Sed qui totus tela euaserat, cur capillis illigatur arbori? Erant capilli tota eius gloriatio, quo ostẽditur, quid gloria vana faciat, vt liget suos, mortique seruet ligatos. Ait Sanct. Max. Centur. 3. cap. 59. *Tenetur coma, habens ipsam vanam existimationem alligantem ipsum morti.* Compone modo hũc & illum; Absalonem ligatum ad arborem, & Angelum, à quo diabolus ligabatur. In Angelo illo integritas, & rectitudo virtutis exprimebatur, apud quam diabolus ligatur; in Absalone autem inanis ostenditur gloriatio, quæ miserum ligat, & ligatũ tenet, vt morti pateat. Non ipsa vana gloria lethalis est ex se; sed est forte ligamen, quod sic implicat homines, vt raro à morte liberi euadant.

Victor.

2. Re. 18.

Sanct. Max.

§. XXII.

Vanæ gloriæ sectator inanescit per auras.

HOc in viris constantibus laudabile est, nimirum: *Sagitta Ionathæ nunquã redyit retrorsum, & gladius Saulis non est reuersus inanis*: quorum tela sic ad certũ, & fixum scopum librabantur, vt nunquam sine effectu manserint. Quam alij erant viri isti ab illis, quorum scopus est in omni virtute inanis gloriatio; hi sanè nil certum pertingunt, sed semper errant per inane: De Absalone dicit 2. Reg. 18. *Adhæsit caput eius cuerqui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, &c.* Expende, quo perueniat vir inaniter de capillis gloriatus, nimirũ, suspensus apparet per auras. Proh miseri vanæ gloriæ sectatores, nusquam firmi, nusquã certi inueniemini, sed semper medio inanescetis aere. Adhæc D. Max. Centur. 3. cap. 59. *Medium suspendit eum inter cœlum, & terram. Nam vanæ gloriæ cupidus, deprimente illum opinione, non habet scientiã, quæ instar cœli extollat eum; neque item terram, hoc est fundamentum operandi in humilitate, attollente illum inflatione.* Caret equidem vanæ gloriæ sectator cœlo, & terra; & sic necessum est, quod medius etret per auras. Qui enim non vana hęc, sed solidam cœli gloriam spectat, hic non errat per auras, sed certo, & recto graditur calle. Vt de ijs dicat, Cant. 1. *Recti diligunt te.* Et quomodo recti, nisi quia Deum diligunt, in quo non possunt errare per auras? Ait D. Philippus Abb. cap. 16. in Cant. *Et recti ad superna, toto eis desiderio inseparabiliter adhærescunt. Quæ quia stant, & ad standum inflexa rectitudine diriguntur, rectos constat fieri, qui ad illa eriguntur. Et sicut Idola gentium similantur, eadem facientes; sic cœlestibus conformantur, eorum rectitudini cohærẽtes.* Nequit fieri, quod qui vana, & inconstantia spectat, non euanescat errans; qui autem solida, stabilia, & recta aspicit, similiter illis conformatur, & certò ad se Deum trahit. Dicit enim Psalm. 69. *Bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Circa quæ Philipp. vbi supra: *Sequentes serpentinos anfractus, & tortuosa Meandros prauitatis, non gustant, quam suauis, quam iocunda sit diuinæ regula bonita-*

2. Re. 18.

Cant. 1.

Phil. Ab.

Psal. 69.

Philipp.

bonitatis. Quid gustet bonum, qui totus errat per vanissimas auras?

§. XXIII.

Ad virtutis valentiam maxime pertinet celeritas.

NEscit tarda molimina virtus, imò ad fortem virum constituendum non potest in peragendis celeritas non concurrere, iuxta illud: *Velociores aquilis, leonibus fortiores*: quasi non sit leonina fortitudo, vbi nõ est velocitas aquilina. Imò hæc ad fœlicitatem triumphorum maxime necessaria. Quo spectans Latin. Pacatus in Paneg. Theodosij ait: *Recte profecto germana illa pictorum, poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum Fortuna euntium non cursus est, sed volatus. Ille ab vltimo Orientis sinu festinatis itineribus raptus exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus in alio orbe, & in alio, (pœne dixerim) Sole positus spacio lucis vnius Illyrico continuauit Aquileiã.* Pennæ equidem, & volatus Victorias trahunt, non bouina tarditas. Eu quot triumphos tarditas rapuit è manibus! Eu quot perdidit viros tarditas in virtutis stadio! Sapienter monebat D. Ennod. in Apol. pro Synodo: *Currite ad ouile, ne luporum vos exponatis insidijs: ne per moram amittatis gratiam sponte venientium; quia contemptam inuitationem Gehenna subsequitur.* Nihil in mora non funestum apparet, in celeritate enim maxime Deo commendaris. Aiebat Psalm. 41. *Quemadmodũ desiderat cervus ad fontes aquarum, ita anima mea ad te Deus.* Quid est, quemadmodum desiderat cervus? Cervus sic desiderat fontem, vt desiderio adiungat summam velocitatem in eo perquirendo. Non equidem desiderium æstimatur, nisi ex velocitate diligentiarum adhibendarum. Quo spectans D. Zeno serm. 6. de inuitat. ad fontem ait: *Eia fratres, quos beata sitis exoptatus ardor incendit, cupiditate, ac velocitate ceruina lacteum genitalis fontis ad laticem connolate.* Expende illud: *Cupiditate, & velocitate ceruina*; non est cupiditas, quæ moras nectit, sed quæ secum affert velocitatem in fonte indagando. Abrahamus vbi accepit præceptum de fugienda cognatione, statim fugit. Dicit enim text. Genes. 12. *Egressus est itaque Abram sicut præceperat Dominus.* Circa quæ ait Philo lib. de Abr. *Rem factam se habere putat, si mandatum exequeretur celeriter.* Sic virtutum opera de celeritate commendantur.

Theod.

D. Ennod.

Psal. 41.

D. Zeno.

Genes. 12

§. XXIIII.

Fœlicitas priuatorum ex bono principe manat.

TOtam Israelitarum opulentiam Dauid attribuit Regis Saulis bonitati. Ait enim: *Filiæ Ierusalem super Saul flete, quia vestiebat vos coccino in deliciis, &c.* Et merito, quod Israelitæ pretiose vestirentur, & deliciose viuerent, vni tribuitur Regi Sauli, de bonitate enim Principis manat, quidquid subditi habent magnum. Vt dicat Sidon. Apolin. lib. 2. epist. 6. *Certè creber prouincialium sermo est annum bonum de magnis, non tam fructibus, quàm potestatibus æstimandum.* Non tam cœli, stellarumque aspectus; terræve fœcunditas spectanda, vt anni prouentus prænoscatur, quàm ingenium, & bonitas Principis. Vnus Principis genius pro omnibus astris sufficit ad fœlicitatem anni præmonstrandam. Ioel, cap. 2. ostendens vltimam calamitatem mundi, quæ trahet seueriorem iudicem ait: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Et quid in Luna sanguinea præmonstratur? Ait D. Aelredus serm. 10. in Isaiam: *Luna conuertetur in sanguinem, cum manus Principũ plenæ sanguine fuerint exactionibus, & vectigalibus effundentes viscera misericordiæ.* Vbi Principes affulserint immisericordes toti intenti exactionibus, & vectigalibus iure, vel in iuria extorquendis, quasi ꝙ Luna sanguinea appareat, & calamitates extremæ, & ruinæ spectandæ.

Sidon.

Ioel, 2.

D. Aelr.

2. *Reg.* 1. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis occisus est? Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robusti, & perierũt arma bellica?

§. XXV.

Vt plurimum peccata sunt, quæ abigunt, aut afferunt victorias.

HIc erat repetitus Dauidis clamor in Saulis, & Ionathæ clade, nimirum: *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* Quibus merito præfixit Interlinealis illud: *A peccato*; quasi quærenti cladis causam indigitaret fuisse peccatum. Hoc enim est, quod perdit fortes, & victorias abigit. Nec miror, est enim peccatum ipsa mundi perditio, & vastatio. De vltimo mũdi exMatt. 24 cidio agens Dominus, Matth. 24. ait: *Consurget gens in gentẽ, & regnũ in regnũ, & erũt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca: Et tũc veniet consummatio.* Itaque inter bellorũ, & pestilentiarum calamitates dicitur ventura mundi extrema consummatio, & perditio. Et quomodo veniet ista mũdi cõsummatio? An per bella, vel fames, vel pestilentias? Nonne in bello, & fame, & pestilentia satis intelligitur mundi perditio, & consummatio? Minime, aliud est enim ijs omnibus lethalius nimirum peccatum, quod merito cõsummatio, & perditio mũdi vocatur. Quo spectans D. Hypolitus D. Hypol. Mar. lib. de consum. sæculi ait: *Explicabo vobis hodierno die omnis horroris terroriſque plenã narrationem, nempe de consummatione, id est, totius mũdi seductione, quam patietur ab hoste, & diabolo.* Nõnouit bonus Pater aliã consummationẽ, nisi quæ seductio est per peccatũ; nec putat valere hostẽ ad perdendũ, nisi cũ simul diabolus adest seducens homines, & in peccatũ trahens. Totũ enim siue cladiũ, siue victoriarũ punctũ ab intima hominũ conscientia petendũ est. Vt dicat Propheta, 2. Paral. 16. Regi Asa quæ2. Par. 16 renti ab ethnicis auxiliũ: *Oculi Domini cõtemplantur vniuersam terrã, & præbent fortitudinẽ his, qui corde perfecto credunt in eũ.* Ad quæ dicebat Nazarius in Paneg. Constantini; vbi ipsum Constantinũ de munitissimo, & validissimo hoste depingit triũphãtem: *Tantũ etiã inter arma bona cõscientia sibi vendicat, vt etiã caperit non valoris magis, sed integritatis esse victoria. Spectat enim nos ex altoreũ arbiter Deus, & c.* Et quidẽ vbi oculi Dei super nos sunt, conscientia debet esse, quę sibi aut victoriã trahat, aut cladem. Ab oculis enim diuinis fortitudo in bonos venit, & fugit malos. Vt dicat Conciliũ Pi-Conc. Pist. stense, cap. 1. *Hæc omnia mala vidimus, & audiuimus, sensimus, & dolemus: quia cũ hostes irruerunt, defensores nostri parati sunt, sed ad præparata non conualuerunt, quia illũ sanctum Spiritũ, quem accepimus, contristatũ malignis operibus nostris à nobis effuganimus, spiritũ (scilicet cõsilij, & fortitudinis, quẽ quia ita, vt nobis necessum fuerat, nõ habemus, ideò cõtra inimicos nostros stare viriliter, & vincere fortiter non valemus.* Cũ diuino Spiritu fugatur etiã Spiritus cõsilij & fortitudinis; & inde necessum est, vt fugentur victoriæ, & clades accersantur. Vide infra, cap. 17. §. 5.

§. XXVI.

Rarum, & mirandum, quod amicitiæ amor in aulis inueniatur.

HOc rarum in Ionatha extollit Dauid, quod integerrimi, sinceriſsimique amoris iura seruauerit. Quippè ait: *Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, amabilis super amorem mulierũ.* Ex hæbræo legit Caiet. *Fuit mirabilis amor tuus mihi præ amore mulierũ:* & certe quã Principes nec mulieres amãt, id valdè mirandũ est, quod nouerint aliquem virũ sincere amare. Ex quo maximè extollebat suũ Trajanũ Plinius in Paneg. fatus: *Iã in priuatorũ amici-* Plin. *tijs exoleuerat priscũ mortalitũ bonum amicitia, cuius in locum migrauerant assentationes, blanditiæ, & peior odio amoris simulatio. Etenim in principũ domo nomen tantum amicitiæ, inane scilicet irrisumq; manebat. Tu hanc pulsam, & erranẽ reduxisti. Habes amicos, quia ipse amicus es. Diligis, cum diligaris, & in eo, quod vtrimq; honestũ est, tota tua gloria est, qui superior factus descẽdis in omnia familiaritatis officia, & in amicũ ex Imperatore summitteris. Immo tunc magis Imperator, cũ amicũ ex Imperatore agis.* Sic princeps extollebatur, qui nouerat sincere amicũ agere, & verum amatorem bonorũ se ostendere. Qui enim potẽtię fastu pene omnes fastidiũt, vniuersos contemnunt, omnem familiaritatẽ habent suspectam, adeò, vt miraculum sit, quod amoris iura obserbent, quando magis optant dare iura vniuersis. Ex quo etiam Theodosium commendabat Pacatus in eius Paneg. aiens: *Ecquis Imperatorum* Pacat. *vnquam putauit amicitiæ cultum in regia laude ponendum? Humilis hæc virtus, dubiumque virtus iudicabatur, nec Palatij digna, sed periculis habebatur. Inde facilius inueneris, qui pecuniam ex ærario, quam qui ex animo sidẽ promserint. Optimus ille dicebat, non etiã diligebat, prodesse nouerat, amare nesciebat.*

Tu amicitiam, nomen antepriuatum, non solum intra aulam vocasti, sed inducta purpura, auro gemmisque redimitam, solio recepisti; neque non verbis asseruisti Principis mentem tãto in suos benigniorem esse debere, quanto sit fortuna præstantior. Hæc sufficiant pro principibus, qui nouerunt amicos amare.

CAPVT XVI.

Dauid in Hebron.

Textus Historia.

DAVID Itaque tunc temporis diuino certificatus oraculo regressus est in ciuitatẽ Hebrõ, quæ in Iudæ tribus sorte præcipua erat. Ibique congregati proceres ex tribu Iuda, illi regnũ deferunt, & vnctum olim à Samuele nũc lętissimis calculis proclamãt regem. Interea fama sepulti Saulis à viris Iabes Galaad ad Dauidẽ peruenerat; qui nihil prius egit, quã tãtæ misericordiæ opus cõmendare, & eius authoribus multa precari bona ex Deo Itaq; Dauid legatos misit Iabenitis renuntiaturos, quã affectus sit erga illos ob sepulturam Sauli præstitã; quibus & si proprius Dominus & Rex deficeret, tamẽ ipse recenter à tribu Iuda Rex factus eos suscepturus, & protecturus erat. Dũ hæc apud Hebron agebantur, Abner princeps militiæ Saulis, eius filiũ Isboseth per castra circumduxit, & super Israel regnare fecit. Sic Dauid in Iuda, & Isboseth in Israele toto regnauerũt biennio, nulla inter duos reges discordia crescẽte; donec Ioab, & Abner, duo militiæ Principes, alter Dauid, alter Isboseth, quasi per ludum belligerare cęperũt. Quod triũphãte Ioab, Abneri militibus non paruã fecit cladem, maioremque faceret, nisi Abneri precibus Ioab acquieuisset.

PARS MORALIS circa textus literam.

EVGITIVVM Illum, & erronem Dauidem iã videmus in regno; sic Deo obstetricante, afflictis, & calamitosis hominibus parturientur regna cœlestia.

2. *Reg.* 2. Igitur post hæc consuluit Dauid Dominũ dicens, Num ascendã vnam de ciuitatibus Iuda? Et dixit Dominus ad eum, Ascende. Dixitque Dauid: Quo ascendam? Et respondit ei in Hebron. Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, &c. Veneruntque viri Iuda & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret supra domum Iuda.

§. I.

A Dei spiritu suauitas, & mãsuetudo in tractandis negotijs venit.

MOrtuo Saule nõ insilijt Dauid in regnum, nec arma capit, vt vel violenter thronũ occupet, quẽ sciebat sibi deberi. Sed magis ad Deum confugit; dicit namque: *Post hæc consuluit Dauid Dominum dicens: Nũ, &c.* Et quando sciebat volũtatem domini, nimirum, quod post Saulẽ regnaret; cur non currit ad regnum? Cur moratur magis in cõsultando Deo? Cupiebat bonus regni possessionẽ suauiter, & mansuete tractare; ideò confugit ad Deum, de cuius Spiritu solo venit, quod suauiter, & mãsuete omnia tractẽtur. Adhæc ait Lyra: *Licet haberet ius in regnũ, quia erat inunctus ex præcepto diuino, tamẽ noluit intrare possessionẽ absque diuino consilio, quia attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Lyra. Vt cupiebat nõ violẽter, sed suauiter, & mãsuete regno sese in gerere; sic ad Deũ iuit, cuius est omnia sauiter, & mãsuete disponere. Tota enim diuini regni maiestas in mansuetudine, & suauitate sedet. Exod. 12. iubebat Dominus: *Tollat vnusquisque agnũ per familias::: Iuxta quẽ ritũ tolletis & hædũ.* Exod. 12. Sept. legũt: *Ab agnis, & hædis accipietis illũ*: quibus aperte cõstat ostendi Iesum filiũ Dei; in quo, & species hædi, & mãsuetudo, suauitasque agni dicitur esse. Et in quo hædus fuit Iesus, & in quo agnus? Pulchrè in rem præsentẽ ait D. Zeno ser. 9. in Exod. *Agnũ Iudæi perdiderũt, quem scriptura designabat ex ouibus, & hædis. Ex hædis vtique propter peccatricis indumentum carnis; ex ouibus propter Spiritũ maiestatis.* D. Zeno. Expẽde illud: *Ex ouibus propter Spiritũ maiestatis*, quasi totus Spiritus maiestatis ex Deo in suauitate, & mãsuetudine agnina fundetur. Quo spectãs Conciliũ Tolet. 8. c. 1. aiebat: *Habeant de inceps iure cõditi reges in regendo corda solicita, in operando facta modesta, in decernendo iudicia iusta, in parcendo pectora prompta:: & tanto gloriam regni cum fœlicitate retentent, quanto iura regiminis, & mansuetudine conseruauerint, & æquitate direxerint.* Conc. Tol. 8. Expende illud: *mansuetudine conseruauerit*; mansuetudo enim & suauitas est

est virtus, in qua Deus ponit maiestatem
Proueb. 8 regni. Hinc Prouerb. 8. dicebat: *Per me reges regnant, &c.* & Osee, cap. 8. ait: *Ipsi regnauerunt & non ex me.* In primo dicebat Deus per se regnare reges, in secundo asserit aliquos per se non regnare. Ex quo ergo cognoscentur, qui per Deum regnant? Ait Concilium Parisiense lib. 2. cap. 5.
Cõc. Par. *Qui pie, iuste, & misericorditer regnant, sine dubio per Deum regnant.* Hoc sit clarissimũ signũ regnantis per Deum, nimirũ si pie, & misericorditer omnia gubernet. In suauitate enim & clementia elucet maiestas regnantis Dei.

§. II.

Nullus adeo sapiens, & iustus homo, qui saltem in affectu regibus morem non gerat.

IN confesso est apud omnes expositores Abbulen. Carth. Salian. quod Dauid consuluerit Dominũ mediante Sacerdote Abiathare, vel alio propheta. Cur ergo in textu, solum dicitur: *Consuluit Dauid Dominum?* Cur nõ magis explicat, id quod factum est, nimirùm, quod consuluerit Sacerdotem, aut prophetam? Cauit textus in hac cõsultatione hominem meminisse, ne suspecta redderetur, quãdo vix potest inueniri homo adeo sapiens, aut iustus, qui in consultatione saltem non rapiatur Principis affectu. Fallar, siquis regũ maioris momenti habuit consultationem, quã Herodes. Is vt vidit Magos interrogare de Regis Israelis natiuitatis loco, vehemẽter turbatus est. Quid tunc? Matth. 2. *Congregãs omnes Principes Sacerdotũ, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerũt ei: In Bethleem Iudæ. Sic enim scriptũ est; per prophetã: Et tu Bethleem, &c.* Congregantur apud Herodem, & doctissimi, & eruditissimi Ierosolymitani Sacerdotes, & scribæ; vt locũ ostendant, vbi oriturus erat spectatissimus illorum Rex. Et hi omnes congregati in vnum, euolutis sapienter scripturis, apertissime explicant, quid inueniatur, de tãti regis nascituri loco. Sed illud mirandum, quod locum ostendentes Ierosolymę proximũ, nimirum Bethleem; & habentes præ oculis miraculum stellæ Magos de ducẽtis, nec mittunt, nec vadunt requirere, an natus fuerit expectatissimus ille Dominus. Cur ad tam clarum signum nati regis adeo sperati non magis
Matth. 2.

euolant ad notum locum? Cur, qui de loco consulunt, non magis agunt de festinato accessu ad locum? Rapuit homines, & si sapientissimos regis affectus, & quamuis veritatẽ de loco respondent, tamen in affectu regi gerunt morem minime credentes Messiæ ortum. Proh hominũ miseram cõditionem! Nõ sic apud illos valuit sapientia ad quærendum Dominum; vt regis respectus valuit ad contemnendum. Accipite D. Leonem serm. 2. de Epiphan. *Locum natiuitatis de scripturarum testimonijs demonstratis, præsentiam temporis de cœli, & terræ attestatione cognoscitis, & tamen vbi ad persequendum animus Herodis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obduruit. Fœlicior ergo ignorantia infantium, quos persecutor occidit, quam vestra scientia, quos in sua perturbatione consuluit.* Expẽde pulchra illa: *Vbi ad persequendum animus Herodis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obduruit.* Sapiẽtissimi licet, & pleni eruditione scripturarum; inter euidentia signa nati Christi, dũ explicant locum, toti rapiuntur regis Herodis malignitate, & illi in prauo affectu erga Christum assimilantur. Hæccine est sapientia eorum, qui à regibus consuluntur? Fœlicior sane est ignorantia infantiũ, quam sapientia istorum consiliariorũ; infantes enim possunt pro Christo pati; sapientes isti vix possunt non contemnere Christum, vt regi placeant.
D. Leon.

§. III.

Regnandi, dominandiue ambitio, nec fratribus parcit.

COnsuluit Dauid Deum, vt sciret, si tute posset ad tribum Iuda accedere; ait enim textus: *Consuluit Dauid Dominum dicens; Num ascendam in vnã de ciuitatibus Iudæ?* Et mirabar, quod Dauid iam proxime regnaturus ex diuina electione super omnem Israel, sic dubitaret ad tribũ Iuda accedere, quorum ipse frater, & contribulis erat. Quando tribus Iuda propria ipsius tribus erat, quid necessum est consulere de accessu ad illam? Ad quos certius, & securus accedere posset Dauid, quam ad fratres suos, vt illis auxiliantibus ad regnum accederet? Cur ergo dubitat, & consulit in re adeo manifesta, & aperta? Sapientissime Dauid dubitat ad fratres accedere in re obtinendi regnum; ambitio enim regni, nec fratribus parcit. Nota est

historia illorum fratrum, qui Romæ dederunt fundamenta, quorum vnus ab alio interemptus est, de quibus sapientissime ait D. Cyprian. lib. de Idololatriæ vanit.

D. Cypr. *Romanos geminos vnum non capit Regnũ, quos vnum vteri capit hospitium.* Qui in vno vtero simul potuerunt esse, nec alter alterum eiecit, vbi illis ad regnum via patuit, nec fratri frater pepercit, sed illum è viuis abire coegit. Crede mihi, nec in fratre fidum auxilium habebis ad dominatum tenendum. Mater filiorũ Zebædæi, Matth. 20. vbi aliqualem notitiam Christiani regni accepit, ex filiorum instigatione ad Iesum

Matt. 20 Dominum accessit, & ait; *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Hæc dicebat mater, & magis per os matris filij eadem dicebant. Et mirabar, quod cum hæc à fratribus dicerentur, vni soli dextera, & alteri sinistra peteretur. Et cur non magis dextera pro ambobus petitur? Vt in sinistra Dei perditorum locus erat; sic quilibet fratrum dominandi locum sibi cupiebat, vt in eo nec fratrem admitteret, sed magis vellet eum perdere. Quod notans Petrus Dam. serm. 2. de Sancto Ioanne Euang. ait: *Pen-*

Petr. Da. *semus fratres quantum ab eo, qui nunc est, homo iste Ioannes tunc differebat, quando matre interueniente, rogabat, vt ipse cum fratre Dominus alterum à dextris, alterum concederet sedere à sinistris. Nam quantum ad verba hoc petere visus est, vt vnum ex eis Dominus cum dextris eligeret, alterum à sinistris cum peccatoribus reprobaret.* Eo tendebant ambitiosorum fratrum verba, vt alter dominaretur, alter perderetur. Neuter enim in regno obtinẽdo parcebat fratri. Nolo in præsenti dissimulare duorum fratrum Coruis, & Orsua bella pro Imperio rapiendo. De quibus pulchre canit Silius Italicus.

Patriumque petebant
Orbati solium lucis discrimine fratres.
Concurrere animis, quantis confligere par est,
Quos regni furor exagitat, multoque cruore
Exsaciata simul portantes corda sub vmbras.
Occubuere pariter pectora adactus
Intima descendit mucro, superaddita sanis
Vltima vulneribus verba, & conuitia voluens
Dirus in inuitas effugit Spiritus auras.
Nec manes pacem passi, nec corpora iuncta
Vnà cum raperet flamma rogus, impius ignis
Dissiluit, cineresque simul sacrasse negarunt.

Quid pulchrius? Is est furor regni adipiscendi etiam ex fratre.

(t)

§. IIII.

Natalium nobilitas maxime conducit ad Præfecturas.

ET Dauid amat ad tribum Iudæ ire, vt primum ad regnum gradum ex inde faciat; & Deus in eo Dauidi votis annuit: *Consuluit Dauid Dominum dicens, Nũ ascendam in vnam de ciuitatibus Iudæ? Et dixit Dominus ad eum; Ascende, &c.* Et merito; vt tribus Iudæ erat iã tunc præstantior, & nobilior cæteris, adeò, vt in omni computatione, & censu primas ferrent, sic statuit Dauid inde censeri, & dignosci, reputans, quantum nobilitas natalium conducat ad Regnum, & Præfecturas tenendas. Vnde Concilium Tolet. 5. nu. 4. sic cauebat: *Quoniam inconsiderata quædam mentes* Conc. Tol. *se minime capientes, quos nec vrigo ornat, nec virtus decorat, passim putant, licenterque ad regiæ maiestatis peruenire fastigia: huius rei causa, nostra omnium cum inuocatione diuina proferatur sententia, vt siquis talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium præficit, nec Gothica gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit consortio catholicorũ priuatus, & diuino anathemate condemnatus.* Sic Patres existimabant ad Regnum conducere nobilitatẽ natalium. Nec non & Concil. Tolet. 6. nu. 17. sic cauet: *Rege vero defuncto nullus tyrannica præsumptione Regnũ assumat: nullus sub religionis habitu detonsus, aut turpiter decaluatus, aut seruilẽ originẽ trahẽs, vel extraneæ gentis homo, nisi genere, & moribus dignus promoueatur ad apicem regni. Temerator autem huius præceptionis sanctissimæ feriatur perpetuo anathemate.* Expẽde illud: *aut seruilem originem trahens*; nunquam enim seruilis conditio non infausta in rege. Ideò Deus iratus Salomoni, 3 Reg. 11. dicebat: *Scindam Regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Circa quæ ait Hugo Victor. lib. 4. Institut. *Deus scidit regnum eius in manu filij eius, & dedit illud seruo suo Hieroboam, vt præuaricatio surgeret in Israel.* Ecce tibi Regnum seruo Salomonis dabatur, vt inde permitteretur præuaricatio surgere. Conditio enim seruilis in Principe ad præuaricationes causandas conducit. Nobilitas autem magis regnũ firmat. De quo plura diximus, 1. Tom. in Euang. lib. 1. cap. 7. §. 44. & tom. 2. lib. 6. cap. 2. §. 11. & Tom. 1. de Christo Figur. lib. 1. cap. 1. §. 2.

Conc. Tol. 6.

3. Reg. 11.

Hug. Vi.

2. *Reg.* 2. Et nuntiatum est Dauid, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul. Misit Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad dixitque ad eos. Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nũc retribuet vobis Dominus misericordiam, & veritatem, sed & ego reddam gratiam, &c.

§. V.

Magna laus Principis est, quẽ non offendit fides seruata, vel inimico.

BEnedicit Dauid illis, qui sepelierunt Saulem dicens: *Benedicti vos Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, &c.* Quanta hæc laus Daurdis? Sanè hinc maxime commendari debet princeps, quod ei non ingrata sit, sed placida fides, & misericordia homini sibi infenso exhibita. Quod spectans Sidon. Apol. lib. 1. epist. 7. aiebat: *Angit me casus Aruandi, nec dissimulo, quin angar. Namque hic quoque cumulus accedit laudibus Imperatoris, quod amare palam licet, & capite damnatos. Amicus homini fui, &c.* Fuerat Sidonius amicus cuiusdam Aruandi, qui in maximum Imperatoris odiũ deueniens damnatus capite fuerat. In tanto amici malo, & Imperatoris odio, non dubitat Sidonius suam fidem præstare amico. Inde enim maxime augeri Imperatoris laudes credebat, quod & liceret palam etiam odiosis sibi hominibus præstari fidem. Qua laude deliniebat Herodes Cæsarem, cum apud illum nõ metuit cõfiteri se amicitiæ leges seruasse cum Antonio, & Cæsaris hoste, & iam à Cæsare occiso. Quippè ait apud Egesip. lib. 1. cap. 33. *Ego, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, vtpote qui ab eo Regnum acceperim, cui me debitorem, adhuc, non abnuo, idque armis probassem, si Cleopatra non inuidisset, & Arabes non impediuissent. Ingratum me tamen non sensit Antonius, & adiumenta exercitus, & frumenti innumerabiles copias absens miserim. Vide, quod nihil subtraham. Plus metuo apud te ingratus in hostem tuum, quam inte hostis videri. Iudicium mihi tuum grauius, quam bellum est, apud quem non virtutum merita, sed vitia periclitantur. Vnde ego apud te malo de fide, quam de perfidia causas dicere. Vide Cæsar, quod integrum Antonium non deseruerim, victum nõ refugi, &c.* Ex quo pulchrius Cæsarem commendaret, imò extolleret, quam dum ostendit apud illum solita hosti debita officia non posse non gratissima esse. Hãc etiam gloriam sibi ambiebat Theodoricus Rex, cum aduersario suo Odouacri fidem seruatam à Liuerio commendat. Ait enim apud Cassiod. 2. Var. 16. *Retinetis Patres conscripti patricium Liberium, & in aduersitate nostra fuisse laudabilem, qui sic Odouacris integerrimis parebat obsequys, vt nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus:: Vnde sic factum est, vt ei libenter daremus præmium, qui nostrum fideliter tuuit inimicum.* Sic ibi.

Sidon.

Egesip. 1.

Theoder.

§. VI.

Diuina prosapia est honorem impertiri defunctis.

ECce tibi benedictionem à Dauide in Iabenitas profectam: *Benedicti vos Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum.* Sed & Iesus filius Dauid, Matth. 25. dum in regni sui gloria apparebit, dicet illis, à dextris eius: *Venite Benedicti patris mei:: Esuriui enim & dediſtis mihi manducare, sitiui, & dediſtis mihi bibere: hospes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me: Infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me.* Inter tot misericordiæ opera nõ meminit sepulchralem honorem sibi exhibitum. Et cur etiam non ait, Mortuus fui, & sepeliſtis me? Cur prorsus omittit misericordiam sepulturæ? An putauit hanc benedictione indignam? Absit, sed quod à patre Dauide vidit benedici in Iabenitis, satis sibi ostendit à se benedictum; necessum enim erat, vt inter talem filium, & patrem crederentur eædem inueniri virtutes erga defunctos. Quo refero illud Ioan. 29. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, &c.* Ex quibus verbis licet dubitari, quo vsque mater Iesu remansit iuxta crucem. An abierit cum defuncti filij diuiniſsimo cadauere vsque ad sepulchrum? Et dato, quod abierit à cruce ad sepulchrum cum cadauere fi-

Matt. 25.

Ioann. 29.

lij, cur id non exprimit Euangelista? Cur qui tantus est in exprimenda matris assistentia crucifixo; non exprimit eius etiam assistentiam defuncto, & sepulto? De assistentia Mariæ defuncto, & sepulto filio satis credebatur dictum, Ioann. 11. vbi Iesus ostenditur Lazaro defuncto, & sepulto astitisse; non potuit enim dum occasio venit, similis virtus filij in matre non inueniri. Ait Metaphrastes die 5. Au-
Ioan. 11. gusti: *Dicunt hi, qui de his rebus tractarunt, Maria ab initio vsque ad finem sefortiter, atque constanter egisse: factis etiam ostendens se esse matrem, & matrē omnino illius, qui amico mortuo ostendit amorem.* Expende illa: *Matrem omnino illius, qui amico mortuo ostēdit amorem*: quando enim filius Mariæ Iesus dicitur Lazaro defuncto, & sepulto adstitisse, nullo modo credendum est Mariæ hanc misericordiam erga defunctum defuisse. Est enim gentilitij diuini hæc virtus.

§. VII.

Singulari præstantia fulget misericordia in defunctos.

AIebat Dauid ad Iabenitas: *Benedicti vos domino, qui feciſtis misericordiam hanc Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum.* Verum Iesus, Matth. 25. suis benedicens pro pane, & potu, & veste accepta, & pro hospitio, & visitatione in infirmitate, & carcere multa dicit. Pro honore autem sepulturæ accepto nec verbum facit. Sed vt in saturatis saturabatur, & in nudis vestiebatur, & in infirmis visitabatur, &c. nonne & in mortuis sepeliebatur, honorabatur? Cur ergo non sicut Dauid ad benedictionem vocabat, etiam eos, qui honorem præbuerant sepulturæ defunctis? Cur in hoc tantus filius Dauidem patrem non æmulabatur? Dauid hanc misericordiam solam ad benedictionem vocat, & dū de illa singulariter agit, eam pro dignitate extollit. Iesus autem acturus de alijs sex misericordiæ operibus, merito præterit hanc erga defunctos misericordiam, fortasse cauens illā cæteris coæquare, vt quæ videretur esse singularis præstantiæ. De
Tobia, 1. Tobia dicitur, cap. 1. *De facultatibus suis esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis, atque occisis sepulturam solicitus exhibebat, &c.* Sed cap. 12. recensens Angelus opera Tobiæ, quibus Deo placuit, ait: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, eos, ego obtuli orationem tuam Domino, &c.* Expende modo, vt primo dicitur Tobias, & famelicos cibasse, & vestijsse nudos, & mortuos sepeliuisse. In duodecimo Angelus nihil de cibo dato, nec de veste loquitur, sed totus est in misericordia eius erga defunctos explicanda. Et cur dissimulat misericordiam circa victum, & vestitum exhibitum pauperi viuo, & totus est in misericordia circa defunctos explicanda? An quia hęc præ illis aliquid habet præstantiæ? Accipite
D. Amb. D. Ambr. lib. de Tob. cap. 1. fantem: *Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam si viuentes operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora in domum deducere solemus, quanto magis in illam terram profectos, vnde iam non reuertuntur? Nihil hoc officio præstantius, & conferre, qui tibi iam non possit reddere, vindicare à bestijs consortem naturæ.* Expende illa: *Nihil hoc officio præstantius, &c.* quippè è misericordijs viuenti exhibitis, habet hanc singularem præstantiam misericordia collata defunctis, quod ei tribuatur, qui nequeat retribuere. Ex quo maxime se extollit hæc virtus.

§. VIII.

Misericordia in defunctos trahit præsentissimam retributionem ex Deo.

MErito dicebat Dauid Iabenitis: *Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam, &c.* Expende illud: *Et nūc*, præsentissima enim fit retributio his, qui misericordes sunt erga defunctos. Matth.
27. dum Iesus sepelitur, dicit: *Erat autem* Matt. 27
ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum: & statim, cap. 28. ait: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in primam Sabbathi venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terremotus factus est magnus. Angelus enim, &c.* Misericordes fœminæ totæ erant in sepulchro Domini honorando, diuinoque Iesu cadauere inuigendo, & quid inde? Sanè Angelos inueniunt, à quibus primæ

docean-

doceantur resurrectionem Christi, imo ipsum inueniunt Christum rediuiuum. Vbi enim, vt notat Salmeron, cogitabant de reditu ad vngendum Christum sepultum ideo ipsæ primum videre meruerunt Iesum suscitatum. Quo spectans D. Alcimus in Carm. ad Sororem fatur:

D. Alc. *Interea sanctæ matres, Christumque secutæ*
Decernunt quanquã trepidæ persistere: cũ iam
Discipuli Christo fugissent ante relicto.
Vt quæ erga viuum fuerat pia cura, sepulto
Seruiat & iustos defuncto soluat honores.
Ergo fragranti componunt illita succo
Albaque saluificum, quæ seruent lintea corpus
Vnctura accedunt Domini pia membra sepulti
Pro queis respondens confestim gratia facta est
Angelicos cernant humana, vt lumina vultus
Atque resurgentis primæ dent nuntia Christi.

Expende illa: *Proqueis respondens confestim gratia facta est, &c.* non dilata fuit remuneratio tantæ pietatis, sed vt ipse sepulti honorem tractant, sic illis statim Angeli accurrunt, & resurrectionis dominicæ nuntio gaudere iubent. Nec aliter accidit Tobiæ, cap. 12. cui dicit Angelus: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino: Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.* Tobiæ, 12

Expende illud: *Et nunc*: quippè defunctis honorem impendenti quam primũ ad sunt Angeli, qui eorum procurent incolumitatem, & salutem. Circa quæ verba ait D. August. serm. 226. de Temp. Angeli nomine; *Nescitis, cuius mercenarij ope frui meruistis. Defunctos captiuitatis sepelire non timuisti Tobia, ascenderunt ad Dominum opera tua, quia relicto prandio reddidisti mortuũ sepultura. Ego Domino medullata in tuli sacrificia pro venerabili sepultura, ego directus sum operarius fori cœlestis. Quid meruistis pater Tobis, filiusque Tobias? Mercenarium habere cœlestem, & tanquam operarium locare terrestrem.* August.

Sanè Lazarum multis paupertatis meritis diuitem in vitæ fine Angeli suscipiunt, & ad sinum Abrahæ deducunt. Tobiæ autem non solum in fine, sed in ipsa vita Angeli accurrunt, seruiunt, nec detrectant inter mercenarios eius numerari, dummodo faueant ei, qui defunctis parabat sepulturam.

§. IX.

Inde maxime commendabilis, & conspicabilis regius splendor, si infensis sibi faueat.

ET Simul Dauid suspicit misericordiã impensam Sauli defuncto, & se iam regem ostendit; sic enim dicit Iabenitis: *Confortentur manus vestræ, & estote filij fortitudinis, licet enim mortuus sit Dominus vester Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem sibi.* Et crede mihi nunquam opportunius se regem vnctum ostendit Dauid, quam vbi tam amice excipit eos, qui misericordiam impenderãt aduersario suo Sauli. Ex lenitate enim in hostes maxime apparet in animo regalis vnctio. Iesus meus, Ioann. 20. post gloriam resurrectionis dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.* Et vnde modo claruit, quod Iesus Dominus esset? Quid ostensio vulnerum cum regno? In ostensione illa vulnerum patebat lenitas Iesu in rebellẽ, & in credulum hominem, ex qua apertissime regia eius vnctio monstrabatur. Ait enim Sedulius lib. 5. Pas. cap. 23. *Tactu vulnerum patitur se probari, magis hinc agnitus, quod ipse est Christus, qui dubitantis animam placidam fouit lenitate susceptam.* Expende illa: *Magis hinc agnitus, quod ipse est Christus*; tunc magis regalis vnctio in Iesu apparuit, cum leniter, & amice tractabat eum, qui sua offendebat incredulitate. Sic semper lenitas in aduersantes commendabilem, & conspicuum facit regium animũ. Ioann. 20. Sedul.

Latro clamabat, Luc. 23. *Memẽto mei, cum veneris in Regnum tuum.* Qui paulò antea etiam blasphemauerat in Iesum, vt apud Matthæum notant expositores, vnde sperat, quod Iesus faueat blasphematori suo? Ostendunt illa: *Dũ veneris in Regnum tuũ.* Ex noto sibi regio Iesu animo benevolentiam etiam in hostem sperat. Ait D. Cyril. Ierosol. in Cat. Græca ex cathecheſi, 13. *Non dico aliter, vt mei memineris, quam cum veneris in Regnum tuum. O lumen perpetuum illuminans obscuratos: ideò & iuste audit; confide. Non quod opera tua digna sint confidentia, sed quia Rex adest, qui gratiam confert.* Luc. 23. Cyril. Ier.

Vbi Rex adest, vel blasphemi hostes gratiam

tiam sperant. Inde enim animus patet regius, quod vel hostibus gratiam referat.

2. *Reg.* 1. Nuntiata Saulis morte, 2. Reg. 1. *Planxit Dauid planctum huiusce modi super Saul*: Ex

Hug. Vi. quo ait Hugo Victor. lib. 4. Instit. *Cadit in Gelboe Saul, & Ionathas: sed Dauid dilectionis memor planctū leuauit. Propterea exaltatus est, & magnificatus valde, & nominatus vniuersa terra. Subiecit hostes infortitudine; & mensus est terram inimicorum suorum. In diebus eius exaltatum est regnum Israel: & ipse magnificauit gloriam, & addidit, vt ampliaret cultum sanctitatis.* Et cur de dilectione ostensa aduersarijs non crescat regnū, & ostendatur gloria maiestatis? Aiebat Io-

Gen. 37. seph, Genes. 37. *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me::: Inuidebant ei igitur fratres sui.* Et quid odium & inuidia fratrum ad adorationem? Si adorandus erat à fratribus Ioseph; cur domine permittis, vt eum oderint fratres? An odium istud poterit cōducere ad adorationem præstandam? Equidem; vbi enim Ioseph habuit odiosos, & aduersantes fratres, quibus faueret, habuit vnde citius ab illis posset adorari. Ait de illo Theodor.

Theod. serm. 8. de Prouid. *Non Ægyptiorum modo, sed & fratrū nutritor fit, qui ipsum alijs deuorandum propinauerant. Vere itaque illū adorant, &c.* Ecce tibi cū aduersantes sibi fratres saturat, tunc illum supplices adorant, tunc eius gloria, & maiestas claret. Huc trahe dicta supra, cap. 11. §. 26.

2. *Reg.* 2. Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, & circūduxit eum per castra, regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Iezrael, & super Ephraim & super Beniamin, & super Israel vniuersum. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul cum regnare cæpisset super Israel, & duobus annis regnauit, sola autem domus Iuda sequebatur Dauid.

§. X.

Principatus splendorem non detrectat Deus, vel abiectissimis communicare.

STrenui, & regales Saulis filij permittuntur cadere in certamine; vnus Isboseth & infirmus, & minime ingenuus, vt ex multis notat Salianus, è periculo euadit, ad quem procurante Abnero regnum deuoluatur. Ait enim: *Abner autem filius Ner:: tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra, regemque constituit.* Sic Deus curat terrenos principatus, vt minime detrectet, quod sæpe ad abiectissimos, & illiberalissimos deuoluantur. Aiebat Dan. cap. 4. *In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio: donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.* Expende illa: *Humillimū hominem constituet super eum*: non enim sic Deus curat regna, vt solis magnis mentibus illa tradat, quin potius sæpe illa ad abiectissimas, & vilissimas mentes transire velit. Quo accedat superbissimus ille Caius, qui eò ipso, quòd se Imperatorem videbat, se celsioris cuiusdam naturæ supra cæteros homines esse credebat. Pro hominis stultitia vanissima! Quam sæpe magnæ dignitates, & imperia in vilissimis omnium conspiciuntur, Deo sic disponente. Aiebat Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, &c.* Ecce tibi quibus imago Dei delineatur in homine, nimirum illis: *Et præsis*; vt dicat D. Nyssen. orat. 1. ibi: *Vbi est imperandi vis, illic est imago Dei.* Quando ergo homo per imperij communionem dicatur factus ad imaginem Dei, cur similiter angelica natura non habebit in se hanc rationem imaginis diuinæ? Cur non Angelus, sed homo est factus ad imaginem Dei, quando imago Dei inuenitur in Imperio? Sanè Angelis, vt potioris naturæ dedit Deus quid superius, vt diuinæ fulgeant radijs sapientiæ; humanæ autem naturæ, vt ima erat, & longe inferior, dedit illi Deus sensibilium Imperium, quod non detrectat Deus, vel in vilissimis constituere. De quo pulchre cecinit D. Nazian. Car. 4. de mundo fatus:

Dan. 4.

Genes. 1.

Nyssen.

Ac

Nazian. *Ac ratione quidem pollentẽ, & mente volebat*
Condere naturam, quæ partim ſedibus altis
Degeret, & terra partim, primique referret
Luminis effigiem, ſanctaque imitamina formæ
Sic tamen, vt ſuperæ mentes, regiſque miniſtræ
Vndique fulgenti radiarent lumine; contra
Hic ima Imperiũ, & regalia ſceptra tenerent.

Quid pulchrius? Expẽde illa: *Hic ima imperium, & regalia ſceptra tenerent*: partitus enim Deus ſua magnalia, vt creaturis cõmunicarẽtur; ſuperis mentibus dedit, quod vndique radiarent lumine ſcientiæ, & ſapientiæ: imis autem, & inferioribus mentibus dedit Imperium ſceptraque tenere. Diuinæ equidem prouidentiæ eſt magnas mentes feriatas relinquere à mundiali imperio, vt ſub ſapientiæ radijs ſe exerceant; quæ autem mentes imæ ſunt, regnorũ adminiſtratione grauentur. Quo ſpectans Paul. 1. ad Cor. 6. monebat: *Contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* Circa quæ D. Anſel. ait: *Qui minoris meriti ſunt in Eccleſia, & nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipſi de terrenis negotijs iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, minora ſuppleantur: & qui penetrare intima nequeunt, ſaltem neceſſaria foris operentur, vt ipſi videlicet diſpenſationibus terrenis inſeruiant, quos dona ſpiritualia non informant.* Sic ibi.

1. Ad Corinth. 6. D. Anſel.

§. XI.

Vnus eſt Deus, qui regna largitur.

DIcitur Abner promouiſſe in Regnum Iſboſeth Saulis filium; ſed nec regalis proſapia, nec Abneris auxilium potuerunt regem facere eum, quem Deus non faciebat. Vt enim dicitur: *Abner tulit Iſboſeth filium Saul, regemque conſtituit*; ſic etiam ſubditur: *& duobus annis regnauit, &c.* Et plane nequit conſiſtere regnũ niſi à Deo veniat. Illud enim eſt veriſsimum, Proueb. 8. *Per me reges regnãt*: nulla quippè poteſtas eſt, quæ hominem faciat regnare, niſi poteſtas diuina. Quo ſpectans Concil. Pariſienſe lib. 2. cap. 5. ait: *Conſtat ergo, quia nõ actu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ, ſed virtute, imò occulto iudicio diſpenſationis diuinæ regnum confertur terrenum. Et id circo cuicumque ab eo committitur, ita illud ſecundum eius voluntatem diſponere, & gubernare procuret, quatenus cũ eo, à quo illud ſuſcepit, fœliciter in perpetuum regnare valeat.* Hoc ſibi perſuadeant vniuerſi reges, principesve humani, quod regnum minimè habere poſſent ab auis, nec à ſuffragijs, nec à fortitudine exercitus, ſed à ſolo Deo. De cuius ſola potentia venit, quod regnum terrenum aut huic, aut illi deferatur. Quam ſcientiam, vt haberet Nabuchodonoſor, Dan. 4. vidit in ſomnijs arborem magnam, quę regnum repræſentabat, *Et ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius.* Et cur cœleſtis vox ſic arborem frangit, & eius ramos ſcidit in oculis Nabuchodonoſor? Vt qui putabat in fortitudine ſua regnare, & in fortitudine ducum ſuorum, videns cœlitus confringi regni arborem & ramos, cognoſceret non ab alio, quàm à Deo regnadari. Ait Theodoret. ibi: *Docetur autẽ, quis ei regnum tradiderit, amittens regnum, videt enim arborem ſciſſam & ramos ſeparatos; hoc eſt, Principes & præfectos.* Sanè vel cæciſsimus, & ſuperbiſsimus homo, dum regnum diſsipari videt, agnoſcit non ad ſe delatum fuiſſe potentia humana, ſed virtute, & iudicio diuino.

Dan. 4. Theod.

2. *Reg.* 2. Et fuit numerus dierum, quos commoratus eſt Dauid imperans in Hebron ſuper domum Iuda ſeptem annorum, & ſex mẽſium. Egreſſus eſt Abner, &c.

§. XII.

In ſolo Ieſu certa, & firma, & conſtans ſalus.

COmpone Dauidem & Iſboſeth: vterque Rex electus fuit poſt Saul; Dauid ab vna ſola tribu, Iſboſeth à nouem tribubus. Hunc in regno confirmabat paterna ſucceſsio, & notiſsimus Abner militiæ princeps; hunc nec ſucceſsio ſanguinis, nec Abner commendabat. Quid tunc? Iſboſeth duobus tantum annis dicitur regnaſſe, eo quòd ex tunc regnum eius decidere cæpiſſet, Dauid autem ſeptem regnat annis, & inde procedit ad regni culmen. Sic dicit: *Fuit numerus dierum, quos commoratus eſt Dauid imperans in Hebron ſuper domum Iuda ſeptem annis, &c.* Et cur tam cito ruit Iſboſeth firmatus & ſucceſſione ſanguinis, & imperij magnitudine, & cantatiſsimo duce, & ſic proſperatur

Dauid

Dauid omnibus illis destitutus? Aiebat ipse Psalm. 39. *Statuit supra petrã pedes meos*: & qualiter nõ prævaleret, qui nitebatur in firmissima petra Iesu, cuius pater erat futurus? Crede mihi homo, ride vniuersa alia, & pro te habere cura vnam hanc petram Iesum, in quo est omnis bonorum firmitudo, & securitas. Quo spectat Nicolaus, 1. Pontif. Max. in Responsione 62. Bulgaris recens conuersis ad fidem data: Nicol. Ait enim ibi: *Refertis, quod lapis inuentus sit apud vos, antequam Christianitatem susceperitis, de quo siquisquam ob aliquam infirmitatẽ quid accipit, soleat aliquoties remedium corpori suo præbere. Nos tanquam vobis consulentibus de catero sit agendum, an respuendum, respondemus, quatenus omnis eius lapidis sumptus penitus prohibeatur, & in solo illo lapide Domino nostro Iesu Christo, quẽ reprobauere ædificantes spes tota salutis humanæ ponatur, & tanquam à fortissimo recuperandæ fortitudinis nostræ remedium expectemus, &c.* Sic bonus Pontifex vnum lapidem Iesum agnosci mandat, in quo salus, & fortitudo humana possit firmare. Ex quo clamat D. Petr. 1. D. Petr. epist. 2. *Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquã lapides vini super ædificamini, domos spirituales::: Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, qui crediderit in eum non cõfundetur.* Tota nostra fœlicitas consistit, si hoc in lapide nitamur; qui enim ab illo deficit, nil præter ruinas valet meditari. Vt dicat D. August. Concione contra Iudæos, Pag. &c. August. *Nec mirum, si has ruinas quotidie fabricatis, qui petram integram Christum in fundamento habere noluistis, qui à vero errore separat veritatis filios, quos sic fouit, vt nutriat, non sic vt tu blandiendo decipit, vt occidat.* Plane de tantæ petræ fundamento habent vnde crescant, & firmentur ædificia humana.

CAPVT XVII.

Dauidis fœdus cum Abner.

Textus Historia.

NVNQVAM Non Hebron auspicata Dauidi extitit; ibi primo regni clavum accepit in propria tribu; ibi filijs auctus est, quos carissimæ coniuges pepererunt. Nec tamen à negotijs bellicis vacuus erat? confligebant enim interse ex parte Dauidis, & ex parte Isbosceth non parui, nec ignobiles exercitus. Interea militiæ princeps Abner concubinam Saulis Respham sibi accipiens ægerrime tulit ob eam audaciam reprehendi à rege, cui ipse & incolumitatem, & regnum dederat. Eoque indignationis peruenit, vt statim ad Dauidem contenderet, ac illi vniuersi Israelis sceptrum offerret. Excepit hominem Dauid conuiuio regio, initoque fœdere illum ad sua deduxit, sperans lætus tantæ oblationis euentum. Interea Ioab spolijs prædonum plenus Dauidis aulam terebat, & regis in Abnerem officia veritus, dũ multis eum regi suspectum facere nequit, ambitiosum facinus aggreditur. Misso nuntio Abnerum abeuntem reuocat, cuius dũ amico vultu ruit in amplexus, arcano pugione sic hominẽ ferit, vt secundo ictu non indigeret. Occubuit ergo Abner vera ambitione Ioabi, licet eius neci vindictæ prætextus dabatur ob occisum ab Abnere Ioabi fratrem. Nec potuit tanti ducis casus nõ esse Dauidi, dolori maximo, quem multis significauit, mala occisori precatus, & defuncto regia persoluens iusta exequiarum. Lugubri pompa deduxit ad sepulchrum cadauer, eiusque laudes tam officioso carmine celebrauit, vt omnem à se intentatæ mortis suspitionẽ tolleret, & maxime sibi Israelitarum animos conciliaret.

PARS MORALIS circa textus literam.

CVM Aulæ Dauidicæ exortu etiam doli exoriri cęperunt & fallaciæ, quibus Ioab Abnerum circumuenit, ne consistere sine dolis aula videatur.

3. *Reg.* 3. Natique sunt filij Dauid in Hebron, fuitque primogenitus eius Amon de Achinoam Iezrahelitide, & post eum Chehab de Abigail vxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalon filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur. Quartus autem Adonias

nias, filius Haggith: & quintus Saphatia filius Abital. Sextus quoque Iethram de Egla vxore Dauid, hi nati sunt Dauid in Hebron.

§. I.

Vel in multis filijs solent patres steriles apparere. Vbi pulchra de Maria.

ECce tibi sex nascuntur filij Dauid in Hebron iuxta illud: *Nati sunt filij Dauid, &c.* Sed de ijs quintus, & sextus cito rapti sunt, forte ne malicia mutaret eorũ intellectum. Quatuor autem reliqui sunt, quorum tres gladio occisi sunt propter morum nequitiam. Quis ergo non dicat Dauidem in tot filijs sterilem? Merito aiebat D. Ennodius in Apolog. pro sinodo: *Numerosa proles per sinistros actus infœcunditatem patris ostendit.* Non equidẽ multi filij sterilitatem parentibus adimunt, sed qui illis pari gloria, parilique virtute resplendent. Vnde Herem. 22. dicit Dominus de Iechonia: *Scribe virum istum sterilẽ, virũ qui in diebus suis non prosperabitur.* Sterilem vocat Dominus virum, cuius etiam quinque filij, aut sex numerantur, 1. Paral. 2. Et cur sterilis dicatur vir, qui tot filijs ditabatur? In nullo illorũ apparuit decor regius, qui fuerat in parentibus, ideo magis nati creduntur ad ostentandam sterilitatem patris, quam ad fœcunditatem ostẽdendam. Quo spectans Carthus. ait: *Sterilis appellatur, quia non habuit filium sibi succedentem in regno.* Quis credat fœcundum hominem, cuius filij in paterno splendore minimè consistunt? Infra, 2. Reg. 14. dicit tuxtus: *Nati sunt autem Absalon filij tres, &c.* sed & cap. 18. ait: *Porro Absalon erexerat sibi titulum, cum adhuc viueret, qui est in valle Regis dixerat enim; Non habeo filiũ, &c.* Ecce erigit Absalon sibi titulum in monumentum, vt sterilitatem suam consoletur, dicit enim se filijs carere. Et quomodo verum est, quod Absalon non habeat filios, quando textus asserit tres illi filios natos esse? Ait ibi Lyra: *Dicendum est, quod erant mortui, vel inepti ad regnandum post ipsum.* Quippè, vt putetur aliquis pater sine filijs esse, sufficit, quod vel illi moriantur, vel inepti sint, vt in paterno honore, & dignitate splendeant. Hinc Iesus Dominus cruci affixus, vt Mariæ Virgini prouideret filium, ait Ioann. 19. *Mulier ecce filius tuus,* filium & assignat, & mulierem vocat. Cur de filio assignato nõ magis matrem nominas? Equidem tanta erat Marianæ Virginitatis gloria, tam deifica apparebat Maria, quod nec mater crederetur in alio filio, qui diuino origini non responderet. Ex quo lucem affero D. Athanasio, qui apud Theodor. Dialog. 2. ait: *Qui ergo ex patre natura esse negant Iesum, & proprium eius dẽ substantiæ filium; negent etiam eum veram carnem, & humanam sumpsisse ex Maria Virgine.* Sic sapiens pater putabat fore, vt à quibus Iesus non credebatur ex diuini patris substantia esse, nec credi deberet vere carnem sumpsisse ex Maria Virgine. Sed cur non deberet credi esse ex Maria Virgine, qui non credebatur consubstantialiter ex patre diuino eructauisse? Equidem tãta Virginitatis sublimitas sterilis, & in fœcunda ostenderetur in filio, qui non esset cõsubstantialis patri diuino.

Ioann. 19

D. Athan.

D. Enn.

Her. 22.

Carthus.

2. Re. 14.

Lyra.

3. *Reg.* 3. Cum ergo esset prælium inter domum Saul, & domum Dauid; Abner filius Ner regebat domum Saul. Fuerat autem Sauli cõcubina nomine Respha, filia Aia, ingressusque est ad eam Abner. Dixitque Isboseth ad Abner: Quare ingressus es ad concubinam patris mei?

§. II.

Zelotypiæ affectus in viro ingenuo nullis officijs sopitur.

MVlta acceperat ab Abnere Isboseth officia, ab illo enim Rex proclamatus fuerat, & vt ait modo textus Abner *regebat domum Saul.* Totaque Isboseth domus, imò, & Regnum ab vno pendebat Abnere. Vbi autem Abner audet Saulis concubinam cognoscere, non dissimulat Isboseth, sed statim aduersus eũ fatur: *Quare ingressus es ad concubinam patris mei?* Nec miror in ingenuis enim viris Zelotypiæ affectus nullis officijs sopiri valet, Genes. 35. dicit: *Ruben dormiuit cũ Bala* *Genes. 35.*

con-

concubina patris sui, quod illum minimè latuit. Ecce tibi Iacob sciuit Rubeni audaciã, qua concubinæ eius commixtus est, & licet modo taceat, tamẽ moriturus iam, Gen. 49. sic clamat: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principiũ doloris mei. Prior in donis, maior in Imperio. Effusus es sicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, &c.* Expende quanta prius in filio recognoscit accepta; primogenitum eum vocat, & fortitudinem suam. Circa quæ Caietan. ait: *Conditiones Ruben primogeniti ſupputat. Quarum prima eſt eſſe patri tanquam fortitudinem. Primogeniti ſiquidem eſt ſummere arma, & pugnare pro patre, & propterea appellatur fortitudo patris.* Confitebatur ergo Iacob defensionem, & propugnationem à Rubeno habere, qui stare nouerat pro patre. Et nilominus post hæc accepta, statim ad illum maledicendum declinat aiens: *Nõ creſcas.* Cur bone sic feris maledictione primogenitum, & primogenitum, per quẽ protectionem habes? Cur non magis dissimulas eius facinus? Equidem tot bona filij potuerunt facere, vt Iacob tãtisper taceret, at in totum affectus zelotypi non potuit sopiri, quin vel in moriente clamaret, & argueret errantem. Ait ibi D. Chryſoſt. *Hoc facinus ſciuit Iacob, attamen etiam nunc mãſuetus eſt iuſtus, naturali amore victus. Poſtea autem cum emigraturus eſſet ex hac vita, puerum fugillat, & flagitium eius invulgat, maledicens ei, &c.* Potuerunt & amor filij, & officia multa virum cõtinere tantisper, ne in concubinæ stupatorem insurgeret; at in totum detineri non valuit, vel enim inter mortis cineres prosiliuit zelotypiæ ardor, vt tanti percuteret authorem ausus. Crede mihi, inextinguibilis est hic vnus ardor in ingenuo animo. Ausus fuerat Absalon reuellare in patrem, illumque à Regia eiecerat, & regnum occuparat. Quid tunc? Dicit, 2. Reg. 16. *Et ait Achitopel ad Abſalon: Ingredere ad cõcubinas patris tui: vt cum audierit omnis populus Iſrael, quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecũ manus eorum.* Et quãdo Absalon patrem persequebatur, illumque à Regia ejiciebat, & regnum eripiebat, quid necessum erat expectare, quod eius concubinas stupraret? Nonne in adeò fœda rebellione, & regni ereptione satis cõtrarius patri ostendebatur? Quid magis faceret congressus concubinarum? Sciebat astutissimus homo in animo nobili posse sensum regni amissi sopiri, & reconciliationem cum inuasore instaurari, vnum autem zelotypiæ affectum esse prorsus irrecõciliabilẽ, & contemptorem omnium obligationum naturaliũ. Aiẽ Iosephus lib. 7. cap. 8. *Achitopel ſuaſit, vt cum patris pellicibus congrederetur. Sic enim populum conſtantius in partibus perſeueraturum, ſublata reconciliationis ſpe. Nam hactenus non libenter eos ſe inimicos Dauidi profiteri, veritos, ne pax inter patrem & filium coeat.* Expende illud: *Sublata reconciliationis ſpes* in vna enim zelotypiæ occasione tota reconciliationis spes credebatur tolli, vel inter patrem, & filium; non in totius regni ereptione.

Genes. 49

Caiet.

Chryſoſt.

2. Re. 16.

§. III.

Etiam in amiciſsimi,, & addictiſsimis mala ſunt corripienda à bono gubernatore.

HOc optimi Principis non negabo Isbosetho, qui in addictissimo sibi Abnere, â quo regnum acceperat, non dissimulauit, sed magis corripuit præstitum facinus. Ait textus: *Dixitque Isboseth ad Abner: Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei?* Vtinam sic saperẽt vniuersi Principes, nec suorum officia emerent vitiorum impunitate, sed vel in addictissimis facinora castigarent. Filij Zebædæi fidentes consanguinitate, & fauore summi Principis Iesu audent sibi primas sedes præripere in regno Christiano. Quibus Dominus, ait Matth. 20. *Neſcitis, quid petatis:* audaciam comprimit, eorum insciti patefaciens. Et cur domine non magis vereris dilectum illum discipulum? Cur non magis in amicis errores dissimulas, & ignorantiæ parcis? Non is est mundi princeps, qui errorem dissimulet in amatis. Ait D. Hieron. de vera Circumciſ. *Illis ipſe Dominus reſpondet, qui illos amare amplius credebatur, neſcitis, quid petatis.* Qui amplius illos amabat, non patitur illorum audaciã, sed illos citius incipit castigare. Vt videãt mundiales Præsules, quales debent esse in amicos, etiã in eos, per quos multa habent. Plane Petrus, Matth. 16. primus Iesu diuinitatẽ clara voce evulgauit, propter quod audit ex Iesu: *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et qui tantus apud Iesum fuit, qui tanta apud eumdem meruit, paulò

Matt. 20

D. Hier.

Matt. 16

post

post hæc cupiens Iesum auertere à morte, statim audit: *Vade post me Sathana, scandalũ mihi es.* Quem beatum dixerat, & firmum Ecclesiæ fundamentum, nunc Sathanã appellat, & à se reijcit. Et cur domine sic Ecclesiæ tuæ fundamentum percutis? Cur nõ magis conniues ad errorem eius, qui Ecclesiam tibi fundaturus est? Nescit mũdi princeps, vel in suis peccata contegere. Ait Euthym. ibi: *Tu vero mihi considera eum, qui paulò ante maxime beatus prædicatus est, nũc maxime increpatum ad correctionem suæ audaciæ, vt intelligas, quod Saluator non sit personarum acceptor: cum enim rectè locutus est, beatum prædicauit illum: quando autem non rectè, increpauit.* Proh diuinissimi Principis stilum omnes deducentem ad salutem; vt in amicis officia remunerat cumulatissime, sic in eisdem errores castigat; & reiectitium habet amicum peccantem, dum nõ consulit sibi. Ex quo nemo dubitat, quam ridendus sit ille præsul, qui in amicis, & addictis suis omnia facinora velo operit, vel excusat. Et quæ in extraneis nõ nisi reiectionem halant, in suis mille trahunt excusationum nubila. Non sic regius Christi Spiritus, qui ideò nudus ascendit thronũ crucis, ne quis putaret in illo operculum peccatorum suorum inueniri. Quo spectans D. Athanas. orat. de Pass. ait: *Renudantes Dominum, non animaduertebant se ab ipso renudari, & quod planctum aduersus se proritabant: Dicit enim Dominus: Auferam vestimenta mea, & lintea mea, vt non tegam turpitudinem illius.* Ecce tibi, vt verus Rex abijcit pallium, ne tegat peccata suorum, sed magis illa corripiat, vt sanet.

D. Atha.

quod vtrumque nefas Samson admisit, dum de cadaueris ore escas sumpsit, nec tamen inde vllum malum incurrit. At dum, cap. 16. in fine Dalidæ deliciatur, raso capite, totum donum fortitudinis amisit, & traditur inimicis. Et quando in esca impune offendit, cur modo tanta mala incurrit? Ait aliò datus Nazian. in cat. Græca ad cap. 4. D. Lucæ, num. 23. *Quandoquehuiusmodi legum transgressores non reprehendit; Samson siquidem ob ebrietatem, & lasciuiam gratiâ priuatus fuit, ob fauum vero mellis ex de mortui leonis ore desumptum, ne reprehensus quidem fuit.* Sic nec in tanto viro Samsone, in quo dissimulabantur multa, dissimulata fuit lasciuia, sed maxime in eo punita. Hoc enim est ingenium præstantis Principis, vt acerrimus sit punitor lasciuiæ. Dum Iesus in Gerasenorum finibus dæmonia ab hominibus ejiceret; contendebant illa, vt permitterentur ire in gregem porcorum vicinum. Quibus Dominus, Matth. 8. *Abite. Illi vero egressi demigrauerunt in gregem porcorum. Et ecce ferebatur per præceps totus grex in mare.* Et cur Dominus, qui iuxta Isaiam calamum quassatum non confringebat, nec extinguebat linum fumigans, sic durus erga porcos inuentus est? Ait ibi Euthym. *Ingrediuntur autem dæmones porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter conuersantur, & in cœno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.* Et quidem vbi in porcis exprimebantur hi, qui voluptuosi sunt, & lasciui, non miror, quod à bono Domino tradantur carnificibus, nũquam nõ enim iunctæ sunt lasciuia, & perditio apud bonos Principes.

Nazian.

Matth. 8.

Euthym.

§. IIII.

Lasciuiæ excessus nunquã non castigandus.

LAudo & in Isbosetho regiam mentem, qua nec in addictissimo sibi dissimulauit lasciuiæ excessum, sed seuerus ait ad Abner: *Quare ingressus es ad concubinam patris mei?* Nunquam enim apud bonos non castigatur lasciuiæ excessus, etiam cum alij dissimulantur. De Samsone dicitur, Iudic. 14. quod leonem interficeret, & paulò post: *Ecce examen apum in ore leonis erat, & fauus mellis. Quem cum sumpsisset Sãson manibus comedebat.* Et quidem lege cautum erat, sanctis, ne mortuorum tactu se polluerent, & ne vescerentur immundis,

Iudic. 14

3. *Reg.* 3. Qui iratus minis propter verba Isbosetb ait: Nunquid caput canis ego sum aduersus Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, & super fratres, & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, & tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie? Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat, nisi quomodo iurauit Dominus Dauid, &c.

§. V.

Bona conscientia non parum solet conducere ad militarem fortitudinem.

EQuidem si Abner aduertisset, quam facile à Dauidis militibus fugatus fuerat, non dubitare, sed prorsus illud posset asserere: *Caput canis ego sum aduersus Iudam hodie.* Vt enim iniustè Isboseth partes agebat, & Dei voluntati sibi notæ de Dauide promouendo resistebat, sic non quasi fortis dux agebat, sed quasi vilis canis latrans habebatur, & contemnebatur à tribu Iuda. Adhæc trahebat præfata verba D. Hieron. in tradition. Hebræis habitus in Glossa: *Ac si diceret propter te, & propter domum patris tui dicor caput canis esse contra Iudam, eo quòd non reducam domum Israel ad Dauid, quem scio vnctum esse regem, & regnaturum super vniuersum Israel. Caput canis se dicit esse, ideſt, vilem, eo quòd à domo Iuda sic haberetur sicut latratus canis, & eo quòd princeps esset canum, ideſt, stultorum hominum.* Expende illa: *A domo Iuda sic haberetur sicut latratus canis, &c.* quippè totus Abneris conatus in Dauidem, vt iniustus erat; sic contemnebatur ab exercitu Dauidis, vt contemnitur, & despicitur à forti viro latratus canis. Et sunt equidè omnes impiorum conatus canum latratus, qui facile despiciuntur, & reijciuntur à iustis, & bonis ducibus. Solet namque bona conscientia ducum fortitudinem militarē acuere; iuxta quod dicebat Paul. ad Hebr. 11. de præclarissimis ducibus: *Isti per fidem viceruntregna: fortes in bello facti sunt*, quæ verba desumpta ab Ecclesia in Antiph. Secund. Verper. de communi martyr. sic sonant: *Sancti per fidem viceruntregna, &c.* & merito addidit illam particulam *sancti*, vt ostenderetur vnde exurgeret militaris fortitudo hostibus terribilis, nimirùm, ex cōscientiæ puritate, & sanctitate. Quo spectās Nazarius in Paneg. dum Constantini victoriam extollit, ait: *Non enim per varios, & volubiles casus Mars dubius errauit, nec Fortunæ vicissitudo, quæ plerumque prosperis rebus triste aliquid agglutinat, victorum lætitiam vulneranit, sed tanta hostium, & tā ampla cædes, tam fœlix, & incruēta victoria fuit, vt credas non bello ancipiti dimicatum, sed solas impiorum pœnas expetitas. Tantum enim inter arma bona conscientia sibi vindicat, vt iam caperit non virtutis magis, sed integritatis esse victoria. Spectat enim nos ex alto rerū arbiter Deus, &c.* Et plane vbi Deus creditur ab alto spectare res humanas; nullus negauit plurimi esse momenti bonam constientiam etiam inter arma bellica. Vt merito exclamet Herodes apud Egesipp. lib. 1. cap. 32. *Festinemus igitur ad prælium dum vltorem habemus Deum cæsorum vindicem.* Tunc enim insuperabilis stat miles Sāctus cum Deo iungitur iniquitatum vltori. Vide supra cap. 15. §. 25.

D. Hier.

Ad Heb. 11.

Nazar.

Egesip. 1.

§. XV.

Non status, sed personæ omnes inspiciendæ, in facinoribus.

SVfficienter alij expenderunt impatiētem Abneris arrogantiam in Regem iuste corripientem; ego autem inter hanc Abneris damnatam impatientiam, illud nō possum nō vertere sapientiæ, quod indignatus in regem non nititur, vel nomē regale extirpare, sed magis curat alij subijci regi. Ait enim: *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat, nisi quomodo iurauit Dominus Dauidi, sic faciam cum eo, vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid, &c.* Infensum sibi habens regem Isboseth, cur vel nomen regis nō abominatur, & eliminare contendit? Cur nō magis ambit antiquare nouare tēpora, quibus Israel florebat sine regibus? Brutus ille Romanus Lucreciæ maritus iniuriā sibi à rege illatā non ferens persuasit Romanis, vt funditus delerent nomen regiū, & sine rege Rempublicā instituerent. Cur similiter Abner non scāduit in Regē, vt regale nomē extingueret, & vellet Israelē agere sine rege? Sapiētissime in iniuria non in statum, sed in personas respiciebat, & vt sub Isboseth regnū oderat, sic id amabat sub Dauide, adeò, vt Dauidem vidēs Isbosethū tollere curaret, non regnum. Simile in Theodosio suo meditatus Latinus Pacat. in Paneg. aiebat: *Quod si per rerum naturam liceret, vt ille Romanæ libertatis assertor, regy nominis Brutus osor, precariæ redditus vitæ, sæculū tuū cerneret studys virtutis, parsimoniæ, humanitatis imbutū, ac referiū; iā te ipsum quā publice, quā priuate videret priscorū duriora ducū, sanctitate Pontificū, Consulū moderatione, petitorū comitate vincentem: mutaret profectò sententiam tā-*

Pacat.

to poſt ſuam, & cum Romanam dignitatem, ac libertatem probaret, neceſſario fateretur Tarquinũ ſubmoueri debuiſſe, non regnũ. Errauit Brutus, dum ad ſolum Tarquinium attendit, & de vno peſsimo rege totũ ſtatum regni æſtimauit. Vtinam potuiſſet cernere Conſtantinum omnibus virtutibus plenũ; tunc enim non in ſtatum regni inueheret, ſed in Tarquinij perſonã, & iudicaret Tarquinium eliminãdum, non regnũ, vt quod ſub Conſtantino adeò poſſet florere. Sic ſi nõ ſtatus, ſed omnes perſonas reſpicias, & ſi inuenias tollendos, tamen & eligendos inuenies, vt inde facinora non ab ſtatu, ſed à perſona venire credas. Qua ratione ſapientiſsime pungebat Titus Iudæos, qui Romanorum Imperium à ſe tollere nitebantur. Ait enim apud Egeſip. lib. 5. cap. 46. Pro quibus, ò grati ſocij hanc vicem nobis rependitis, vt tertio rebellaretis?

Egeſip. 5. *Fuerit Nero deſpiciendus, ſed non in vno Romana virtus expendebatur: ſed habebat militem Veſpeſianum, qui iam ad pacem reuocauerat Gallias: tam fortis in bello, vt per illum & Nero vinceret, per illum eſſet Nero formidabilis hoſtibus. Sed Cæſius laſerat; querelam deferri decuit, non arma irrogari. Miſſus pater Veſpeſianus qui longinqua exarebat, vt veniã poſtularetis.* Sic in odio, & reiectione malorum, boni inſpiciendi erant, ne ſtatus culparetur, ſed in bonis amaretur. Et plane ſtultiſsime agit, qui ſceleſtas videns perſonas, ſic illas perſequitur, vt cum illis totum ſtatum inuoluat, & perdat. Vt ſiquis prælatum nequam inueniat, prælaturas abominetur; falleris ò homo, ſed magis alium præſtantem quære, quẽ non difficile inuenies. Pſalm. 80. dicebat in titulo: *In finem*

Pſal. 80. *pro torcularibus*: nomine autem torcularij intelligit D. Auguſt. Eccleſias; & ſimul vniuerſi ordines, et ſtatus Reipublicæ poſſent intelligi. A torcularibus oleum puriſsimum, & de fœcatũ proſilit, ſimul & amurca, & fœx; & licet fœx contemnatur, reijciatur; tamen à nullo torcular contemnitur propter fœcem, ſed magis amatur propter oleum. Nec à prudenti viro attendenda eſt ſolummodo fœx, quæ proſluit, & patet tranſeuntibus, ſed magis quærendũ eſt oleum, quod aſſeruatur in cællis. Ex quo monebat Auguſt. in rem præſentem:

Auguſt. *Aliquãto eſto curioſior in torculari, noli hoc ſolũ videre, quod publice fluit, eſt aliquid, quod quærendo inuenias.* Publice fluit fœx à torculari per calles, per plateas, intrinſecus oleũ aſſeruatur. Noli ſolum videre fœces, ſtultum enim erit, ſi ex ſola viſa fœce torcularia damnes; ſed ſimul oleum ſpecta, vt in de torcularia æſtimes. Sic in omni ſtatu, in omni ordine, non ſolũ videndi praui ſunt, ſed ad præſtantiſsimos aſpiciendũ tibi eſt, ſi amas prudenter te gerere. Quis enim ſapienter damnet ſtatũ matrimonij ob adulteros cõiuges, ob filios peruerſos? Quis ſacros ordines, aut prælaturas, aut regna cõdemnet eo, quod praui inueniãtur in thronis? Sunt ij fœces ſtatuum; attendendi ſunt præſtantiſsimi, qui honore cumulant ſedes. Et nunquam non male olet damnatio ſtatus, aut ordinis propter malos ibi agentes. Heli filij prælidebant populo Iudæorum, & ſimiliter poſt hos prælidebant filij Samuelis; vtrique peſsimi erant in prælatura ſua, & abijciẽdi. Heli autem, vt audiuit ex Deo per prophetam, quod filij ſui abijciẽdi erant de munere & alius iudex, & ſacerdos conſtituendi, ait 1. Reg. 3. *Dominus eſt;* 1. *Reg.* 3. *quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* At de Samuele dicit textus ibi, cap. 8. *Congregati ergo maiores natu Iſrael venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis regem, vt iudicet nos ſicut vniuerſæ habent nationes. Diſplicuitque ſermo in oculis Samuelis, &c.* Compone modo Samuelem, & Heli, vterq; filios paruos habebat, qui iudicabãt Iſraelẽ. Vtrique fit ſermo de abijciendis eius filijs à ſede, & alijs ſuſtituendis; Heli autẽ nullam oſtẽdit diſplicentiã, ſed Dei ſententiæ humiliter ſubſcribit; verum Samuel cũ diſplicentia audit ſententiam de tollendis filijs. Et cur Samuel magis ſibi diſpliceret in eiectione filiorũ prauorum? An quia ambiebat magis principatũ etiã in prauis filijs, & dolebat, quod ad alios transferretur? Abſit, ſed quia cũ filijs totus Reipublicæ ſtatus tollebatur; in filijs enim Heli eadem Iſraelitarũ Reſpublica manebat, tantummodo mali iudices tollebãtur, & inſtituebantur noui alij boni ſimiles. In Samuelis autem filijs totus mutabatur ſtatus, & ablatis iudicibus, regnũ petebatur; & hoc erat ſtultũ, & ſapienti homini indignum. Ait Carthuſ. ibi: *Diſplicuit ergo illa petitio Samuelis non ex ambitione, ſed ex æquitate, & amore ad bonum commune, quia ſciebat populo potius expedire, quod regeretur per iudices.* Sapiens nõ dolebat, quod filij abijcerentur à ſede iudicum, ſed quod cum filijs etiã ſtatus iudicum aboleretur, qui erat populo conuenientiſsimus, & regnũ ſuccederet damnoſum Iſraelitis. Stultũ faciebant, & ingratum populo, qui abijcientes iudices prauos, non alios iudices ſimiles, & bonos introducebãt, vt ſic perirent mali, non periret ſtatus Reipublicæ.

Carthuſ.

§. VII.

Optimo subesse fœlicius est, quã imperare.

HOc etiam in Abnere laudandũ, quod cum tantus esset apud milites cogitet de transferendo regno ad Dauidem, nõ de præripiendo eo sibi. Ait enim: *Quomodo iurauit Dominus Dauidi, sic faciam cum eo, vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid:* Et cur maximũ ducem, & potentissimum apud exercitum non subit ambitio præripiendi sibi regnum? Erat Dauid cantatissimus, & humanissimus princeps, qui regnaturus erat; sub tãtoque principe esse fœlicius poterat duci, quam imperium accipere. Plinius suum Trajanum dum extollit, inquit in eius Paneg. *O nouum, atque inauditum ad principatum iter! Nõ te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor Principem fecit. Videaris licet, quod est amplissimum consecutus inter homines, felicius tamen erat illud, quod reliquisti. Sub bono principe priuatus esse desijsti.* Expende ab illis: *Felicius tamen erat illud, &c.* & merito vir sapiens putat fœlicius, quod quis viuat sub bono principe, quam quod ipse imperet. Hinc Psal. 101. ad regum fœlicitatem monebat: *Et reges, vt seruiant Domino.* Cur non magis dicitur regibus, vt imperent, vt ab omni seruitio sint liberi? Crede mihi, quando illis imperatur, vt Domino seruiant, nihil adeò illis optatur fœlix, quam si Dei optimi, & maximi sint subditi. Quo spectans Recessiunthus Rex in Concil. Tolet. 8. ait: *Flauius Recessuinthus Rex reuerendissimis patribus in hac sacra synodo residentibus. Sancti Spiritus admirabili dono regulam fidei meæ solidam tenens, & instructam agnoscens, atque in honorem eius diadema gloriæ cum cordis humilitate prosternens, illo lætus auditu, quod omnes reges terræ seruiunt Deo, &c.* Expende ab illis: *Illo lætus auditu, quod omnes reges terræ seruiunt Deo;* lætatur sapiens princeps tanquam ex re fœliciſsima, non quod regum sit imperare, & triũphare; sed quod illorum sit Deo seruire. Tanta felicitas est, quod quis viuat sub bono principe, vt huic fœlicitati debeat cedere imperium mundi.

Psal. 101

Conc. Tol. 8.

§. VIII.

Conuersio magni peccatoris vtiliſsima est ad trahendos alios.

ALtiora etiam in hac litera petamus ex Abnere, qui iratus in Isboseth, & conuersus ad Dauidem, illi promittit adducere totũ Israelem. Ait enim: *Quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo, vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid super Israel, & super Iudam, à Dan vsque ad Berſabeth.* Sic Abner in redditu suo putat reddituros omnes Israelitas ad Dauidem; in quo apparet, quã vtilis sit redditus peccatoris ad Deum; raro enim magnus peccator conuersus non secum multos alios defert. Apocal. 3. Episcopus Laodiceæ maxime accusatur à Deo, & dicitur *miser, miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*: quibus plane ostenditur, quam nequam in munere fuerit. Suadetur tamen, vt agat pœnitentiam, & conuertatur ad Deum; cuius conuersionis illud assignatur præmium. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Nullus adeò nequam ostenditur, vt iste; & nulli conuerso tantum præmium offertur. Cur domine quem vomendum asseris, quem miserum vocas, & cæcum, & nudum, sic, si conuertatur, super omnes eleuas in præmio, vt illi soli tuum ipsum thronum promittas, & sedem? Cur maiori promissione allicis, quem scis peiorem omnibus esse? Peior omnibus erat, sed si ad Deum conuerteretur, quo peior, eò vtilior ad alios mouendos, & secum trahendos credebatur, ne miremur, si talis maiori alliciatur præmio. Ait ibi Victorinus Pitabionens. *Quoniam si huiusmodi homines de magno excidio, ad magnam redeant pœnitentiam, non solum sibi vtiles, sed multis prodesse possunt, non mediocrem eis mercedem promisit, idest, sedem in solio iudicis.* Non equidem miror, quod magni peccatores multis trahant ad à Deo, quando in eorum conuersione plures etiam alij trahuntur ad Dominum. Non enim soli veniunt magni peccatores, sed secum afferunt alios, quibus facti sunt causa salutis. De se fatetur Paul. 1. ad Timoth. 1. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus::: Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo*

Apoc. 3.

Vict. Pit.

1. Ad Timoth. 1.

ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Expende ad quid fiat tanti peccatoris conuersio, nimirum, *ad informationem eorum, &c.* pro alijs adducēdis Paulus conuertitur, vt merito de illo dicat D. Greg. PP. lib. 4. in 1. Reg. cap. 10. *Qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conuersus caput effectus est nationum.* Non solus fuit cum Christo, sed nationibus causa salutis extitit. Sic magnus peccator cōuersus alijs prodesse solet. Nota est historia Ionathæ, 1. Reg. 4. vt cum armigerō solus ausus est irrumpere Philisthinorum stationem, ei debantur aiuuene plurimi; passim, quid tunc? Ait textus: *Sed & omnis populus stationis eorum: obstupuit.* Ecce tibi, vt cœpit Ionatha percutere castra, omnis hostium populus mirabundus stupet. Quod meditatus D. Gregor. supra lib. 5. ex cap. 14. ait: *Quid est ergo, quod Philisthin admirantur, nisi quia aliquando conuersionem peccatorum alij peccatores obstupescētes aspiciunt, & dum bonitatem Dei in illorum visitatione intelligunt, ad simile conuersionis propositum accenduntur?* Rapiunt equidem magni peccatores conuersi alios plurimos, quos Deo sistunt.

D. Greg.

1. Reg. 4.

D. Greg.

2. *Reg.* 3. Misit ergo Abner nuntios ad Dauid pro se dicētes, Cuius est terra? Et vt loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israel. Qui ait: Optime; ego faciam tecum amicitias, sed vnam rem peto à te dicens; Non videbis faciem meā, antequam adduxeris Michol filiam Saul, & sic veniens, & videbis me.

§. IX.

Ira nescit moras in executione.

NOn distulit Abner, quod iratus iurauerat, sed dicto citius, vt ab Isboseth discesset, ad Dauidem misit. Sic ibi: *Misit ergo Abner nuntios ad Dauidem, &c.* Ea est iræ conditio, quæ nescit moras in executione propositi sui. Psalm. 7. clamat: *Exurge domine in ira tua*; vbi Aquila transfert: *In celeritate tua*: & merito celeritas ponitur pro ira, quæ in negotio omnes moras abrumpit. Ex quo D. Gregor. PP. opi. 126. ex lib. 7. Registri, habita 3. tom. Concilior ait: *Curandum quoque est, ne ira subrepat, ne fiat eius omne, quodlibet.* Tollat iram, qui nimis festinatas actiones amat fugere; in ira enim nil non præproperum inuenitur. Quam duabus similitudinibus sapienter explicat Aristotel. lib. 7. Ethicor. cap. 6. inquiens: *Ira aliqua ex parte, sed non perfectè rationē audire videtur, perinde ac veloces ministri, qui quidem antequam totum id audierint, quod dicitur, excurrunt proinde in agendo oberrant. Canes etiam antequam considerint, si sit amicus, si tantum pulsauerint ostium, latrant: sic & ira propter caliditatem, celeritatemque naturæ, audita quidem ratione, non præcepto audito ad ipsam properat vltionem.* Quid pulchrius? Sanè sunt ministri nimis festini, qui necdum integre percepto Domini mandato aduolant in executionem illius, quo totum errant. Et canes ad primam ostij pulsationem, statim latrantes excurrunt, antequam percipiant, domesticus ne, an extraneus sit, qui pulsat. Ijs non absimilis est ira in celeritate sua.

D. Greg.

Psalm. 7.

Aristot. 7.

§. X.

Maria Virgo efficacissima, vt omnes homines asserat Christo.

CVm de reductione omnium Israelitarū ad se audit Dauid, nil prius amat, quā reductionem Michol primævæ sponsæ. Dicit namque: *Optime: ego faciam tecum amicitias, sed vnam rem peto à te dicens: Non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol filiam Saul, &c.* Et merito dum de reducendo ad se totum Israelis regnum agit Dauid, primum satagit, vt regia puella Michol restituatur sibi, nunquam enim non regales nuptiæ valent ad regna comparanda. Quod obijciebat Salomon Adoniæ, 3. Reg. 2. petenti Abisag Sunamitem in vxorem; inde namque credebatur velle sibi totum regnum præripere. Multum equidem ponderis affert regia puella, vt totum regnum deferat viro suo. Quis hoc non videat in regalissima puella Maria Virgine? ex quo enim hanc sibi acquisiuit Dei filius, ad se vidit vni-

3. Reg. 2.

uersa rebellium regna venire. Accipe D. Damascenum orat. 1. de dormitione Mariæ fantem: *Atque ita mediator Dei, & hominum factus inimicitiam substuliſti, eosque qui à patre mo defecerant, ad eum adduxiſti: quod à via deflexerat, in viam reuocaſti; quod corruptioni obnoxium erat, ad ſtatum corruptionis expertem traduxiſti:: denique eum, qui ita multatus fuerat, vt in terram reuerti, atque inferæ incolere neceſſum erat, in ſolio regio in te ipſo collocaſti. Quiſnam igitur immenſorum bonorum horum officina extitit? An nõ perpetua illa virgo, quæ te in lucem edidit.* Ecce tibi, vt in Maria, & per Mariã, vniuerſi rebelles reducuntur ad Deum, & Regnum Chriſti inſtauratur. O Chriſte Rex hominum, & Angelorum, qualem officinam in Maria iuueniſti, vt rebelles reduceres, & fugientes reuocares, & Regnum Chriſtianum conflares! Aiebat Habacuc, cap. 1. *Et facies hominum, quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem. Totum in hamo ſubleuauit; traxit illud in ſagena ſua, & congreganit in rete ſuũ. Super hoc lætabitur, &c.* Expende illud: *Totum in hamo ſubleuauit*: erãt equidem homines quaſi piſces maris, libere vagantes, iugum Domini fugientes. Tunc Deus miſit hamum, nimirum diuiniſsimum filium ſuum in mundum: & totum in hamo leuauit. Et quãdo hamus ſine eſca nihil prendit, quæ vtique eſca appoſita fuit huic hamo, vt ſic homines raperet? Ait D. Epiphan. ſerm. de Aſſump. Mariæ: *Aue gratia plena. Hami eſca ſpiritualis, inteſiquidem hamus diuinitas.* Itaque diuinitatis hamo appoſita fuit Maria, vt eſca, quę omnes in eſcauit, & totum ad Deum traxit. Quis adeò exlex à Maria inæſcatus non tractus eſt ad Deum? Audio Cant. 1. *Si ignoraſte, ò Pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos, &c.* Expẽde quos committat Mariæ paſcendos, nimirũ, *hædos tuos*; Ioan. 21. dicebat Petro: *Paſce agnos meos*, & iterum ait; *Paſce oues meas.* Oues, & agni Ieſu committuntur Petro; at Mariæ non agni, nec oues Ieſu, ſed hædi, qui lõgiſsime ſunt à Ieſu regno. Cur ergo non Petro, ſed Mariæ cõmittuntur hædi à regno Ieſu alieni, niſi quia per vnam Mariam poſſunt, vel alieniſsimi ad regnũ Chriſti conuerti? Ait Guilliel. Abb. apud Delrium: *Pia matris hædos vocat, non quos ipſa fecit, vel vult eſſe hædos, qui ſtatuantur ad ſiniſtrã, ſed quos magis, magiſque conuertit in oues; ponendos ad dexterã.* Itaque ipſiſsimi hædi à regno Chriſti alieni, & æterno igni deputati, vbi Mariæ ſunt, ab illaque paſcuntur, conuertuntur in oues, & agnos, qui in regno Chriſti ad dexterã ſedeant. Et quid non faciat Maria, quando facit agnos de hædis? Dicebat ipſa, Cant. 1. *Poſuerũt me cuſtodem in vineis.* Cum audio vineas, non poſſum intelligere regnum Dei, quod in ſola vinea, non in vineis conſiſtit: dicente Matth. 21. *Homo quidam plantauit vineam*: extra quam vineam à Deo plantatam, nullæ aliæ ſunt vineæ, ſed deſerta omnia, & ſterilia. Quomodo ergo vineas vocat, quę potius ad deſertum pertinent? Ait ibi Rupert. *Poſuerũt me cuſtodem in vineis, ideſt, in gentibus, quæ nõ quidem erant, ſed ex mea cuſtodia facta ſunt vineæ Domini.* Fœlix anima, quæ ſub Mariæ cuſtodia eſt, deſerta ſit, licet, & ſterilis, ſpiniſque plena, in vineam Domini tranſibit!

D. Dam.

Habac. 1

D. Epiph.

Cant. 1.

Ioann. 21

Gui. Ab.

Cant. 1.

Matt. 21

Rupert.

§. XI.

Vna Maria Deo ſufficit pro omnibus Angelis, & hominibus.

CRediderim Dauidi Micholem vnam pro omni regno Iſraelis fuiſſe; ab illo enim, qui totum regnum afferendum promittit, vnam in primis Micholem petit. Quippè ait: *Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol, &c.* Ecce tibi Abner venturus cũ toto Iſraele regno reijcitur, à Dauide, niſi cum Michole veniat. Erat ergo illi Michol pro toto regno? Nec miror, quod vna puella ſit Dauidi pro toto regno; quando & vna puella Maria pro toto Angelorum, & hominum regno eſt ſummo, & omnipotenti Deo. Rex regum proponitur iudicaturus, Dan. 7. & ſubditur: *Throni poſiti ſunt.* Tot throni, quod ſancti Regi ſæculorum apponebantur. Quid tũc Rex? De illo canit Eccleſia, quod conuerſus ad matrem dixerit: *Veni electa mea, ponã in te thronum meum.* Deus bone innumeri tibi throni appoſiti ſunt, & ſolum matris thronum putas eſſe tuum? Equidem in vna Maria totam regni ſui, & throni gloriæ latitudinem ſingulariter reputat Chriſtus. Adhæc Guarricus Abbas ſerm. 1. de Aſſump. ait: *Sit igitur illud cœli palatium plenum ſedibus, & thronis, ſedeatque Deus in omnibus accommodãſe, & aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, ſine iniuria, vel inuidia cæterarũ ſedium, quoddã eſſe ſpeciale regis ſolium excelſum, & elevatum ſuper gloriam omnium. Mariã dico exaltatam ſuper choros Angelorum, vt nihil contemple-*

Dan. 7.

Gua. Ab.

templetur supra se mater nisi filium solum, nihil miretur supra se regina, nisi regem solum. Et in vno hoc matris throno habere Dei filius creditur sufficientem fructum suorum
Ioann. 12 laborum. Quippè ait ipse, Ioann. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quibus Dei filius frumenti granum dicitur, quod passionis, mortisque laboribus mortificatum, & terræ amandatum, multum fructum attulit. Et qualis fuit fructus dignus tãti grani? D. Damasc. orat. 1. de Mariæ nat. ait:
D. Dam. *O præclarã Annæ vulvam in qua tacitis incrementis ex ea auctus, atque perfectus fuit fœtus sanctissimus! O beatũ ventrem, qui vivum cœlum cœlis ipsis latius peperit! O beatã aream, quæ vinifici frumenti segetem tulit, quemadmodum Christus prænuntiauit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c.* Expende illa: *vinifici frumenti segetem tulit, &c.* quasi in Maria non spica sola à diuino grano pullulãs, sed tota, & integra eius seges inueniatur. Equidem diuinissimum granum habens Mariã, segetem promit sufficienter suis laboribus respondentem. Quid non sterile est Deo in comparatione Mariæ? In Maria ad plenam segetem exurgit granum diuinissimũ. Fuit
1. Reg. 1. mulier, 1. Reg. 1. de qua dicit, *Et Anna non erant fily*, sterilis erat Anna Samuelis mater, vt adũbraret sterilitatẽ alterius Annæ matris Mariæ. Et quo mysterio Anna sterilis erat? Quando Anna gratiam significat, non immerito dicitur gratia sterilis vsque ad ortum Mariæ, in qua habet plenam sui segetem fructus. D. Damascen. orat. 1.
D. Dam. de dormition. Mariæ ait: *Sterilis vere gratia erat, vt quæ in hominum animis fructũ edere non posset. Postea bonus Deus manus suæ figmentum cõspicatus, ac miseratus, illudque saluti asserere volens, gratiæ, hoc est, piæ Annæ sterilitatem depellit, filiãque parit, qualis nec antea fuit, nec post futura est. Sterilitatis depulsio apertissime hoc indicabat, fore, vt bonorum sterilitas, qua mundus laborabat, depelleretur, arcanaque beatitudinis seges produceretur. Hinc Dei genetrix prodit.* Ecce tibi quando in alijs omnibus gratia sterilis videbatur, vbi Maria apparuit, in vna illa quasi integram sui laboris segetem Dominus habuit. Vna enim Maria est Deo pro omnibus alijs. Huc trahe dicta Tom. 4. in Euang. lib. 18. cap. 3. §. 6.

§. XII.

Maria Virgo in nullo alijs posterior, sed in omnibus fert primas.

REgnum Dauidi restituendum promittit Abner, Dauid autẽ prius sibi spõsam restitui mandat aiens: *Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol, &c.* Et cur tanta Dauidis festinatio in recuperanda Michole? Quando illi totum Israelis regnum deferebatur, cur non magis expectat clavum regni accipere, & tũc ipse pro potestate Micholem accipit? Plane debebatur hoc Micholis gratijs, ne ipsa in vltimis veniret, sed in Dauidis triũpho ipsa primatum caperet. In quo maxime Mariam adumbrabat, quæ in nullo sciuit posterior esse alijs. Hinc est, quod Ioachimus, & Anna Mariæ parentes longo cõiugij spatio steriles fuerunt, nequis filius Mariæ primas raperet. Ait enim D. Damasc.
orat. 1. de Mariæ nat. *Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est: verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucẽ edi, qua rerum omnium primogenitum paritura erat.* Equidem oportebat, ne Maria in vltimis esset, sed in omnibus ferret primas. Habes Iudic. 13. vt Angelus Domini apparuit Samsonis matri, & dixit illi: *Sterilis es, & absque liberis: sed concipies, & paries filium, &c.* Sed & simile, quid audio contigisse parentibus Mariæ; quibus Angelus apparuit, & abolitionem sterilitatis nuntiauit, & Mariam nuntiauit concipiendã. Et cur Mariæ parentibus tantæ filiæ conceptionem annuntiat? Ait D. Damascen.
orat. 1. de dormit. Mariæ *Angelus quippè conceptionem parentibus nuntiat. Conueniebat enim, vt hinc quoque nulli ea cederet, ac posteriores partes ferret, qua solum, ac vere perfectum Deum i-ixta carnem paritura erat.* Vt Isaaci, & Samsonis conceptiones ab Angelo prænuntiatæ fuerunt, sic Mariæ ortus prænuntiatur ab Angelo, ne illa in diuinis gratijs videretur inferior, nec posteriores, sed primas partes ferret. Vt merito dicat ipsa Ecclesiastici, 24. *In omni gente primatum habui.* Quidquid enim primum est, in Maria est inueniendum. Quo respiciens D. Damasc. orat. 3. de Mariæ natiuit. ait:
Iud. 13. D. Dam. Eccl. 24. D. Dam. *Merito proinde vir diuinus Ioachim, & Anna ipsius*

ipsius vxor diuinâ prouidentia vocati precationis fructum perceperunt, hanc, inquam, naturæ reginam, & nostræ massæ primitias Mariam, &c. Expende illud: *Nostræ massæ primitias*; quippè, quod fuit nostræ massæ primum in Adamo inueterauit, nihilque inde apparuit, quod vetus fermentum non redoleret. Et quando totum genus humanũ ab Adamo veteri veteresceba, in sola Maria nostræ massæ primitiæ refulgebant, vt in qua omnia prima erant. Nota est, & satis decantata historia, Genes. 18. quando in trium peregrinorum specie Dominus ad tabernaculum Abrahæ accesit. Excepit ergo Deum Abraham in tabernaculo suo,
Genes. 18 festinauitque ad Saram, dixitque ei: *Accelera tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes.* Et mirabar, quod Deus venies ad domum Abrahæ parari sibi permiserit non alios panes, quam subcineritios. Cur Deus bone, qui aliquando in domo Pharisæorum sessurus eras manducare panem perfectum, Luc. 14. in domo Abrahæ non panem perfectum, sed succineritium panem requiris? Succinericius panis hoc habet, vt sit massæ primus; qui enim moras coquendorum panum non expectat, panem facit succinericium, vt prius manducet. Deus ergo in solo Abrahæ tabernaculo succinericium panem requirit, ostendens quod in sola Abrahami familia, in eius nẽpe filia Maria reperiantur humanæ massæ primitiæ, vt quæ sola habeat omnia prima. Accipite D. Damascenum orat. 1. de dormitione Mariæ fantem cum illa: Tabernaculum quidem Abrahæ te apertissime in-
D. Dam. dicabat. *Etenim Verbo Diuino, in ventre tuo tanquam in tabernaculo habitanti, humana natura subcineritium panem, hoc est, sui primitias ex purissimis tuis sanguinibus obtulit, & c.* Quid pulchrius? Nullibi enim nostra massa, nisi in Maria sui primitias Deo exhibere posset, quando cæteris vetustate attritis, in sola Maria seruantur omnia prima in splendore, & nouitate sua. Cuius causa forsam, Matth. cap. 1. generationem Iesu texens à Abrahamo, illam deduxit vsque ad Ioseph, & non ad Mariam, ne cogeretur ponere Mariam in vltimis, sed illã quasi
Matth. 1. innouata serie poneret primam aiẽs: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* Ecce tibi, qui ab Abrahamo processerat, per hoc, quod hic genuit hunc, & iste illum; vbi accedendum erat ad Mariam, modum immutat, & nouiter incipit dicẽs, *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*; vt in Maria seruentur omnia prima.

§. XIII.

Operosus in parvis fidem sibi ad magna conciliat.

ANte promissam Israelitici regni restitutionem petitur Michol restitutio, dum ait: *Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol, &c.* Et merito à promittente totum Israeliticum regnum adducendum, vnius fœminæ petitur adductio in primis. Non enim crederetur totũ Israelem adducturus, si vnam fœminam prius non valeret adducere. Parua siquidem facinora ad maiora solent firmare fidem. Hinc Ioan. 1. Dominus nuptijs præsens aquam conuertit in præstantissimum vinum, dicit namque: *Gustauit Architriclinus aquam vinum factã, &c.* Et cur in aquã cæpit Iesus hanc mutationem facere? Immutaturus venerat corruptibiles homines in incorruptos, & immortales, cuius immutationis præstantissimæ fidem adstruere cupiens præmisit hanc immutationem aquæ. Ait D. Amb. serm. 2. de Epiphan. *Ergo cum ex illa vili aqua vini optimi saporem voluit gustare conuiuas, magis voluit ex hac vili carne resurrectionis cœlestis sapientiam gustare credentes.* Hoc proprium est magnorũ animorum, vt in paruis fidem maiorum operũ faciãt. Neć vllus debet credi facturus magna in munere, cuius nec minima vnquam gustauit. Ideò Dominus, Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus: Hic est panis, &c.* Noluit nobis suam carnem, & sanguinem dare nisi sub speciebus panis, & vini. Et cur non nisi sub speciebus panis? Quia panis quotidianus nobis à Deo datus fidem facit suauissimo cõuiuio diuini corporis, & sanguinis dando. Iuxta quæ dicebat D. Gaudent. serm. 2. de Exodo: *Ipse igitur naturarum creator, & Dominus, qui produxit de terra panem, de pane rursus efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum.* Ecce tibi, vt de paruis ijs productionibus quotidianis panis, & vini, fidẽ adstruit ad magna, quibus diuinissimum corpus datur. Vix enim crederetur corpus suum ex pane dandum ab eo, qui nunquam sciuit, vel micam exhibere quotidiani panis. Sic Angelus virginei cõceptus fidem firmans aiebat, Luc. 1. *Ecce Elisabeth cognata tua, quæ vocatur sterilis, & ipsa concepit, &c.* Ostenditur sterilis concepisse, vt virgo etiam cõceptura credatur. Quod notans D. Damas.

D. Amb.

Ioann. 1.

Ioann. 6.

D. Gaud.

Luc. 1.

orat.

orat. 1. de Mariæ natiuit. reddens rationẽ, cur etiam Maria ab ſterili gignatur, ait:

D. Dam. *Quid autem eſt, cur virgo mater ex ſterili orta ſit? Quoniam ſcilicet oportebat, vt ad id, quod ſolum ſub Sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula ſterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad ſublimiora progreſſus fuiſſet.* Sẽper debet fides de maioribus, in minoribus firmari. Nulla enim ratio perſuadebit magna facienda in munere ab eo, qui vel parua in eo feciſſe ignoratur. Quo adducenda dicta ſupra.

2. *Reg.* 3. Miſit autem Dauid nuntios ad Isboſeth filiũ Saul dicens: Redde vxorem meã Michol, quod deſpondi mihi centum præputijs Philiſthiin. Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam â viro ſuo Phalthiel filio Lais. Sequebatur eam vir ſuus plorans vſque Bahurim. Dixit ad eum Abner, vade; & reuertere. Qui reuerſus eſt.

§. XIIII.

Maria multorum ora, & linguas implet gloria ſua.

ABnere obligato ad Micholis reſtitutionem, non quieſcit Dauid, ſed inſuper ad Isboſethum ſcribit, eamdem poſtulans. Sic enim ait: *Miſit autem Dauid nuntios ad Isboſeth filium Saul dicens: Redde vxorem meam Michol, &c.* Et quãdo Abner potentiſsimus erat, vel totum regnum reſtituere Dauidi; cur non contentus eſt Dauid petijſſe Micholẽ ab Abnere; ſed inſuper illam petit ab Isboſeth? Cur ad regni totius acquiſitionem contentus eſt Abnere, nec alium requirit; & ad Micholis reſtitutionem præter Abnerem etiam Isboſethum ſolicitat? Ea erat Michol apud Dauidem, in cuius reditu, & triũpho vellet occupari quam plurimos. Non aliter Deus egit in Maria, cuius glorias, & triumphos non ab vno, ſed à plurimis celebrari cupiat, vt quæ plurimorum ora, & linguas

Iſai. 7. impleant. Dicebat Iſaias, cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emanuel, &c.* Multa equidem fuerunt mirabilia in conceptione, & partu Mariæ, locus ipſe partus mirabilis fuit; cur ergo, ò Propheta non explicas omnia mirabilia partus Virginei? Cur de Virginis partu loqueris, eius autem aut locum, aut tempus non vis exprimere? Equidem ea erat Virgo Maria, quæ non ab vno, ſed à multis celebranda erat, & decantanda. Ait ibi Heſychius hom. 2. de Aſſump. *Ecce virgo in vtero concipiet, vnde nam, ò Propheta? Non dico, ait, hoc enim reſeruatũ eſt Gabrieli. Permulti diſtincte declarare nituntur miracula Virginis, pleraque tamen eorum prætermiſſa ſunt. Caterum ego de partu ſemper Virginis fidem facio, Michaas de regione, & loco, in quo miraculum peractum eſt. Dauid de tempore. Gabriel igitur dicturus eſt vnde.* Sic Gabriel, Iſaias, Michæas, Dauid, & plurimi alij conueniunt in Maria extollenda, & celebranda: eius namque gloria non vni, ſed plurimis commẽdatur. Cant. 7. dicit: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Et mirabar, quod quando Dominus Mariæ oculos piſcinæ comparat, non magis meminit cantatiſsimæ piſcinæ Bethſaidæ, in quam deſcendebat Angelus, & aquas mouebat, & vnum ſanabat, Ioan. 5. Cur adeò ſalutarẽ piſcinã obliuiſcens, & prætermittens Dominus, magis meminit piſcinæ Heſebon ad Mariæ gloriam celebrandã? Ipſe textus iudicat cauſam, dum de piſcina Heſebon ait: *Sunt in porta filiæ multitudinis*; in Bethſaida vnus Angelus mouebat aquas, ideò hæc piſcina tollitur à celebratione Mariæ, quæ nõ vni, ſed multis debuit commendari. Iuxta quæ dicit D. Damaſcen. orat. 1. de Mariæ natiuit. *Olim quidem Prouatica quotannis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, atque vnum dum taxat valetudini reſtituentem, nũc autem cœleſtium virtutum copioſiſsimũ agmen habens, Dei genitricem nobiſcum laudãtium, illam, inquam, miraculorum obyſſum, illum vniuerſo orbi medicinam afferentem fontem, &c.* Expende illa: *Nunc cœleſtium virtutũ copioſiſsimum agmen habens Dei genitricem nobiſcum laudantium*: non equidem vni, ſed omnibus Angelis, & hominibus & ipſi Deo committitur Mariæ prædicatio.

Heſyc. 2.

Cant. 7.

Ioann. 5.

D. Dam.

§. XV.

Poſt Mariam omnia creata decora velut ſtercora ſorduerunt Deo.

AB Isboſetho petit Dauid ſibi Micholem reſtitui, quando ait textus: *Miſit autem*

autem Dauid nuntios ad Isboseth filium Saul dicens: Redde mihi vxorem Michol, &c. Qui paulò ante eã ab Abnere petierat; cur statim eamdem ab Isbosetho petit? Erat Isboseth Rex, & inde ductione tantæ vxoris ambiebat Dauid apparatus, & honores regios, ideòque illam ab Isbosetho petit. Pro Micholis deiectio! Non equidem amatur â Dauide nisi cũ regio apparatu veniat. Quã superior est Maria Dei mater; hanc enim postquam habuit Rex regum, & Dominus dominantium Iesus nihili æstimat omnia creata decora, & sunt illi sublimia mundi instar stercoris. Quis nesciat curam Dei in ædificãdo templo, cui ipse adstiturus erat? De preciosissimis lignis omnia faciebat, & tabernaculi parietes ex auro purissimo. Ait enim, 3. Reg 6. *Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis:: & operuit illud, atque vestiuit auro purissimo:: Domum quoque ante oraculum operuit auro, &c.* Sic preciosissimis mundi rebus ornabat loca, quibus se præsentem erat exhibiturus. At is qui loca suæ præsentiæ sic exornabat, tandem in mundum veniens stabulum intrat, & in præsepio brutorum se inclinat. Ait enim Lucas, cap. 1. *Peperit filium suum primogenitum, & reclinauit eum in præsepio.* Et cur, qui in templo preciosa queque amabat pro loco præsentiæ suæ, non refugit apparere inter immunditias stabuli, & præsepij? Plane ex quo Virginea Mariæ viscera intrauerat, omnia creata decora, ligna preciosa, aurum sic Deo viluerunt, sordueruãt ac fœtida stercora, & viles paleæ, adeò, vt non magis horreat esse in stercore, quã in auro. Ex quo sic Mariam alloquebatur Hesychius hom. 2. de Assumpt. *Verũ quia munda es à concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberum conseruasti: & Pater hospitatur apud te, & Spiritus Sanctus obumbrat, & assumpta carne vnigenitus ex tenascitur, eam ob rem, ne sis anxia, si parias in stabulo; ne hæsites, si videre facias in præsepio eum, qui sedet in dorso Cherubim, &c.* Expende illa: *eam ob rem ne sis anxia, si parias in stabulo, &c.* eo enim ipso, quod Deus Virgineis Mariæ visceribus incluſus fuerit, nihil cauendum, quod ex inde in stabulo pariatur, inter stercora, & non in lecto aureo; aurum namque, & omnia creata decora apud illum non plusquam stercora habent. Gustata enim Marianâ puritate, vix vllũ immunditiei humanæ gustum capit. Ex quo probo illud Architriclinij dictum, Ioann. 1. *Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cũ inebriati fuerint, id quod deterius est.* Ideò enim deterius vinum in posterum seruabatur, vt gustus primi vini optimi suauitate repletus, & quasi sopitus, deterioris asperitatem non detrectaret. Sic Deus Mariæ puritate gustata, *tanquam potens crapulatus à vino* iuxta Psal. manet, vt ad humanas cõnineat iniquitates. Hæc enim erat vox Mariæ Ecclesiastici, cap. 24. *Ego quasi trames aquæ immensæ, &c. Inebriabo partus mei fructum.* Sic Mariæ puritas afficit ventris sui fructũ Iesum, vt exinde quasi inebriatus vix deteriora hominum valeat sentire.

Luc. 1. 3. Reg. 6. Hesyc. 2. Ioann. 1. Eccl. 24.

§. XVI.

Maria nunquam ex hoste erepta.

PRimo Dauid petijt Micholem ab Abnere, & cum illam ab Abnere posset sperare, nilominus mittit ad Isboseth nuntios, qui dicerent: *Redde mihi vxorem Michol, &c.* Et cur non magis illã ab Abnere expectauit, sed maluit eamdem à rege postulare? Postulauit eam à rege honori Micholis cauens, ne alioquim vel inscio, vel renuente rege adducta, videretur magis ex hostico rapta, quam marito allata. Cauit ergo bonus Dauid in sponsa, ne quasi ex hostico rapta videretur; quod accuratius cauit Deus in matre. Non enim tãto Domino, aut mater, aut spõsa conueniret, quæ ex hostico rapta videretur. Proprium enim erat Dei matris ab hoste non teneri, sed honorari. Vt de illa dicat D. Damascen. orat. 1. de Mariæ natiuit. *Hanc fœminam hostium reges cum muneribus adorabunt.* Adorabunt equidem illam hostium reges, non tenebunt, ne ex hostico rapta, sed spõtaneè præstita videatur. Quo spectant illa, Cant. 7. *Quã pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Tres Patres legunt: *Filia sponte dantis.* Itaque Maria non serua ex hostico rapta venit, sed filia sponte data. Nunquam enim inter hostiles prædas potuit numerari, qui vnigeniti filij Dei extitit mater. Aiebat Amos, cap. 5. *Hæc dicit Dominus domui Israel, quærite me, & viuetis. Et nolite quærere in Bethel, & in Galgala nolite intrare, & in Bersabee non transibitis, quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.* Cũ tres ciuitates expresserit, nimirum Galgalam, Bethel, Bersabee; vbi ad captiuitatem venit, duas illarum nominat, tertiam nempe Bersabee prætermittit. Et cur recensita pœna

D. Dam. Cant. 7. Amos, 5.

duarum

duarum de Bersabee omnino tacuit? Ait D. Hieron. ibi: *Victis decem tribubus, vrbs nomine Bersabee nec capta, nec destructa est; est autem locus, in quo habitauit Abraham.* In communi ruina, & captiuitate omniũ tribuum, sola vrbs Bersabee dicta hostem nõ sustinuit, quia in illa habitauerat Abrahã. Et credam, quod Maria, in qua Deus habitauit, hostem sustinuerit? Absit, gloriosa enim dicta sunt de te ciuitas Dei Maria, nimirùm, quod nunquam inter hostiles prædas fuisti.

D. Hier.

§. XVII.

Quæ carò comparata sunt, non facile contemnuntur.

DIu Michol Dauid erepta, alteri marito hæserat; sed nec temporis longitudo, nec alienus torus occupatus ab illa, potuerũt Dauidi ingenerare obliuionem, aut cõtemptum, sed post hæc omnia, nihil magis curat, quam illam recipere. Et vnde Dauid tã pertinax Micholis amator? Ait text. *Misit autem Dauid nuntios ad Isboseth filium Saul dicens: Redde vxorem meam Michol, quam desponsi mihi centũ præputijs Philistiim.* Non gratis, sed multo puluere, & periculoso duello compararat Dauid Micholem, ne miremur, quod post tãta curet illam recipere. Dicebat enim sapienter D. Ennodius in Apolog. pro Sinodo; *Nunquam est sera correctio: scit diu expectare immodico labore quæsitos: nescit pro vilibus despicere magno precio cõparatos.* Crede mihi difficulter despicitur, qui carò emitur; & nunquam non multa dissimulas in his, pro quibus multum laborasti. Isaiæ cap. 43. *Verum tamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Expende consequentiam; prius enim dicebat, vt quasi coactus fuerit seruire in peccatis, & non parum laborem acceperit pro iniquitatibus; deinde addit: *Ego sum, qui deleo iniquitates, &c.* Quia laborioso seruire coactus es, deles iniquitates domine? Cur non magis inde iniquitates punis? Qui labor ille, aut quod seruitiũ fuit, quod te non in punitionem; sed in miserationem impellit? Ait Carthusian ibi: *Conuenienter exponitur de Christo incarnato, qui propter peccata populi sui seruilem formam assumpsit, & vsque ad mortem afflictus est.* Equidem, quãdo totus labor, & seruile Saluatoris munus eo, spectauerat, vt peccatores sibi compararet, non miror, quod tam carò emptos ad misericordiã expectaret. Quisquis enim rem carò emit, nescit illam à se abijcere. Ex quo lucem addo illis verbis, Apocal. 14. de non paruo enim sanctorum exercitu ait: *Hi sequuntur agnum, quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Et mirabar, quod Agnus, qui pro omnibus mortuus est, nullibi vellet esse sine his præcipue. Forte inueniatur Agnus sine alijs, at sine his nullibi inueniri poterit, hi namque secuntur illum, quocumque ierit. Sed cur maximè sine his non inuenitur Agnus? Ait textus: *Hi empti sunt ex hominibus*; hi nimirum peculiari precio, & non paruo acquisiti sunt ab Agno, ne miremur, quod præcipue nolit eos à se separari. Vide plura infra, cap. 26. §. 4.

Isai. 43.

Carthus.

Apoc. 14

§. XVIII.

Mali nunquam non dolent in aliorum profectibus.

IVssu Isbosethi Michol reddebatur Dauidi, quam redeuntem ad Dauidis Regiam sequebatur Phalthiel lugens, ait namque: *Sequebatur eã vir suus plorans vsq; Bahurim.* Vocatur vir suus iuxta erroneã existimationem, & violentã coactionem; aliquin iste nõ erat vir Micholis, sed adulter; id quod vel eius lachrymæ monstrant. Sequebatur enim eam plorans euntem ad regnum, & ad verum maritum, & sponsum adolescentiæ suæ. Nec venit nisi à malo; quod quis doleat in aliorum profectu. Dicebat Dominus, Ioann. 10. *Ego sum pastor bonus.* Cuius asserti euidentiam ex comparatione malorum comprobatam sic expẽdit D. Basil. Sel. orat. 26. *Ego, ait, sum pastor bonus. Non qui ouibus inuident Pharisæi, non qui collata in gregem beneficia sua ducunt supplicia: non qui liberationem à malis lugent, & ægritudines extinctas dolent. Mortuus surrexit, & Pharisæus luget: paralypsi enervatus sanatur, & scriba lamentantur. O gregis miserià altos pastores, qui gregis calamitatem delicias suas reputant!* Plane à bono venit in suorum proximorum profectibus lætari; à malo autem, quod videntes proximũ proficientem, fleant. Ioann. 20. Magdalena ad sepulchrum Domini veniens tota in lachrymas effundebatur, & maximè dolebat. Interea *vidit duos Angelos in albis, &c.* Nec admiratione vacat, quod Angelum læti-

Ioann. 10

Basil. Sel.

Ioann. 20

lætitiæ vestibus appareant coram fœmina maxime lachrymante, & dolēte. Sanè Angelorum erat dolere cum dolentibus, Sic
Isai.33. Isaias, cap. 33. *Angeli pacis amarè flebunt. Dissipatæ sunt viæ, &c.* vbi dissipatio, & dolor in homibus apparebat, Angeli flebant. Sed modo videntes fletum, & dolorē Magdalenæ non flent Angeli, sed lætis se ostē dunt. Imò, & de Domino Angelorum di-
Ioann. 11 citur, Ioann. 11. *Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorātes infremuit Spiritu:: & lachrymatus est.* Ibi visa Maria plorans plorare facit Dominū. Nunc autem nec Dominus, nec Angeli plorant, sed lætantur in lachrymis, & dolore eiusdem mulieris. Et cur, qui sic antea plorabant cum fœmina plorante, modo nō plorant? Boni erant, & vt in calamitate plorabant cum plorantibus, sic & in profectu gaudebāt. Maria flens Lazarum calamitatem patiebatur, quam & Angeli, & Dominus Angelorum deflerent. Cum autem deflebat Maria Dominum à sepulchro sublato, ille lachrymæ nō calamitatem indicabant, sed profectum, ideò illas nō fletu, sed gaudio & lætitia prosequebantur Angeli, & Angelorum Rex. Proquo ait D. Laurent. Lustinian. de Triumph. ago-
D. Laur. ne, cap. 24. *Quis Angelorum duorum istorum lætitiam explicet? Agnoscebant, qualis fuerat Maria, quam impudica corpore, quam plena dæmonibus. Super conuersione illius exultauerant, per amplius nunc. Nam in habitu, & moribus prorsus erat dissimilis. Talis profectò erat, & taliter immutata, vt de ipsa merito Angeli lætarentur. Lætabantur illi, lætabatur, & ipse, qui fecit eam.* Non erat bonorum Angelorum non lætari cum ea, quæ proficiebat in actibus suis, & ad Deum contendebat. Vt enim boni Angeli, & bonus Iesus in calamitate fratris dolentem lachrymis prosequebātur, sic proficientem, & redeūtem à praua conuersatione ad fœlicitatem viuēdi gaudio, & lætitia comitabantur eā.

§. XIX.

Ad notas occasiones peccati nullo prætextu reuertendum.

PLorans sequebatur Phalthiel Micholem. Quid tunc? *Dixit ad eum Abner, vade, & reuertere; &c.* Abner solus loquitur ad plorantem, & abire iubet. Et mirabar, quod nō magis Michol loquta fuisset ad illum, qui pro se tam acriter dolebat, & lachrymabatur. Noemi namque Ruth. 1. vbi ad patriam contendens vidit duas nurus suas in fletu, & eiulatu sequentes, illas ipsa allocuta iubet in sua redire. Sic habet text. *Quæ eleuata voce flere cæperunt, & dicere: Tecum pergemus ad populum tuum. Quibus illa respōdit: Reuertimini filiæ mi, &c.* *Ruth. 1.* Noemi sequentes nurus in fletu, & lachrymis alloquitur, & orat, vt reuertātur in sua. Michol autem Phalthieli sequenti, & ploranti nec verbum dicitur fecisse. Et cur & hæc non similiter alloquitur Phalathielem plorantē, & orat, vt redeat ad sua? In Phalathiele norat Michol adulterij occasiōnem; nunquam enim ille fuerat verus maritus, sed adulter, & ideò semel ab eius egressa conuictu nullo prætextu vult ad illum respicere, nec verbū facere illi. Quid sanctius? Sic faciendum est illi, qui amat viuere, vt nimirum ad notam peccati occasionem nullo velit prætextu redire. Petrus Matth. 4. *relictis retibus* secutus fuerat Ie- *Matth. 4.*
sum, & nilominus Ioannis, cap. 20. *Dicit* *Ioann. 20*
eis Simon Petrus; vado piscari: qui retia reliquerat, vt Christum sequeretur, non dubitat iterū illa resumere. Quod minime fecit Matthæus in munere suo; sed semel telonio relicto nunquam creditur ad illud redijsse. Et cur Matthæus cauet redire ad telonium, quando Petrus ad retia rediuit? Non in retibus, sed in telonio occasio peccati fuerat, & ideò ab hoc quantotius cauere nititur. Ait D. Gregor. PP. hom. 24. in
Euang. *Post conuersionem suam ad piscatio-* *D. Greg.*
nem Petrus redyt: Matthæus verò ad telonij negotium non resedit. Quæ ergo ad peccatum implicant, adhæc necesse est, vt post conuersionem animus non recurrat. Sic fugiendæ sunt pristini peccati occasiones, vt ad illas nullo prætextu recurrendum sit. Quis enim semel liber mali, vel vmbra non metuat? Ioannis, cap. 11. vocante Iesu Lazarum;
statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pe- *Ioann. 11*
des, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Viuus surrexit à tumulo, sed secum ferens sepulchralia linteamina. Non sic in resurrectione dominica, ibi enim accedens Petrus ad sepulchrum, Ioann. 20.
Vidit linteamina posita, & sudarium; &c. Nō *Ioann. 20*
solum reliquerat sepulchrum Iesus, sed & linteamina. Et quando Lazarus exiens à sepulchro secum ferebat linteamina; cur Iesus similiter non secum ea tulit? Lazarus exit à sepulchro non prorsus liber ab illo, & ideò exijt cum linteis; Iesus autem prorsus à sepulchro liber exit, & ideò non solum linquit sepulchrum, sed & linteami-

na, &

na, & quidquid ad ſepulchrum conducit. Ait Andræas Creten. in Aſſumpt. Mariæ, cuius in ſepulchro etiam fuerant linteamina relicta. *Quomodo non ſunt in ea veſtes in quibus eſt ſepulta niſi effugiſſet interitum?* Ex quo mortem effugit, nec mortis vmbram non fugit. Difficile nãque in mali, vel vmbra quis ſeruari poſſet ab eo. Vt rem mi-
Ioann. 8. ram dicebat Ieſus, Ioann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quamtula hæc commendatio in Deo? Sanè ſoli Deo non eſt magna commendatio, at Deo venienti in ſimilitudinẽ carnis peccati, & ibi ſine peccato agenti non paruam inde commendationem credam. Ait enim D. Hieron. de
D. Hier. vera circumciſ. *Quid ergo mirabor in Deo, niſi quod cum homo eſſe dignatus ſit, in homine, quod Deus eſſet, aperuit? Non quod ipſe deſtitit eſſe, quod fuerat, ſed quod carnem fecit eſſe, quod Deus eſt: quod in excuſationem materiæ vitioſæ, manſit ipſe ſine excuſatione, quod dum pro nobis peccatum fallus eſt, peccator eſſe non potuit.* In hoc oſtendebatur Deus, quod interipſas vmbras, & ſimilitudines carnis peccati, à peccato liber extitit. Adeò efficax eſt vmbra mali ad fœdandum eum, qui non ſit Deus. De quo plurima ſunt à nobis dicta. Vide tom. 1. in Euang. lib. 2. cap. 10. §. 12. & lib. 4. cap. 2. §. 9. & lib. 4. cap. 3. §. 25. Tom. 3. de Ieſu Figur. lib. 7. cap. 11. §. 14.

2. *Reg.* 3. Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael dicens: Tam heri, quàm nudius tertius quærebatis Dauid, vt regnaret ſuper vos. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus eſt ad Dauidem dicens: In manu ſerui mei Dauid ſaluabo populũ meum de manu Philiſthiim, & omnium inimicorum eius. Locutus eſt autem Abner etiam ad Beniamin.

§. XX.

Regni gloria obliuionem facit infimorum, etiam cognatorum. Vbi de cœleſtis regni meditatione.

NOn miror, quod Abner loquatur cum decẽ tribubus de trãsferendo regno ad Dauidẽ; illud mirandũ, quod de eadẽ re loquatur ad Beniaminitas, qui cognati, & contribules erant Isboſeth. Notat enim textus: *Locutus eſt autẽ Abner etiã ad Beniamin.* Et cur in regni trãslatione à domo Saulis ad Dauidẽ, nõ magis cauet Abner Beniaminitas, qui cõtribules erant Saulis? Cur illis credit depoſitionẽ cognati ſui, & aſſumptionẽ Dauidis? Nonne Beniaminitæ maiora poſſent ſperare à rege cognato, quã ab alio? Mimimè; in re enim regni nihili priuata cognatio æſtimatur; cũ enim regni gloria animũ regnantis implet, nihil prius facit, quã obliuionẽ cognationis infimæ, & omniũ, quæ priuatorũ ſunt. Hinc
Pſalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuã: & obliuiſcere populũ tuum, & domum patris tui. Et concupiſcet Rex decorem tuum.* Magnum, & difficile, & contra naturã ipſam petitur, nimirum, vt patria, & cognatio, & ipſiſſima paterna domus contemnatur, & obliuioni tradatur. A quo tã arduũ, & difficile peti poteſt? Quis eſt, qui ſic duretur ad ſuos, vt nec cognatos, nec patres meminerit? Talis profectò eſt, qui ad regnũ aſcẽdit; vt merito dicat Chryſipp. Ieroſol. hom. de Deipara: *Obliuiſcere populũ tuũ, & domũ patris tui. Ne poſthac attendas animum huic inferiori cognationi, quoniã in reginã trãſmutaberis.* Equidẽ vbi regius ſplẽdor affulget, prorſus radit memoriã cognationis infimę. Quis in throno priuatarũ rerũ meminerit? Vtinã fratres, & nos meditaremur regnũ illud nobis paratũ ab origine mũdi, & fallar, niſi facile contemnamus & patriã, & terreſtrẽ cognationem, & reculas has, quæ ſunt huius mũdi. Sapiẽter Dominus, vt vel à corde ſuorũ omnẽ mũdi ſolicitudinẽ excludat, aiebat Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex, quia cõplacuit patri veſtro dare vobis regnũ.* Puſillum gregem vocat, & regnũ offert; & cur regnũ offertur puſillis? Vt omnẽ memoriã, & curã rerũ puſillarũ demittant. Ait enim Chryſol. ſer. 25. *Aufert ſpes anxias, dubios tollit euentus, omnemq; propellit, & excludit timorẽ, quãdo in exordio ipſo regnũ naſcentibus pollicetur. Quis de victu, quis de veſtitu, quis de plebeio cẽſu, & vernalis ceſpitis vilitate ſuſpirat, de regno certus, de dominatione ſecurus? Satis ſibi inuidit, qui elatus ad ſumma, ipſe ſe ad humilia deiecit, ad egena deponit.* Equidẽ, vt omniũ inferiorũ rerũ deſpectũ, & obliuionẽ faceret dominus in animis noſtris; ſapienter regnũ ob oculos poſuit: quãdo enim thronus nõ faſtidiuit humilia? quando regni ſplendor rerũ priuatarum non ſubſtulit vel memoriã? Propone tibi Chriſtiane ob oculos Regnum cœleſte, & omnes curas, omnem ſolicitudinem, & anxietatem pro mundi reculis depones. Nullum malum in te non curatum manebit, ſi vel mediteris Regnum cœlo-

Matth. 3. rum. Matth. 3. clamabat Ioannes: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorũ.* Circa quæ ait D. Hildephonſ. ſer.

D. Hild. 5. de Aſſumpt. *Quia totum inuenit mundum criminibus obnoxium, omnibus medicinæ indixit remedium, in ſuo aduentu appropinquare dixit regnum cœlorum.* Sic regnum cœlorum ob oculos poſitum omnes in nobis affectus inferiores, & noxios componit.

§. XXI.

Iniquorum diſcordiæ promouendis iuſtis ſeruire ſolent.

COntra Isboſeth iratus Abner hoc ſtudet, vt Dei promiſſa de Dauide promouendo impleantur. Quippè: *Sermonem quoque intulit Abner ad ſeniores Iſrael dicens: Tam heri, quam nudius tertius, quærebatis Dauidem, vt regnaret ſuper vos. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus eſt, &c.* Verum eſt, quod mortuo Saule, in inter regno Iſraelitę cogitarent de promouendo Dauide iuxta ſententiam Dei. Verũ illos Abner ab hac cogitatione amouerat, & fecerat, vt Isboſetho regnũ darent. Qui vero illos ab illa amouit cogitatione, modo idẽ ſatagit, vt de Dauide promouendo tractẽt, & diuinis placitis in eo pareãt. Et vnde hanc bonam mentem in Deum, & in Dauidem induit Abner? Supra dixit textus de Abnere: *Qui iratus nimis propter verba Isboſeth, &c.* Cæperant iræ, & diſcordiæ inter Abnerem & Isboſethum ſeminari; & ex horum diſcordia, & diſſidẽtia hoc bonum naſcitur, vt Dauid promoueatur, & Dei promiſſa impleantur. Zachariæ,

Zach. 1. cap. 1. *Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor cornua. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid ſunt hæc? Et dixit ad me. Hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per ſingulos viros; & nemo eorum leuauit caput ſuum, & venerũt iſti deterere ea.* Explicatius Græcus. *Et egreſſi ſunt iſti, vt exacuerent ea, &c.* Itaque quatuor cornua oſtenſa prophetæ hoſtiles poteſtates deſignabãt, quæ tribũ Iudæ captiuauerant, & in ſeruitutem miſeram redegerant, opprimentes Iudæos captiuos Babylone. Sed illud notandum, quod adhuc poſt illam captiuitatem dicãtur cornua illa exacui; dicit enim: *& egreſſi ſunt iſti, vt exacuerent ea.* Ad quid domine adhuc exaquuntur cornua illa? Iã Iudam oppreſſerũt, an vis, vt amplius miſeros deuaſtent? Abſit: imò vult Deus Iudæis reſtituere priſtinam fœlicitatem; & ideò permittit, vt hoſtes exacuantur, & arma capiant non aduerſus Iudam, ſed aduerſus ſe ipſos, dũ enim inter ſe diſſideant hoſtes, non poteſt non lætitia, & fœlicitas plaudere ſanctis. Ait D. Cyrill. ibi: *Itaque* D. Cyrill. *acuuntur quidem, non tamen cõtra Iſrael, ſed contra ſemetipſa. In ſe namque mutuo inſurrexerunt; Aſſyrios, ac Babylonios Perſæ, & Medi bello laceſſiuerunt, Cyro regnante. Quã orbem niſi exacuta fuiſſent cornua, & expugnati Babylony, non fuiſſet ſeruitute abſolutus Iſrael, non exemptus vinculis, & miſeria intolerabili.* Ecce tibi, vt diſcordia hoſtium, nimirum Babyloniorum, & Medorum ſeruiuit reſtitutioni Iſraelitarũ. Vbi enim Cyrus aduerſus Babylonios ſurrexit, eoſque expugnauit, Iudæos reſtituit in priſtinam fœlicitatem. Nunquam non iuſtorum ſaluti locum dant impiorum diſſidia. Hinc Matth. 26. dum Phariſæi curant Ieſum ſine remedio occidere: *Dicebant: Non* *Matt. 26* *in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Et cur perfidi adeo anxie cauebant occaſionem tumultus? Ne tumultus & diſſidiũ populi locum aperiret, vnde euaderet Ieſus. Ait D. Leo ſerm. 7. de Paſſ. Prouidentibus principibus, ne in die feſto tumultus oriretur, non deuotioni, ſed facinori ſtudebatur, nec religioni ſeruiebat hæc cura, ſed crimini. *Diligentes enim Pon-* D. Leo. *tifices, & ſoliciti Sacerdotes, ſeditiones, turbarum fieri in præcipua ſolemnitate metuebant, non vt populus non peccaret, ſed ne Chriſtus euaderet.* Metuebant ſibi ab impiorum ſeditioſis tumultibus, ſcientes nunquam non ex deſidijs malorum promoueri virtutẽ. De his multa alibi.

§. XXII.

Virtutis, æquitatiſque prætextus non paruam authoritatem acquirit ad perſuadendum.

VAfer iſte Abner, vt perſuadeat ſenioribus Iſraelitis Dauidis electionem in regem, vnam illis proponit rationẽ ex parte Dei, ſic volẽtis. Ait enim: *Nunc ergo facite: quoniã Dominus locutus eſt ad Dauidẽ dicẽs in manu ſerui mei Dauidis ſaluabo populũ, &c.* Sic totus eſt in explicãda volũtate Dei circa Dauidẽ; de Isboſetho autẽ relinquẽdo nec facit verbũ. Et quãdo electionem

nem Dauidis necessario comitatura erat Isbosethi reiectio: cur etiam non aliqua dicit de Isbosethi ineptitudine ad regnum, & de iniquo eius iure? Vafer ille nil mali voluit notare in Isbosetho, sed vnam Dei sententiam circa Dauidem exprimebat, vt in illa regis electione solus virtutis, & æquitatis appareret prætextus, qui summam authoritatem habet ad persuadendũ. Cui enim authoritatem non conciliet virtutis prætextus? Cum Bethuliæ proceres decreuissent ciuitatem tradere Holoferni intraquinq; dies, dicitur de Iudith, cap. 8.

Iudith, 8. *Hæc itaque cum audisset, quoniam Ozias promisisset, quod trãsacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad præsbiteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam, & dixit illis; Quod est hoc verbum in quo consensit Ozias?* Et post multa, quæ Deum propitiaturum ostendebant, dixit: *Ita quod facere disposui, probate, si ex Deo est::: Et dixit ad eã Ozias princeps Iudæ: Vade in pace, & Dominus sit tecũ.* Sic Principes, & præsbiteri Iudæ mutant sententiam suam ad verbum fœminæ, & totos se illi committunt. Et vnde fœmina tantam sibi authoritatem conciliare potuit apud Principes populi, vt eos in sententiam traheret suam? Sanè vnam rationem assumpsit honestatis, & obsequij diuini, quæ vel fœminæ conciliauit authoritatem summam. Vt dicat D. Amb. 3. Offi-

D. Amb. cior. 13. *Honestatem secuta est Iudith, & dum eam sequitur, vtilitatem inuenit. Honestatis enim fuit prohibere, ne populus Dei se prophanis daret, ne ritus sacros proderet, ne sacras Virgines, viduas graues barbaricæ subijceret impuritati. Quanta honestatis authoritas, vt consilium de summis rebus fœmina sibi vendicaret, nec principibus populi committeret? Quanta honestatis authoritas, vt Deum adiutorem præsumeret; quãta gratia, vt inueniret?* Equidem prætextus virtutis, & honestatis tantam authoritatem conciliauit fœminæ, vt in suam sententiam traheret regni Principes.

2. *Reg.* 3. Et abijt, vt loqueretur ad Dauidem in Hebron omnia, quæ placuerant Israeli, & vniuerso Beniamin. Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris, & fecit Dauid Abner, & viris eius, qui venerant cum eo, conuiuium, &c.

§. XXIII.

Pudicæ menti nunquam non inglorium est consortium suspectum.

VEnit tandem Abner ad Dauid iuxta dicentem: *Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris, &c.* Venit, inquam, eo mòdo quo Dauid postulauerat, nimirum afferens ei Micholem, vt ait Abbul. & omnes expositores, imò Salianus putat Abneri aduentus prætextum fuisse Micholis ad Dauidem adductionem. Et cum hoc certum sit, textus diuinus explicans Abneris accessum, cum illo Micholem venisse prorsus reticet. Et quando in illo congressu Abneris & Dauidis, nihil magis gratum venit Dauidi, quam Micholis recuperatio, quam maxime optarat, quam ab Isbosetho petierat, sine qua nec Abnerem regnum afferentem videre voluerat. Tamen cum ad rem ventum est, totum de Abneris accessu dicitur, de Micholе autem prorsus reticetur. Cur igitur, vt dicitur Abner venisse cum viginti viris, non etiam dicitur venisse cum Micholе? Et quando explicatur Abneris aduentus, cur non etiam explicatur, vt simul Micholem venerat, cuius aductus optatior multò Dauidi erat? Sapienter textus reticuit, quod inglorium Micholi, & Dauidi erat, nimirum, quod puella pulchra, & regia duceretur ab Abnere, qui paulò ante fuerat ausus comprimere concubinam regiam, & tam immane facinus nihili faciebat. Plane pudicissimæ puellæ lasciui, & audacis hominis consortium, vt inglorium fuit, sic & reticendum. Quando enim pudicæ mẽti non inglorium est consortium suspectũ? Aiebat Paul. 1. ad Corinth. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* Et post alia non pauca addit: *Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me; bonum est enim mihi magis mori, quam vt gloriam meã, quis euacuet.* Quæ verba sic ablatis interie-

1. Ad Corinth. 9.

ctis à D. Basil. Magno referuntur: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? Sed non sum, inquit, vsus hac potestate: bonum mihi est magis mori, quã vt gloriã meã, quis euacuet.* Et quæ erat hæc gloria Pauli euacuãda in eo, quod mulierẽ sororem secum duceret, vt de illius viueret

D. Basil.

pietate? Ait D. Basil. ibi lib. de Virginit.

D. Basil. *Bonum est mihi magis mori, quam vt gloriam meam, virginitatis scilicet, vlla inquinet affectio.* Putabat magister orbis nunquam non ingloriũ esse Virgineis mentibus frequentem conuictum virorum, & fœminarum etiam sanctarum. Quid si non sanctorum, sed fornicariorum conuictus esset? Cum ijs ait, *nec cibum sumere*, cap. 5. nunquam non ab eorum conuictu contagio oritur, quæ saltem obscuret nominis claritatem.

§. XXIIII.

Vniuersalis multitudinis consensus in bonum, non ab alio, quam à Deo.

SApienter de Abnere dicitur: *Et abiit, vt loqueretur ad Dauid omnia, quæ placuerat Israeli, & vniuerso Beniamin.* Non ait; omnia, quæ ipse fecerat, & negociatus fuerat in Israele, & Beniamino vniuerso; sed omnia, quæ vniuersis ijs placuerant. Tantæ enim multitudinis vniuersalis cõsensus in promouendo Dauide, non industriæ, aut negociationi humanæ tribui poterat, sed ab vno Deo oriebatur. Quod in sua electione ad regnum notabat Athalaricus Rex apud Cassiod. 8. Var. 7. aiens:

Cassiod. *Indicamus autem fauore diuino, cum ad regni culmina peruenire mus, omnia nobis sic fœlicia, sic tranquilla cessisse vt vnum loqui crederes, quod generalitas insonabat: nec putaretur humanum, quod tot vota ingentium populorum nihil probata sunt habere contrarium.* Nunquam non diuinitatis potestatem testatur multorum populorũ consensus inuariabilis. Dicebat, Luc. cap. 2. *Exit edictum*

Luc. 2. *à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis:: Et ibant omnes, vt profiterentur, &c.* Ecce tibi sub vnius imperatoris edicto omnes populi summo consensu, summa pace describi festinant. Et vnde tot populi tanta pace conueniunt? Merito ait D. Amb.

D. Amb. ibi: *Denique, vt scias censum non Augusti esse, sed Christi totus orbis iubetur profiteri.* Nunquam res magis ab humana potestate aliena videtur, & propria Dei, quàm vbi plurimorum in eam venit consensus.

§. XXV.

Solæ diuinæ epulæ præparationem antecedentem requirunt.

VT venit Abner ad Dauid, confestim Dauid illi exhibet conuiuium; dicit enim: *Venitque ad Dauid in Hebrõ, cum viginti viris, & fecit Dauid Abner, & viris eius, conuiuium, &c.* Nihil de præparatione anteacta conuiuij dicitur, sed statim ostenditur exhibitum. At Matth. 22. Rex ille, qui nuptias faciebat filio suo: dicebat: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata: venite ad conuiuium.* Minime conuiuium exhibet, quin præparationem prænuntiet. Et cur Dauid nihil de præparatione monet; hic autem Rex præparationem prædicat ante conuiuium? Huius conuiuij escæ non sunt communes, sed diuinæ, quæ solæ præparationem ante conuiuiũ requirunt. Nõ cum sedes cum mundialibus principibus, sed cum sedes cum Principe cœlesti, vt in eius mensa comedas, maxime debes attendere ad præparationem, adeò, vt prandiũ vnius diei, multorum dierum præparationem prærequirat. Ioann. 6. *Murmurabant Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis, qui de cœlo descendi, & dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph?* De eodem loquentes Iudæi dicebant, Matth. 13. *Nonne hic est fabri filius?* Equidem, vt Ioseph faber lignarius erat, sic Iesus putabatur filius Ioseph, & fabri filius, & ipse faber erat, opera exercens fabrilia. Et quæ fabri opera faciebat? Quomodo fabri opera conueniebant cum eo, quod panis esset? Præclare sanè, quia fabrilia in Iesu meditationes, & præparationes erant dandi panis cœlestis. Ait Iustin. mart. in Dialog. cum Triphone Iudæo: *Cum fabri lignary filius haberetur, informis videlicet, quemadmodum scripturæ annuntiabant, apparens, faber atque adeò ipse putaretur esse: fabrilia namque cum in hominibus esset, faciebat opera, aratra, & inga conficiens.* Expende, quid diuinissimus faber per totam vitam faciebat, nimirùm, *aratra, & inga conficiebat.* Vt enim diuinissimus erat panis dandus hominibus, sic nihil meditabatur in vita, nihil præ manibus habebat, nisi illa, quæ ad panis segetem disponebant. Habet enim hoc

Ioann. 6.

Matt. 13

Iustin.

cœle-

cœlestis panis præ ceteris mũdi escis, quod multam præparationem, & dispositionem prærrequirat in sumentibus. Quisquis ergo amas tibi fieri diuinum epulum; hoc satage, vt per totam vitam illa, quę ad illud conducunt mediteris. Tracta fabrilia metendi panis instrumenta; iugum perfice, quo appetitus diuinis subdantur præceptis; aratra confice, quę cordis terram emolliant, malorumque operum radices euellant: ventilábrum adiunge, quod palleas exsufflet, horreum cordis adorna, vbi cœlestis panis metatur seges. Nunquam diuina seges non correspondet præparationis laboribus in falce, in vomeribus. Aiebat
Matt. 10 Dominus, Matth. 10. *Nolite præmeditari, quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora.* Quippè confessoribus suis coram Præsidibus stantibus promittit Dominus diuinum verbum in illa hora. Sed in qua hora diuinum verbum in nos veniet? Ait D. Ennod.
D. Enn. lib. 2. epist. 19. *Quoties scribenda est infœlix curuis terra vomeribus, se famulis suis germina collaturum promittit, quæ iaciant dicendo; Ne cogitetis, quid loquamini, dabitur enim vobis, &c.* Tunc Dominus promittit se immissurum diuini semen verbi, cum curuis scribatur terra cordis nostri vomeribus. Præcedat vomeris opus, vt infœliciũ stirpium radices euellantur, & non deerit in nobis diuina seges. Sic dicebatur Mariæ, Luc. 2. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deũ. Circa quæ D. Damasc.
D. Dam. orat. 1. de dormit. Mariæ ait: *Gratiam ea inuenit, quæ gratiam merebatur. Inuenit gratiam, quæ gratiæ labores excoluerat, ac copiosam gratiæ segetem collegerat.* Excpẽde illud verbum *excoluerat*, & illud nimirum, *segetem collegerat*; nunquam enim ad segetem deuenies, nisi in vomere, & aratro terram excolueris. Sic nec ad mensam diuinissimi epuli non accedes, nisi culturæ laboribus operam dederis.

§. XXVI.

Princeps clarior ex suis satiandis, quam ex hostibus depellendis.

NOn otiosè scribitur, quod Dauid fecerit Abnero conuiuium, dum dicit: *Et fecit Dauid Abner, & viris, qui venerant cum eo, conuiuium, &c.* Ab Abnero regnum Israeliticum dum sperat, cõuiuio Abnerũ, & socios excipit, indicium optimi principis in eo ostendens, quando princeps optimus inde clarior est, si famé à suis, quam si hostem depellat. Hinc Cassiod. 12. Var. 28. extollit Gothorum regem, de quo ait: *Quos defendit abelli clade,* *Cassiod.*
nec inopiæ patitur pericula pertimere. Nã qui perculit hostem prouinciæ, & famem i sit exire. O certamen toto orbe prædicandum! Cõtra indigentiam sæuam glorioſi principis pugnat humanitas; cuius vere castra sunt horrea referta, quasi clauderet voluisset, tunc importabilis esset inimica: sed quia magis aperuit, sæuientem aduersariam mox fugauit. Nescio, quæ Principis nostri bella mundus potius admireretur; ego tamẽ dicam, quod sentio. In vsum est viris fortibus fœlicitèr egisse pugnas, sed supra humanam virtutem esse constat vicisse penuriam. Sapienter quidem putat gloriosiorẽ fuisse principi famis à suis depulsionem, quam hostium. Quid enim iubaret, quod Princeps depellat hostes, si penuriam, si famem in suos sæuire sinat? Sepe ego risi medicũ, qui gloriabatur se febrim ab ægroto expulisse, qui inde debilitate emori fuerat compulsus. Sanè ad glorioſum principem illud conducit, quod in depellendis hostibus, magis depellendæ suorum penuriæ, & fami inuigilet. De promisso Iudæorum rege locutus Michæas,
cap. 5. aiebat: *Et tu Bethlehem Ephrata* *Mich. 5.*
parualus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit mihi dominator in Israel. Venturus Rex Israel prædicitur, & nasciturus in Bethlehem; cur in Bethlehem? Idem est Bethlehem ac domus panis, ex quo ostendebatur, quam omnes reges superet, qui videbatur magis ad exsaciandos subditos nasci. Vt dicat D. Gregor. PP. hom. 8. in
Euang. *Bethlehem quoque domus panis interpretatur. Ipse namque est, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocabatur, quia futurum erat, vt ibi ille per naturam carnis appareret, qui electorum mẽtes internà sacietate reficeret.* Magis Rex regum innotescere amabat ex suorum refectione, & saturitate, quam ex hostium depulsione: vt quod sit glorioſius optimis principibus. Vide supra cap. 6. §. 11.

2. *Reg.* 3. Cum ergo deduxisset Dauid Abner, & ille isset in pace, statim pueri Dauid, & Ioab venerunt cæsis latroni-

bus, eum præda magna nimis: Abner autem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace, &c.

§. XXVII.

Obsequia Principis exhibita priuato, difficilima quæque extorquent ab illo.

REx Iudæ erat Dauid, & non dubitat socium se exhibere Abnero abeunti; dicit namque: *Cum ergo deduxisset Dauid Abner, & ille isset, &c.* Et quis non miretur, quod Rex socium hominis priuati agat, illumque comitetur in via? O quam id prudenter fiebat à principe in hominem pro reducendo regno insudaturum; solent enim principũ obsequia à priuatis extorquere difficilia. Et quis priuatus principis obsequijs delinitus nõ voret difficilia quæque pro illo? Scio Heliæ historiam, quando fugiens à Iezabele sub iuniperi vmbra somno indulgebat; cui adstitit Angelus, dormientem excitauit, & apposuit panem subcinericium, vt manducet. Quid tunc? 3. Reg. 19 Ait 3. Reg. 19. *Comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Oreb.* Mirabar hominem pene emortuum, & præ timore penitus enervatum isto pane sic refici, sic roborari, vt quadraginta dierum ieiunia sustineat, & longissimum, & difficillimum iter arripiat. Vnde ab isto pane tanta vorat Helias intrepidus discrimina? Plane Princeps Angelici ordinis eò se demisserat, vt ipse per se fieret illius cibi minister, quo sic roboratur Helias, vt inde nulla non voret discrimina, vt pareat Angelicis iussis. Adhæc Rup. lib. Rupert. 2. de Glor. & Hon. Filij Hom. inquit: *Heliæ ministrauit Angelus, vt deinde ieiunaret quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Pro ingenium optimi principis! Scit socium, imò ministrum agere priuati; illi panem ministrans, vt inde hominem in longissimas fames, & sites conijciat. Et quis non se & fami, & siti deuoueat, vt regna acquirat principi, quem sibi expertus est obsequentem, imò & famulãtem? Huc spectabat tota æconomia, & politia Pauli 1. ad Corinth. 9. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem::: Omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos.* Et plane & in spiritu, & in carne hæc est efficacissima ratio, qua princeps ad se vniuersos rapiat, ab illisque & nuditatem, & famem, & difficilia quæque faciat superati, si illis se exæquet, & quasi obsequentem, & famulantem exhibeat. Proquo monebat D. Ennod. orat. habita in initio Episcopat. *Scimus, quantum erit humilior famulantibus, qui ad religiosum vocatur imperium. Necesse est, vt etiam extremæ conditionis personis obtemperet, cui imminet, sic iubere. Ait enim doctor gentium: Omnibus omnia factus sum, vt omnes acquirerem.* Plane ad acquirẽdos omnes nulla arma sic valent, vt comitas principis, ac humanitas, quibus se quasi exæquat famulis. D. Enn.

§. XXVIII.

Sub glorioso Principe vicinorum hostium latrocinia castigata fugantur.

NOn dissimulo illud: *Pueri Dauid, & Ioab venerunt cæsis latronibus cũ præda magna nimis.* Latrocinium vocat hostium finitimorum inuasiones, quæ vbi Dauid regnum ascendit, cum ingenti illorum ruina conquieuerunt. Vt liceat Dauidi transcribere, quod Cassiod. 12. var. 28. dicebat regi suo. Ait enim: *Eu pietas mirabilis, quæ vbique nostris repugnat incommodis. Nam cum se feritas gentilis prioris temporis animasset, Æmilia, & Liguria nostra, sicut vos retinere necesse est, Burgundiorum inuasione quateretur, gereretque bellum de vicinitate furtiuum, subito præsentis imperij, tanquam Solis ortus fama radiauit. Expugnatum se hostis sua præsumptione congemuit, quando illum cognouit nominatæ gentis esse rectorem, quem sub militis nomen probauerat esse singularem. Quoties se optauit de suis finibus nõ exire Burgundio, ne Principe nostro pugnaret aduersõ? Cuius licet præsentiam releuatus euaserit, fœlicitatem tamen præcipitatus incurrit. Nam mox, vt Gothi ad belli studium gemina se virtute contulerunt, ita prospera concertatione cæsa est rebellium manus, quasi inde nudos, hinc stare contigisset armatos; diuini æquitate iudicij, vt in ipsis campis prædo corrueret, quos vastare præsumsit. Exulta aduersariorum cadaueribus ornata prouincia, &c.* Quid pulchrius? Nolui vel verbulum præterire, vt quorum singula exprimant Dauidis præsentem statum, & cuiusuis regis fœlicissimi. Cassiod.

mi. In primis ostendit, qui vocentur à textu *latrones*, nimirum hostes vicini, & finitimi, quorum invasiones merito vocantur non tam bella, quam furta, vt quæ ex inspe rato fiant, ait enim: *bellum ex vicinitate furtivum*. Deinde ille Rex dicitur à finitimis timeri, qui noscitur in certamine singularis miles. Rursus illa glorioſi regis fœlicitas prædicatur, non quod non patiatur hostiles invasiones, sed quod *prædo in ipsis cãpis corruat, quos vastare præsumserat*. Et tanto regi dicatur, quod dicebat Eumenius Constantino in Paneg. nimirum: *Sciunt posse Franci transire Rhenum, quos adnecem suam libenter admittas. Quid ipsos maneat ex regum suorum cruciatibus metiuntur, ideòque tantum abest, vt amnis illius transitum moliãtur, magis vt comperto ponte desperent.* Equidem Regi dabatur fœlicitati, non quod hostes arcerentur ab ingressu regni, sed quod ibi expectentur ad tantam ruinam, quam deinceps, vel plano, & prono ingressu inuisante perhorrescant.

Eumen.

2. *Reg.* 3. Nuntiatum est itaque Ioab à narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abijt in pace. Et ingressus est Ioab ad regem, & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te, quare dimisisti eum, & abijt, & recessit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam adhoc venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia, quæ agis?

§. XXIX.

Susurronum pessimorum est ea sola referre, quæ iram moueant.

VIde garrulorum aulicorum ingenium: Abneris introitum, & exitum narrant, dimissis omnibus circunstantijs, quæ vtrum ne possent commendare. Dicunt enim: *Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abijt in pace.* Sanè insoleus videri posset, quod hostilissimo duci Abnero liceret accedere ad regem; & insuper insolentius est, quod inde liceret eidem abire in pace. At Abner pacifice venerat, & post missos nuntios pacis, & secum attulerat dilectissimam coniugem Dauidi, nempe Micholem, imò, & totius regni Israelitici adducẽdi promissionem dederat. Hæc omnia euidenter ostendebant, quam sapienter Abner admissus fuerit à Dauide, & dimissus in pace. Cur ergo hi narratores omnia hæc prætermittunt, & solum dicunt ea, quæ suspectum aduentum Abneri, & exitum faciant; dum aiunt: *Venit Abner ad regem, & dimisit eum, & abijt in pace?* Cur nihil de adductione Micholis, de regni promissione, de nũtijs missis pro amicitia constituenda loquuntur? Hoc est ingenium malignantium susurronum, vt prætermissis bonis circunstantijs sola illa proponant, quę suspitionem possint generare. Non aliter Iudæorum Principes Iesum meum apud Pilatum accusabant clamantes, Ioann. 19. *Secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* Et quidẽ bonus Iesus non simplici sermone se Dei filium faciebat, sed ijs operibus, quæ satis illum filium diuini patris demonstrabant. Cur ergo Iudæi non dicunt de Iesu, quia se filium Dei faciebat mortuos suscitando, cæcos illuminando, leprosos mundando? Nequissimi illi omnia hæc dissimulant, & sola proponunt, quæ Iesum suspectum faciant, & in illum iudicem arment. Notabat id D. Cyrill. Alex. lib. 10. in Ioann. cap. 19. latus: *Oportebat sanè quando Pilato dixistis, quia filium Dei se ipsum fecit: tunc opera quoque in mediũ afferre. Oportebat quadriduo iam mortuum voce sola in vitam restitutum narrare. Oportebat vnigenitum viduæ filium non relinquere. Oportebat Synagogæ Principis puellam non omittere. Oportebat præterea docere, quia cæcis visum, leprosis munditiem solo nutu donabat. Hæc cæteraque huiusmodi, quibus vere Deus monstrari poterat, malicioſe prætereuntes cauillationibus solummodo vtuntur.* Sic nequissimi homines omnia bona prætereunt, & sola commiiscuntur, quæ habent speciem mali. Qui autem mavult hac malicia purgari, oportet, vt cum causam fratris dicat, simul adiungat omnes circunstantias boni. Ioann. 5. Iudæi dicebant paralitico sanato à Iesu: *Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grauatum tuum?* At paraliticus respondit, *Quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Illi nihil de salute accepta quęrunt, sed de grabato sublato in Sabatho: hic nihil de grauato, sed de salute data respondit. Cur nihil de grauato? Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Non enim quasi accusans dixit, qui tollere*

Ioann. 19

Cyril. Al.

Ioann. 5.

Cyril. Al.

tollere grabatum in Sabatho imperasset, sed qui fecit eum sanum. Vt nequissimi accusatoris est dissimulare, quæ ad bonum faciunt, & sola promere, quæ ad malũ. Sic bonus iste alienus ab illa malicia, solum explicat & attendit, quod ad bonum attinet, & præterit, quod poterat retorqueri ad malum à malignantibus.

§. XXX.

Nequissimi animi est in bonis proximi actibus næuos quærere.

ABneris aduentum adeò gratum, & vtilem Dauidi, sic Ioab nititur turpare fatus: *Quid fecisti? Ignoras Abner filiũ Ner, quoniam ad hoc venit ad te, vt deciperet te? &c.* Sic malus in bono Abneris aduentu, in quo maxime sibi complacebat Dauid, curabat scandalum suscitare, quo Abneris periclitaretur & vita, & fama. Sunt equidem maligni homines, malignæ mentes, quæ proximorum opera bona, ex quibus alij non parum lucrum reportant, ipsi nitantur turpare, & ad maliciam trahere.

Ioann. 6. Hinc Ioann. 6. *Sequebatur Iesum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Non absolute sequebantur ob signa quælibet, sed ob signa, quę fiebant à Iesu super infirmos. Placuit enim Euangelistæ hanc turbam commendare maximè, quia sequebatur Iesum ob signa infirmis facta. Et cur magis placuit commendare hanc turbam, quia mouebatur ad sequendum Iesum propter signa infirmorum? In eo maxime Iudæorum principum malicia ostendebatur; qui in curationibus infirmorum à Iesu peractis quærebant scãdala, vt illũ perderent. Ait D. Cyrill. Alex.

Cyril. Al. lib. 3. cap. 12. *Non propter signa simpliciter Christum mirabantur, sed additur propter signa, quæ infirmis, ægrotisque faciebat. Contrarius igitur animus istorum animo Iudæorum demonstratur. Illi propter curationem ægroti vehementius turbabantur; isti non solum talia signa mirãtur, verum etiam propter hæc, quasi Deum sequuntur. Fugiamus ergo turpem Iudæorum imperitiam, &c.* Vt simplicis turbæ erat Iesum mirari, & venerari ob salutes ab eo infirmis datas; sic pessimorũ Iudæorũ erat illas salutes detorquere in Iesu malum; & de salute infirmis data & malas suspitiones, & scandala excitare. Et enim pessimi animi est non nisi malum in bonis etiã videre; vt boni nesciunt vnquam videre malum. Dicebat Paul. 1. ad Corinth. 10. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* Duo enim notat concurrisse ad baptismum Israelitarum, nimirum & nubem, & mare; quæ duobus alijs respondebant concurrentibus in baptismo Christiano, ita vt mare correspondere nostro baptismo aquæ; nubes autem responderet Spiritui Sãcto nobis in baptismo dato. Sed quid nubes cum Spiritu Sancto? In nube abscuritas, in Spiritu Sancto claritas; cur ergo assumpta nubes est ad Spiritum Sanctum significandũ? Equidem vt Apostoli mens clarissima erat, omnique vitiorum spurcitiæ purgata, sic neque in nube potuit videre obscuritatem, sed lucidæ menti omnia visa sunt lucida, & clara. Ait D. Damasc. orat. de Transfig. *Apostolus mare aquæ, nubem Spiritus imaginem gerere pronuntiauit. Omnia autem lucida, & eximio splendore prædita sunt ijs, qui lucis capaces sunt, quorumque animus conscientiæ spurcitie haud quaquam inquinatus est.* Vtinam sis tu puræ conscientiæ, & omni labe vitiorum defœcatus, & fallar, nisi & proximorum nubes tibi lucidæ videantur, & sedes Spiritus Sancti. Qui autem nequam est etiam Solis radios credit nigricare.

1. *Ad Corinth.* 10.

D. Dam.

2. *Reg.* 3. Egressus itaque Ioab à Dauid misit nũtios post Abner, & reduxit eũ à cisterna Sira, ignorante Dauid. Cumque redijsset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab in mediũ portæ, vt loqueretur ei in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius.

§. XXXI.

Longe à regijs virtutibus abest, qui vltroni studens hosti non parcit.

VLturus Ioab fratris sanguinem morte Abneris egreditur à Dauide; expendenda enim sunt duo illa, nimirum: *Egressus itaque Ioab à Dauide misit nuntios post Abner*: & paulò post dicit: *Percussit illum*

lum ibi in inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius. Primo egreditur à Dauide, & sic à rege egressus vlciscitur in Abnerum, illum interficiens. Necesse enim erat, quod vel à regis vmbra egrederetur, qui adeò erat crudelis vindex iniuriarum. Crede mihi, longissime à regijs virtutibus absunt, qui vindictæ insudant, nesciuntque hosti parcere. Habes Matth. 18. vt Rex à seruis suis rationem poscebat, vt petenti seruo multa remittebat. Et quid iste seruus fecit? Ait text.

Matt. 18 *Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde, quod debes, &c.* Expende quando suffocabat cõseruum, & minime ei parcebat, nimirum postquam à præsentia regis exiuerat. Dicit enim: *Egressus autem, &c.* Vbi prius à regijs virtutibus elongatus fuerat, cõseruum suffocabat, & misere premebat. Vt dicat

Orig. Orig. hom. 7. in Matth. *Ideò arbitror, suffocabat eum, quoniã à rege exierat, neque enim effocaret conseruum suum, nisi excessisset à rege:: Et Rex quidem misertus dimisit eum cum debito vniuerso, iste autem nec misereri voluit suo conseruo.* Regis fuit dimittere, serui autem suffocare conservum pro debito; & serui, qui longissime distabat à rege; vbi enim à regijs virtutibus se alienauit, & lõge recessit, quid prius exerceret quam crudelitatem, & vindictam in conseruos? Nũquam magis distas ab animo regio, quam vbi nõ habes viscera misericordiæ ad parcendum. Nota est etiam parabola, Matth. 12. vbi Rex faciebat nuptias filio suo, & dum regium conuiuium exhiberetur;

Matt. 12 *Intrauit Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tũc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus, & manibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Ecce tibi, quia regio cõuiuio sine veste nuptiali intererat, iubet illum Rex à Regia, & regali conuictu extrahi, & mitti in exteriores tenebras. Et quæ vestis erat hæc nuptialis, qua quia carebat, longissime amandatur à Regia? Monebat Paul. suos ad Col-

Ad Colos. 3. lossenses, cap. 3. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, patientiam supportantes inuicem, &c.* Qui autem misericordiæ viscera non induit, quibus proximorum iniurias supportet, non mirer, si tanquam veste nuptiali careat longissime amoueatur à Regia.

Theoph. Quo spectans Theophyl. ibi dicebat: *Quis est iste sordida vestimenta gerens? Is, qui non induitus est viscera miserationum, fraternitatem, benignitatem. Nec solũ à nuptijs eycitur, sed & in ignem mittitur.* Sic sordet, sic nudus est, qui nescit fratri parcere; vt prorsus debeat excludi à mensa, & domo, & conuictu regio: vt qui nihil cum rege habeat cõmune, sed magis cum damnatis ad pœnas.

§. XXXII.

Lasciuia ardor frequentissime homines in hostile ferrum conjcit.

EV quam crudeliter occiditur Abner, dum Dauidi regnum restituere tractat! Ait ibi text. *Percussit eum ibi in inguine, & mortuus est.* Et cur Deus permisit sic hominem occidi, qui diuinis promissis implendis seruiebat, in reducendo Israele ad Dauidem? Equidem tota hæc Abneris negociatio non ob Dei timorem fiebat, sed ob adulterinæ lasciuiæ quærendam impunitatem. Recole totam Abneris tragœdiã, & videbis, vt à mulieris libidine fuerit inchoata, & non miraberis, quod sub lethali ferro finiatur. Dictum est supra, vt Abner ingressus fuerat ad concubinam Saulis, vt reprehensus ab Isbosethi ira exarsit, & decreuerit illi regnum adimere, & Dauidi tradere. Non ergo in veritate Dei, aut Dauidis, sed suæ libidinis agebat causam, qua tractus est ad extremam calamitatem. Quando enim lasciuia impunita suos hostili ferro non tradit? Longum esset ire per singulos, sufficiat afferre Ieremiam, qui cap. 29. videtur Abneri huius mortem delineasse. Ait enim: *Ponat te Dominus sicut* Ierem. 29 *Sedechiam, & Achab; quos frixit Rex Babylonis in igne: pro eo quod fecerunt stultitiam. In Israel, & mœchati sunt vxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter.* Quid iustius ad Abnerum? Ostendebat mendaciter se promissis diuinis, & Dauidi seruire; & suæ lasciuiæ seruiebat, qua mœchatus fuerat vxorem amici sui, cognati sui, principis sui. Quid inde? Vt Sedechiæ, & Achabi scelera fuerat imitatus in lasciuia, sic ab illa traditus fuit principi crudeli, sub cuius caderet gladio. Et vtinam ibi fuerit finitum hoc lasciuiæ malum; sed in dies serpit lues, & quotidie cernuntur principes, duces, milites, qui à lasciuia in manus hostium dantur. Vt merito clamet D. Hieron. ibi: *Quanti & de nostro grege similes Achab, & Sedechiæ prophetant* D. Hier.

tant in nomine Domini mendacium, & mœchãtur vxores ciuium suorum? Quos verus Nabuchodonosor friget in igne peccati. Sanè nil frequentius, quam mœchos, & adulteros interfici, hostibus tradi, & torreri vltricibus Dei flammis. Dicebat Oseas, cap. 7. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente, &c.* Quæ sic à Theodoreto legũtur: *Omnes adulterantes quasi clibanus ardẽs ad coquendum. In deustionem flammæ.* Non equidẽ adulterij, libidinisve flãmis exardent homines, vt sub hoc ardore quiescãt; sed illo in deustionem extremam præcipitantur. Ait ibi Theodoret. *In deustionem flammæ, ideſt, libidinum ignis hostilem flammam in eas infert.* Ignis ignem trahit; & libidinis ignis trahit aduersus miseros homines hostiles flammas, quibus pereant misere excruciati.

Oseas, 7.

Theod.

Theod.

§. XXXIII.

Ambitio honoris nunquam nõ lethalis.

LIcet Abner dicatur occisus in vltionẽ Asaelis, vt ait textus: *Mortuus est in vltionem sanguinis Asaelis fratris eius:* tamen sto à sententia Iosephi, & Theodoreti, qui putant ambitiosum aliquod latuisse sub hoc vltionis prætextũ. Vt enim Abner Regnum Israelis Dauidi restituebat, sapiẽter credebatur futurus primus in amicis Dauidis, & secundus à rege; quod & ipse Abner expectabat, eò que intẽdebat animum. Quod inuidens Ioab, & præcauens primò casum illi apud Dauidẽ multis procurat, deinde illum in mortem trahit. Eu culminum discrimina! Eu ambitionis malum! Crede mihi, nihil vicinius honoribus quam casus! Psalm. 81. *Ego dixi: dy estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus ex principibus cadetis.* Creditur vnus ex principibus dici diabolus, cuius casus celeberrimus est; isque accidit hominibus frequenter, qui meditantur excelsa. Et quæ occasio in tantum casum præcipitauit principem illum creaturarum? Ait D. Hieron. ibi: *Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur: Et ecce, & hic cecidit, & ibi cecidit. Propterea cecidit, quia semper in cœlestibus versabatur.* Nunquam ad humilia descendit; semper illi & celsitudo, & excellentia cordi erant; ex quo nõ mirer, si in casum adeò funestum deuenerit. Sit homo, cuius studium, & conatus sit circa excelsa, & prima, & excellentia; & mirum erit, & insolens, si eum multi casus non comitentur. Nescit enim celsitudo, & claritas, & excellentia hominem non in præcipitium impellere. Prædicebat Dominus Heli Sacerdoti totius domus suæ ruinam, & ait 1. Reg. 2 *Hoc autem erit tibi signum, quod venturũ est duobus filys tuis Ophi, & Phinees, in die vno morientur ambo.* Et mirabar, quod ijs duobus Heli filijs adeo scelestibus, & pessimis hominibus dicatur: *In die vno morientur*; cur non magis in nocte vna, quando mors peccatorum obscura, & pessima est? Luc. 16. dicebat Dominus auarissimo homini: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Et quando stulti, & nequam homines dicũtur in nocte mori; cur similiter pessimi illi non dicuntur in nocte mori, sed dicuntur mori in die vno? Sanè in die ostendebatur, non immediatus illorum casus, & interitus; sed occasio illa, ex qua venerunt in tam miserum interitũ, quæ quia claritas honoris fuit, & excellentiæ studium merito vocatur dies, sed dies, quæ casus, & mortes multiplicat. Ait D. Greg. PP. lib. 3. in 1. Reg. *In vna ergo die ambo moriuntur: quia in appetitu mundanæ fœlicitatis intereunt. Gloria sæcularis, honoris reuerentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæculariter amata, dies est, sed dies, quæ interficit.* Quid pulchrius? Ad diem equidem pertinent honor, dignitas, claritas, sed ad diem, quæ interficit. Eu quoties diẽ agunt, qui fruuntur hac die! Eu quoties ab ijs diebus propelluntur homines in tenebras nocturnas!

1. Reg. 2.

Luc. 16.

D. Greg.

2. *Reg.* 3. Quod cum audisset Dauid rem iam gestam, ait: Mundus ego sum, & regnum meum apud Deum vsque in sempiternum à sanguine Abner filij Ner, & veniat supor caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane. Igitur Ioab, & Abisai frater eius interfecerunt Abner, eo quod occidisset Assael fratrem eorum, &c.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Durius accipiuntur peccata, quæ non tam metus extorquet, quam malicia parit.

BIs iratum video Dauidem in homines pessimos, & in præsenti in Ioab, & supra in Nabalem. In vtrumque durũ se exhibet, sed mitius videtur agere in Ioab. Nabalis enim immisericordia audita, statim clamat, 1. Reg. 25. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem ad parietem.* Sic totam Nabalis familiam præsentaneæ morti deuouet. At Ioabi homicidio audito, non in præsentaneam mortem ruit, sed minores illi calamitates præcatur aiens: *sanguis Abner veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, &c.* Nõ deuouet morti præsentaneæ homines, sed alijs calamitatibus illos dignos ostendit, quas nõ omnes subeant, sed aliquis per singulas generationes. Et cur Ioabum non digniorem morte cum tota sua familia ostendit, quam Nabalem? Quando Nabalis totam domũ morti destinabat, cur similiter totam domum Ioabi non destinabat morti? Inuenio in Ioabi facinore aliquid, quod hominem faciat dignũ aliqua venia. Dicit enim Iosephus lib. 7. cap. 1. Ioabum mortem intulisse Abnero, *quod miserè timeret, ne honore, quem obtinebat, priuaretur, Dauide imperium exercitus in Abnerum transferente.* Metus ergo de amittendo honore possesso hominem in homicidiũ coegit. Et quãdo Nabal nullo metu, sed propria malicia ducebatur, non miror, quod durius habeatur, quam Ioab, quem metus amittendi honoris habiti homicidam fecit. Nunquam enim non mitius habentur illi, quos metus admalũ impellit, quã quos malicia trahit. Habes Matth. 26. vt Iesus meus proditorem suum ostendebat aiens: *Vnus vestrum me traditurus est::: Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset.* Sic & proditorem signat, & supplicium proditionis ineuitabile ostendit. At paulò post locutus de negatione Petri ait illi: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Negationis facinus prædicit, sed negationi trinæ nec vnum addit væ, nec supplicij mentionem vllam facit. Et cur, qui proditori ineuitabile suppliciũ interminat, negatori nec vllam supplicij facit mentionẽ? Proditor nullo metu, sed sola malicia ductus proditionem fecit; negator autem non tam malicia, quam metu, ne & ipse caperetur impulsus fuit, vt negaret, & inde longe mitiorem sententiam meruit. Ait D. Cyril. Alex. lib. 9. in Ioann. cap. 28. *Cum Petro prædixerit adeò non correspondentem sui animi magnitudinem studio suo, vt periculorum solummodo facie superatus abneget. Nec minatus tamen est, nec reprehendit, venia certe dignũ sciebat. Infirma enim adhuc natura erat, nec mortis poterat sustinere terrorẽ.* Vbi perdẽdæ vitæ metus Petrum impellebat, mitiori sententia in suo facinore dignus censetur. Oseas cap. 10. dicebat: *Vitis frondosa Israel: fructus adæquatus est ei, secũdum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulacris. Diuisum est cor eorum: nunc interibunt, &c.* Dum dicitur Israel multiplicasse Idolorum altaria, & idololatriæ vacasse, non dicitur interiturus. Vbi autem dicitur diuisum cor habere, tunc statim illi interitus interminatur. Et cur in cordis diuisione, & non magis in idololatria pœna mortis Israeli interminatur? Dum primo idololatriæ vacabat, morem gerebant regibus, quorum metu ducti vnanimiter cum illis idola colebant. Tandem venit Rex Osee nomine, qui libere Israelitis permisit, vt idola relinquerent, & verum Deum adorarent. Illi autem in hoc non consentierũt regi, sed ab illo cor suum diuiserunt, & idololatriæ vacabant. Propterea tunc, quia non timore regis, sed propria malicia ibãt ad idola, meritas pœnas irremediabiliter dabant. Accipite ibi ex veterum hæbreorum fabulis vtiliter ad mores fantem D. Hieronymum: *Quæritur ergo quare sub pessimis regibus capti non fuerint, sed sub eo, qui caperat ex parte aliqua ad meliora conuerti? Ad quod hæc inferunt: excusabat se primum populus, & dicebat: regum paremus imperijs; nec possumus eorum resistere tyrannidi; colimus vitulos, quos adorare compellimur. In diebus autem Osee ab eodem rege præceptum est, qui velit, iret in Ierusalem, & in templo sacrificaret Deo; huic sententiæ populus contradixit. Et hoc est, quod nunc dicit, diuisum est cor eorum, ideſt, regis, & populi, & nulla excusatione remanente nunc interibunt, & tradentur æternæ captiuitati.* Dum regum tyrannis vigebat, eius terrore rapti Israelitæ, etiam in idololatria non adeò supplicium

1. Re. 25.

Ioseph. 7.

Matt. 26

Cyril. Al.

Oseas, 10.

D. Hier.

cium ex Deo solicitabant, quin fœlicitate florebant temporali. Vbi autem tyrannis cessauit, nec vllus iam metus vrgebat, sed propria malicia peccabant. Tunc cæpit Deus pluere super illos gladium, & bellū, vincula & laqueos. Quod non possum his diebus nō mirari in Germania, & Anglia: vtraque Luteranis, Caluinianisque hæresibus infecta erat. Sed Deus ijs diebus non cessat pluere super Germaniam gladium, & bellum, quibus contrita, & pene deleta iacet. Dum interea Anglia summam gaudet tranquillitate, & pace, & multitudine ciuium, & rerum abundantia. Et cur sic Deus conficit hæreticos germanos, & desinit esse florentes Anglos? Cum sciam Anglis non licere per Regem venire in catholicam veritatem, sed bonorum rapina, carceribus, & mortibus in hæresim trahi, non miror hanc erga illos Dei temporalem mititatem. At Germanis cum liceat per Catholicissimum Imperatorem ab hæresi discedere, & in hoc ab illo dissentiant, & proprio affectu in hæresim ferantur, sic Deus in illos seuerus homines incipit conficere temporalibus malis.

2. *Reg.* 3. Dixitque Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo. Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis & plangite ante obsequias Abner: Porro Rex Dauid sequebatur feretrum. Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner, fleuit autem, & omnis populus.

§. XXXV.

Externus cultus corporis luctuosus non parum facit, vt verus in animo luctus gignatur.

NOn solum populares, sed & ipsum homicidam Ioab cogit Dauid ad luctus amictus, & saccum. Dicit enim text. *Dixitque Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo. Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite, &c.* Et cur Ioab Abneris interfectorem cogit luctuosis vestibus indui in Abneris obsequijs? Putat Salianus id factum, vt de extrinseco vestium luctu, & squalore animus dolorem ebiberit facti. Solent equidem vestes luctuosæ sensum etiam doloris indere animis. Dictum est Gen. 38. Vt Thamar exuit vestes viduitatis, & induit splēdidas iuuentutis vestes, quibus ornata decepit Iudam, eiusque concubitum furata est. Et post perfectum facinus; *Mulier concepit, & surgens abyit: depositoque habitu, quē assumpserat, induta est viduitatis vestibus.* Et mirabar, quod post conceptum non magis horruit ab habitu viduitatis. Cur, quæ meretricem egit, viduæ vestibus indui gauder? Ait D. Zeno lib. 2. serm. 9. *Viduitatis vestem rursus accepit, non equidem, vt quæ fecerat, faceret; sed vt fleret se fecisse, quod fecerat.* Amabat fœmina dolere de facinore peracto, amabat intimis cordis lachrymis delere peccatum, & ideò recurrit ad vestes viduitatis, sciens ab extrinsicis ornamentis luctus solere in animum etiam dolorem facinoris venire. Ex quo monebat D. Fulgent. 2. epist. 12. *Habitus tuus talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet, qui nō illiciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem. qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat: & cordis compunctio, non carnis libido nascatur.* Expende illa nimirum: *Cordis compunctio, non carnis libido nascatur*; quasi externus habitus multum ad internos affectus ingenerandos cōducat; vt mollis & preciosa vestis libidinem; luctuosa, & vilis compunctionem intrinsecus gignat. Paul. ad Thim. 1. cap. 6. *Habentes quibus tegamur, ijs contenti simus.* Et paulò ante loquens cū mulieribus, cap. 2. ait: *Ornātes se non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, &c.* Et cur à fœminis vestes preciosas aufert? Aufert equidem vestes preciosas commendaturus vilem amictum, & rudem, & solum ad tegenda corpora sufficientem, vt ostendat, vnde ingenerari possent in anima virtutes. Dicit Chrysost. hom. 38. in Genes. *Doctor Orbis cum dixisset. Habentes victum, & amictum, vertit statim ad mulieres sermonem, & dicit: Non insertis, vel auro, vel veste sumptuosa se ornent. Vides, quomodo non vult talibus ornari, nec veste sumptuosa; sed verum ornatum in animam inducere.* Itaque, vt induci posset in animam verus ornatus virtutum, ostendit Apostolus abijciēdas preciosas vestes, & accipiendas rudes, & viles; quæ sanè internas parere solent virtutes. Nec dubium

Gen. 38.

D. Zeno.

D. Fulg.

1. Ad Timoth. 6.

Chrysost.

est,

est, quin vestes externæ plurimum faciant ad affectus internos generandos; quando & preciosæ vestes, & molles etiam prauas affectiones procreant in anima. Prouerb.
Prou. 7. 7. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga.* Septuag. posuere: *Volatica*; quo respiciens Clemens Alex. lib. 3. Pædag. cap.
Cle. Al. 11. ait: *Ea, quæ à fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam penna sunt detrahenda, vt quæ instabilem superbiam, ac molliciem, inuesque voluptates procreent, quibus excitatæ & quodammodo à latæ sæpe resiliunt à matrimonijs.* Expende illa: *Instabilem superbiã, ac molliciem procreent.* Sunt equidem externæ vestes procreatrices affectionum in anima; si sumptuosæ, & molles sunt, procreant molliciem, & superbiam instabilem; si luctuosæ, & rudes sint, compunctionem solent generare.

§. XXXVI.

Ingenuæ mentes, vel vota obsequentium remunerare solent.

NOn possum non mirari honorem exhibitum à Dauide Abnero defuncto. Hoc enim fuit illius decretum: *Accingimini saccis, & plangite ante obsequias Abner. Porro Rex Dauid sequebatur feretrũ: Et fleuit super tumulum Abner, &c.* Quis regum hoc faceret cum priuato? Sed & Dauid non id fecit cum Amasa cõsobrino suo Absalonis exercitus principe; qui factus à Dauide suæ miliciæ princeps, vt reduceret ad se regnum Israel simili fraude fuit etiam à Ioab interfectus, vt habetur infra, cap. 20. Quem tamen nec luxit Dauid, neque sepeliuit, neque parentauit. Et cur qui in consanguineum principem, & adductorem etiam regni fraudalenter occisum tam siccus fuit; in Abnerem adeò largus, & profusus extitit? Sanè si vtriusque causæ spectentur, similimæ videntur. Vterque dux erat Israelis, & princeps miliciæ; vterque satagebat regnum Dauidi restituere; vterque interea à Ioabo fraudalẽter occiditur. Cur ergo Dauid nihil honoris dicitur impendisse Amasæ mortuo, quando tãto honore Abnerũ prosequitur? Equidem in simili causa horum principum, magnum discrimen interfuit erga Dauidẽ. Amasa enim non ex proprio voto solicitabat regnũ Israelis Dauidi restitui; sed impulsus ipse, & solicitatus à Dauide, imò præmio proposito illectus rem agebat. Vt videre potes infra, cap. 19. & 20. lib. 2. Reg. At Abner ex proprio voto ad Dauidem misit, & promisit restitutionem regni, quam dum agit interijt. Ne miremur Dauidem in hoc remunerãdo profusum esse; ingenuæ enim mẽtes nunquã non remunerant vota exequentium. Quis ignoret vtriusque Tobiæ affectũ in ductorem suum Raphaelem? Et pater, & filius, cap. 12. ex se cæperunt cogitare de mercede illi exhibenda. Nihil ab eis exquirebantur, & illi officium acceptum extollentes toti erant in remuneratione paranda. Quid tunc? Ait text. *Vocantes eum pater, & filius tulerunt eum in partem, & rogare cæperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ tulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte; Benedicite Deum cœli, &c.* Qui vsque tunc celauerat se sub habitu mercenarij; iam tunc ostendit, vt Angelus Dei erat, & vnus è principibus septem astistentibus coram Deo. Et tunc fecit patere, vt ipse cœlestis princeps Tobiæ inseruierit, illumque fœliciter duxerit, & reduxerit. Et cur modo tanto honore homines prosequitur, vt manifestet se principẽ cœlestem in eorum fuisse famulatu? An vt tantum redderet honorem, accepit aliquid ab eis? Absit; sed ingenuæ Angeli menti suffecit votum virorum, quo illi meditatem suorum bonorum volebant præstare. Quo spectans D. Aug. ser. 256. de Temp. ait: *Angelus gaudet de cogitata mercede, &c.* D. Aug. Hoc solum, quod ipsi ex se, à nullo requisiti, de mercede exhibenda cogitarũt, adeò gratum fuit Angelo; vt nullis non honoribus illud votum prosequatur. Marci cap. 16. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerũt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbathorũ veniũt ad monumentum orto iam Sole. Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippè magnus valde. Et introeuntes in monumentũ, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertũ stola candida, &c.* Marc. 16 Primæ fœminæ vident à monumẽtis splẽdescere iuuentutẽ, primis illis datur videre dominicæ resurrectionis nuntiũ. At quia vnxerunt preciosis aromatibus Iesum? Sed Iesus rediuiuus non egebat vnctione illa, imò nec illum honorẽ accepit de facto. Sed placuit illi fœminarũ conatus, & votum, quod minime reliquit immuneratũ. Pro quo dicebat D. Alcimus lib. ad Sor. alio datus.

Omnibus his ergo ad funebria iusta paratis D. Alc.
Vultura accedunt domini pia membra sepulti
Hic delectari nostro conamine, sequo
Quo non indiguit latari munere Christus,
Ostendit, matrum large pia vota regenens

Pro quèis respondens confestim gratia facta est, Angelicos cernunt, humana vt lumina vultus Atque resurgentis primæ dent munia Christi. Sic magnæ mentes obsequij conamina, & vota remunerare solent.

§. XXXVII.

Superba insultatio in peccatis pessima.

POst homicidium confectum iussus est Ioab à rege lugere defunctum, & funebri apparatu comitari sepeliendum; sic enim in textu: *Dixitque Dauid ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante obsequias Abner.* Ioab autem minime officium detrectat, nec opere nec verbo obstitit Imperio regis, sed tacitus omnia perfecit. Quis non inde veniabile Ioab homicidium credat? Equidem, quod homicida quiescat in morte peracta, nec insultet defuncto, sed magis eius studeat obsequijs laudabile est, & dignum venia. Illud enim prorsus intolerabile, quod peccator insultet in facinoribus, & superbiat. Genes. 4. Primus parricida Cain post interfectum fratrem requisitus à Deo dicit: *Nunquid ego sum custos fratris mei?* Quid superbius? Sanè putat aliquis maiorē inde indignationem incurrisse, quod fratrem defunctum despicit, & superbe respondit Deo, quam quod fratrem interfecerit. Ait D. Irinæus lib. 3. cap. 36. *Interrogatus ait: Nunquid custos fratris mei sum ego? Extendens & multiplicans malum per responsionem. Etenim malum est occidere fratrem, multo peius sic audacter, & irreuerenter respondere omnia scienti Deo, quasi posset frustrari eum. Propter hoc & ipse maledictionem portauit, quoniam ad se peccatum attulit, non reueritus Deum, neq; cōfusus in fratricidio.* Intolerabile quippe est, quod post facinus, adhuc, peccator superbiat, nec quid confusionis ostendat.

Genes. 4.

D. Irin.

2. *Reg.* 3. Plangensque Rex, & lugens Abner ait: Nequaquam vt mori solēt ignaui mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt cōpedibus aggrauati: sed sicut solent cadere corā filijs iniquitatis, sic corruisti congeminansque omnis populus. Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, &c.

§. XXXVIII.

Stulti, & ignaui nihil supra homines meditantur in morte.

INde comendat Dauid Abnerum, quod non mortuus fuit, *Vt mori solent ignaui.*

Septuaginta posuere *Nabal*, quod verbū significat stultum, ignavum, vilem, teste Saliano. Sed scire cupis, qualiter solent viles, & ignaui, & stulti mori? Equidē moriuntur hi, nihil in morte meditantes præter humana negotia, nihil memorātes præter naturale quodā, & temporale infortunium, sub quo pauentes miserē finiuntur. Aiebat Psal. 81. *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini.* Addidit Euthym. *sicut homines simplices.* Et explicans, quid sit mori sicut homines simplices, fatur. *Tametsi imagine Dei honorati estis, & tanto donati nomine, vt dij appellemini, moriemini tamen, vt simplices. Homines enim hic vulgares quoslibet homines intelligit, quòd nec diuinā nouerunt legem, nec prudentiam vllam habent, cuius modi gentes sunt.* Sic stultissimi & ignauissimi moriuntur, nihil memorantes diuinum, nihil supra cōmunia hominum negotia sapientes, nihil vel opere, vel verbo agentes, quo distinguantur ab stultorum multitudine. De cātatissimo Iudæo Razia ait, 2. Machab. 14. *Cum iam comprehenderetur, gladio se petiit::: Recurrens audacter ad murum præcipitauit semetipsum virtiliter in turbas:: Inuocans dominatorem vitæ, ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet.* Expende illud verbum *viriliter*, non sanctè, non pie, non sapienter, sed viriliter, hoc est, intra humanos fines se continens agebat: Sed quomodo solum, vt vir agebat, qui authorem vitæ inuocabat, ab illoque membrorū restitutionem petebat? Equidem hic tantus in morte nihil supra hominem sapiebat, nec in postulatione sua requirebat aliquid, quo ab stultorum multitudine distingueretur. Ait D. Aug. lib. 2. contra Gaudentium, cap. 25. *Non plane sapientia sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum:: Ad extremum, quod inuocasse dictus est dominatorem vitæ, ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, inquit, vitam, ac*

Psal. 81.

Euthym.

2. *Mach.* 14.

August.

ac ſpiritum, nec iunc aliquid poposcit, quo boni diſcernuntur à malis. Sanè ſtultus homo nil ſapienter agebat in morte, nec requirebat, nec meditabatur aliquid, quo ſe ſupra hominum turbas eleuaret. Eu quot homines neſciunt in morte humanas curas vitare: abſumentes extremum tempus in curis tẽporalibus, in votis pro ſalute corporis obtinenda, in honore ſepulturæ mandando: in memoria ſui in mundo firmanda. Pſeudo propheta, 3. Reg. 13. dicebat filijs ſuis: 3. Re. 13. *Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir Dei ſepultus eſt: iuxta oſſa eius ponite oſſa mea.* Stultus cum de morte ſua agit, ſolam corporis ſui ſepulturam meminit, & totus eſt in mandando filijs, vt ſepeliendus ſit iuxta hominem Dei, ne qua clades cadauer ſuum offendat. Quid ignauius? Eucher. Ait Eucher. lib. 4. in lib Reg. *Affectu namque illo, quo nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, providerat cadaueri ſuo, qui occiderat mendacio animam ſuam. Hunc affectum Chriſti martyres certantes profide vicerunt, nec mirum quod contempſerunt, quod nõ erant peraĉta morte ſenſuri, qui non potuerunt eis, quos viuentes ſentiebant, cruciatibus vinci.* Validiſsimi Chriſti milites omnia corporis mala ſuperant, & ſupra homines poſiti temporalia mala obliuiſcũtur, vt teneant æterna bona. At ſtulti nihil ſupra corpus metuunt, de ſolis malis corporis ſoliciti, vel morientes ſola meditantur, quæ cadaueri humando conueniant. De ijs dicebat Dominus Sophoniæ, cap. 1. Soph. 1. *Dies tubæ, & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo homines, &c.* Vide quos tribulauit Dominus in iudicio; Tribulabo, ait, homines. Ad quæ D. Hier. ibi: D. Hier. *In conſummatione tribulabuntur omnes homines: qui homines permanſerunt, & mortui ſunt quaſi homines.* Eu in quantas tribulationes deuenient, qui vel in morte nihil ſupra homines ſapere volunt.

§. XXXIX.

Stultiſsimorum eſt in morte curas mundialis celſitudinis retinere.

NOn equidem mortuus eſt Abner, *vt moriſolent ignaui, vel ſtulti*, quorum ſtudium ſolet eſſe de celſitudine, & gloria mundiali ſeruanda in morte. Razias ille Iudæus, 2. Machab. 14. cum iam ab hoſtibus comprehenderetur, *gladio ſe petiit, eligens nobiliter mori, potius quam ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis iniurys agi.* Expende illa: *Eligens nobiliter mori*, gladio ſe petebat, & interea ſolum cogitabat de nobilitate ſeruanda in morte: quod vel moriens nobilis, & ſpectabilis appareret. Quid ſtultius? Ait D. Auguſt. lib. 2. contra Gaudentium, cap. 23. *Illi tanquam homini ſubrepſit humilitatis impatientia, vt prius mori vellet, quam hoſtibus ſubiici. Dictum eſt, quod elegerit nobiliter mori; melius vellet humiliter, ſic enim vtiliter.* August. Nõ equidem in nobilitate oſtentanda tempore mortis, ſed in humilitate comparanda, & promenda eſt vtilitas, & lucrum fidelibus. Riſu, & ſybilis proſequendi ſunt, qui vel in morte neſciunt curare niſi excelſa. Quorum tota cura eſt in ambitione funeris, in ſumptuoſitate ſepulchri, in celebritate nominis, quibus cineres nobilitentur. Quam ſapientius agerent de humilitate comparanda, de ſe humiliando coram Deo, de contemptu mundialis honoris, & de cœleſti conſequendo. Sapienter illud dictum: *melius vellet humiliter, ſic enim vtiliter.* Hinc D. Petrus cum eſſet crucifigendus enixe petiit à tortoribus, vt inverſo corpore crucifigeretur. Et cur ſic amabat inverſo corpore crucifigi? Si rectus crucifigeretur, maximè aſsimilabatur Dei filio crucifixo, in quo non parum honorem, non paruam nobilitatem poſitam ducebat. Et ſapiens homo in morte, quidquid honoris, quidquid nobilitatis erat refugiebat, non tam nobiliter, quam humiliter mori cupiens, ſic enim vtiliter. Ait D. Auguſt. ſerm. 29. de Sanctis: *In illa vtique cruce imitari metuens ſacrificium redemptoris, capite in terram demergi elegit. O virtus humilitatis ingenitæ, honorari etiam ſupplicij genere pertimeſcit, & qui non recuſat dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaueſcit triumphi.* August. Pro Eccleſiæ firmiſsimum fundamentum; ad mortem accedebat, & quidquid ad honorem, ad nobilitatem triumphi ſpectabat, humiliter reſpiciebat. Nec aliud cogitabat, quam quod caput ſupponeret Ieſu pedibus. Vtinam hæc humilis cura impleat omnia pectora morientium. Nec me tempero, quin huc afferam Sedulij verſus, quibus Ieſum depingens crucifixum ait libr. 4. Paſchali.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis
Splendidus authoris de vertice ſplendet Honos,
Occiduo ſacra lambuntur ſydere plantæ.

Expende illud: *Occiduo ſacra lambuntur ſydere*

dere plantæ; in ortu suo Sol forsitam audeat radios suos nobilitare capite saluatoris, at in occidente vergens ad occasum tunc hoc satagit, vt sese pedibus crucifixi obuoluat, vt lambat sacras plantas. Nequis moriens audeat aliud cogitare, quam vt se pedibus crucifixi obuoluet.

§. XXXX.

Eleemosina viam facit morituris ad Deum.

NOn mortuus est Abner, *vt morisolent ignaui*, Septuaginta: *Nabal. Manus tuæ ligatæ non sunt, &c.* Et quidem si ad Nabalem maritum Abigail cum Theodoreto, & Abbul. recurrimus. Illius manus ligatæ fuerunt, ne daret quicquam Dauidis sotijs egentibus, vnde supplicium à Deo immissum incurrit. Non sic Abner, sed solutissimas habens manus, vt Dauidi regnũ daret, ab hominibus nefarijs occisus est. Nunquã enim manus solutæ ad subueniẽdum egenis, non glorioſum finem homini faciunt. Ex quo senex ille dicebat, Luc. 3. *Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quia vidit salutare Dei nempe Iesum, sibi iam glorioſum, & securum finem autumat. Quid mirum? Et qui Iesum vident in egenis, illos pijs operibus adiuuando sibi apertissimam viam ad gloriam faciunt. Ait Beda, ibi: *Ideò nos à peccatorum scandalo absoluens Domine, iam in pace reconciliatos, passibus amoris propinquare cœlestibus facis, qui fidei oculis salutare tuum Christum Dominum in membris eius intueri, eumque pijs operibus amplecti meruimus.* Qui meruere Christum in membris suis, nimirum in egenis, & pauperibus intueri, illumque ibi misericordiæ operibus fouere, & amplecti, ab omni vinculo peccatorum absoluti cœlestibus appropinquare nouerunt. Manus equidem solutæ ad largiendum pauperibus sic viam salutis complanare nouerunt, vt facilis sit appropinquatio ad Deum. Iesus meus saturatus infinitam multitudinem in eremo dicebat discipulis suis, Ioann. 6. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Et quando nouerat pauperes discipulos suos esse, insuper in eremo sterili existere, cur ab illis panes petit? An vt confundat illos? Absit; sed vt moneat, quàm debeant esse in omni loco soliciti de pascendis pauperibus, qui velint appropinquare Deo. Adhæc fatur D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 13. *Optimam disciplinam, & satis consentaneam viris, suis modo discipulis Christus proposuit. Nam etiam in montibus, & deserto paratos esse docuit oportere ad hospitalitatis virtutem; qua quidem re, quid homini, qui Dei charitatem assequi velit, maius excogitari potest?* Sic Cyrill. ad consequendum Deum nil maius putat, quam exhibita in pauperes misericordia; hæc enim inter omnes morales virtutes maxime nos ad charitatem disponit, qua Deum tenere possumus.

Luc. 3.

Beda.

Ioann. 6.

Cyr. A.

§. XXXXI.

Lachrymæ pro amato amorem ad maiora augent.

INter flendum rogatur Dauid, vt ad cibum veniat; quibus ipse respondit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem, vel aliud quicquam.* Nec miror, quod Dauid à fletu pro Abnero ad inediam deueniat, habent enim hoc lachrymæ fusæ pro amatis, vt amorem augeant, vt maiora possent præstare. Magdalena recens ad Christum conuersa. Luc. 7. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* De qua statim ipsa veritas pronuntiauit: *Quia dilexit multum.* Et mirabar, quod recens conuersa fœmina in tantum amorem Christi excresceret; qui multus possit ipsi Deo videri. Vnde in tam recenti conuersione tantus amor? Plane lachrymis cœpit rigare pedes Iesu; & de imbre lachrymarum non mirer, quod cresceret in immensum dilecti amor. Vt dicat Drogo lib. de Sacram. Pass. *Ad lauanda sui Domini vestigia, non aliàs, quam oculorum suorum vndas attulit; tunc vero vbi affectus vehementior incanduit, & exuberauit, carbo lachrymarum imbre respersus fortius exarsit.* Frigidior carbone sis, si ceperis lachrymas fundere, totus cordistui carbo & fortius ignietur, & exardescet. Hinc Ioan. 20. Angeli post rediuivum Dominum apparentes dicebant Magdalenæ: *Mulier quid ploras?* Quibus verbis non minuebant lachrymas, sed maiores extorquebant, cogentes rememorare earum causam. Vt enim sciebant lachrymarum fructum in amore roborando, sic

Luc. 7.

Drog.

verbis

verbis ſuis illarum maiores copias ſolicitabant. Vt dicat Aymon ibi: *Interrogabant Angeli non ſolum cauſas, ſed etiam inquiſitionem, non vt quærendi deſiderium minuerent, ſed vt augerent. Sicut enim nos, cum propter charorum amiſſionem flemus, ſi quis nos fletus cauſas inquirat, fletum magis accumulat, ita & illi cauſas doloris interrogabant, vt fletum augerent.* Curant augere fletum, vt deſiderium dilecti magis exardeat. Ideò dicebat
Luc. 22. Dominus Petro, Luc. 22. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Et intrabar, quod negaturo, etiam ſi conuerſus iam fuerit, mandetur opera confirmandi fratres. Qui fieri poterit, vt toties lapſus immediate poſt conuerſionem moneatur, vt cõfirmet alios? Vnde tanta firmitas in recenter conuerſo à lapſu? O. Iedit Euthymius
Euthym. ibi ſatus: *Conuerſus poſt negationem, videlicet, per fletum amarum.* Vbi fletus conuerſionem comitetur, ſic affectum robarat, vt vel alios ardere in Chriſti amorem faciat.

2. *Rge.* 3. Omnis populus audiuit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit Rex in conſpectu totius populi, & cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illa, quoniam non factum fuiſſet â rege, vt occideretur Abner filius Ner. Dixit quoque Rex ad ſeruos ſuos, nunc ignoratis, quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Iſrael? Ego autem adhuc delicatus, &c.

§. XXXXII.

Optimi principis eſt conſpicuã facere omnibus ſuam innocentiam, & mititatem.

ET luctus, & fletus, & inedia Dauidis eo ſpectabant, vt illum in morte Abneris innocentem eſſe notum omnibus facerent. Quod & factum eſt, nam *cognouit omne vulgus & vniuerſus Iſrael, in die illa, quoniam non factum fuiſſet à rege, vt occideretur Abner.* Nota illud: *Cognouit omne vulgus*, &c. præclariſsimus enim princeps amabat, vel infimis popularibus ſuæ innocentiæ, & mititatis dare ſatisfactionẽ, quod crediderim hauſtũ à præſtãtiſsimo, & ſummo rege omnium. Is enim Matth. 18. poſt dimiſſum ingens debitum ſeruo ſuo, vt vidit illum crudelem in conſervum; vocat hominem, & ſtatuens illum coram omnibus ſeruis ſuis ait: *Serue nequam omne debitũ dimiſi tibi, quia rogaſti me. Nõne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus*, &c. Matt. 18
Nõ procedit ad pœnam, quin prius coram omnibus teſtetur, vt fuerat illius miſertus, vt annuerat precibus eius, ingentia illi debita cõdonans. Et cur tantus eſt bonus Rex in teſtãda ſua erga tam nequam ſervum miſericordia? Amabat bonus princeps in damnatione hominis ſuæ innocentiæ, & mititatis dare, vel infimis ſatisfactionem. Ait D. Chryſoſt. hom. 62. in Matth. *Animaduerte, quam mitis ſit Dominus, quaſi conſtitutus in iudicio ſatisfactionẽ reddit, quare donationem illã vniuerſam reuocauit, imò vero non ipſe reuocauit, ſed ille, qui accepit, euertit.* Chryſoſt. Vtinam hãc ebibant mentem principes omnes, vt vel infimis popularibus patere velint ſatisfactionem ſuæ mititatis, & innocentiæ in factis difficilioribus.

§. XXXXIII.

Nihil magnum vbi peccatum.

FOrſam Dauid non ſolam militarem excellentiam, ſed etiam Abneris innocentiam extollebat, quando ait: *Nunc ignoratis, quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Iſrael?* Maximum vocat, vt à ſceleribus purificatum ſtatuat. Nulla enim magnitudo eſt, in quo eſt peccatum. Ait Leuit. cap. 10. *Pontifex, id eſt, ſacerdos maximus inter fratres ſuos; ſuper cuius caput infuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt*, &c. Leuit. 10
Quibus verbis vnus Ieſus meus creditur poſſe ſignificari, cum enim cæteri omnes peccatores fuerint, de nullo poteſt dici, quod fuerit ſacerdos maximus, niſi de ſolo Ieſu, in quo nullum potuit eſſe peccatum. Dicebat D. Cyril. Alex. in Leuit. lib. 12. *Quomodo magnus dici poteſt ſacerdos, qui peccare poteſt? Quod ſi tẽ ſub peccato fuerint omnes etiã magni Sacerdotes, & ex hoc ipſo facile aduertimus, quod lex præcepit, vt prius pro ſuis, poſtea etiam pro populi*
Cyr. Al.

pulit peccatis stirpat hostiam Sacerdos. Quomodo ergo magnus est sub peccato positus? Meus autem Sacerdos magnus Iesus, id circo magnus est, quia peccatum non fecit. Non enim bene conueniunt magnitudo, & peccatum; vbi peccatum est, magnitudo esse non potest. Ideò Angelus locutus ad Mariam, Luc. 1. *Concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & c.* Et post pauca ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Cõpone modo, nascetur sanctum, & erit magnus. Nõ posset enim magnus vocari, si nasceretur in peccatis. Sic D. Cyrill. Alex. vbi supra. *Gabriel Angelus natiuitatem Iesu annũtiat, dicens: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Peccatum enim hominem paruum facit & exiguum; virtus eminentem præstat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile, & exiguum facit corpus hominis; sanitas vero latum reddit & validum: ita intellige, quia & animam quidem ægritudo peccati humilem facit, & paruam: sanitas vero interioris hominis, & virtutis opera magnam faciunt eam & eminentem.* Venit magnitudo à virtutibus, exilitas, & paruitas nunquam non comitatur peccatum. Et pergit ibi Cyrill. fatus: *Ostende mihi de scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti magnus appellatus sit. Nusquam, opinor, inuenies. Audi vero, qui sunt, qui magni appellantur. De Ezechia dicitur, quod proficiebat valde, quousque factus est magnus. Moyses dictus est magnus, & Ioannes Baptista magnus dictus est, & c.* Vide, vt nusquã in scriptis sacris magnitudo inueniatur cum peccatis, sed cum innocentia, & sanctitate. Et pusillitas, & paruitas cum malitia inuenitur. De Zachæo dicit, Luc. 19. *Statura pusillus erat.* Circa quæ D. Ambr. *Vide ne forte malitia pusillus*; quasi pusillitatem coniunctam credat malitiæ.

Luc. 1.

Cyr. Al.

Cyrill.

Luc. 19.

§. XXXXIIII.

Multi errores dissimulandi in eo, qui regna adducit ad principem.

IGnorantiæ tribuit Dauid, quod Abner non credatur maximus princeps apud se. Ait enim: *Nunc ignoratis, quoniam princeps, & maximus hodie cecidit in Israel?* Fuerat autem Abner Dauidi hostis, illique bellum intulerat post mortem Saulis, & in eius odium Isbosethũ regem fecerat. Vnde qui tam nequã in Dauidem, modo maximus est apud illum? Totus erat modo Abner in reducendo Israelis regno ad Dauidem; & ignorantia est non scire multa mala dissimulanda, & operienda esse in eo, qui regnum reducit ad principem. Qui dat principi regna, nõ dabit pœnas in multis, sed summum locum tenebit apud principem, qui non laboret ignorantiæ vitio. Id caluerat Ioab, cum supra *Abnerum percussit, in ingine, & mortuus est.* Si enim quæras tãti facinoris causam, illam tradit Theodor quæst. 12. inquiens: *Sciebat enim fore, vt Abner præesset exercitui, qui vniuersum Israelem adducebat ad regem.* Vt sapiens erat, non ignorabat summum locum futurum esse Abnero apud Dauidem, nihilique faciendos eius errores, qui regnum integrum reducebat suo principi. Huc spectent sapientes principes, & ignorantiæ tribuant, si non credant multa dissimulanda, & operienda in eo, per quem sibi subdita regna acquirunt. Dicebat D. Petrus primis illis Christianis, 1. epist. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annũtietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen.* Et stupebam, quod homines paulò ante tenebrosi, idololatræ, sceleribus pleni, & interquos aliqui forsam errores non penitus expurgati erant, tam præclarijs elogijs commendentur à Petro, vt dicanturgenus electum, regale Sacerdotium, gens sancta apud Deum. Et cur tam cito tot tenebræ dissimulantur, tot maculæ operiuntur, & nihil in eis non electum, non regium, non sanctum apud Deum visitur? Huius rationem indigitant verba illa sequentia, nimirum, *Populus acquisitionis, &c.* vt enim illi eo spectabant, vt populos, & regna Deo acquirerent, sic in illis summus mundi Princeps nil videbat non regium, & electum, & sanctum. Inde S. Greg. PP. epistol. 58. data Augustino, qui Anglorũ regnum acquisierat Christo, ait: *Peccator ego spem certissimam teneo, quia per omnipotentis creatoris nostri, ac redemptoris Dei, & Domini Iesu Christi gratiam peccata tua dimissa sunt, & id circo electus es, vt per te dimittantur aliena. Nec habebis luctũ de quolibet reatu in posterum, qui de multorum conuersione gaudium conaris facere in cœlo.* Quid grauius à Sancto Pontifice dici potuit in commendationem eius, qui tot Deo afferebat populos? Sanè sapienter de summo rege omnium præsumebat, qui luctũ de reatibus in eo tollit, cuius erat gaudium facere in cœlis conuersione populorũ. Et Rex homo luctum inferet pro aliquibus excessibus

Theod.

D. Petr.

S. Greg.

sibus ei, per quem gaudet rebellium obedientia, regni tranquillitate, dominij dilatatione? Non sapientis regis, ideſt, & à diuino rege maxime alienum, apud quē nunquam non florent, qui desudarunt in populorum conuersione. Et vt alios in silentio venerer, cur non dicam de D. Francisco Xauerio pareute meo, qui tot regna acquisiuit Regi sæculorum? Sanè huic in cœlo & electum, & regium, & sanctitatum plenum crediderim esse locum.

CAPVT XVIII.

Vindicatur Isbosethi cædes.

Textus Historia.

ISBOSTVPEFACTVS Isboseth morte Abneris, à regni cōseruandi fiducia decidit, & in vniuerso Israele sibi quisque cæpit prouidere. Fuerant duo Principes viri Rechab, & Banaa ab Abnere exaltati, vt custodirent regem, qui Abnero defuncto, Dauidis gratiam mercari, vel Isbosethi capite disposuerunt? Horum patria Beroth in tribu Beniamin, cuius ciues post occisum Saulem fugerāt in Gethaim. Nec mirum, quod fugerent Berothitæ; fugit etiam nutrix paruuli filij Ionathæ nomine Miphiboseth, qui in fuga dum labitur à nutricis manibus, claudus effectus est. Ergo meridiano æstu dormientem Isbosethum serui vniuersi relinquunt, sibi etiam consulentes, vt moris est, in principum Regijs. Vna sola visebatur ancillula iuxta domus limina triticum versans, quæ etiam vel labore, vel æstu lassata somno se dederat. Quam occasionē nacti Rachab, & Banaa manipulos tritici manibus ferentes quasi oblaturi regi, domū intrant, dormientem misere cedūt, eiusque capite abscisso ad Dauidem festinato cursu contendunt. Et quid præmij perduelles homines accipiunt à bono rege? Sanè Dauid nefarisimos perdidit, eorumque manibus, & pedibus abscisis, in crucemque actis, caput Isbosethi honorifice cum Isbosetho sepelit.

(†)

PARS MORALIS circa textus literam.

PERDIDIT Dauid perduelles, qui sub tritici donō regem suum interfecerunt; vt timeāt ruinam, qui cœlestis panis in oblatione Regem sæculorum offendunt;

2. *Reg.* 4. Audiuit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron, & dissolutæ sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est. Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen vni Banaa, & nomen alteri Rechab filij Remmon Berothitæ, &c.

§. I.

Vnæ Dei manus nesciunt defectum parare.

IN morte Abner cōcidit Isbosethus animo, ait enim text. *Audiuit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner, & dissolutæ sunt manus eius.* Habebat enim robur, & firmitatem in regno ab Abnere accepto, non à Deo, ne miremur, quod cadat, & in perditionem eat, quod non à Dei, sed à creaturarum venit manibus. Accedens Dominus ad creandum hominem dicebat, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Faciamus, ait, quasi ad cooperatores locutus; nec est improbabile Angelos seruisse Deo limum adducentes, & corpus cōfingentes, cui Deus animam inspirauit. Et cur non solus Deus suis manibus finxit hominem? Cur ad tale figmentum cooperatore vti maluit? Erant in homine futuræ actiones rectæ, & præclaræ, quæ diuinas decerent manus; sed & erant futuræ aliæ actiones deuiæ, in perditionem inclinantes, quę non poterant non olere creatas manus. Ait Philo lib. de mūdi opificio: Dixit Deus: *Faciamus hominē: quod indicat assumptos alios tanquam cooperatores: vt irreprehensibiles tam voluntates, quam actiones hominis recte se gerentis acceptum ferantur Deo rectori omnium: contrarię* Genes. 1. Philo.

autem alijs ipsi subditis. Vt in homine distinguendę erant actiones, sic erant distinguendę eius productorū manus. A diuinis enim solis, quæ recta sunt, & firma, & perfecta originem trahūt, à creatis autē sola deuia, & ruitura, in perditionemque tendentia conflantur. Solus quim Deus perfectum, & absolutom facit, creatura autem nunquam non versus imperfectionem vadit. Post natum Dominum dictum est de pastoribus, Luc. 2. *Venerunt festinātes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de hoc puero. Et omnes, quæ audierant mirati sunt deijs, quæ dicta erant à pastoribus.* Expende illa: *quæ dicta erant, &c.* quippè pastores venerunt, inuenerunt, dixerunt, at nihil fecerunt, nō dicuntur procidisse, nec puerum adorasse, nec muneras se. Quæ omnia facta fuerunt à Magis, de quibus ait Matth. 2. *Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, &c.* Et vnde Magi in idololatria educati tam perfectè omnia munera nato Deo debita explent; pastores autem educati in lege Moysi, sic deficiunt in honore extrinseco exhibendo infanti? Ait Rup. lib. 2. de Glor. & Honor. Fil. Hom. *Vide, quanta sit distantia in modo discendi, quantum distet inter eruditionem illius, qui per Angelum, siue per hominem, & illius, qui per solam Spiritus Sancti reuelationem merentur erudiri. Pastores itaque Iudæi non per hominem sed per Angelum natum sibi esse saluatorem Christum didicerunt, & tamen non adeò docti fuerunt, vt procidentes adorarent, aut munera offerrent. Isti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum, sed per Spiritum Sanctum laudem perfecerunt, atque adorationis exemplar existere meruerunt.* Vt à Deo Magi eruditionem percepetunt, sic omnia erga recens natum officia perfectissime expleuerunt. Pastores autē à creatura Angeli eruditi in multis defecerunt, nec procidentes adorauerunt, nec munera obtulerunt. Sic semper à creatura pariuntur defectus, perfectiones à solo Deo. Quo spectans D. Paul. ad Colloss. 2. ait: *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis, in quo, & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi.* Duas proponit circumcisiones alteram Christi. Et in quo distinguitur à circumcisione Moysi circumcisio Christi? Explicant verba illa: *Non in expoliatione corporis carnis,* à Moyse veniens circumcisio hominem decurtabat, & in ruinam corporis tendebat. Circumcisio autem Christi non in destructionem, sed in augmentum hominis venit. Vt dicat D. Zeno ser. 11. de Circumcis. de circumcisione Christi: *Non in damnum hominis præputium carnis, sed in augmentum hominis præputium facinorosi cordis incidit* Quidquid à Deo venit, in augmentum venit, quidquid à creatura, in damnum vergit, & ruinam.

Luc. 2.

Matth. 2.

Rupert.

Ad Colloss. 2.

D. Zeno

§. II.

A calamitate peccatoris timor profectus maxime etiam iustos perturbat.

AVdita morte Abneris *Omnis Israel perturbatus est*, nec miror; timor enim, qui à calamitate peccatoris exurgit, potens est perturbare, & vexare etiam iustos. De principe tenebrarum locutus Iob, cap. 41. aiebat: *Cum sublatus fuerit, timebūt Angeli, & territi purgabuntur.* Et quando in Angelis nihil purgandum relictum est, per Angelos intelligo illos homines, qui angelicam emulantur vitam. Hi ergo siue modo, siue in extremo die existentes, & contemplantes damnationem tanti principis, nempe Luciferi, tanto timore concutientur, vt si quas habeant culpæ maculas, illis purgari possint. Ait ad hæc D. Iulianus Archiep. Tol. lib. 3. Prognost. cap. 6. *Cum sublatus fuerit diabolus, vt damnetur, multi electi, qui in corpore inueniendi sunt, domino ad iudicium veniente, metu concutiendi sunt, videntes tali sententia impium esse punitum Quo terrore purgandi sunt, quia si quid eis ex corpore, adhuc, peccati remanserit, metu ipso quo diabolum damnari conspiciunt, purgabuntur. Hinc est, quod ait Iob: Cū sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur: Angelos videlicet, sanctos quoque, atque electos volens intelligi.* Tātus enim terror bonos inuadit in damnatione malorū; vt illo purgari possent proprijs culpis.

Iul. Arc.

§. III.

Rarus principatus mundialis latrocinijs est purus.

NOlo non hærere propriæ vocabuli significationi in illis verbis: *Hoc autem*

tem viri principes latronum erant filio Saul, &c. Qui enim principatus mundialis est purus latrocinijs? Præclare D. Augustin. lib. 4. de ciuit. Dei cap. 4. & 6. antiqua, & magna imperia orbis, magna latrocinia vocat. Et Ezechiel, cap. 17. Assyriorũ, Ægyptiorumve principatus Aquilæ comparat, quæ dicitur *plena plumis.* Vbi Septuag. legunt: *plena vnguibus.* Et interlinealis ait: *Septuaginta: Vnguibus propter rapacitatem.* Crede mihi scatent mundiales principatus rapinis, fortis, latrocinijs. Rursus Ezechiel cap. 19. *Assume planctum super Principes Israel, & dices: Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum nutriuit catulos suos? Et eduxit vnum de leunculis suis, leo factus est.* Israelis principes sub leonum nomine traducit, vt ostendat, quam inseparabilia soleant esse à mundialibus principibus latrocinia. Quo spectans Ieremias, cap. 4. ait: *Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentiũ se leuauit.* Sic traducebat diuinus Spiritus antiquos principatus mundi, vt eos in prædonum cathalogo constitueret. Et quid mirum? Vix tunc latrones non impune viuebant apud Principes. Notissimus est ille Iesu proditor Iudas, de quo ait Ioann. cap. 12. *& fur erat, & loculos habebat.* Hic autem fur, & latro notissimus, Luc. 22. *abyt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, & magistratibus.* Vide, quem admittant ad colloquium principes, & magistratus, notissimũ furem, latronem sæuissimum. Ait Euthymius, ibi: *Cum principibus, & magistratibus, qui templum custodiebant. Nam & hi pecunia persuasi cum homicidis coniurauerant.* Nõ erat latro adeò cruẽtus, quem Principes illi non admitterent in societatẽ. Vt merito vocentur ab Isaia, cap. 1. *socy furum.* Quæ lues vtinã per vniuersos non grassetur Principes. Ioann. 19. ait: *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Ecce tibi, vbi Iesus Rex scribitur à Pilato, inter duos conspicitur, quos Matthæus, cap. 27. latrones vocat. Dicit enim: *Posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris.* Expende illud *tunc*, nempe cum Rex Iudæorum fuit inscriptus, inter duos latrones medius conspicitur. Ne quod regnum mundiale appareret sine latronibus suis. Sed illud notat D. Cyrill. Alexand. in regis titulo appositio Iesu crucifixo inter duos latrones, nimirum: *Hoc certe illud aduersus nos Chirographum, quod cruci affixum à Domino Paulus ait, in quo de principatibus, potestatibusque, vt deuictis triũphauit.* Itaque in illo regis titulo est decretum, quo Iesus triumphauit de principatibus, & potestatibus. Et in quo triumphauit diuinissimus Rex de illis? In hoc, quod & duobus latronibus socijs vnum conuertit, alterum dedit supplicio, nullum reliquit in latrocinijs. Quis regum hoc faceret? Plane hoc est Regni Christiani signum, quod nullum relinquat latrocinium, sed latrones omnes aut transferat ad meliorem frugem, aut prorsus exsufflet.

Ezec. 17.

Ezec. 19.

Ierem. 4.

Ioann. 12

Luc. 22.

Euthym.

Isaias, 1.

Matt. 27

Cyr. Al.

2. *Reg.* 4. Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab, & Banaa ingressi sunt feruente die domum Isboseth; qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormiuit. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine, Rechab, & Banaa frater eius, & fugerunt, &c.

§. IIII.

Defectiones, & scandala sustẽtans per ea solet perire, per quæ communiter viuitur.

NOn possum nõ notare circunstantias, & modum quo Isboseth perimitur, nimirum dum triticum purgatur in domo eius, & spicæ in manibus interfectorũ visuntur. Dicit enim: *Venientes igitur filij Remmon, & c. assumentes spicas tritici, & percusserunt, & c. Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit.* Sic totum tritici negotium adiuuit hos Principes, vt Isbosethũ interficerent. Nec id casu factũ crediderim, sed summa Dei prouidentia ostendentis, vt soleant scandalorũ, & defectionum authores per ea perire, per quæ communiter viuitur. Isboseth nãque sibi indebitum regnũ arripiens, & retinens, defectionem à vero rege sustentabat, & scandalum faciebat in Israele, dum bella fouebat aduersus Dauidem. Ideò prouisum est à Deo, vt negotium tritici ad illius mortem cõcurreret, vt

perire

periret subtritici vmbra, quando per triticum omnes viuimus. Dicebat Dominus,

Luc. 17. Luc. 17. *Impossibile est, vt non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt. Vtilius est illi si lapis moralis imponatur circa collũ eius, & mittatur in mare, &c.* Et cur lapis moloris proponitur in pœnam illi, qui scandala sustentat? Est lapis moralis instrumẽtum, quo aptatur triticum, vt homines nutriat; ideò merito prouisum est, vt scandalorum sustentator pereat, per illa, quibus communiter homines viuunt. Ait D. Chry

Chrysol. sol. ser. 17. *Quare non lapis, sed lapis molaris? Quia lapis molaris, dum triticũ terit, dum farinam fundit, panem pie laborantibus sic ministrat. Bene ergo ille, qui eligit minister scãdali magis esse, quam pacis, ad collum lapis alligatur molaris, vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Vides, vt scandalorum ministrum panis negotium perdidit, quod alijs ministrat vitam. Et vnde communiter omnes viuebãt, ipse extremam sibi attrahit ruinam. Non absimile inuenio in Menelao seditioso viro, qui vt seditionem augeret Ierosolimis, & principatum acquireret, accessit ad Anthiocum regem, multaque illi dixit in suos. Quid tunc? Ait 2. Machabæor. 13. Sed rex Regum suscitabit animos Anthiochi in peccatorem, & suggerente Lysia, hunc esse causam omnium malorum, iussit comprehẽsum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris, quinquaginta cubitorum aggestum vndique habens cineris. Hæc prospectum habebat in præceps. Inde in cinerem eijci iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad in-

S. Mach. teritum; *& tali lege prævaricatorem legis cõtigit mori, nec terræ dari Menelaum. Equidẽ*

13. *satis iuste: nam quia multa circa aram Dei cõmisit, cuius ignis, & cinis erat sanctus, ipse in cinere damnatus est.* Expẽde in primis illud: *hunc esse causam omnium malorum*; quippè accusabatur miser, quod omnium scandalorum, & perturbationum, & defectionũ author esset. Deinde expẽde supplicium, præcipitatur namque à turre in suggestũ, quo aceruabantur sacri cineres. Vt ignis, & cineres holocaustorum, quæ tot bona afferebant hominibus, illi inferrent excidium. Pro miseri pacis turbatores! Omnia humana, & diuina alijs salutaria, sibi inuenient maxime lethifera.

(?)

§. V.

Sacramenta Christiana ex effectibus censenda.

CO nueniant hunc vniuersi hæretici, & notent differentiam inter triticum horum principium, & triticum Christi. De his dicit: *Assummentes spicas tritici & interfecerunt eum, &c.* Quasi manus tritici daturi Isbosethũ interficiũt. De Christi tritico ait ipse, Matth. 15. *Relinque mu-* Matt. 15 *nus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Mensa Dei, panis viuificus non capit sanguinolentos, expuit proximorum osores, pacem, & concordiam, & charitatem gignit. Nõ ergo ex alijs ratiocinationibus sophisticis, & inanibus, sed ex effectibus censenda sunt sacramenta Christi. Vide, quam fideles, quam pacifici, quam mites, quam misericordes fiant homines ex tritico christiani altaris; quam longe abhorreant à cædibus, à proximorũ iniurijs, & crede nostrum panem sic à cæteris distingui, vt Deus distinguitur â creatura. Ex bonorum effectuum experientiâ circa morum sanitatem sunt sacramenta christiana discernenda, non ex argutijs disputationum leuissimarum. Quod pulchro exemplo exponebat D. Machiarius

D. Mach. hom. 12. aiens: *Puellus quando accedit ad vbera matris, lac sumit, & nutritur, non tamen nouit scrutari radicem, aut fontem, vnde fluat lac.* Expende illud, *lac sumit, & nutritur*, quia lacte refici experitur, & fame liberari, & nutriri ad lac currit, nec curat inquirere, quomodo adbescat lac, ex qua radice saporetur in alimentum infantiæ. Sic prorsus nos, vt curramus ad escas sacras, hoc attẽdamus, si inde nostros mores componamus, si roboretur vita spiritualis. Quod si videamus, nihil aliud scrutemur, sed cæcis oculis experientiæ credamus ostendenti, quam alij sunt à vulgo, qui ex diuina mensa saciantur. Plane quæ Dei sunt. magis ex profectu in moribus percepto, quam exnodosis disputationibus æstimanda. Monebat enim Psal. 33. *Gustate, & vi-* Psal. 33. *dete, quam suauis sit dominus*, prius enim monet, vt gustemus, deinde vt videamus, de experto enim gustu virtutũ nascitur cognitio, qua Dei mens à communi discernatur. Quo etiam spectans Apocal. 2. *Vincenti,* Apoc. 2. *ait; dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.*

Qui-

Quibus pulchrè accinit D. Bernard. de Conuer. ad Clericos, cap. 21. fatus: *Suauitas Domini eſt, niſi guſtaueris, non videbis. Guſtate, inquit, & videte, quia ſuauis eſt Dominus. Manna abſconditum eſt, nomen nouum eſt, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Non illud eruditio, ſed vnctio docet; nec ſcientia, ſed conſcientia comprehendit.* Non tam largæ diſputationes, quam mores à ſcientia Chriſtiani orti oſtendũt veritatem diuinorum myſteriorum. Magi regem Iudæorum quærebant, Matth. 2. *Et intrantes domum inuenerunt puerum, & Mariã matrem eius, & procidentes adorauerunt eum.* Mirabar, quod puerulum vilibus veſtitũ in ſtabulo inuenientes, nec verbum faciant, nec vllam diſputationem texant de poſsibilitate rei, ſed quaſi muti procumbant, & adorent. Cur non magis viri ſapientes addubitant? Cur non magis ventilant deiectionis conuenientiam cum regio throno, cum ſceptro diuino? Quam in ſe reformationem morũ ſentiebant ſub aſpectu illius pueri, nihil dubitare ſinebat de magnalibus illius. Pro quo adeſt Heſychius hom. de Deipara fatus: *Inquirẽtes infantem ſtella duce, non dixerunt, quomodo ſit conceptus diuina, quomodo partus incorruptus, quomodo poſt partum virgo; quomodo ſubrȳcitur annis, qui prior illis eſt: quomodo eſt in tempore, qui eſt ante ſæcula: quomodo lac ſugit, is qui nutrit; quomodo Pater futuri ſæculi ſit infans: quomodo iaceat in præſepio, qui eſt in ſinu patris: quomodo faſcys continetur, qui educit vinctos infortunio? Sed cum taciturni peruenissent ad ſtabulum, decentem cultum exhibuerunt, &c.* Pro nationum fides, quam te magis virtutum ſapor inſtruit!

D. Bern.

Matth. 2.

Heſyc.

§. VI.

Vna Maria perfectiſsima hominum cuſtos.

OStiariæ ſomnus aditum dedit latronibus, vt Isboſethum interficerent: dicit namque: *Oſtiaria domus purgãs tritticum obdormiuit, &c.* Pro miſeri homines, quorum domus cuſtodia fœminis traditur, neceſſum eſt, vt dormiant: de decem illis virginibus dicebat Dominus, Matth. 25. *Dormitauerunt omnes, & dormierunt,* etiam ſi quinque illarum prudentes erant, tamen omnes dormierunt. Vna eſt Maria, quæ indefeſſas pro nobis agit vigilias. Quo aſpiciens D. Epiph. ſerm. de Laud. Mar. dicebat: *Virgo plurium nominum, & multiocula effecta eſt.* Cum multoculam vocat, crediderim ſpectaſſe ad veterem fabulam, qua paſtor Argos nomine fingebatur oculis plenus pro tutanda vitula, ne vnquam ei deficerent oculi vigilantes. Ea in veritate eſt Maria virgo tot oculis ſcatens, vt numquam non ſit vigilans pro hominibus defendendis. Hæc eſt illa virga de radice Ieſſe orta, de qua aiebat Ieremias, cap. 1. *Virgam vigilantem ego video.* Sic enim Maria inuigilat hominibus cuſtodiendis, vt ſimul quaſi virga excutiat à nobis omnem incurſum malum. Vt dicat Heſychius Ieroſ. ſerm. 2. de Mar. *Vides quanta, & qualis eſt Deiparæ virginis dignitas, vnigenitus enim Dei filius mundi conditor, velut infans geſtabatur ab ea, & Adamum reformabat, Euam ſanctificabat, exeludebat Draconem, & paradiſum aperiebat.* Eua cuſtos paradiſi, ſic obdormiuit, vt aditum Draconi daret, qui humani generis principem morti addixit. Maria Euam reformat, facta vigilãtior, & fortior oſtiaria, quę paradiſum aperuit, ſed Draconem excluſit, imò latrones vniuerſos contriuit. Quæ vigilantior virga ad depellendos hoſtes, quam Maria? Illi dicebat Dominus, Cant. 1. *Equitatui meo aſsimilaui te amica mea.* Habuit creaturarũ princeps pro cuſtodia corporis ſui myſtici equitatum validiſsimum, qui currus Pharaonis contriuit. Et qui equitatus Dei fuit iſte aduerſus Pharaonem? Si rem memineris vnam ſolam inuenies virgam in manu Moyſi, ſiue Aaronis. Hæc omnem ruinã Pharaoni intulit, ne miremur, quod ſimilis huic videatur Ieſſea virga Mariæ. De quo pulchrè aiebat Rupert. ibi: *Magnum, & mirum ſpectaculum reſpicienti, inde currus Pharaonis, hinc equitatus Dei. Currus Pharaonis valde multi ferro armati, auro vel argento inſigniti: equitatus Dei virga vna fuit, virga Moyſis, & Aaron: Illi ſigno, illi equitatui meo aſsimilaui te amica mea. Sicut enim virga illa virgas maleficorum deuorauit, & omnem ſuperbiam Ægyptiam obtriuit, & deinde germinauit, fronduit, floruit, & fructũ protulit, non ſucco terræ animata, ſed virtute cœleſti: ſic anima mea cunctam prauitatem hæreticam contriſti, ſuperbiam diaboli deiecisti conceptu florida, partu fructifera, &c.* Fœlix homo, qui ſub hac vigilanti virga viuit: felices reges, qui hunc equitatum habent pro cuſtodia ſui; fallar, ſi aliquid latronibus liceat.

D. Epiph.

Ierem. 1.

Heſyc.

Cant. 1.

Rupert.

§. VII.

§. VII.

A Maria nobis cœlestis panis efficitur.

IN Regia Isboseth vna ostiaria inuenitur, quæ triticum purgaret; dum dicitur: *Ostiaria domus purgans triticũ, &c.* Fœlicius quid inuenio, in Regia cœlestis principis, nempe in Ecclesia, in qua Maria glorię ostiaria, nobis perfectum panem viuificum præstat, quo in vitam imus. Quo respiciens D. Damascen. orat. 1. de Dormitione Mariæ aiebat: *Verbo Domino, in ventre tuo tanquam in tabernaculo habitanti, humana natura subcinericium panem, hoc est, sui primitias ex puris tuis sanguinibus obtulit à diuino igne quodammodo coctas, panemque effectas, &c.* Itaque Maria est quæ nobis cœlestem panem acquisiuit, suisque visceribus Verbum patris concludens, panem fecit hominibus manducãdum. In quo adeò perfecta apparuit cœli ostiaria, vt de illa dicatur, Psal. 77. *Ianuas cœli apperuit, & pluit illis manna ad manducãdum, panem cœli dedit eis, &c.* Circa quæ ait Rupert. lib. 1. de Glor. & Hon. Filij Hom. *Beata virgo cœlum illud est, de quo ait: Ianuas cœli apperuit, & pluit illis manna:: Mulier omnis concipiens de amore viri concipit; tu sola de amore Dei id est, de Spiritu Sancto concepisti. Hoc appellamus man, quo epulamur quotidie, perceptione sacræ Eucharistiæ.* O cœlum incorruptum Maria, ò vera cœli ianua, ò cœlestis aulæ ostiaria, quę de cœlestibus ianuis nobis viuificum panem paras, & pluis manna ad manducandum. Nec mirum hoc in Maria, quando familiare est virginitati manna cœleste irrorare. E sepulchro D. Ioannis Euangelistæ manna profiliebat, de quo ait Petrus Damian. serm. 2. de eo: *Considerate, quid incorruptio carnis habet in cœlo, si cibum cœli germinat in sepulchro, quantis illic honoribus sublimatur Beata Virginitas, vbi nimirum sola est gloria, si & in loco fœtoris atque putredinis tam mirabiliter est gloriosa.* Hoc gloriosissimum dictum sit de virginitate, nimirum: *Cibum cœli germinat in sepulchro:* vel inter mortuos virginitas pura cœlestes dapes ministrat.

D. Dam.

Psal. 77.

Rupert.

Petr. Da.

§. VIII.

Vitia principum nunquam non habent æmulatores.

ILlud non prætereundum, quod ait: *Ingressi sunt feruente die, in domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit.* Dormiebat Isboseth, ne miremur, quod ostiaria domus dormitet, nunquam enim non æmulatores habent, quæ præcedunt mala in principibus. Constantius Augustus passim propositũ mutabat, imò, & iuramenta fidelibus præstita frangebat. Quod notans D. Athanas. epist. ad solitar. *Neque admirationi esse debet, si post tot epistolas, tot iuramenta Constantius immutatus sit: siquidem & tyrannus Ægypti Pharao sub inde promittens, atque inde relaxationem mali adeptus tam diu se e mutauit, donec prorsus tandem cum suis gregalibus periret.* Quando Pharao præcellerat iuramenti promissionisve refractor, non mirandum, quod similes ei existant, semper enim habent æmulatores principum vitia. Huc trahe dicta, 1. Tom. in Euang. lib. 4. cap. 5. §. 22. & cap. 2. §. 14. & alibi.

D. Atha.

2. *Reg.* 4. Et attulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron, dixeruntque ad regem. Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui; qui quærebat animam tuam, & dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & semine eius. Respondens autem Dauid Rechab, & Banaa fratri eius filijs Remon Berothitæ, dixitque ad eos: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum, qui nũtiauerat mihi, & dixerat; Mortuus est Saul, &c.

§. IX.

Familiare est hominibus nil aliud de proximis præsumere, quam id, quod in se experiuntur.

PRoducto Isbosethi capite dicunt principes illi latronum Dauidi: *Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam, & dedit Dominus domino meo regi vltionem, &c.* Nihil ostendunt nō cruentum, & ad vindictam pertinens. Quā aliter Amalecita ille, 2. Reg. 1. mortē Saulis memorabat? Post occisum à se Saulem non caput eius ostentat Dauidi, sed diadema; ait enim: *Tuli diadema, quod erat in capite eius, & attuli ad te Dominum meum, &c.* Hic totus est in ostendendo regno veniente ad Dauidem; illi nihil de regno dicunt, nihil intelligi volunt, quod ad regnū pertineat; solā vltionem sumptam de inimico proponunt. Et cur non magis post ostensum mortuum Isbosethum agunt de regno Israelis obuenturo Dauidi; sed solū agunt de vindicta sumpta? Plane erant illi latronum principes, & latronum principibus, vt magis cordi sint cruentæ vindictæ, cædes hostium; sic nihil putabant tam esse cordi Dauidi, quam sumptam de hoste vindictam, & ideò non de regno, sed de vindicta sumpta agunt cum illo. Nesciunt cruētissimi præsumere de Dauide aliud, quam quod ipsi magis appetūt, & diligunt. Quid familiarius hominibus? Sola ea de alijs præsumunt, quæ in se experiuntur. Dives ille purpuratus cum esset in inferno; Luc. 16. *Vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius; & ipse clamans dixit: Pater Abrahā miserere mei, &c.* Ab Abrahamo petit, vt mittat Lazarum in refrigerium suum; cur non magis ab ipso Lazaro petit, vt veniat? Cur mavult cum Abrahamo de misericordia, quam cū Lazaro agere? Vt ipse in Lazarum crudelis extiterat, & immisericors, sic non potest non præsumere Lazarum, & crudelem in se & immisericordem existere. Vt dicat Theophylact. *Cur nō vertit sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham? Confundebatur fortassis, existimans Lazarum vindictæ auidum, & ex suis causis iudicabat illū.* Crudelissimus homo, & in iniurijs vindictæ appetentissimus ex suis causis iudicabat Lazarum, nec poterat non præsumere illum vindictæ furore ardere pro accepta iniuria. Crede mihi, nihil sciunt homines de alijs præsumere, præter id, quod ipsi in se experiūtur. Pessimus ille Arius eo deuenit audaciæ, vt infœcunditatem in diuinis esse ad gignendum patri coæqualem filium persuaderet mūdo. Et qui tam nefariū dogma sibi persuasserunt? Palatini Eunuchi, qui vt infœcunditatem in se experiebantur, nihil aliud voluerunt credere esse in diuinis; ex suis causis Deum ipsum æstimātes. Ait D. Athan. epist. ad solitarios: *Eunuchi erant, qui ista, & reliqua in omnes mouebant; & quod in istis insidijs mireris, Ariana hæresis abneganti filium Dei, ex Eunuchis præsidium sibi comparabat, hominibus vt natura, ita & animo ad gignendum sterilibus, & qui proinde ægrè patiuntur vllam mentionem de prole fieri. Nec Petri quidem de filio confessionem sustinent.* Sic miseri nec in Deo præsumebant posse esse aliud, quam id quod ipsi in se experiebantur. Et paulò infra repetit idem Sanctus: *Voluptarium, & nequam est hoc genus hominum, quibusque nil tam curæ est, quam illud impedire, quod illis natura negauit.* Omnes ex suis causis iudicat homo nequam, & quam in se infœcunditatem videt, vel Deo illam tribuit. Mar. 3. *Cum audissent sui, exierunt tenere Iesum: dicebant enim: Quoniā in furorem versus est.* Pro Deus immortalis furere crederis à tuis! Vnde isti eo deuenerunt, vt crederent Christum furere? Ex eò, quod ipsi furebant. Dicit Victor Anthioch. ibi: *Illum furere dixerunt. Arbitrabantur enim, id illum pati, quod ipsi reuera patiebantur.* Sic ex sua causa impij æstimabant ipsum Deum.

D. Atha.

Mar. 3.

Vict. Ant.

§. X.

Tyranni in nullo alio tam gaudent, quam sanguine profusso.

NOn regnum obuenturum Dauidi memorant hi duo latronum principes, sed Isbosethi interfectionem, & de illo sumptā vltionem proponunt dicentes: *Ecce caput Isboseth filij Saul inimici tui:: & dedit Dominus domino meo vltionē, &c.* Nec miror, quod solū fusum sanguinē Isbosethi meminerint duo hi latronum principes; vt enim ipsi cædibus, & rapinis viuebant, sic in nullo alio gaudebāt, vt in cædibus mortaliū, & in profuso sanguine. Ea nāque est tyrannorū conditio, vt nulla illis bona sic placeant, vt cædes, & profussus sanguis. Tyrannum describebat Latinus Pacat. in Paneg. Theodosij inquiēs: *Parū ille pretiosi* Pacat.

sum putabat aurum, quod de montium venis, aut fluminum glareis quæsitor Bessus, aut scrutator Callaicus eruisset, illud purius, splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes, quod hominum lachrymæ, non amnium aqua abluissent, nec è terrenis specubus egestũ, sed è cerui cibus, iugulisque cæsorũ esset effossum. Hæc tyrannus. Nec aurum, nec aliud illi bonum placebat, nisi quod è iugulis cæsorum effodiebatur. Non attendebat ad splendorem auri, non ad fulgorem dignitatum, sed ad vulnera cæsorum, ad scissa capita, â quorũ iugulis splendor illi eruebatur. Mar. cap. 6. natalis sui faciebat Herodes cænam, & ut placeret saltatrici, *misso speculatore præcepit afferri caput Ioannis in disco, & de collauit eum in carcere. Et attulit caput eius in disco, &c.* Proh nefas! In ipso disco, quo dapes inferebantur, iussit afferri caput Ioannis. Cur tyranni non magis differs Ioannis occisionem? Cur nõ expectas, vt natalitia transeant, vt conuiuium finiatur? Equidem tyranno regi non placerent festa, nec conuiuia, nec regni oblati retentio nisi de profusso Ioannis sanguine. Vt dicat D. Fulgent. serm. in eodem Festo: *Multorum credo iam capita piscium pecudumque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Nihil actum, nihil denique procuratum esset, si defuisset regio prandio humano caput humanum.* Nec delitiarum, nec regni procuratio esset aliquid apud Herodem tyrannum, si defuisset præcissum aliquod hominis caput. Non absimilia refert Egesippus de Alexandro Iudæorum tyranno lib. 1. cap. 10. & 11. Is enim multos Iudæos coegit in ciuitatem Besemelel. Quid tunc? Ait ille: *Ex eorum numero octingentos crucifixit in media ciuitate. Quorum in conspectu coniuges eorum, filiosque iugulari præcepit. Hæc spectabat accumbens in medio concubinarum, latus inter escas, & pocula, sed magis sanguine, quam vino inebriatur.* Sic tyranno solus placebat cæsorum sanguis.

Mar. 6.

D. Fulg.

Egesip. 1.

§. XI.

Antecessoris in munere calamitas ad bonum successoris conducit.

NOn solum duo illi latronum principes clamabant ad Dauid: *Ecce caput Isboseth, &c.* sed magis id clamatum puto fuisse à Deo, de cuius prouidentia veniebat, vt in antecessoris calamitate disceret Dauid, quid illi faciendũ erat. Sic Theodoricũ regem instruebat D. Epiphan. apud D. Ennodium in vita eius. *Illud certe perpende, qualibus in regno successeris, quos, si, vt liquet, malicia expulit, casus illorum, necesse est, vt sequentes informet. Ruina præcedentium posteros docet, cautio est semper in reliquos lapsus anterior. Nox sine exẽplo militat, qui respicit, qua causa decessor iectus est.* Præmittit bonus Deus prędecessorum ruinas, quibus sequentes principes informẽtur, & ex alienis malis illi bona capessant. Quæribundus Dominus aiebat Oseæ, cap. 8., *Illi regnauerunt & non ex me; principes extiterunt, & non cognoui.* Et mirabar, quod permitterentur accedere ad regnum illi, qui sic sunt Deo infensi, vt ne illos cognoscere velit? Et cur domine, quos reprobas, quos abijcis reges permittis esse? Cur non magis illos ante regnum perdis? An quia inualidus contra illos es? Abit; sed in reiectitijs regibus parat cautelam prudentibus; vt ex illorum calamitate hauriant boni mores egregios. Adhæc dicebat D. Gregor. PP. lib. 4. in expos. 1. Reg. *Eligatur ergo Rex, sed reprobandus, eligatur velut in indignatione, non voluntate Dei; subsequatur ergo Rex iuxta cor Dei, vt ex iudicy eius districtione, vindicta malum procedat in reprobos, & bonum redundet in pios; dum illi in malum, quod cupiunt, cadere permittuntur, sed vnde se illi præcipitant, agitur, ne alij cadant.* Sic præponuntur à Deo malorum principum ruinæ, vt inde sequentes sibi prospiciant, & salui fiant. Paul. ad Rom. 9. *Dicit enim scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam; & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Itaque plagæ illatæ Pharaoni, hoc tendebant, vt alij acciperent salutẽ. Proquo ait D. Amb. ibi: *Suscitatus dictus est Pharao, quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit, vt viuere videretur: vt esset in cuius pœna, & vario tormentorum genere vsque ad mortem, omnes, qui sine Deo erãt, metu terrirt, hunc solum Deum esse cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ fiunt. Sic medici in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam consecutis, requirebant quomodo prodessent viuis, quæ in homine latebant, apertis; vt his cognoscerent causas ægritudinis; & pœna morientis proficeret ad salutem viuentis.* Quid pulchrius? Quo trahenda sunt dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 21. §. 30.

D. Epiph. D. Enn.

Ad Rom. 9.

D. Amb.

D. Greg.

(f)

§. XII.

§. XII.

Muneribus acceptis totus eua nescit rigor iustitiæ.

IAm supra, 2. Reg. 1. explicatum est, vt Dauid interfecit Amalecitam, qui se Saulum interfecisse iactabat; quod modo memorans Dauid, ait: *Eum, qui nũtiauerat mihi, & dixerat: Mortuus est Saul: qui putarat se prospera nuntiare, tenui, & occidi.* Quæ verba sic exponit Iosephus lib. 7. cap. 2. *Ioseph. 7.* *Nesciebatis, quod à me operæ premium Saulis interfector retulerit, qui ad me coronam eius auream apportauerat?* Et quidem Saulis interfectionem nuntians simul diadema eius, & armillas aureas adduxerat Dauidi. Dicebat enim, ibi: *Occidi illum:: & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillas de brachys illius, & attuli ad te.* Quando ergo nuntius ille nõ solum dicebat Saulis mortem, sed & diadema eius, & aureas armillas offerebat; cur Dauid solum memorat, quod de morte Saulis dixerat, nec addit, quod obtulerat diadema, & aureas armillas? Crediderim præstantem principem ad solum nuntium facinoris interfecti regis attẽdisse; ad aurum minime attendisse, nec respexisse illud; cum auro enim accepto, vel viso non stetisset tam debitæ iustitiæ executio. Vt pulchrè dicat Cassiodor. 7. Variar. *Cassod.* 1. *Gladius conditur, vbi aurum suspicitur.* Crede mihi, nunquam non iustitiæ gladius reconditur, multisque tenetur vaginis, dũ princeps ad aurum afficitur. Vbi placuit aurum, quando iustitia gladium strinxit? Nouerat vim auri ad recondenda iustitiæ spicula Nabuchodonosor, qui in variorum illa metallorum statua prænoscens seuerissimum Dei iudicium aduersus regna mundi, vt erant omnia à Deo conuertenda in nihilum, statuam auream excogitauit, quã *Dan. 3.* Deo opponeret. Ait enim, Dan. 3. *Nabuchdonosor Rex fecit statuam auream, &c.* Et quando nouit statuam capite aureo, pectore argenteo, æreo ventre, ferreis cruribus à Deo disipari, in illamque venire strictissimum Dei iudicium, ad quid ipse auream statuam erigebat? An putabat toto illo statuæ auro obiecto posse detineri diuinam iustitiam? Plane vir temporalis expertus auri vim in recõdendis iustitiæ gladijs strictis per humanas manus; credidit vane, quod vel diuina iustitia reconderet gladium ad auri visum, & sic falsificandas esse prædictiones de regnorum ruinis. Ait Theodor. ibi: *Ex vna auri materia imaginem conficiendam curat: ratus infœlix falsas ostensurum se Dei prædictiones.* Falsificandas credidit Dei prædictiones de stringendo gladio diuini iudicij aduersus regna mundi, si aurum obijciat. Sic expertus fuerat vim auri in recondendis gladijs humanæ iustitiæ. Et sanè in solo Dei tribunali aurum ostenderur sine viribus. Ait enim Ezech. cap. 7. *Argentum eorum foras proijcietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Expende in quo die non valebit aurum liberare, nimirum, *in die furoris Domini*; in die enim humani furoris raro aurum non liberat, & facit recondere gladios in vaginas. *Theod.* *Ezech. 7.*

§. XIII.

Magna præstantia viri est, qui in honoribus non mutatur in malum.

NEc possum non mirari audaciam, seu temeritatem horum principum, in adducendo capite Isbosethi ad Dauidem; quãdo is erat Dauid, qui occiderat, qui mortem Saulis nũtiauerat. Sic enim fatetur ipse modo: *Eum, qui nuntiauerat mihi, & dixerat: Mortuus est Saul:: tenui & occidi.* Quod non potuit non esse notissimum omnibus Israelitis. Quomodo ergo principes hi duo audent nuntiare Dauidi, à se Isbosethum Saulis filium interfectum, scientes nuntiũ interfecti Saulis à Dauide fuisse occisum? An factum illud Dauidis ignorabant? Minime; sed credebant Dauidẽ honoribus regni non posse nõ mutatum magis esse ad maliciam. Fecerat illud Dauid, cum adhuc priuatus esset, modo iam septenio regnauerat in Iuda, & viri aulici sibi persuaserunt, non potuisse cum honore regni durare in Dauide virtutes, sed necessario ad maliciam declinauisse. Quod valde indecorũ, & iniuriũ sibi putat Dauid, illis obijciens apud Iosephũ lib. 7. cap. 2. *Scelera-* *Ioseph. 7.*
tissimi, an ignoratis, quod à me operæ premiũ retulerit Saulis interfector? Aut forte aliũ me iã factũ credebatis, vt mutatis moribus delectarer viris maleficis? Qua propter pœnas dabitis mihi iniquæ de me opinationis. Neq; enim alio modo grauius existimationẽ meã lædere potuistis, Et quidẽ maximo pere lędabatur opinio

Dauidis in eo, quod crederetur honoribus regni immutatus, vt gauderet cædibus iniustis, & aduersariorum suorum iniurijs. Eò enim spectat præstantia hominis, vt idem semper inueniatur circa bonum, etiã in honoribus cõstitutus. Quis nescíat patriarchæ Iosephi historiam ex Genes. 37? Vt à fratribus venditus, vt à domina adamatus, vt in carcerem coniectus, nec aduersus fratres, nec aduersus dominam verbum fecit. In carcere constitutus, cap. 40. solum dicebat: *Furtim sublatus sum de terra Hebreorum*, â quibus autem sublatus fuerat furtim, prorsus tacebat pius in fratres. Sed, & de carcere translatus fuit ad regnum; neque tunc durior, aut in fratres, aut in dominam extitit. Quantum hoc? Ait Theodor. serm. 8. de Prouid. *Inspice verborum philosophiam: inspice mentis magnanimitatem. Inspice animã semper sibi similem::: Talis hic fuit, & seruiens, & regnans. Talis in prospera, & aduersa fortuna.* Equidem tanti viri mentem non mutauit honor regni; idem erat, siue regẽ ageret, siue priuatum, aut seruum. Quod in Traiano suo, nescio, an vere Plinius laudabat. Ait namque in eius Paneg. *Manet Imperatori, quæ prior humanitas. Incedebas pedibus? Incedis. Lætabaris labore? Lætaris, eademque omnia illa circaie, nihil ipsi te fortuna mutauit.* Spectat equidem ad præstantissimum virum, quod nihil de virtutibus remittat, etiam constitutus in dignitate. Quod si aliquid illi mutandum sit, illud solum sit, quo magis caueat consortia peccantium.

Gen. 37. Theod.

2. *Reg.* 4. Occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. Quanto magis nunc, cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo sua. Super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra? Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos, &c.

§. XIIII.

Proprius regum est consortium fugere sceleratorum.

EXpende illud: *Quanto magis nunc*: videlicet, non quãdo Rex erat. Si enim degens in Siceleg priuatus, nondum regni clauum tenens, non passus est secum morari Saulis interfectorem; quanto magis cum iam Rex erat, debebat cauere facinorosorum consortium, & prospicere ne videretur malefactorum consors. Equidem hæc in regibus, & principibus debet esse cura potior, qua vel consuetudinẽ caueant malefactorum. Rex regum Iesus, vbi post resurrectionem in regno gloriæ suæ apparuit, Magdalenam ad se accedẽtem prohibuit dicens, Ioann. 20. *Noli me tangere*: Quæ Luc. 7. admittebatur ad pedum osculum; *osculabatur enim pedes eius, & vnguento vngebat*: Modo abijcitur, & prorsus prohibetur à tactu. Vnde hoc? Modo iam in regno suę gloria visebatur, ne miremur, quod magis consuetudinem peccatorum caueat. Ait Anastas. Sinaita lib. qui dicitur *Viæ dux*, cap. 23. *Post resurrectionem à mortuis tametsi per dispensationem manducauit, vt discipulorum fidem certi faceret; neque tamen expuisse, lachrymasse, sudasse, aut sanguinem fudisse legitur; neque etiam cum peccatoribus amplius vitam egisse.* Conueniebat equidem ad statum regni accepti, ne amplius cum peccatoribus vitam ageret. Quod vtinam vniuersi principes caueant; nũquam enim non indecorum est principi flagitiosorum contubernium. Vt sapienter dicat Theodahadus Rex Gotorum apud Cassiod. 10. Var. 5. *Præsenti insione præcipimus, vt quicunque ad domum nostram noscitur pertinere & curæ tuæ probatur esse commissus, nullis præsumptionibus insolescat. Quia solus dicendus est ille mens, qui legibus potuerit esse tranquillus.* Hoc sit omnibus regibus sanctissimum.

Ioann. 20. Anast. Cassiod.

§. XV.

Impietas potentum est credere suis facinoribus Deum propitium.

NOtanter â Dauide hi duo principes Isbosethi interfectores vocãtur impij: dicit enim: *cum homines Impy interfecerunt virum, &c.* Et cur in interfectionem Isbosethi, non magis vocantur perduelles, facinorosi, quã impij? Audi illos paulò ante ostẽdentes, caput Isbosethi, & dicẽtes: *Dedit dominus domino meo regi vltionẽ hodie de Saul, &c.* quod scelus ipsi pro gerant,

gerant, quasi opus à Deo profectum effutiũt. Propriſsima hæc eſt impietas potẽtũ, vt maleficia ſua habeant, quaſi opera peracta diuinitus. De diuite illo epulone Lazarũ deſpectore, & contemptore locutus textus ait, Luc. 16. *Homo quidã erat dives, & induebatur purpura, & biſſo.* Nec ſine myſterio proponitur veſtis huius fuiſſe ex biſſo, & purpura; ex quibus ſummi Sacerdotis antiqui ſacræ veſtes perficiebantur: quaſi inde epulo iſte vellet in ſua crudelitate erga Lazarum videri agere opus ſacerdotale, & diuinum. Adhæc dicit D. Baſil. in cat. Græca: *Per exceſſum deliciarum dives iſte inſultans ſanctis, in luxurioſa ſuã vita circumferebat veſtem extimam, ad imitatiuam ſimilitudinem veſtis Pontificiæ, eiuſmodi veſtimentis indutus, quibus Sacerdotes induti introibant ſancta pro mundo ſupplicaturi.* Sic impius iſte ad perdendos ſanctos, ad peragenda facinora incedebat indutus, vt Sacerdotes procedebant pro mundo ſupplicaturi, ne viderentur facinora eius diſtincta ab operibus diuinis. Quid magis impium? De hoc ſupra Tom. 2. in Euang. lib. 6. cap. 6. §. 1.

Luc. 16.

D. Baſil.

§. XVI.

In re capitis ſtringenda ſunt iura, non amplianda.

HVc veniant iudices, qui cauſas agunt ſanguinis, & diſcãt ſtricti iuris moroſum ſpacium in Dauidis ſententia præpropera. Ait enim: *Cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo ſua, ſuper lectum ſuum non quæram ſanguinem eius de manu veſtra, & auferam vos de terra? Præcepit itaque, &c.* Ecce quam late explicat omnes facinoris circumſtantias, vt interfecerint Isboſeth in domo ſua, ſuper lectum ſuum, &c. Et vnde ſciuit Dauid, quod Iſboſethus in domo ſua, & ſuper lectum ſuũ interfectus fuerit? Nullus id viderat præter interfectores, qui ſolum dixerunt: *Ecce caput Isboſeth filij Saul inimici tui:: & dedit Dominus Domino meo regi hodie vltionem de Saule, & ſemine eius.* Vbi in ijs dicitur de interfectione in domo, aut ſuper lectum? Vnde igitur Dauid id ſciuit? An diuinans locutus eſt? Abſit; ſed bonus iudex viſo Isboſethi capite, & auditis primis illis reorum dictis, non præcipitauit ſententiam, ſed ſapienter cunctatur, & moras facit interrogando, inquirendo modum interfectionis, quem vbi clare, & patenter extorſit, tunc ſupplicium infert proditoribus. Vbi enim ſupplicium capitis inferendum erat; nec gradum fecit bonus Dauid, quin apertiſsime noſceret omnia. Hãc mentem iudicibus mandabat Caſsiod. 7. Var. 1. aiẽs: *Tua dignitas à terroribus ornatur, quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis accingitur. Vide, quo indicio ſueris erectus, quãdo alys vigorem faſcium videas eſſe creditum, tibi autem ab ipſis legibus ferrum conſtet eſſe porrectum. Rem cruentam dederunt animo pacato, & vt noxij nimium metuerent, & laſi de optata vltione gauderent. Sed cum te intelligas ad moderamen electum, humanum facile non concupiſcas exitium. Reus, qui dicitur, & probetur. Scito puniendi remedium datum tibi pro ſalute multorum. Arma iſta iuris ſunt, non furoris:: Cunctator eſſe debet, qui iudicat de ſalute.* Expende hæc: *Arma iſta iuris ſunt, non furoris. Cunctator eſſe debet, &c.* In eo enim gladius iudicis diſtinguitur à gladio militis, quod hic bellico furore, & ardore mouetur, ille autem ſemper procedit intra limites iuris, vt nihil tumultuarie, nihil præcipitanter, nihil propter leues rumores agat, ſed ſemper cunctando accedat ad cauſam, & non niſi manifeſtiſsimis rationibus proceſſum inſtituat. Sic etiam monebat Theodoricus Rex iudicem à ſe miſſum, apud eumdem Caſsiod. 5. Var. 39. Multorum querela comperimus, in Prouincia Hiſpaniæ, quod ſummum inter mortales crimen eſt, vitas hominum vaga præſumptione populari, & leuium occaſione cauſarum ſubire multos interitum. Sic mala pace, quaſi ludo corruunt, quanti vix potuiſſent cadere ſub neceſsitate bellorum. Cui rei nos regali prouidẽtia ſuccurrere cupiẽtes, ſublimitatem veſtram per vniuerſam Hiſpaniã loco muneris credidimus deſtinandam:: *Homicidy ſcelus legum iubemus authoritate reſecari; ſed quanto vehementior pœna eſt, tanto eius rei debet inquiſitio plus haberi, ne amore vindictæ innocentes videantur vitæ pericula ſuſtinere.* Ea ſemper debet eſſe cura iudicibus in diſtrictione iudicij, vt tam cunctanter, & tam clarijs indicijs procedant, nec poſsit timeri aliquod periculum innocentibus.

Caſsiod.

Caſsiod.

CAPVT XIX.

Dauid Rex Israel capit Ieroſolima.

Textus Hiſtoria.

POST Isboſethi luctum cæperunt Israelitæ in Dauide, adhuc, priuato meminiſſe regni decus, & Israelitici Imperij authoritatem, cui tot militares copiæ præſto fuere, & omnis Saulis exercitus validior manus. Ergo aduolãt vniuerſi in Hebron, quorum maiores natu Dauidem adoriuntur, rogant Israelitici regni ſuſcipiat gubernaculum. Quem iam pridem norant ſtrenuum ſub Saule ducem, & à Deo in regem prophetarum oraculis deſignatum. Vrgentibus omnibus, fœdere inito, coram potius, quam honorem induit. Feſtinauit ad Iebuſæos, ſciebat enim Ieroſolymitanã vrbem commodiorem & ſitu, & munitionibus, vt in ea ſtatuerentur vires Israeliticæ Reipublicæ. Erat autem Ieroſolymis ars Sion cantatiſsima, cuius munimentis ſic fidebant Iebuſæi, vt vel à claudis, & cæcis homuntionibus poſitis in illa poſſe rideri crederent arma Dauidis. Eò irruentes Israelitæ, non parum excitabantur præmio à Dauide propoſito, quod ſcilicet princeps militiæ Israeliticæ eſſet, qui primus munitionem illam, à claudis, cæcisve defendendam irrumperet. Miro id omnes conatu ambiebant, ſed prænaluit Ioab, cuius virtus, & militaris fortitudo & Dauidi arcem, & ſibi totius militiæ principatum acquiſiuit. Arce occupata, interfectis vniuerſis Iebuſæis, oſtenſum fuit à Deo, quam vane claudi, aut cæci introducuntur pro cuſtodia vrbium. Indeque natum eſt proberbium, ne talibus cuſtodibus tradatur res diuina. Nec nõ & Dauid in ea arce ſibi ſedem ædificat, acceptis ab Hirã rege Tyri & lignis cedrinis, & artificibus, qui & in ligno, & lapide ædificiũ perficerent. Hinc cæpit domus Dauid clareſcere in orbe nobilitata Ieroſolymorum vrbe, nobilibus autà nuptijs, & vndecim dilatata filijs, interquos extitit Solomon cantatiſsimus. Tãti regis exortu excitati Philiſthiin claſſicum intonant, ſed infœliciter, nam ſemel & bis confracti à Dauide; dum tertio inſtaurat bellum; monetur Dauid à Deo, ne antea in eos irruat, quam in ſylua pirorum vicina audiatur ſtrepitus ingens. Qui Dauidi fuit victoriæ ſignum, Philiſthinis autem extremæ clamor ruinæ.

PARS MORALIS circa textus literam.

DVM Sionis arcẽ occupat Dauid, iam nobis inde acclamat venturus Spiritus diuinus, vt relicto cortice hauriamus ſpiritus ſuccum, qui moribus proficiat.

2. *Reg.* 5. Et venerunt vniuerſæ tribus Israel ad Dauidem in Hebron dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus. Sed & heri, & nudius tertius, cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Israel, & tu eris dux ſuper Israel. Venerunt quoque & ſeniores Israel ad regem in Hebron, & percuſsit cum eis fœdus in Hebron coram domino, &c.

§. I.

Non cenſetur primatus niſi in ordine diuinæ gratiæ.

IAm illud notandum, quod ait: *Venerunt vniuerſæ tribus Israel ad Dauid.* Nulla dicitur prima veniſſe, cum in officijs exhibendis principi non parui meriti eſt fuiſſe primum. Infra cap. 19. inde ſuam fidelitatem extollebat Semei dicens: *Id circo hodie primus veni de omni domo Ioſeph, deſcendique in occurſum Domini mei regis.* Cur ſimiliter modo ſacer ſcriptor nõ exprimit, quæ tribus prima venerit ad Dauidẽ? Cur dicens, quod vniuerſæ tribus venerint, nõ adiecit dicere, quæ fuerit prima? Sæculares æſtimãt primas, vel in minimis, apud Deũ autem ſoli primatus cenſentur, quæ in ordine fiunt gratiæ, & virtutum. Iacob cap. 27. Gen. à matre perſuaſus fratris ſui maioris veſtes induit, & intromittens cibos patri

Iacob, 27 tri dicebat: *Ego sum primogenitus tuus Esau, &c.* Et sanè ipse nõ erat primogenitus, sed secundonatus. Cur ergo se primogenitum vocat? Cur homo sanctus sic voluit primogenituram mentiri? Ait D. Chrysol. serm.

Chrysol. 73. *Primogenitum se mentitus non est, quia ille primus est, quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis.* Non ex natura mortali, nõ ex temporali sorte verus primatus computandus, sed ex Dei gratia. Iuxta id, quod in Dei gratia es, te primum reputa, & ride omnes alios primatus. Cauebat Dominus,

Exod. 13. Exod. 13. *Separabis omne, quod aperit vuluã domino, & quod primitivum est, &c.* Sic primitiui agniculi seruabantur domino, vt illis exprimeretur verus ille agnus primi-

Luc. 2. tivus, quem Luc. 2. tulerunt parentes, *vt sisterent eum domino.* Et qui tanta cura in primitiuis agniculis repræsentabatur, & primitivus exprimebatur; Isaias cap. 53. ait de

Isai. 53. illo: *Vidimus eum, & non erat aspectus, desideravimus eum, Despectum, & nouissimum virorum.* Illic primitivus vult videri, hîc se statuit in nouissimis. Et cur, qui sic amat esse inter nouissimos, sic etiam amat videri primitivum? Vel vnde primitivus censebitur, qui se vltimis adiungit? Erant in agno diuino ordines duo, & tẽporalis, & spiritualis; in temporali ordine sic contemnit primatus, vt vel inter nouissimos amet cõstitui; in spiritualibus autem non potest nõ sic ab omnibus distingui, vt omnibus ferat primas. Quo respiciens D. Leo serm. 5. de

D. Leo. Pass. aiebat: *Ille agnus se hostiam offert, quem & omnibus corporalibus substantia iungeret, & ab omnibus spiritualis origo discerneret.* Non ab alio, quam ab spirituali ortu habet diuinus agnus ab alijs distingui, & omnibus ferre primas. In tẽporalibus, & carnalibus, sic vel infimis coniungitur, vt nolit distingui à nouissimis; in spiritualibus omnium est primitivus. Vt nos etiam non æstimemus in temporalibus esse nouissimos, sed maxime nitamur in spiritualibus esse primi. Huc veniant, qui contentiones excitant pro primatu, pro antiquitate temporis, & videant, qui primatus, quæ antiquitas valet apud Deum, plane non quam præstat natura, aut tempus, sed quam præstat gratia & virtus. Hinc Gen. 22. Abra-

Gen. 22. ham iussus immolare filium: *Extendit manum, & arripuit gladium, &c.* Cur bone sic

D. Ephr. armaris in filium? Ait D. Ephræm, ibi: *Se supra naturã substulit, nihil prius, antiquiusque diuino docens præcepto.* Bonus antiquitatis, primatusve stemma quærebat à virtute, non à tempore, nec natura.

§. II.

Timus, quod Christus est per meditationem, & venerationem illius.

FOElix, qui accedit ad Christum, eum sibi ob oculos ponens, & interno animi affectu, & veneratione suspiciens, fallar, nisi vnus fiat cũ Christo. Dicit textus in præsenti: *Venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron dicentes: Ecce nos os tuum, & caro tua.* Vt venerunt ad Dauid, statim dicunt: Ecce nos os tuum, & caro tua. Quid inde? Ait Raban. in Glossa: *Sic* Raban. *omnes gentes conueniunt ad Christum, & quasi blandiendo dicunt. Os tuum, & caro tua sumus: cum in illo incarnationem, quam ex nostra natura in virginis vtero suscepit, diligunt, & veneranur.* Ecce tibi christiane, vt potes fieri & os, & caro Christi Dei filij; si illũ suspicis diligis, & veneraris. Crede mihi non ex alijs censeris esse, quam ex ijs, quæ mente voluis, & affectu meditaris. Aiebat Psalm. 118. *Beati, qui scrutantur testimonia* Psal. 118 *eius.* Circa quæ ait D. Hier. epist. de viro perf. *Beati, qui scrutantur testimonia eius, vt* D. Hier. *pene hoc sit, si fas est dici, Deũ fieri, diuina meditari.* Si mente voluas diuina, quasi Deus sis, nunquam enim nos nõ transformamur in ea, quæ attente, & reuerenter meditamur. Exod. 13. ait: *Separabis omne, quod* Exod. 13. *aperit vuluam domino, & quod primitivum est.* Quibus verbis notabatur agnus immaculatus Iesus, qui specialiter primitivus dicebatur. Sed non parua est quæstio, qualiter noster agnus diuinissimus dici, & esse primitivus valeat. Ipse enim secunda persona est in Trinitate, prima est Pater. Quomodo ergo qui secunda persona est in Trinitate primitiua erit? Ait D. Zeno lib. 2. serm. 10. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit pecca-* D. Zeno. *tum mundi. Hic itaque primitivus dictus est, quia paterna antiquitatis solus est conscius.* Quia ipse patrem in mente habet, eiusque suspicit, & diligit primatus personales, sic eius ebibit proprietates, vt inde primitivus repræsentatiue dicitur. Sic in ea, quæ suspicimus transformamur. Hinc promittebat Dominus Moysi, Exod. 33. *Faciam* Exod. 33. *te in gentem magnam.* Et qui sunt hi magni facti à Deo? Pulchrè ait Philo lib. de migrat. Abrah. *Hi sunt illi sciens, & sapiens po-* Phol. *pulus, in quo singuli magni sunt, quoniam magna cupiunt, id vnum præcipue, ne vnquam disiungantur à Deo maximo, sed accessum eius*

propinquantis constanter, & sine metu suscipiant. Hæc est visio magni Dei, cum quis illũ accidit, aut aduentum eius suscipit. Expende illa. *Magni sunt, quia magna cupiunt, &c.* nunquam enim non efficimur ea, quæ mẽte voluimus & diligimus. Cant. 1. dicebatur Dei amatrix, *O pulcherrima inter mulieres:* in ipsa sola pulchritudo erat, quæ vinceret mulierum pulchritudinem. Et qua arte hanc sibi immarcescibilem pulchritudinẽ acquisiuit? Ait D. Amb. lib. 6. Exam. cap. 6. *Formosa, inquit, in mulieribus. Merito decora est, quæ non terrena, sed cœlestia, non corruptibilia, sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non soleat* Ad modum eorũ, quæ amabat, quæ tractabat, quæ meditabatur, efformabatur. Et quid regularius? De vxore Loot dicit, Genes. 19. *Respiciens vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Et mirabar, quod tã citò in ictu oculi mulier lapidascat. Vnde hoc euenire potuit, nisi quod affectu, & mẽte respiciebat lapideos homines Sodomæ? Ait Clemens Alex. in exortat. ad gent. *Hanc mulierem accepimus factam esse lapidem, propterea, quod amaret Sodoma. Sodomitæ autem impy duro erãt corde.* Vt Sodomitæ duritiem lapidum habebant, sic quæ eos respiciens amabat, conuersa est in lapidem.

Cant. 1. D. Amb. Gen. 19. Clem. Al.

§. III.

Regalis Eucharistiæ cibus, non ipse in nos conuertitur, sed nos in se transformat.

NOn dicunt Israelitæ Dauidi; ecce tu es os nostrũ, & caro nostra, sed *Ecce os tuum, & caro tua sumus.* Et merito; Principes enim non in formam subditorum transeunt, sed magis ipsi subditos in suam formam trahunt. Quo respiciens sponsa dicebat, Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, &c.* Et cur necessum fuit dicere se in cellã vinariam introductã à rege? Cur non ab sponso? Cur non à dilecto? Cur non à fratre? Crediderim ibi ostendi effectum regalissimi potus Eucharistiæ; cuius est, non vt cæteri potus, accibi transire in substantiam aliti; sed magis nos in suam formam reducere, & substantiam. Hinc Leuit. cap. 24. ait: *Accipies quoque similã, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebant duas decimas: quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues.* Cum audio duodecim panes, statim cogor illis duodecim Apostolos intelligere; sed illud difficile, cur Apostoli dicantur panes? Equidem non miror panes dici, qui cœlestem, viuificumque panem participabant, cuius est participantes ad suam formam trahere. Dicebat D. Cyrill. Alexand. in cat. Græca D. Lucæ ad cap. 6. ver. 20. *Panis siquidem de cœlo descẽdens, & vitam dans mundo, quisnam alius sit præter omnium saluatorem Christum? Ad imitationem autẽ ipsius panes appelluti sunt beati discipuli, consortes facti panis nutrientis nos in vitam æternam. Quin & ipsi nutriunt scriptis suis eos, qui sitiunt iustitiam.* Mundiali pane ideò viuimus, quia eum in nostram substãtiam transmutamus, adeò, vt ipse panis caro fiat, minimè, nostra caro fiat panis. Nõ sic cum pane cœlesti agitur, quin potius, eò ipso, quod discipuli participes fiebant tanti panis, sic in illum conuertebantur, vt viderentur ipsi panes facti; & vt panes auditores suos nutriebant, saturabant.

Cant. 2. Leuit. 24 Cyr. Al.

§. IIII.

Magni principis institutio in eo, quod se intra hominis fines contineat.

QVam sapienter Israelitæ extollentes Dauidem ad regni solium, ob oculos eius ponunt, cuius naturæ, & cõditionis sit, dicentes: *Ecce os tuum, & caro tua sumus. Sed & heri & nudius tertius, cum esset Saul Rex super nos, tu eras educens, & reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum, &c.* Tria illi ob oculos ponunt, nimirùm, vt eiusdem sit naturæ cum illis, vt seruierit cum illis sub Saule, vt in regnum venerit ex promissione diuina. Ne putet ex se aliud habuisse, præter id, quod habet priuatus quispiam; ex qua cognitione non parum crescit magnitudo principis. Vt merito dicat Cassiod. lib. de anima cap. 18. *Nimia magnitudo est suam intelligere paruitatem.* De cognitione suæ paruitatis humanæ exurgit magnitudo principum. Quo spectans Tertul. in Apol. ait: *Ideò magnus est Imperator, quia cœlo minor est. Illius enim est ipse, cuius cœlum est, & omnis creatura. Inde est Imperator, vnde & homo, antequam Imperator::: Minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non*

Cassiod. Tertull.

vere

vere diceretur, maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet. Omnia equidē, quæ reuocant principem ne se Deum existimet, sed intra humanam conditionem se contineat, illum magnum ostendunt. Vt pateat hinc stultissima Cai Caligulæ insania; de quo
Philo. ait Philo in legat. ad illum: *Persuasum ei fuit, sicut aliorum gregum magistri, opiliones, caprarij, bubulci, nec boues sunt ipsi, nec capri, nec arietes; sed homines ijs longe præstantiores modis omnibus; sic præfectum gregi humani generis optime censendum maiorem homine, referendumque in deorum numerum. Hunc opinionem vbi concepit, amplexus est fatuus.* Et vere fatuus, quo enim se extollere putat supra hominis naturam, fit Deo, & Angelis, & hominibus ludibrium.

§. V.

Christiani per fidem habemus, quod simus de genere Christi filij Dei.

DAuidi dicebant isti: *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus*: nec parum se extollebant, cum tanti viri, & regis dicebantur affines. Sed maior nostra gloria est, qui non Dauidi, sed Christo Dei filio dicere possumus, quod os eius, & caro eius sumus, in eodemque genere conuenimus. Leuit. cap. 21. de summo Sacerdote dice-
Leuit. 21. batur: *Virginem ducet vxorem.* Septuag. addidere: *De genere suo.* Quibus adumbrabatur verus sacerdos secūdum ordinem Melchisedech Christus Dei filius, qui vxorem virginem duxit, vbi fidelium Ecclesiam sibi adiunxit. Sed quî fieri potest, vt nos homuntiones dicamur esse de genere tanti principis? Rem tractans D. Cyrill. Alex. lib. 12. in Leuit. ait: Hic ergo sacerdos magnus vxorem virginem accipere de genere suo potest: & propter hoc dictum videri de genere suo, quod anima Christi ex genere, & substantia fuerit humanarū om-
Cyr. Al. nium animarum. *Potest & secundū hoc, quod fratres vocat credentes in se, & de genere suo dici anima, quæ et in fide tanquam nuptijs sociatur.* Eò ipse, quod ad Iesum fide accedamus, de eius genere sumus, illique constituimur affines. Et pergit adhuc Cyrill. ibi:
Cyrill. *Illud tamen nolo vos lateat, quod Hebræi negant se scriptū habere, quod nos apud Septuag. inuenimus, de genere suo: & recte ille non habent scriptum. Ablata est ab illis propinquitas Dei; ablata est illis adoptio filiorum, & translata ad Ecclesiam Christi. Illi ergo non habent scriptum, quod de genere Christi sint, sicut nec esse meruerūt. Nos autem qui hoc scriptum habemus, gaudeamus de dignatione Dei, &c.* Non quidem in Hebræo legitur, quod Iesus sibi adiugat sponsam de genere suo; quia Hebræi sua perfidia hoc perdiderūt, vt sint Dei affines. Apud Septuag. id positum est, vt ostendatur Christianorum fœlicitas, quorum est per fidem fieri Deo propinqui, & patres, & matres, & fratres Christi.

§. VI.

Vnus Rex regum Iesus amat descendere ad subditorum humilia.

ADhuc instō verbis Israelitarum dicentium: *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus.* Cur non potius dicunt: ecce tu es os nostrum, & caro nostra? Sic dicebat Adam, Genes. 2. *Hæc nūc os de ossibus meis,* *Genes. 2.* *& caro de carne mea.* Cur non similiter dicunt Dauidi Israelitæ? Cur maluerunt dicere, nos sumus caro tua, quam tu es caro nostra? Dum dicunt, nos sumus caro tua, principem extollunt, ad cuius affinitatem ascendere ostenduntur. Si autem dicerent; tu es caro nostra, principem demitterēt, vt videatur descendere ad subditorum humilia. Quod vnus ex omnibus principibus Iesus meus non refugit, sed amat, non tam in sua celsitudine videri, quam in subditorum humilibus. Dicebat ille, Matth. 26.
Possum rogare patrem meum, & exhibebit *Matt. 26.* *mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum, &c.* Is tamen tantus, & talis oraturus accedens, Mar. 14. *Capit pauere, & tædere, &c.* Et quando tibi promptæ sunt duodecim legiones Angelorum, cur domine magis eligis pauere? Legiones pertinebant ad celsitudinem paternam ostendendam; pauor autem mortalium hominum proprior erat. Bonus autem princeps maluit in subditorum humilibus, quam in celsitudine paterna videri. Adhæc ait D.
D. Leo. Leo serm. 3. de Pass. *Venerat in hunc mundum dines, ac misericors negotiator cœli, & commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, & sua tribuens: & cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam duodecim angelicarum seruire legionum, malebat nostram recipere formidinem, quam suam exercere potestatem.* Quid diuinius? Datur mihi alius princeps qui malit

malit in suorum vilibus inueniri, quam sua ostentare magnalia. Vnus Iesus mavult in formidine, & vilitate nostra videri, quam suam exercere potestatem.

§. VII.

Ab vnius Dei potestate venit, quod homo regnum scandat.

NOn ommitto illud ab Israelitis notatum, dum regnum Dauidi tradunt, nimirum: *Dixerat autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux, &c.* Non equidem ab alio, quã à Deo promittente, & disponente veniebat regnum ad Dauidem; imò ad nullum venit regnum nisi à Dei manu. Dicitur in Concil. Parisiensi lib. 2. cap. 5. *Constat ergo, quia nõ actu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ, sed virtute, imò occulto iudicio dispensationis diuinæ regnum confertur terrenum.* Equidem non suffragia, non exercitus, sed Deus solus regnũ præstat hominibus. Nabuchodonosor ostensa fuit regni potentia sub arbore procerissima, cuius culmẽ cœlum pertingebat, cuius brachia operiebãt terram. Hæc cœlitus iubetur succidi. Et cur cœlestis vox in hanc arborem irascitur, vt illam succidat? Ait Angelus, Dan. 4. *Donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominum constituerit super illum.* Quæ pulchrè ponderans Theodor. ait: *Dixit Angelus, id circo euentura erant, quæ ad arborem pertinent, vt hinc discant omnes vnum esse Deum, Dominum, ac regem, qui in terris reges constituit; & regnum, cui voluerit, committit; ostendens enim suam potestatem, etiam tenuissimum interdum, & qui nullius pretij censetur, regem declarat, & eos, qui maximis vtuntur honoribus, coredigit, vt illi dicto sint obediẽtes.* Proh Dei potentiam! Pro Dei iudicia! Huc trahẽda sunt dicta tom. 2. in Euang. fol. 717.

Dan. 4.

Theod.

2. *Reg.* 5. Et abijt Rex, & omnes viri, qui erant cum eo in Ierusalem, ad Iebusæum habitatorem terræ; dictumque est Dauid ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, dicentes, Non ingredietur Dauid huc. Cæpit autem Dauid arcem Sion, hæc est ciuitas Dauid. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos, & claudos, &c.

§. VIII.

Fides oculatissima.

IEROSOLYMITANI Iebusæi Dauidi oppugnanti vrbem obijciebant probrum, quo ab illo feriebantur, vocati cæci, & claudi, ob quod se valide vrbem propugnaturos asserebat dicentes: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos.* Hoc est, nisi abstuleris nos, qui cæci, & claudi à te reputamur. Sic explicat D. Hieron. & merito homines infideles cæci reputantur, fides enim est, cui à Deo oculi dantur. Luc. 18. erat cæcus in via, qui clamabat ad Iesum dicens: *Iesu fili Dauid miserere mei.* Cui Iesus oculos statim illuminauit. De quo locutus Tertull. lib. 4. in Mar. ait: *Qui hoc se, & cognouit, & cognosci voluit ab omnibus, fidem hominis & si melius oculatam, & si veri luminis cõpotem exteriore quoque visione donauit, & vt nos mercedem fidei nosceremus.* Est enim hæc propriissima fidei merces, vt oculos habeat, quibus altissima quæque valeat penetrare. Nota est historia de conuersione Pauli, vt ibat in Damascum, vt voce cœlesti perterrefactus deciderit in terram, & à Iesu informatur. Tunc ait textus Actor. 9. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat.* Expende illud: *apertis oculis*, exteriore visione carebat, non carebat oculis, quando fide diuina imbutus accipiebat videre maxima. Rẽ pulchrè canit Arator lib. 2.

Luc. 18.

Tertull.

Actor. 9.

---------- *Sors lata ruinæ*
In qua culpa cadit, didicit de corpore lapso
In mentis iam stare gradu; cum lumina claudit
Pectora tunc aperit, cœlique agnoscitur author
Discedente die; quantum meruere tenebræ
Post oculos maiora videt; mirabile sæclis
Exemplum dedit alma fides.

Quid suauius? Fides faciebat videre eum, qui corporali visione carebat: inter tenebras cæcitatis, quibus visum corporalem amiserat, vt induit fidẽ, sic habuit novum fontem videndo, quo oculatius maiora percalle-

calleret. Nunquam non fidei oculi debentur. Baptizatus Iesus, Matth. 3. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem supra se. Et ecce vox, &c.* In monte autem Thabor, Matth. 17. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox, &c.* In baptismo in colūba venit spiritus; in trāsfiguratione in nube lucida. Et cur post columbam nubes lucida venit? Ait Beda, ibi: *Hic Spiritus Sanctus in nube lucida, illic in columba: quia, qui nunc simplici corde fidem seruat, tunc aperta luce contemplabitur, quod crediderat.* Sic ibi lux ponitur pro mercede fidei.

Matth. 3.

Beda.

§. IX.

Imago Christi notissimum propugnaculum.

VRbis propugnacula obijciebant Dauidi Ierosolymitani claudos, & cæcos, dum dicunt: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos*; erant hi imagines Idolorum cæcorum, & claudorum, quę appensæ erant turribus, pro illarum propugnaculis. Vt credidit Rabbi Abenezra: sic enim fatur in Glossa: *Ciuitas Ierosolymitana tua erit, si poteris per arma tua deuincere cæcos, & claudos, hoc est, turrim, seu fortalitium illud, in quo sunt imagines cæca, & claudа, sed nos scimus propugnaculum istud fortius esse, quā vt à te superari posset.* Et vane imagines Idolorum creduntur propugnaturæ vrbem; vnæ enim verissimi filij Dei Iesu imagines propugnant populos, vrbes. Exod. 12. iubebat Dominus agni immaculati sanguine superliminaria domorum Israelitarum tingi. Quippè ait: *Transiuit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi.* Ecce tibi agniculi sanguis positus in superliminaribus domorū sic percussores arcet, vt minime illos ingredi permittat. Et vnde sanguis ille sic valet domus propugnare? Imago erat, & figura sanguinis Christi pro homin. bus effundendi, ne miremur, quod sic populum protegat, nec vllū malum incursum accedere sinat. Quo spectans Tertull. carm. 2. in Marcionem ait:

Cernite, quid virtus, quid Pascha possit imago.

Tertull.

Vt enim imago erat diuinissimi agni occidendi in Pascha, sic validissima erat, vt populos tutaretur à malo incursu. Matth. 8. clamabant dæmones ad Iesum: *Si eyeis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Cur non magis postulant ad homines infideles ire? In quocumque homine resplendebat imago, & similitudo Christi, à qua veheme ntissime arcebantur maligni. Vt dicat Sedul. lib. 3. Paschali,

Matth. 8.

Tunc Domini præcepta tremens exire iubentis Sedul.
Spiritus infœlix, hominum non audet adire
Effigiem fugiens, quam Christū cernit habere.

Equidem malignus effigiem, & similitudinem Christi in homine sic expauebat, vt nec auderet prope accedere ad illam. Sic valent imagines Christi aduersus malos incursus. Hinc monebat Nazian. orat. de Baptismo adductus à Damasceno orat. 3. pro imaginib. *Sit e post baptismum lucis hostis adoriatur, adorietur enim, habes quo victor existas. Ne formides certamen. Spiritū obijce, aquam obijce: Signo confisus dicito: Imago Dei sum.* Non prævalebit hostis aduersus Dei imaginem. Quod ostendens S. Stephanus iunior validus imaginū propugnator, hospitæ suæ præsidij loco imagines Christi Domini dabat. Ait enim de illo D. Damasc. in eius vita: *Sacris imaginibus ostensis, Accipe*, inquit, *præclarum hoc tuum depositum, quod tibi in præsenti hac vita aduersus omne malum præsidy loco sit, &c.* Nec mirū, quod Christi imago detur in præsidium; quando & sanctorum imagines suos sciunt propugnare. Aiebat ipse Damascen. orat. 3. de Imag. ex Nazianzeno.

Nazian.

D. Dam.

Adolescens quidam intemperans meretricem Damas.
aduocat
Hæc vbi ab ostium accedit, vt ferunt
In quo veneranda Polemon imagine
Expressus despiciebat, eius deterrita
Aspectu discedit, pictum non aliter
Veritą, quam si viuentem cerneret.

Sic ibi in imaginibus sanctorum fundantur nostra propugnacula.

§. X.

Pauperes refecti nos ab omni malo propugnant.

SIc vrbis muris, & propugnaculis fidunt Ierosolymitani, vt eam vel à debilibus, claudis, cæcisve defendendā credant, dum aiunt: *Nō ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, &c.* Quasi dicerēt, Non alij, quam viles, & infirmi homines, cæci nimirum, & claudi custodiunt vrbē, & vel validissimum exercitum ab ingressu arcent. Sic suæ vrbis munitionem fortissimam

mam extollebat, vt putat Iosephus, & cum eo Salianus, Delrio & alij. Et verius, & sapientius iudicarent, si non tam vrbis munitionibus fiderent, quam ipsis pauperibus hominibus cæcis, claudis. Fallar enim, nisi hi sint firmiora, & inexpugnabiliora propugnacula. Inde monebat Dominus, Luc. cap. 13. *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.* Nec immerito, quando Balthasar inter cænandum hostibus patuit, & dives epulo à fartis mensis ad flammas inferni fuit raptus, iubet conuiuia nostra pauperibus, cæcis, claudis vo muniri, vt nos propugnent ab omni incursu malo. Pulchrè author cat. Græcæ huc transcripsit D. Chrysostom. qui hom. 45. in Acta fatur: *Sit inter ministros fidelior, cui hoc concreditum munus, cæcos, pauperes, & sine tecto introducat. Sit, licet, custos domus pauper. Sit tibi murulus, & spicula, scutum, ac lancea: vbi eleemosyna, non audet accedere diabolus, nec aliud quicquã graue.* Sunt equidem validissima propugnacula, quæ fiunt per refectos pauperes. Dicebat de se Iob, cap. 20. *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Quid inde? Ait D. Paulinus epist. 31. *Iob vero ille, igne examinatum argentum, se semper oculum cæcorum, & pedem claudorum fuisse testatur, horumque operũ in ipso tentationis suæ certamine mercedem reposcit, & recipit, spoliatur opibus patrimonij, non animi, sed inuulnerabilis corde, nec labijs quidem peccat. Nudatus ambitione substantiæ, sed armatus virtute patientiæ.* Expende illa: *Inuulnerabilis corde, armatus patientiæ virtute*; qui enim cęcos, claudosque refectos pro se loquentes habuit, etiam traditus in Satanæ manus vsque ad perditionem temporalium, inuulnerabilis corde mansit, & sic erat armatus patientia, vt rideret hostium iacula. Velēt equidem pauperes refecti homines à malis tutari. Apocal. 14. ait: *Misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum.* Creditur vinea hæc terræ fuisse Roma, quæ exposita est iræ Dei magnæ. Et quis liberabit hanc vrbem à falce furoris Dei? Vidit D. Paulinus in ea Pamachium senatorem pauperibus Christi reficiendis intentum, & ait epist. 31. *Poterat Roma intentatas sibi illas in Apocalypsi minas non timere, si talia semper ederent munera senatores erga pauperes.* Nec miror, quod Roma, adhuc, in stadio posita ob pauperes refectos euaderet inimica iacula. Illud mirandum, quod diuiti epuloni accidit, Luc. 16. hic cum esset in inferni tormentis orauit ad Abraham, petens, vt mitteretur Lazarus in eius refrigerium. Cui respondit Abraham: *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Sic murus Abrahamici sinus firmabatur, vt minime posset ab inferni accolis superari. Et qui sic hunc murum propugnabant aduersus damnatos, crediderim propugnatum esse à cæcis, & claudis, nimirum à pauperibus, qui si eleemosinis fuissent expugnati, quē non recipierent in æterna tabernacula? Accipite D. Aug. serm. 227. de Tempore, sic nomine Abrahæ diuiti illi fantem: *Quid faciam tibi? Eleemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum pœnas extinguerent:: Interueniãt pro te pauperes, & quidquid petieris dono.* Quid mirabilius? Vel damnato omnia bona videtur promisisse, si haberet pro se loquentes pauperes.

Luc. 13.

Chrysost.

Iob, 20.

D. Paul.

Apoc. 14

D. Paul.

Luc. 16.

D. Aug.

§. XI.

Crux Christi validissima ad expugnandas contrarias omnes potestates.

NOn fregit Dauidem vrbis municio, nec cęcorum propugnatio, quin potius inuadens vrbem, illam cæpit. Ait enim: *Capit autem Dauid arcem Sion*; quo non immerito adumbrabatur Christus Iesus, vt per crucis mysterium omnia sibi subijcit. Ait Rabanus, ibi: *Dauid Iebusæum habitatorem terræ de Ierusalem eijciens significat Christum contrarias potestates de cordibus fidelium eijcientem. Non solum enim per mysterium crucis omnem principatum diaboli destruendo trophæum gloriæ acquisiuit, &c.* Quid enim non conficiat virtus Christianæ crucis? Quos cæcos non vincat? Quæ mœnia non deijciat? Forsam huic victoriæ alludebat Isaias, cap. 13. aiens: *Super montem caliginosum leuate signũ, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces.* Nullus est mons adeò caliginosus, nulla ciuitas tot cæcis plena, cuius non pateant portæ, dummodo signum crucis accedat illuc. Quam duriticē non emolliat crux Christi? Numer. 20. volens Moyses silicē emollire, vt aquas educeret, *percussit virga bis silicem, & egressæ sunt aquæ, &c.* Non ad vnũ ictum, sed ad duplicem petra mollita fuit. Quid mirum? Duplici virgæ ictu formata fuit crux, cui nec petræ potuerunt resistere.

Raban.

Isai. 13.

Num. 20

re. Ait Seuerianus apud D. Damasc. orat.
D. Dam. 3. de imagin. *Percussit semel, & bis, vt crucis formam describeret, vt natura crucis notam veneraretur. Nam si regis imago regis gaudium explet, eamque magistratus adorant: multo magis immortalis regis imago potest non modo petram, sed cælum, & terram vniuersam perstringere.* Nulla fortitudo non cedit viuificæ cruci? Dicebat Isaias cap. 10.
Isai. c. 10. *Suscitauit super eum dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madiam in petra Oreb, & virgam suam super mare, & leuabit eam in via Ægypti.* Quæ verba explanans D. Alredus apud Tilmmanum in Alleg. ait: *Vere crux tua premit fluctus sæculi domine, persecutionum sedat tempestates, & mitigat tentationum procellas. An nescitis? An non sentitis? Feruet in carne aliquando æstus concupiscentiæ, in mente ira desauit indignationis, iamque iamque prorumpit, & instar maris, quod vehemens exagitat ventus, omnia interiora hominis conturbantur. Sed leuante supra hoc mare crucē suam Iesu, sedantur omnia, omnia conquiescunt.* Sic ibi, & miser, qui sine Christi cruce inuenitur, nō mirer, si incurrat lethalia. Cum Iesus prænuntiaret discipulis mortē, & crucem suā Matth. 16. Petrus dicebat.
Matt. 16 *Absit à te domine, non erit tibi hoc.* De quo ait D. Chrysol. ser. 27. *Venenum, quam dulce serpentis; ante facit militem regis sui negare victoriam, seruus ipse dominum quam negaret.* Prius fecit crucem Christi à Petro repelli, & inde eum ad negationem traxit.

2. *Reg.* 5. Id circo dicitur in prouerbio, cæcus & claudus non intrabunt in templum. Habitauit aũtem Dauid in aræ, & vocauit eam ciuitas Dauid, & ædificauit per gyrum à Mello, & intrinsecus. Et ingrediebatur proficiens, atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cũ eo. Misit quoque Itiram rex Tyri nuntios ad Daui, &c.

§. XII.

Angelorum custodia erga homines validissima.

QVia cæci, & claudi Sionis propugnatores inde electi sunt à Dauide: *Idcir-*

co, ait, dicitur in prouerbio: Cæcus, & claudus nō intrabunt in tẽplum, nimirũ ad custodiẽdum, seu propugnandum illud. Equidem de male custodita, & propugnata Sione à cæcis, & claudis, aptissime oritur hoc prouerbium, quo explicetur, vt nihil prætiosum committatur custodiendum illis. Quasi cum sono prouerbij Hispani dicerent: *Cojos, y ciegos no son guardas para el cielo.* Non enim Deus claudis, & cæcis sua custodienda committit, sed validissimis cælestium principibus, & oculatissimis. Dicit
Genes. 3. Genes. 3. *Collocauit ante paradisum volaptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ignis efficacior est omnibus elementis, & Cherubim oculatior omnibus cælestibus spiritibus, vt videas, quam non permittat Deus suorum custodiam nisi oculatissimis. Quo spectabat illud Zachar. cap. 3.
Zachar. ait: *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Vbi per septem oculos probat Pater Ribera debere intelligi Angelos, per quos Dominus administrat, & custodit orbem. Hyerosolymitani ergo Iebusæi super arcem Sion cæcos, & claudos posuerunt; at Deus vel super vnum lapidem septem oculos, hoc est multiplices, & oculatissimos propugnatores constituit. Quid inde euenit? Ait D. Cyril. Alexand. lib. 3. in Isaiam
Cyr. Alex. cap. 29. *Itaque beato Dauidi Hyerosolymitani, id est, Iebusæi cæci, & claudi restiterunt, quo facto misere disperierunt. Capit enim eam.* Et quomodo non capiatur, & pereat vbrs custodita à cæcis? Felices illi, qui nō sub cæcorum, sed sub oculatissimorum spiritum custodia viuũt, fallar, si pereant, nisi se ipsi perditioni dederint. Post rediuiũ
Ioan. c. 20. dominum ait Ioan. cap. 20. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit, & vidit duos angelos in albis sedentes vnum ad caput, vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Et quid angeli cum vacuo monumẽto? Cur non magis extra monumentum apparent Magdalenæ, vt illam doceant dominicam resurrectionem? Putabat Magdalena corpus Iesu per vim aliquam surreptũ, & sublatum à monumento; quam persuasionem vt Angeli eriperent fœminæ, merito illi apparent supra lapidem monumenti sedentes, vbi enim tanta erat vigilum custodia, nulla potestas creata poterat aduersus monumentum sic custoditum præualere. Pulchre ait D. Cyril. Alex. ibi: *Apparuerunt autem sedentes alter ad caput, alter ad pedes, vbi positũ erat corpus Iesu, vt mulieri corpus domini trãslatũ pauanti significarent,*
Cyr. Alex.

rent, neminem potuisse vim sanctissimo illi corpori afferre, quod ab angelis defendebatur. Ideo ibi super sepulchrum apparent oculatissimi angeli, ne crederetur vis inferri potuisse thesauro, qui ab angelis, non à cæcis custodiebatur.

§. XIII.

Non semper noua introducenda, sed vetera illustranda.

EXpugnata Sione arce in ea Dauid habitauit: dicit namque textus: *Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam: ciuitas Dauid, & ædificauit per gyrum, &c.* Solemne fuit mundialibus principibus arces, & vrbes, & turres à primis fundamentis erigere, illasque proprio nomine nobilitare. Dauid autem nomine suo ornat Sionis arcem, quam non à fundamẽtis erexerat, sed ab hostibus cæperat. Et cur non magis curat nouam aliquam arcem à fundamentis erigere, in qua sedem figat, & quam nomine suo nobilitet? Placuit optimo principi, veteribus illustrandis, ornãdis instare, quam noua introducere. Gratius sæpe est vetera ad nouum splendorem erigere, quam noua facere, Gen. 1. statim dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux*: & deinde quarta die: *Fecit duo luminaria magna luminare maius, vt præesset diei, &c.* Cum cæteras creaturas faciebat, singulas nouiter educebat; cum autem facturus erat lumina re maius, nempe hunc solem totius lucis fontem, prius lucem solam creauit, & ex hac luce creata processit ad solem creandum. Et cur non solem nouiter eduxit, sed illum ex præmissa luce perfecit? Voluit illam ostendere in summo principe manũ, quæ sapientissime incumbit in veteribus illustrandis. Ait Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. cap. 15. *Quis scit, vtrum ipsa eadem lux posteà in solis substantia translata sit, & ampliata claritate formam meliorem acceperit, quemadmodum in nuptijs Iesus de aquis vinum fecit, vt reformationis statum in melius, & restaurationis sacramentum demonstraret?* Itaque primo edita lux, non extincta creditur, sed ampliata in solem; vt in sole non nouitius splendor cerneretur, sed antiquus illustrior factus; quo summi opificis manus pateret, quæ vilia, & antiqua scit in perfectiorem ordinem reformare. Nota est Ezech. prophetia, dum cap. 37. dimissus est *in medio campi plenus ossibus*, ex quibus momento temporis viuentes homines edũcit potentia diuina. Nunquam enim cineres veteres istos collegisset Deus ad homines perficiendos, nisi magna in eo sita gloria esset, quod valeret vetera, & vilia reformare in melius. Vt canat D. Paulinus in Peneg. de obitu celsi pueri

Illic aspicie toto viuescere campu.
Arentes veterum relliquias hominum.
Ossaque porrectum late dispersa per agrum
Vltro ad compages currere iussa suas.
Et dicto citius, perfectis ordine membris
puluere de veteri stare nouos homines.

Sic summus creaturarũ opifex, & princeps suos triumphos, suas glorias manifestat, cum de veteri puluere scit nouos constituere homines. Ne vilis puluis desperes, habes enim eum principem, qui nouit vilia, & vetera reformare in melius. Spirante Iesu in cruce, inter alia mira, quæ eius triumphum, & gloriam manifestant, hæc narrat Matth. cap. 27. *Monumenta aperta sunt; & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quasi non æque Iesu gloriam ostenderent homines denuo creati, vt veterascentes illi, & putrescentes reformati in vitam per eum. De quo D. Paulinus supra ait.

Namque vt concussis patefecit Tartara terris
Et vinctum Inferno carcere soluit Adam
Tissa resurgentes ruperunt saxa sepulti
Et nouus in sancta floruit vrbe tholus.
Viderunt multi veterum renouata priorum
Corpora, descensu viuificata Dei.

Decebat in summi principis triumpho ostendi renouata, & glorificata, quæ vetera, & putrescentia erant.

Genes. 1.

Hu. Vict.

Matt. 27

§. XIIII.

Cui Deus adest, omnia bona cũ illo solent venire.

VIde Dauidem in regni culmine, victoriis celebrem, principum vicinorum deuotione insignẽ. Vnde hæc? Ait textus: *Ingrediebatur proficiens, atque subcrescens, & dominus Deus exercituum erat cũ eo. Mittique Hiram rex Tyri nũtios ad Dauid, &c.* Expende illã totius augmẽti Dauidis rationẽ, nimirum, *Dominus Deus exercituũ erat cum eo.* Cui Deus aderat: cui Dei filius erat annumerandus inter filios, non miror, quod fælicitatis humanæ pertingat culmen. Luc. 2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Et quod imperiũ tale potuit promere edictũ?

Luc. 2.

Non

Non Assyrius, non Persa, non Medus, non Græcus vidit totum orbem currere, vt describeretur sub principe suo. Nec miror, quod vni Imperio Romano hæc gloria accideret; cui etiam accidit, vt Dei filius scriberetur inter eius ciues. Rem sic ponderat Paulus Oros. lib. 6. infine. *Romano Imperio Christus statim adscriptus, vt natus est. Hæc est prima illa clarissimaque professio, quæ Cesarem omnium principem, Romanosque rerum dominos signauit, in qua seipse, qui cūctos homines fecit, inuenire hominem, adscribique inter homines voluit. Quod nunquam penitus ab orbe condito in hanc modum, nec Babilonio quidem, vel Macedonio cōcessum fuit. Nec dubium, quin omnium cognitioni pateat, quod dominus noster Iesus Christus hanc vrbē nutu suo auctam, defensamque in hunc rerum apicem preuenerit, cuius potissimum voluit esse cum venit, dicendus vtique ciuis Romanus, cēsus professione Romani.* Sic cuius esse voluit Dei filius, voluit etiam vt essent prospera cuncta.

Pau. Oros

2. *Reg.* 5. Accepit ergo Dauid adhuc concubinas, & vxores de Ierusalem post quam venerat de Hebron; natique sunt Dauid, & alij filij in Ierusalem, Samna, & Sobal, & Nathan, & Salomon, &c.

§. XV.

Præstantes parentes sufficiunt ad filiorum commendationem.

NIhil aliud de ijs principibus dicitur in presenti, quam quod sunt filij Dauid nimirum. *Nati sunt Dauid, & alij filij in Ierusalem, Samna, & Sobab, &c.* Ex eo enim satis commendātur, quod sint filij tanti patris. Aiebat Theodoricus rex apud Casiod. 2. variar. 15. dum promouet quendam ad præfecturam: *Prouidentiæ nostræ ratio est, in tenera ætate, merita futura tractare, & ex parentum virtutibus prolis iudicare successus. Quia bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consueuit radicitus pullulare. Fertur etiā cursā perenni fontium vena vitalis, & huc cōditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor, quia concessus est origini, nisi per accidentia fuerit forte vitiatus, nesciat riuulis abnegari. Hinc est, quod te magnifici patris meritis æstimatum honore prouehimus. Vt qui es clarus stemmate, splendeas dignitate. Quis enim vitæ quamuis futura, tamen certa non teneat, dum glorioſi patris recolat officiosos labores.* Sapiens rex optimi parentis recolens præstātiam, eandem sperabat à filijs. Creduntur enim filij minime degenerari à notis patrum suorum virtutibus. Machabęorum septem fratrum mater, lib. 2. cap. 7. post vi sos sex filios excarnificatos ab Antiocho septimum natu minimum attendebat, pro quo solicita sic ostenditur loquens apud Victorin. Afrum.

Casiod.

Ne desit fratrū numero meus infim⁹ infās
Ignarusque sui, quē iam procul ecce teneri
Conspicio, turba circunuenientefrequēti.
Hunc propter solum lacrymas, quas commouet ætas
Vnus enim superet, *de quo mihi maxima cura est;*
Ne tener ignoret, qua sit de gente creatus.
Hunc ego si possem secreto apprendere solum
Blandirer, patriū, que genus, patriāq; docerē.

Hoc vnū putabat mater efficaciſimū, vt filius in præstantia opera impelleretur; si nimirum sciret suorum parentum præstātiā, à qua vix credebatur posse degenerare.

2. *Reg.* 5. Audierūt ergo Philisthiim quod vnxissent Dauid in regem super Israel, & ascenderunt vniuersi, vt quærerent Dauid: quod cum audisset Dauid, descendit in præsidium, Philisthiim autē venientes diffusi sunt in valle Raphaim. Et consuluit Dauit dominum dicens: si ascendam ad Philisthiim? Etsi dabis eos in manūs meas? Et dixit Dominus ad Dauid: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua.

§. XVI.

Donis suis aliqua solet Deus immiscere, quæ homines in humanitate contineant.

MOdo Dauid regnum accipit Israelis, de Iebusæis triūphat, Hitami ob-

sequio lętatur; & statim ab hostibus appetitur. Dicit namque textus: *Audierunt ergo Philisthiin, quod vnxissent Dauid in regem super Israel, & ascenderũt vniuersi, &c.* Vix vngitur in regem Dauid, & statim se ab hostibus appeti videt; ea enim solent esse dona à Deo in suos profecta; quibus iuncta veniant pericula, quæ hominem in humilitate contineant. Matth. 14. dum in naucula essent discipuli Iesu, venit ipse ad eos media nocte ambulans super aquas. Quod miratus Petrus petit à Iesu hanc gratiam, qua & ipse ad illam ambulans super aquas posset ire. Datum hoc Petro à Iesu fuit, qua concessione ipse mittit se in mare mittit, & recta super aquas ad Iesum ibat.

Matt. 14 Quid tunc? Ait Matth. *Ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit, &c.* Super vndas vix descendit dono Dei, & occe validi venti hominem impetunt. Quando illi dedisti domine, vt ambularet super vndas, cur illum à ventis impeti permittas? Præueniebat Deus ventum emittens, ne propter dona ad inanem rueret lætitiam. Quo spectans D Chrysol. serm. 90. ait:

D. Chrys. *Petrus cum per æquora diuinos imitatur incessus, & nouus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quam gaudeat de donato.* Sic diuinis donis assuta solent venire pericula in Dei amicos, vt non prius vacet illis gaudere de donis, quam humiles supplicare de periculis. Mittebat Iesus Apostolos Luc. 10. quibus ait.

Luc. 10. *Inquãcumque domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui; & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem ad vos reuertetur.* Hoc præstabat suis Apostolis donum communicandi pacem dignis; sed simul admonet posse fieri, vt minime pace dignus inueniatur. Quibus illud notandum, quod cum supponat posse fieri, quod pacis Apostolicæ dignus non inueniatur; nullum tamen proponit signum, quo pacis dignus, aut indignus dignoscatur; sed tantum de ijs loquitur conditionate aiens *si ibi fuerit filius pacis.* Et cur non magis exprimit assertiuè, qui erit filius pacis, aut dignus pacis? Curabat bonus in tanta muneris largitione, vt misceretur aliquid, quo discipuli possent humiliari, nimirum dignorum ignorantia. Ait ibi Euthymius:

Euthym. *Vide, quod non dederit eis præcognitionem digni, aut indigni, vt re maxime necessaria destituti sese deprimant tanquam imperfecti.* Dedit illis pacem communicare dignis, præcognitionem autem digni, indigni ve prorsus negat, vt habeant, vnde se deprimant, & se in humilitate contineant.

§. XVII.

Rerum temporalium administratio nunquam non sapit puluerem, & sanguinem.

VBi Dauid apparet in throno regni, statim imminent sanguinolenta bella. Quippe ait. *Audierunt ergo Philisthi in quod vnxissent Dauid in regem super Israel, & ascenderunt vniuersi, vt quærerent Dauid.* Vix in solio apparuit, & hostes currebant, vt omnia implerent sanguine. Nihil aliud sperandum est in omni administratione rerum temporalium, cuius est nunquam non sanguinolenta tractare. Post venditum Ioseph hum fratres eius Genes. 37. *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes, qui ferret ad patrem, &c.* Nec immerito sanguine tingitur tunica eius, quia ad Ægyptij administrationem ordinabatur. Iam enim sanguine fœda tunica eius ostendebat, quam sit sanguinolenta temporalium rerum administratio. Ait Philo lib. de somnijs:

Genes. 37

Philo. *Ideo tunicam hanc Moyses inducit naturaliter infectam sanguine; quia tota vita rem publicam administrantis contaminatur, dum bellum aut infertur, aut propulsatur, infestantibus subinde alijs, atque alijs casibus.* Quando purus Reipublicæ administrator? Quãdo non negotiorum puluere fœdatur? Quãdo non madet sanguine? Dicebat Dominus ad Cain Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quæ verba expẽdens D. Amb. lib. 2 de Abel cap. 9. ait.

Gen. 4.

D. Amb. *Si frater tuus tacet, terra condemnat. Ipsa est in te, & testis, & index. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet: index asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, vt aperiret os suũ, & exciperet sanguinem.* Expende ab illis: *index asperior, &c.* Vbi enim terra index fingitur, simul & proponitur sanguine fœdata: quasi nequeat thronus, aut præfectura rerum temporalium consistere, quin tractet sanguines.

(?)

§. XVIII.

Celeritas auspicata ducibus.

NOn cunctatur Dauid, sed vbi audiuit hostiles animos Philisthiinorum, statim munitiones festinat. Sic ait text. *Quod cum audisset Dauid, descendet in præsidium.* Non distulit, sed omnia munimenta belli accelerabat. Est equidem hæc celeritas propria optimis ducibus; quibus nunquam non officit cūctatio nimia. Theodosium Imperatorem aduersus hostes festinantem dum extollit Latinus Pacatus in eius Paneg. ait. *Recte professo germana illa pictorum poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum eum Fortuna cuntium non cursus est, sed volatus. Ille ab vltimo Orientis sinu festinatis iti e vibus raptus exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus, in alio orbe, & sub alio sole positus spatio lucis vnius Illirico cōtinuauit Aquileiam. Nihil tamen sibi met hoc nomine vindicant: debere sibi abnuunt illam celeritatem, quod expertes laborum peruenire se viderint, quo ire non sensserant. Negat immo se suis vectos corporibus, sed tanquam per aliquas imagines somniorum ferrentur, absentes præbuisse gestantibus venis otiosorum ministeria membrorum.* Hæc ille, vt extollat maximi Imperatoris præstantiam, qui tanta celeritate occurrebat euentibus, vt videretur exercitus habere vel incorporeos, vel pennatos. Et quidem sapienter illud in primis dictum. *Quod hominum cum fortuna cuntium non cursus est, sed volatus.* Nunquam enim fortunati effectus non respondent sapienti, & prouidæ celeritati. Vt econtra excidia, & ruinæ respondent tarditati. Ille Ægypti Imperator Pharao ranarum plagis afflictus remedium quærebat ex Moyse Exod. 8. quo malum propulsaret. Et rogatus, quando adhiberetur remedium: *Respondit: Cras.* Quid stultius quam procrastinare remediū plagæ instanti? Sapienter ait D. Amb. lib. 1. de Abel cap. 9. *Cum deberet in tanta positus necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret, respondit, crastina die. Otiosus & negligens mora pœnam Ægypti soluturus excidio.* Non aliter castigatur principum tarditas, & negligentia, quam vltimâ statuum calamitate. Ideoque præstantes Imperatores maxime tarditatem detestantur. Nobilissimus Imperator Iesus vbi in arenam prosilit aduersus tenebrarum potestates Mar. 14. *Cœpit pauere, & tedere, &c.* Et quid pauet bonus dux in tanto duello? An pauet hostium vires, aut arma? Ait D. Ambr. lib. 7. ad cap. 12. D. Lucæ: *Cum in se nihil habuerit, quod doleret, nostris tamen angebatur erumnis, & sub tempore mortis mœstitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redēptionis assumpserat.* Inter tot malæ victoriæ cunctatione angebatur nobilis Imperator.

Exod. 8.

Marc. 14.

D. Luc.

D. Amb.

§. XIX.

Humilitas necessaria magnis Imperatoribus.

ERat Dauid in munitissima illa Sionis arce, quā paulo ante cæperat à Iebusæis, quæ vel à cæcis, & claudis, credebatur posse propugnari: Et tamen vbi audiuit hostium aduentum: *Descendit in præsidium.* Et quale præsidium ibi erat simile Sionis arci? Nonne hæc pene in expugnabilis credebatur? Nonne hæc quæsita fuit à Danide in fortalitium regni? Quod ergo aliud præsidium fortius potuit excogitari? Crediderim nouum istud præsidium cōstitisse in illo verbo *Descendit*; qui enim victoria Iebusæorum, expugnatione Sionis, regni acceptione exaltabatur, inde mente descendit, vt sui demissione præsidium ex Deo aduersus hostes haberet. Cōueniant huic vniuersi Imperatores mūdi, & sciant ab altitudine sua descendere, si velint præsidiū habere à Deo. Potentissimus Pharao validissimis abundabat exercitibus, & inter plagas oratorem habebat Moysem, qui precibus suis omnia statim mala amouebat. Et tamen misere perijt, cū primoribus sui regni. Vnde in tantam perditionem tantus Imperator deuenit? Nunquam dicitur descendisse à fastus sui altitudine. Dicebat enim de illo D. Amb. lib. 1. de Abel cap. 9. *Itaque iste Pharao, vbi imperabat, immemor fiebat gratiæ, & exaltatus mente carnis suæ, obliuiscebatur Deum. Humilitas autem commendabat orationem. Et ideo diuinā publicanum prætulit sententia Pharisæo dicens: Quia descendit hic publicanus iustificatus, &c.* Non equidem in exaltatione mentis, sed in descēsu acquiritur protectio Dei. Exaltatus Pharao nunquā descendit ad Deū, quo misere perijt. Qui autē sciunt ab altitudine mētis descendere, ij maxime propugnātur, promouētur. Huc spectabat illud

illud, Cant. 4. ad Angelorum reginam dictum: *Collum tuum sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Et quæ hæc turris Dauid? An Syon ars, quæ ciuitas Dauid dicebatur? Crediderim nõ de arce Syonis hæc dicta, sed de illo præsidio, quod in descensu suo, & humilitate sua Dauid cõparauit. Pulchrè enim fatur Rupert. lib. 3. in Cant. *Quid erat turris Dauid? Putas ne, illa turris manufacta, de qua legitur, cæpitque Dauid Syon, hæc est ciuitas Dauid? Immo turris Dauid non manufacta fuit, cui collum tuũ, ò dilecta assimilatur, & hæc est humilitas Dauid. Filiæ Sion, dicebat Isaias, elevatæ sunt, & ambulauerũt extento collo. Hæc fuit superbia illarum. Propterea expugnari potuerunt. Tuũ autem collum non extentum fuit, sed est sicut turris Dauid, sicut humilitas Dauid, per quã ille coram Deo fortis, & contra homines extitit inexpugnabilis.* Ecce tibi, vt turris munitissima, & inexpugnabilis Dauid eius humilitas fuit, qua ab altitudine sua descendens se potentissimæ Dei manui subijciebat. Et hæc est omnibus turris munitissima ad repellendos inimicos.

Cant. 4.

Rupert.

2. *Reg.* 5. Venit ergo Dauid Baal pharasim, & percussit eos ibi, & dixit: Diuisit Dominus inimicos meos corã me, sicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatũ est nomen loci illius Baal phasarim. Et reliquerunt ibi sculptilia sua, quæ tulit Dauid, & viri eius.

§. XX.

Diuitiæ temporales validissimæ, vt homines à Deo separent.

FVsi per Deũ hostes dicuntur reliquisse in cãpo sculptilia sua, hoc est, idola sua; dum ait: *Et reliquerunt ibi sculptilia sua, &c.* & mirabar, quod nulla alia spolia narrẽtur relicta ab hostibus præter idola illa. Neque id puto fuisse absque Dei prouidentia; cuius solius fuit tota victoria illa. Qui sapientissime cauit, ne cum idolis relinquerentur aliæ auri, argentive, aut pretiosarum vestium diuitiæ, vt quæ maximam vim haberent, vt Israelitas separarent à Deo, & idolis ibi relictis adiungerẽt. Quis enim fluxis opibus nimis inhiat, & idololatris non appropinquat? Ait D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 35. ad Theodosium Imperatorem: *Si Christi regnum adipisci studes: : : conuenienti dispersione omnis diuitiarum leua. Neque enim saluatur Rex per multam potentiam: neque impij simulacrorum cultus crimen effugit, qui fluxis opibus paret.* Adeò vir sanctus coniunctam putat diuitiarum cupiditatem cum idolatria, vt non credat effugi idololatriæ crimen ab illo, qui opibus nimis studet. Nunquam enim nimius diuitiarum affectus cum vero Deo in animo mortalium coniungitur. Hinc Luc. 20. aiebat Dominus Phariseis: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Prius dandum Cæsari, quam Deo iubes? Nonne in primis à nobis numerandus est, qui est omnium bonorum nostrorum princeps? Cur ergo præcipimur prius dare Cæsari, quæ Cæsaris sunt, quã Deo? Vt Cæsaris esse creduntur mundanæ diuitiæ, in primis hæ à corde excludendæ sunt, vt vero Deo possimus seruire. Ait D. Ambr. lib. 9. in Luc. *Bene prius, quæ Cæsaris sunt, reddenda decernit. Neque enim potest esse quis Domini, nisi prius renuntiauerit mundo.* Hoc prius curandum, vt mundialia bona renuntiet, qui amat vero Domino Deo seruire. Qui enim temporalibus ijs bonis se immergit, non Dei, sed diaboli totus tenetur sub iugo. Dicebat Ioann. 13. de Iuda. *Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas*: dicitur diabolus in cor Iudæ misisse proditionem, sed non dicitur, ad huc Iudas totũ diabolum intrinsecus accepisse. At ipse Dominus dicebat Ioann. 6. de Iuda. *Vnus ex vobis diabolus est*; quasi sic se totum diabolus Iudæ insinuaret, vt nihil Dei maneret in illo. Et vnde hoc? Ait D. Isidor. Pel. lib. 3. epist. 364. *Postea quam præ auaritia tanquam vertigine laborantem, nec iam amplius mentis compotem esse, verum ab inexplebili temulẽtia in furorem actum vidit: : tunc vero stuporem eius agnoscens, totum in eum se iniecit.* Mittebat antea diabolus in cor Iudæ mala desideria, & proditionis propositum, vbi autem illũ vidit auaritia possessum, totus se in illum iniecit, vt videatur penitus in diabolum conuersus; & à Deo maxime alienus. Luc. 15. de prodigo illo dicit: *Congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, &c.* Quæ ponderans D. Chrisol. serm. 1. ait: *Census filiũ tulit è gremio patris, eiecit de domo, exemit patri, spolium famæ. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod est gloriæ, nihil reliquit.* Quid miserius? Longissime

Isid. Pel.

Luc. 20.

D. Amb.

Ioan. 13.

Ioan. 6.

Isid. Pel.

Luc. 15.

Chrysol.

gissime à Deo manet, qui immersus est lucris temporalibus, Matth. 17. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum, &c.* E duodecim discipulis tres seligit, qui viderent gloriam transfigurationis. Et cur nouem alij relinquuntur? Non ne & nouem alij Christum amabãt? Ait Damascen. orat. de transf. *Omnes Christi amore præditi erant; at vnus pecuniæ studio flagrans, Iudas, inquam, Iscariotes. Vnus hic dumtaxat, indignus erat, qui diuinitatem spectaret. Tollatur impius, ait, ne videat gloriam Dei.* Sic ibi.

Matt. 17

Damasc.

§. XXI.

Summa hominis magnitudo, & valentia, quod omnia diuino honori referat.

PRofusis hostibus Dauid victoriã Deo refert acceptam dicẽs: *Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ*: quasi ipse nihil fecisset, sic omnia tribuit Deo. In quo nullam Dauidis imbecillitatem, sed magis eius valentiam æstima. Nũquam enim non venitã magna hominis fortitudine, & valentia, quod diuino honori prospera sua referat. Ioan. 17. *Sublatis oculis in cælum dixit Iesus: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Qui clarificari, & honorari petebat, se imbecillum, & infirmum ostentabat. Et cur domine ea petis, quæ te infirmum ostendissent? Non ne ab infirmitate illa petitio oriebatur? Absit; quando enim petitio non in eo sistebat, vt claritatem, & honorem sibi acciperet, sed eo tendebat, vt totum acceptum honorem referret patri, dum ait, *vt filius tuus clarificet te*; non ab infirmitate, sed à præstanti animi magnitudine proficiscebatur. Aiebat ad hæc D. Hilar. lib. 9. de Trinit. *An ne tibi infirmus videtur; cum honorificari se rogat? sit plane infirmus, nisi honorificari id circo postulat, vt ipse honorificet honorificantem.* Honoris postulatio, & cupiditas, vt in te maneat, ab infirmitate procedit, & paruitate animi; at honoris acceptio, & cura, vt illum totũ, & integrum Deo referas, non ab infirmitate procedit, sed à valentia, & magnitudine animi. Ille infirmus, & imbecillis, qui Deo prospera sua non meminit referre. Dicebat Dominus Ioan. 16. discipulis suis: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille spiritus veritatis, &c.* Expende illud: *Non potestis portare modo.* Et quomodo dicuntur Apostoli nõ posse portare Christi doctrinam; qui poterant fugare dæmonia? Ipsi dicũt Luc. 10. *Dæmonia subijciuntur nobis.* Qui ergo sic valebant aduersus dæmones, quomodo habebantur adhuc infirmi? si vis ostendã tibi imbecillitatis huius radicem ex Luca cap. 10. vbi discipuli postquam dæmones fugarant à multorum corporibus, dicebant Iesu: Domine *Dæmonia subijciuntur nobis*, nõ aiunt; tu nobis subijcis dæmonia, eaque fugas coram nobis, nondum enim eo accesserant perfectionis vt Deo referrent omnia, quo imbecilles, & infirmi censebantur à domino. Ad hæc dicebat D. Basil. Sel. orat. 25. *Vnde vero, o Domine, discipulorum cõdemnas imbecillitatem? Quid enim? An nõ sitientibus auribus tua dicta excepere? An non primum nudos contra dæmones militare insisti, iisque parta victoria tali redibant oratione; Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis? Quid ergo. Qui dæmonum phalangas subiugant, ad discendum virium non satis habent? Profecto, inquit. Illud enim gratiæ meæ opus est, non virtus eorum intelligentia.* Equidem etiam dum fugant dæmonum exercitus, infirmi censentur, dum non referunt totum illud opus gratiæ diuinæ; sed hoc prædicant, quod dæmonia subiecissent, nõ quod hoc per Deum fieret. Et crede mihi, non potestatem, sed infirmitatem censet, quæ minime Deo accepta tribuit.

Ioan. 17

D. Hilar.

Ioan. 16.

Luc. 10.

Basil. Sel.

2. *Reg.* 5. Et addiderunt adhuc Philisthiim vt ascenderent, & diffusi sunt in valle Raphaim. Consuluit autem Dauid Dominũ, si ascendam contra Philistæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit, non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos, ex aduerso pyrorum. Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tũc inibis prælium; quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, &c.

§. XXII.

De plorati animi est nunquam non incrementa addere malicię.

DE Philisthinis perdendis iam iam locutus textus illud dicit: *Et addiderũt adhuc Philisthiim, vt ascenderent, &c.* Semel, & bis fracti, & castigati, adhuc bellum instaurãt, nec desistunt à malicia sua, quin illi noua additamenta accumulant. Quid lethalius? Sane deploratus est ille, qui nescit non addere ad maliciam suam. Nota est Pharaonis induratio & vt excitatus est à Deo in exemplum perdendorũ: dicit enim Dominus Exod. 14. *Indurabo cor eius, & persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, &c.* Rabidissimi persecutores fidelis populi fuere Nabuchodonosor, & Antiochus, nilominus, non dicit Dominus, quod indurauit eos ad perditionem, quod de vno Pharaone dicit. Et cur magis in Pharaonem ira Dei exarsit? Ait D. Athan. epist. ad solitar. *Pharao, quo magis atteritur, & magis indurescit, & quotidie peiora meditatur.* Vnus Pharao à flagellis ibat in peius, & plagis attritus adhuc bella instaurabat, & noua in dies maliciæ additamenta præstabat, vnde deploratorum, & perdendorum exemplar euasit. Quis neget perdendũ, qui mala passus adhuc instet peccatis? Luc. cap. 23. post crucifixum Dominum inter latrones ait: *Vnus autem ex his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temet ipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?* Expende illud irremediabiliter perdendi hominis signum, mirum: *Neque tu times Deum, quod in eadẽ damnatione es:* quod enim damnatus, & pœnis attritus non mitiora cogitet, sed adhuc iniurijs inferendis instet, hoc non potest non illi importare extremam ruinam. In quo perdendorum Iudæorum sapienter ponit signum D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 255. inquiens: *Duo latrones duos populos adumbrabant. Ille, vt qui ad extremum vsque spiritum improbitatem, animique peruersitatem persecutus erit, ac ne vltimam quidem captiuitatem, quam à Romanis perpessus est, in contumeliarum Christo illatarum panam, atque vltionem se se subisse confessus sit, &c.* Sic in perdito latrone perdendi Iudæi ostendebantur, quando nec post vrbis excidium, nec post cladem à Romanis acceptam resipiscunt, sed adhuc bellum inferunt Domino Christo. Quo trahenda dicta 3. tom. de Christo figur. lib. 7. cap. 16. §. 9. & alibi.

Exod. 14

D. Atha.

Luc. 23.

Isid. Pel.

§. XXIII.

A nullo certius, quam à peccatis nostris trahimur in ruinam.

IVbet Deus Dauidi, ne recta irrumpat in aduersos hostes, sed capto circuitu ab illorum tergo, donec tandem veniat, consistatque è regione pyrorum. Sic enim dicit: *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum.* Quos noster vocat *pyros*, Pagninus, & Tigurina vocat *moros*, Septuag. *plorationem*; & plorationis nomine putantur idola ibi à Philistæis culta, & posita. In qua sententia est D. Hieron. ex traditione Hæbræorum, Angelomus, & Magister histor. Scolast. Nec miror inter idola constitui à Deo exercitum, qui Philisthinos perdat, a nullo enim certius in ruinam trahimur, quam ab idolis, & peccatis nostris. Achabo pessimo Israelis regi adstitit Elias. 3. Reg. 21. qui illi mortem futuram denuntiabat dicens: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoq; sanguinem tuum.* Hoc audit potentissimus Rex ab Elia; & licet potentissimus esset, non potuit facere, quod sibi illud malum, non accideret. Et quidem facile videbatur, quod à sciente præcaueretur malum illud, vel se conferens ad loca dissitissima, & munitissima, sed minime id præcauit Achab, quin imo omnia illi mala venerũt, vt Elias prædixerat. Et cur id non potuit fugere rex potentissimus? In causa fuerũt scelera, & peccata sua, quæ non desinunt hominem trahere in certissimam ruinam. Ait D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 23. *Vehementer tu quidem scribis te mirari, quo pacto Achab, quamuis præcognita sua morte, tamen eam euitare, atque effugere non valuerit. Ego vero id minime miror. Nec enim fieri potest, vt effugiat sceleratus diuinam animaduersionem. Hæc enim eorum animus fallens, qui ipsam fallere conabantur, efficit, vt volentes eã declinare, in sua met ipsorum retia, per ea quæ molliuntur, incidant.* Expende illa: *In sua met ipsorum retia, per ea quæ molliuntur, incidant:* nefariæ enim molimina, & scelera retia sunt, quæ sic sceleratos implicant, vt mi-

3 Reg. 21

Isid. Pel.

nima

nime possent ruinam effugere. Et crede mihi, nullius furor, sic te perdit, vt peccati tui malitia. Dicebat Dominus Gen. 4.

Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Circa quæ ait D. Ambr. lib. 1. de Abel, cap. 2. *Non accusat frater. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis, quem tu fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat.* Inter districtas Dei iras solum Caini facinus tenebat miserum, ne ruinam effugeret. Quo refero illud Pacati Latini notatum in Maximi Tyranni clade à Theodosio inflicta. Sic ait in Theodosij Paneg.

The. Pan. *Ibat interim Maximus, ac te post terga respectans in modum amentis attonitus euolabat. Quoties sibi ipsi putamus dixisse, Quo fugio? Peto Africam? Quam exhausi. Repeto Britanniam? Quam reliqui. Credo me Galliæ? Sed inuisus sum. Hispaniæ committo? Sed notus sum. Quid ergo faciam inter arma, & odia medius? A tergo premor hostibus, à frõ te criminibus.* Sic crimina implicant à fronte suos, ne cladem effugiant. Huc trahenda dicta supra cap. 10. §. 7.

§. XXIIII.

Felix, qui diuino præeũti auxiliatori suam operam adiungit, vbi de cruce.

TVnc Dauid iubetur manus cum hoste conserere, cum Dei gradientis; imo & præeuntis senserit auxilium; Dicit enim. *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium.* Ille namque fæliciter omnia conficiet, qui nihil, quod in se est, præter mittens præeunti, & progredienti Deo auxiliatori se adiungit. Quo videtur spectasse D. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 72. inquiens. *Cognita*

Isid. Pelus. *igitur præeuntis diuini auxilij facultate, quisquis vult, & laborat, atque omnia mouet (neque enim nuda voluntas sufficit) tum addiscit, tum fructum edit, tum salutem assequitur.* Nõ qui somno stertit, non qui desesi iacet, sed qui præeunti diuino auxiliatori se adiungit, & quæcumque ipse potest, efficit, ille salutem assequitur, & triumphat. Et ponderanda sunt illa: *Cognita præeuntis diuini auxilij facultate*; sic enim homo se comparare debet, vt auxiliatorem Deum subsequatur, non præcedat. De Zachæo dicebat Luc. cap. 19.

Luc. c. 19 *Et præcurrens ascendit in arborem Sicomorum, vt videret Iesum; quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locũ suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, &c.* Vt festinato præcucurrit in arborem ascendere ad videndum Iesum, sic festinato monetur ab arbore descendere; prius enim diuini auxiliatoris pedes in arboris cacumine erãt sentiendi, vt deinde nostri sequerentur, non præcederent. Rem pulchre tractat D. Chrysol. ser. 54. inquiens: *Præcurrit seruus*

Chrysol. *dominum, & antea Zacheus ascendit arborẽ, quam crucem dominator ascenderit. Hinc est, quod dicitur ei: festinans descende. Descende ante Dominum de adamitica arbore, vt post crucem dominicæ passionis ascendas. Nisi quis tulerit crucẽ suam, & secutus fuerit me; non dixit, præcesserit me.* Spectandi sunt pedes auxiliatoris nostri in ligno crucis gradientis, & sic procedendum nobis est in bellum, si certos volumus agere triũphos. Vt merito castitas dicat apud D. Ennodium in Paræneſi:

D. Ennod. *At mihi crux cuspis, crux scutũ, cruxque thoraca*
Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem,
Hæc mihi dux belli est, quo vitrix lubrica calcans.
Dira cupidinei detestor mella veneni.

Expende illa: *Hæc mihi dux belli*; nisi enim præcedant pedes auxiliatoris diuini in cruce fixi, nullum fælix bellum perãgitur. Fac christianè vt gradientis saluatoris pedes in arbore crucis sentias, tantoq; ductore progredere, & fallar nisi hostiles vires euertas.

§. XXV.

Non præproperus, sed maturus, & opportunus accessus Dei optandus.

POst longos circuitus peractus expectandus Dauidi indicitur sonitus gradientis in cacumine pirorum. *Non ascendas*, ait, *contra eos, sed gyra post tergum eorum & venies ad eos ex aduerso pyrorum. & cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, &c.* Vide, quantus circuitus peragi mandetur, ante quam sonus grandientis super pyrorum arbores audiatur. Et cur gradiens Deus inter arbores non sentiatur ante tot circuitus? Cur non festinat arbores commouere insignum diuinæ suæ præsentiæ ante mandatos circuitus? Merito & circuire, expectare mandat victo-

victoriosum exercitum, ante quam accedentis Dei ad arborem signum edat. Non enim ex festinatione, sed ex oportunitate commendatur diuinus accessus. Marc. 11.

Mar. 11. *Cum vidisset Iesus à longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inueniret in ea & cum venisset ad eam, nihil inuenit in ea præter folia. Non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: iam non amplius exte in æternum fructum qui quam manducet:* & continuo exaruit ficus. Et mirabar, quod arbor ex accedente ad se Iesu tantum malum reciperet, quando eius accessus salutaris erat cunctis. Accedebat Iesus domui, vel vrbi, & omne malum statim fugiebat, & salus veniebat. & fælicitas. Cur accedens ad ficum, tam exitialis fuit illi? Marcus causam indigitat illis verbis: *Non erat tempus ficorum*; festinarat dominus accedere ad ficũ ante tempus fructuum; nemiremur, quod festinatus Dei accessus non sit salutaris, vbi deficit opportunitas. Quo spectans

D. Amb. D. Amb. ser. 16. in Psal. 118. ait: *Antetẽpus ad ficulneam venit: hoc est, cito Iudæis venit, opportune gentibus; cito venit perituris, cõmode credituris.* Ecce vt diuinus accessus non ex festinatione, sed ex opportunitate commendari solet. Ne præproperã Dei præsentiam optes, sed maturam, sed opportunam. Matth. 14. erat Petrus in naui, & vidit Iesum ambulantem super aquas, &

Matt. 14. non sustinens nauiculæ tarditatem clamabat ad Iesum: *Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: veni. Et descendens de nauicula ambulabat super aquas.* Amabat Petrus accedere ad Iesum, & nilominus non audet accedere, sed expectat diuinum imperium. Et cur vel ante imperium non se sedat fluctibus in nomine Iesu? Cur maluit expectare imperium, quam ante imperium ire? In imperio Dei animaduertebat opportunitatem, & maturiritatẽ viæ; nec voluit festinanti voluntati seruire, sed maturæ. Vt dicat

D. Amb. D. Amb. lib. de Incar. cap. 4. *Exiliuit Petrus è naui, vt occurreret domino, non gloriæ cupidus, sed obedientia præmaturus.* Vt per obedientiam præmaturabatur accessus diuinus, non potuit nõ saludaris illi existere. Aiebat Psal. 144. *Oculi omnium in te sperant domine, & tu das escã illorum in tempore opportuno.* Circa quæ

D. Isidor. D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 170. *Non enim dumtaxat alit, sed etiam tempestiuè. Hoc quippe potissimum est, quod omnia alit, nempe quod tempestiue porrigatur.* Non quod cito, sed quod tempestiue datur alimentum, id est ad salutem.

1. *Paral.* 14. Diuulgatumq; est nome Dauid in vniuersis regionibus: & dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.

§. XXVI.

Diuinum est, quod vel solo nomine triumphes.

PEruadebat Dauidis nomen disitas etiam, ethnimicorum prouintias, quorum incolæ sub tanto nomine Dauidis confringebantur. Et vnde solum nomen adeo valebat hostes confringere? An ex virtute Dauidis? Minime, sed ex virtute Dei; superat enim humanam virtutem, & ostendit diuinam, quod nomen solum valeat hostes confringere. Equo dicebat text: *Diuulgatum est nomen Dauid in vniuersis regionibus: & dominus dedit pauorem super omnes gentes.* Quod ad nomen Dauidis auditum paueret hostis, id veniebat ex operatione diuina. Tunc enim virtus diuina clarius manifestatur, cum nomen solum pronuntiatum exercet virtutes. Ioan. 14 dicebat Iesus: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Quia ego vado ad patrem: & quodcũq; petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Credentibus promittit dominus, quod maxima, & mirabilia Dei opera præstabunt; & vnde confirmat, quod credentes maxima Dei opera facient? Ad id confirmandũ illa verba addit; *Quia ad patrem vado, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Expende illud. *in nomine meo*, quando enim solum Iesum nomen operibus faciendis applicabitur; apertissime ibi diuina virtus constabit. Ait D.

Ioan. 14.

Chrysost. Chrysost. hom. 62. in Ioan. *Sic enim prædicabatur Christi potestas: non enim tam mirabile fuit, quod vnus miracula faceret, quam quod ipso mortuo, alij in nomine eius maiora operarentur.* Plane vbi solum Iesu nomen applicabatur, & dæmones fugabantur, & morbi curabantur, & mors pellebatur, manifeste diuina Christi virtus ostendebatur. Magnus ille diuinitatis Iesu assertor Petrus, qui primus eius diuinum originem annuntiauit, vt illam mundo persuaderet, hoc cogitabat, vt resurrectio eius à mortuis testificaretur. Et ait Actor. 1. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit*

nisi inter nos Dominus Ieſus:: teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Sed illud mirandum, quod quando reſurrectionis dominicæ teſtificatio tãtum ponderis habebat ad oſtendendam eius diuinitatẽ, non facta fuerit illa reſurrectio in omniũ oculis, Suſcitatur Lazarus in omnium oculis, vt gloria Dei pateſcat; ſurgit à mortuis Chriſtus, vt oſtendat diuinitatem ſuã, & ſurgit occulte. Cur non magis ſurrexit in omnium oculis, quando reſurrectio mirum in modum manifeſtaret diuinitatem eiũs? Potuiſſet ne quo ad nos certius aliud teſtimonium relinquere, quam reſurrectionem? Plane nomen eius ſolum relictũ pro malis omnibus pellendis, euidentius nobis teſtimoniũ faciebat diuinitatis illius.

D. Baſil. Ait D. Baſil. Sel. orat. 4. *Reſurrectio nunquã ſibi tantum fidei conciliaſſet, ſi in oculis hominum Chriſtus fuiſſet; illi enim potuiſſent obtrudi ſpectrum eſſe: atqui ab eius ſolo mero nomine maiora miracula prouenire videbat, quã ab ipſo in carne inter mortales agente, non poſſet non credere, niſi forte mente eſſet exſerſa.* Nõ equidem poteſt non credi diuina potentia in eo, cuius ſolum nomen aduerſarias poteſtates confringit, & maximas exercet

Actor. 16. virtutes. Actor. 16. dicit: *Viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt; Vir macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens, Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos.* Creditur fuiſſe hic vir Macedo angelus cuſtos Macedonum, qui requirebat Paulum, vt adiuuaret Macedones, vt filium Dei agnoſcerent, & reciperent. Sed cur angelus Paulũm requirebat ad perſuadendam Macedonibus Chriſti diuinitatem? Non tam requirebat Paulum, quam in Paulo requirebat

Actor. 9. Ieſu nomen, quod in illo erat iuxta id Actor. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, &c.* in cuius nominis virtute maxime diuinitas Chriſti, & potentia clarebat. Ad hæc enim ait

Origin. Orig. hom. 1. in Luc. *Erat quidam paſtor Macedoniæ, hic neceſſarium habebat auxilium domini, propterea apparuit in ſomnis vir Macedo dicens: Tranſiens Macedoniam, adiuua nos. Quid de Paulo loquar? Cum hæc non Paulo, ſed qui in Paulo erat, locutus ſit Ieſu.* Quod in Paulo erat nomen Ieſu ab Angelo requirebatur, in quo Chriſti poteſtas, & diuinitas Macedonibus perſuaderetur.

CAPVT XX.

Arca teſtamenti reducitur.

Textus Hiſtoria.

INTER tot triumphos Dauid cò ſpectauit, vt à Cariatharim arca Domini in domum ſuam transferret, & quo id maiori cum dignitate fieret, triginta ſecum virorum milllia iungit, ex toto Iſraelis genere delecta. Conſtituitur arca in plauſtro nouo, cui duoi filij Abinadab, Abiu, & Oza adeſſent. Quam dum Dauid, totuſque Iſrael precederet armoniâ multiplici, hilarique tripudio, feſtiuam illam, ac Regiam pompam caſus turbauit acerbus. Nam cũ calcitrarẽt boues, & Arca, inclinato plauſtro caſura videretur, acceſsit & Oza, vt illam vindicaret à lapſu, qui eodem temporis veſtigio exanimatus interijt. Hæſit Dauid ad durum illum caſum, & vehementer timuit arcam in domum ſuam aſſarri, ſed magis voluit vt in proximo loco ſeruaretur, in domo videlicet Obed Edon, cuius familiam Deus trimeſtri ſpatio, in quo ibidem commorata eſt, multis auxit incremẽtis. Cognouit Dauid quam Deus cumulate oblatum ab Obed Edon compenſaret hoſpitium, atque ideo arcam domini inde in ſuam domum tranſmittere decreuit, tanto cum apparatu, vt ad ſextum quemque paſſum victimæ immolarentur, multiplicî in ea traductione concrepante ſymphonia. Ipſe præterea rex tam habuit illũ diem feſtiuum, & lætum, vt ante arcam, ſpectãte populo tota corporis contentione ſaltauerit. Rem Michol ſpectabat, & nouitium in regia dignitate maritum animo ſuperbo deſpexit. Ventum ad locum eſt, vbi repoſita arca fuit, & obtulit Dauid domino ſacrificia, & toti populo munera, & omnia regiè. Quibus rebus pie, magnificeque perfectis, quidquid Michol offenſionis concerpat, euomuit in Dauidem, ſignificans dignitati Regiæ plurimum eſſe detractum, cum nudus in ancillarum oculis, plebiſq; conſpectu ante arcam ſaltauerit. Non pepercit Dauid fæmineis conuitijs, ſed alia retorſit, magno ſibi decori eſſe afirmans, ſi viliſsimam quamque ſpeciem propter Deũ indueret. Nec inulta fuit apud Deum Micholis arrogantia, quam Deus ſterilitate caſtigauit.

Mora-

MORALIA CIRCA textum.

PRIMA Dauidis cura ostendi tur circa arcam domini locandā; vt pateat, quàm debet religio esse chara regibus, qui amant fæliciter in regno durare.

2.*Reg.*6. Congregauit autē rursum Dauid omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitque Dauit,& abijt, & vniuersus populus,qui erat cum eo deviris Iuda,vt adducerent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen domini exercituū sedentis in cherubim super eam.

§. I.

Raræ virtutis indicium, quod in prosperitate memineris Deum.

HOc in Dauide inuenio rarę indiciū virtutis,quod post regnum acceptū, post hostes confractos, post tres de Philisthæis victorias reportatas, nil prius cogitat,quam Dei arcam in sua traducere. Dicit enim: *Surrexitque Dauid,& abijt,& vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda,vt adducerent arcam Dei,&c.* Quantum hoc, quod â tot victorijs surgat Dauid,vt arcæ Dei seruiat? Sane vt maximū fuit,sic raro visum in hominibus, quos fælicitas non tam ad Deum,quam ad idola impellit. Exod.2. dum Israelitæ seruiunt operibus luti, *ascendit clamor eorum ad Deum.* Clamabant ad Deum, sed post pauca exuentes seruitutem coram se omnes Ægyptios suffocatos vident,pane cæli refecti, & de petra melle saturati. Quid tunc? Ait Exod. 32. *Fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dij tui Israel.* Non ad Deū, sed ad vitulum clamant. Et vnde in tantā Dei obliuionem delapsi sunt? An ab aliqua veri Dei in eos duricie? Minime; sed ab ingenti bonorum,& fælicitatum cumulo. Ea enim est temporalis fælicitas, quæ non ad Deum, sed ad idola impellat suos alumnos. Ait D.Isidor.Pelus.lib.2. epist. 74. *Quod mortalium animi gaudio magis efferri soleāt, ostenderunt Iudæi. Postea quam enim Ægyptij defuncti sunt, eosque mare pro sepulchro habere conspexerunt, tunc vero ad idolorum cultum se conuerterunt. Nam cum mare transissent, nec periculi quicquam subissent, vbi terram attigerunt, naufragium pertulerūt.* Sic miseri à securitate,â felicitate tēporali in barathrum idolatriæ rapti sunt. Valida enim est fælicitas temporalis ad hoc,vt verus eius author Deus penitus ignoretur,& contemnatur. Notanter dicebat scriptura 4.Reg.20. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem,&c.* Et quibus diebus ægrotauit? Nimirum quando incruenta victoria de hostibus suis triumphauit,quando centū & octuaginta millia Assyriorum interfecta vidit prope muros Hierosolimæ;tunc simul ægritudine lethali correptus est. Et cur domine cui tā ingētis victoriæ gloriam præbes;simul & morbum læthalem infers? Nouit Deus quam læthalior sit temporalis fælicitas in animo mortalium, & quam eos faciat post vana ire; & ideo ægritudinis frænum temporali gloriæ adhibuit, ne rex extra chorum trāsiliret. Ait D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 283. *Quo tempore Ezechias tropheum aduersus Persas,tum omni admiratione maius, tum humano robore,atq; humana spe sublimius excitatum vidit;tunc nimirum morbo percussus est;quo animæ salius frano compressi, non eum vt extra deorum professet, adigerent, victoriæque materiam arrogantiæ bellum exciperet.* Cauit Deus fælicitatum impetum in Ezechia; vt qui soleat rapidissime ferre mortalium animos in vana, & omnimodā obliuionem manus diuinæ. Rarum enim est, & magnæ virtutis indicium, quod quis inter fælicitates temporales Deum meminerit.

4.*Reg.*20

D.Isidor.

§. II.

Principis à Deo electi munus imples,cum tibi in primis est veri Dei cultus.

POst clauum regni acceptum, & hostes postratos factæ sunt à Dauide commitiæ, quorum scopus eo tendebat, vt in primis Dei arca reduceretur. *Congreganit,* inquit, *rursum Dauid omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitque Dauid,*

Dauid, & abijt, & vniuersus populus quietat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam domini, &c. Ecce tibi, quid tractet Dauid in primis pacificati regni commitijs, non quidem de statu regni promouendo, firmando, non de regio iure explicando, regijsque impensis componendis, sed de arca domini reducenda, cultuque veri Dei stabiliendo. Vt hinc iam notare liceat, quam electi à Deo principis munus Dauid adimpleat, cui in primis erant diuina, quorum religione omnes Israelitæ viuerent. De Paulo dicebat dominus Actor. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meũ coram gentibus, & regibus & filys Israel.* Expende illud *vas electionis*, quibus ostendebatur Paulus singulariter â Deo electus in principem regni Christiani. Et quomodo adimplebat Paulus huius electionis munus? Ait ipse. 1. ad Corint. 10. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Proh studium electi â Deo principis, vt non tam suæ, quam omnium quærat saluti vtilia! Ait enim D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 25. *Generosus ille Paulus, præstantissimus, inquam, ille dux, qui Regis electioni minime dedecori fuit, atque nihil omnino aliud, quam Ecclesiæ vtilitatem ob oculos propositam habens, priuata commoda negligebat, & aliorum errata corrigebat, omnia ad Ecclesiæ ædificationem fieri oportere clamabat. Nos contra, vt qui gloriam nostram spectemus, id quod nostris rebus conducere videtur, Ecclesiæ vtilitati antepenimus.* Expende illa: *Regis electioni minime dedecori fuit*; quippe à summo rege electi principis ille glorioßissime adimplet munus, qui non sua quærit, sed quæ omnium saluti sunt vtilia. Qui Ecclesiæ vtilitati & commodo postponit suum. Non enim principatum inuenit dominus propter priuatum bonum alicuius; sed propter bonum verum commune multis.

Actor. 9.

2. Corint.

D. Isidor.

§. III.

Valentia, & fortitudo principum in deducendis subditis ad æterna.

NVnquã antea Dauid tam valido selectorum exercitu cinctus scribitur; nunc primum dicitur: *Congregauit autẽ rursus Dauid omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitque Dauid, & abyt, & vniuersus populus, qui erat cum eo, de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, &c.* Ecce tibi triginta millibus selectorum virorum Dauid nunc primũ comitantus præcedit, & cur non primũ tã validus exercitus Dauidi adiũctus proponitur? Nunc primũ etiã ostenditur Dauid solicitus de bonis spiritualibus subditorũ spectantibus ad æternã salutẽ; ne miremur, quod tã valido exercitu ostendatur munitus. Summa enim fortitudo, & valentia principis, inde maxime colescit, si subditis æterna procuret, Ioan. 1 dicebat Iesus ad Patrem: *Pater venit hora, clarifica filiũ tuũ, vt filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Quibus verbis maxime scandalizantur Arriani, putant enim illis filium imbecillem, & infirmum ostendi, quando ipse fatetur se à patre accepisse potestatem omnis carnis. Quid enim infirmius, quam carnis potestatem ab alio habere? Sed obstruunt Arianorum os illa verba: *Det eis vitam æternam*, potestas enim etiam à Patre in filium descendens, & eo spectans, vt subditis det vitam æternam, non infirmitatem, sed maximam eius valentiam ostendit. Vt merito dicat D. Hilar. lib. 9. de Trinit. *Sed forte in eo imbecillis est, quod potestatem omnis carnis accepit; Sit quoque acceptio potestatis imbecilla, nisi potens est, illis, quos accipit, vitæ tribuere æternitatem.* Expende illa: *Nisi potens est, illis, quos accipit, vitæ retribuere æternitatem*; habenda quippe est infirma, & imbecillis omnis potestas, quæ nihil æternum nouit dare. Tunc enim solum se se maxime extollit potentia, & longe â se facit omnem infirmitatem, cum ea præstat, quæ valent in æternum durare. Ride potentiam, quæ sola temporalia præstat, & caduca; quæ ad æternum & cæleste ducit, hæc vera potentia est. Dicebatur Paulo 2. ad Corinth. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Et mirabar, quod infirmitas posset virtuti, & valentiæ robur, & firmitatem, & perfectionem addere. Quomodo fieri potest, vt infirmitas robur virtuti, & potentiæ addat? Quando infirmitas aliquod cæleste, & eternũ valuerit hominibus negotiari, tũc in ipsa infirmitate summũ potentiç, & virtutis monstrabitur. Vt dicat D. Isidor. Pel. lib. 1. epist. 428. *Diuina virtus in infirmitate perficitur, quando quidem illiterati homines disertos, & eloquentes superant. Atque etiam dominus ipse non regia authoritate, sed seruili vtilitate ad incarnationem vsus, rerum immutationem ad cæleste viuendi genus transtulit.* Expede ab illis: *Non regia authoritate, sed seruili vilitate*: quando enim, vilis seruitutis habitus, & seruí for-

D. Hilar.

2. Cor. 12.

D. Isidor.

ma, & passibilis Christi caro sic homines immutauit, vt ab illis potuerint cœlestia, & æterna tangi; inde maxime diuina virtus, & potentia exaltabatur, ostendebatur.

§. IIII.

Nomen Dei, vbi virtutes perpetrantur.

ILlud præstantissimum de arca dicitur, quod nomen Dei inuocatum sit super illam. Ait enim: *Vt adducerent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen domini.* Nil amplius dici potuit de arca, in hoc enim ostendebatur, quantas erat operatura virtutes, nam ex virtutibus peractis clare apparet adesse nomen diuinum. Mat. 8. clamabant dæmones: *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei?* Et mirabar, quod dæmones agnoscerent Iesu nomen esse nomen Dei filij. Vnde hoc agnouerant dæmones! Tertul. Ait Tertul. lib. 4. contra Mar. *Quem norat, agnouit Dæmon. Nam & prophetam meminerat sanctum Dei prædicasse, & Iesum nomen Dei esse in filio Naue.* Multi dicebantur Iesu antiquitus; at in solo Naue filio agnouit Dæmon Iesum esse Dei nomen. Quia in solo eo tantæ operabantur virtutes, quæ ostenderent inibi adesse nomen diuinum.

2. *Reg.* 6. Et imposuerunt arcam deluper plaustrum nouum: tulerũtq; ea de domo Abinadab, qui erat in Gabaa. Oza autẽ, & Ahio filij Abinadab minabant plaustrum nouũ. Cumq; tulissent eã de domo Abinadab, qui erat in Gabaa; custodiẽs arcam Dei Ahio præcedebat arcam. Dauid autem & omnis Israel ludebant coram domino in omnibus lignis fabrefactis, &c.

§. V.

Vbi diuinitas sub aliquo speciali opere effulget, sub aliquo etiã speciali cultu suspiciẽda est.

NOn otiose illud factum est nimirum: *Imposuerunt arcam Dei super plaustrũ nouum.* Et cur necessum fuit nouum parari plaustrum arcæ portandæ? Dixerat paulo ante de illa: *Super quam inuocatum est nomen domini exercituum sedentis super Cherubim.* Vbi autem Deus tam singulari throno, & maiestate in arca illa ostendebatur, necessum erat illi noui plaustri singularem exhibere cultum. Is est enim Deus, qui amet specialiter coli, vbi ipse se sub aliqua speciali ostendit virtute. Luc. 2. Maria peperit filium suum primogenitum, & *reclinauit eum in præsepio.* Erat quippe in loco præsepium vetustate attritum, multisque animalibus commune, in quo Maria filium suum reclinauit. Verum Matth. 27. post Iesum in cruce defunctum, venit Ioseph ab Arimathia, & substulit corpus Iesu, & *posuit illud in monumento suo nouo, quod excíderat in petra.* Et cur Iesus nascens non refugit in veteri, & communissimo præsepio constitui; & defunctus cauet in alio condi, quam in nouo, & speciali sepulchro? In corpore recens nati Iesu nihil cernebatur ab alijs infantibus distinctum; in corpore autem defuncti illud fuit singularissimum, quod lancea punctum aquam, & sanguinẽ emisit. Ne miremur, quod vbi tam singulari se ostendit virtute, amet etiam nouo, & minime vsitato coli sepulchro. Vt dicat Orig. lib. 2. contra Celsum: *Conueniebat enim, vt non vulgariter mortuus, sed post mortem etiam vitalia proferens è corpore aquam, atque sanguinem, nouũque, vt ita loquer, cadauer in nouo, puroque monumento deponeretur.* Origin. Sic quod nouis virtutibus se ostendebat, nouis amabat ornari cultibus. Et expressius locutus D. Lucas cap. 23. de Iesu monumento, aiebat: *Posuit eum in monumento excisso in quo nondum quisquam positus fuerat.* D. Luc. Non solum erat nouum, sed adeo nouum, vt nondum quisquam in eo positus fuisset. Quo spectans D. Amb. lib. 10. in Luc. aiebat. *Specialis igitur præter communem omnium mortem mors Christi est, & ideo non cum alijs sepelitur, sed solus tumulo includitur.* D. Amb. Nũquam non cultus respondere curatur modo ostensionis diuinæ; vbi enim nouiter, & specialiter se ostendit Deus, ibi necessũ est, nouus, & specialis fiat cultus. Huc spectans Paul. 1. ad Chorinth. 5. dicebat. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, &c.* Paul. 1. Quando enim Deus se ostendebat in adeo nouo Pascha, qui erat ipse Christus, piaculum esset, si adhuc veteribus incumberetur sacris, si nouis, & specialibus cultibus Deum non prosequamur.

§. 6.

§. VI.

Filiorum præstantia, quod parentum virtutibus respondeant.

MOrtuus iam creditur Ainadab, quando non ille, sed eius filij in presenti seruisse arcæ memorantur. De quibus dicit: *Oza autem, & Ahio filij Abinadab minabant plaustrum nouum.* In quo non parum extolluntur ij duo fratres; vt enim pater eorum Abinadab religiosus fuit erga arcam, eam cũ honore domi retinens, & colens; sic & filij eius perseuerabant in religione erga aream. Sic enim præstantes filij curant respondere virtutibus patrum: ne vlla parentum virtus in bonis filiis requiratur. Marci cap. 6. ostenditur Iesus misericors erga famelicam turbam; *& acceptis quinque panibus, & duobus piscibus intuens in cælum benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos, & duos pisces diuisit omnibus, & manducauerunt omnes, &c.* Maluit tunc Iesus ostendere virtutem suam in saciandis famelicis. Sed creduntur ibi fuisse multi languentes iuxta id Ioan. 6. *Sequebatur eum multitudo magna. Quia videbat signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Ex quibus non absre fuerit putare inter tot turbas sequentes Iesum propter signa facta super infirmos, esse aliquos correptos infirmitate aliqua. Quo supposito inquiro, cur Iesus non prius hos infirmos curauit, sed maluit famelicis prospicere in primis? Cur famem potius, quã ægritudinem a suis sequitoribus depellere maluit? Optimo filio, cordi fuit in primis respondere virtuti patris. Et vt pater in eremo, cæleſti cibo Israelitas pauit; sic ille dum se in deserto videt, nihil prius cogitauit, quã sectatores suos multiplicato pane pascere. Ait Victor Anth. ibi: *Quando quidem Deus optim. max. mannâ Israelitas per desertum pauerat:: Ne ea re inferior Patre videatur, panes hic in deserto multiplicat.* Proh diuini filij præstantiam! Eo spectabat ne in virtutibus patre inferior videretur, & ideo quas nouerat â patre fuisse perfectas, eas auide arripiebat, vt omnibus pateret, quam esset in virtutibus sectator patris.

Marc. 6.

Ioan. 6.

Vict. Ant.

§. VII.

Quo sanctiores res sunt, eo facilius custodiuntur.

DVo filij Abinadab dicuntur minasse plaustrum nouum illis verbis: *Oza autẽ, & Ahio filij Abinadab minabant plaustrum nouum.* Et statim dum plaustrum cæpit à domo exire, non illi ipsi duo, sed illorum alter ostenditur positus pro custodia arcæ, dum dicit: *Custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.* Plaustri rectores duo nominantur expresse, nimirum Oza, & Ahio; custodes autẽ arcæ nõ duo, sed vnus Ahio nominatur. Et cur vnus Ahio exprimitur custodiens arcam? Crediderim id fuisse ob reuerentiam arcæ; quando enim in tota illa portantium, & comitantiũ turba nullus erat Leuita, vt sapienter putat noster Sanchez ex 1. Paral. 15. ver. 11. strictissime prouidendum erat de arcæ custodia, & designandus solus, qui sufficeret custodire, præter quẽ nullus alius permittendus esset. Vt si sanctissima Eucharistia mouenda esset necessariò à loco, nullis præsentibus sacerdotibus, aut clericis; nõ ideo omnibus vulgariter laicis illàm mouere liceret, sed designato alicui, qui sufficeret, & præter hunc nemini ali. Sic crediderim factũ in deductione arcæ; quia enim nullus Leuita aderat, designandus fuit, qui sufficeret custodire arcã, isq; fuit vnus Ahio. Nec miror, quod vnus detur custos arcæ, & non plures; quo enim sanctiores res sunt, eo facilius custodiri valent. Quo respiciens Isaias cap. 11. *Habitauit lupus cũ agno: & pardus cũ hædo accubabit; vitulus & leo, & ouis simul morabũtur, & puer paruulus minabit eos.* Sic explicat Christianæ Ecclesiæ sanctitatem, in qua etiam ferocissimi sic se ad agnorum mansuetudinem, & mititatem dimittunt, vt vel à paruulo valeant gubernari, custodiri. Id quod optabat Paul. 1. ad Corinth. 6. in suis Corinthijs, cum ait: *Secularia iudicia, si habueritis; contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos cõstituite ad iudicãdũ.* Sic enim amabat illos viuere inter se, tantæq; esse virtutis, vt vel contẽptibilis homuntio illos valet conseruare in pace & iustitia. Habet hoc sanctitas Dei in suis, vt facili negotio possit custodiri. Exo. 38. dicebat. *Fecit & labrũ æneũ cũ basi sua de speculis mulierũ, quæ excubabãt in ostio tabernaculi.* Mulieres itaq; erãt pro-

Isai. c. 11.

Paul. 1.

Exod. 38.

excubijs tabernaculi. Quam aliter Cant. 3 dicit: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios.* Pro lectulo custodiendo tot fortes, & validissimi duces requiruntur, & pro tabernaculo Dei mulieres ponuntur, quæ excubias faciant. Nec miror, lectulus enim mundialis regis multis indiget, vt custodiatur; tabernaculum autem Dei, vbi sanctitas, vbi Deus adest, vel ab infirmissimo custodiri valet.

Cant. 3

2. *Reg.* 6. Post quam autem venerunt ad Aream Nachon, extendit Oza manum ad arcã Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eã. Iratusque est indignatione dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei. Contristatus est autem Dauid, &c.

§. VIII.

Timenda res est in alienum sacrorum munus obrepere, & sacris reuerentiã non habere.

DVM Oza arcam Dei à ruina custodit, mortis incurrit sententiam. Sic enim habes: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque est dominus indignatione contra Ozam, & percussit super temeritate.* Et cur non magis custodiæ officium putatur in Oza, quam temeritas? Sed vt vidimus, §. præcedenti, non Oza, sed Ahio *custodiens arcam procedebat*; & cum facile posset Oza monere Ahionem de arcæ inclinatione, cui ille iuxta officium suum prouideret; temerarie se officio ingessit alieno, pro quo meritas dedit pænas. Ait Saluianus lib. 6. de Dei Gubern. *Statim dum sustinebat, extinctus est; non quia contumaci aliquid mente commiserit, sed in ipso inofficiosus fuit, quia in iussa præsumsit.* Hic monebat Paul. ad Roman. 12. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Expende illud: *Rationabile obsequium vestrum*; petit enim Paulus vt obsequium exhibeamus sacris. Sed quale obsequium. *Rationabile*, inquit; inofficiosum quidem, imo & temerarium est obsequium, quod nulla ad te pertinet ratione, vt id præstes. Pro quo sapienter aiebat D. Chrysol. serm. 109. *Quantum placet obsequium, quod rationi subnixum est, tantum, quod rationem non habet, exacerbat. Rationabile obsequium, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur. Ad obsequium regis militaris statio contremiscit: quia & cauta deuotio præmium acquirit, & temeritatis pœnam præsumptrix seruitus non euadit. Quis nõ vocatus ad aulæ regalis se proripit seruitutẽ? Quis sine dignitatis insulis nomẽ dignitatis inuadit? Et si hæc pene homines: quãtũ pœnes Deũ magis cauta est deuotio, vt diuinum ratione præstet obsequium.* Equidem audax, & temeraria illa deuotio est, qua te muneribus alienis ingeris circa sacra, nec mirandum quod in illis iram Dei negotieris, non gratiam. De Ozia rege dicit 2. Paral. 26. *Tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius.* Et simul thuribulum accepit, vt adoleret incensum, percussus est lepra à Deo. Cur sic percutitur? Monuerat illum sacerdos dicens: *Non est tui officij Ozia, &c.* quando ergo alienum inuadebat officium circa sacra; & irrationale obsequium exhibebat, non miror, quod temeritatis suæ det pœnas. Ad hæc dicebat D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 24. *Audacissimus Ozias, cum rebus ijs, quas aggredi minime licebat, manum inycere minime dubitasset, temeritate sua lepram retulit, inuitusque à templo proiectus est.* Nec mitius actum est cum Saule, de quo dicit. 1. Regum 13. quod ante quam veniret Samuel, per se *obtulit holocaustum domino*; vix holocaustum compleuerat, & audit à Samuele: *Nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Circa quæ ait D. Chrysol. serm. 109. *Saul dum putat sibi, & de sacerdotio aliquid licere, regnum quod acceperat, altaris temerator amisit.* Vtinam magis prophani homines sacra verentur, & caueret illa indignis manibus cõtigere; & fallar, si eos malus auderet adire. Dicit enim D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 264. *Qui peccant, atq; ad sacra mysteria accedere*

Saluianus

Roma. 12

D. Chrys.

2. Par. 26

D. Isidor.

D. Chrys.

D. Isidor.

dere minimè audēt, sincero iudicio præditi sūt, ac cōfestim eo adducentur, vt à peccato abstineāt: Quā ob rē etiā eos diabolus haud valde aggreditur, quod scilicet exploratum habeat, eos quāuis peccent, tamen id agnoscentes diuinis rebus venerationem conseruare. Quid pulchrius? Dum diuina reuereris, non audet inte totis viribus malus insilire. Ioann. 13. dicebat: *Et post bucellam introiuit in eum Sathanas,* Ioan. 13. nempe in judam, sed ante bucellam acceptam proditionem machinabatur; cum ergo in eum malus non insiliuit, vt vidit proditorem, sed vt bucellam accepit? Proditorē autea videbat, sed non sacrorum cōtemptorem ideo verebatur hominem impetere, à quo sacra contemni non videt. Vt dicat D. Isidor. Pelus. supra: *Quod iam incurabili morbo teneretur, vt qui dominum quidem prodere in animo haberet, nec tamen mysteria percipere reuerenter recusaret: id circo eum abduxit. Nā si eum erga diuinum mysterium religiose, ac reuerenter affectum id de precātem conspexisset, fortasse ipsum tanquam adhuc sana mentis, ac sobriæ præteryisset.* Sic ibi: licet enim peccator sis, dum sacris reuerentiam habes, te hostis timet. D. Isidor.

§. IX.

Magnum apud Deum principis meritum, qui scit condolere malis subditorum.

ECce Dauidis magnum meritum; ecce fælicissimi principatus matricem, ni mirum ait: *Contristatus est autem Dauid, eo quod percussisset dominus Ozam.* Equidem dum Dauid, & omnis Israel ludebant coram domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis; vnus Oza percutitur à Deo, & percussus interijt. Quid tunc? Dauid in ludis, & canticis permansit? Sed statim relictis ludis descendit ad priuati hominis luctum, & tristis de Ozæ interitu incedebat. Proh magni meriti Princeps, qui festis valedicit, vt condoleat calamitati vel priuati subditi: fallat, nisi huic Deus ingentes fælicitates accumulet. In Ægyptiæ aulæ ludis medius erat Moyses, & vt vidit populares suos dolentes sub iugo seruitutis, abiecit aulæ cōmoda, & iucūditates, vt descenderet ad suorum luctus. Ait enim de illo Paul. ad Heb. 11. *Magis eligēs affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Huic autem tanto suorum dilectori Exod. 3. *Apparuit dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Ecce tibi Moyses Deo fruebatur in flamma ignis, insuper videbat, quod nec vilissimæ arboris rubi folium à celesti flamma combureretur, sed omnia in nouum virorem irent. Et vnde tanta hæc in Deo experiri Moyses meruit? Ostendit id Paulus verbis illis: *Magis eligens affligi cum populo, &c.* qui enim reiectis aulicis festis, eligebat condolore suorum afflictionibus, nihil fælicitatis non spectat in Deo suo. Ait pulchre D. Basil. Sel. orat. 26. *Magis elegit affligi cū populo Dei. Cuius electionis ipsum Deus admiratus, se visendum obtulit, viri tam cordati merito; & spectaculum inter, ac spectatorem medium ignē inter locat, rubo, & floribus insidentem innoxie.* Admiratus Deus tantum pricipem, eius munerat electionem, qua dimissis palatiuis ludis, eligebat esse inter suorum luctus. Et qualiter munerat hanc electionem? In primis presentia sua, se videndum offerens, deinde ostendens ignē ingentem nullo modo noxium plantis, Horibus montis. Habet hoc princeps, qui valedicit ludis, vbi dolēdum aliquid videt in subditis, vt Deum habeat clarissime assistentem sibi, & nihil noxium experiatur prouentibus suis, nec fructibus. Nec miror, imperandi enim regulam perfecte adimplet, qui nouit ludis abstinere, vt possit suorum calamitatibus condolere. Dicit nāque D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 74. *Imperij regula, ò scientia imperandi explorator accuratissime, hæc demum est, quæ ad subditorū vtilitatem omnia molitur. Nam qui Imperiq; disciplinam, compositum ordinem, in tyrannidem immutauit, atque labores quidem subditis comparat, voluptates sibi aucupatur, hic non imperij, sed tyrannidis regulam describit.* Expende tyrannidis, non imperij regulā, nimirum quod princeps sibi voluptates, subditis labores relinquat. Exod. 4. Paul. D. Basil. D. Isidor.

2. *Reg.* 6. Extimuit Dauid dominum in die illa dicēs: Quomodo ingredietur ad me arca domini? Et noluit diuertere ad se arcam domini in ciuitatē Dauid, sed diuertit eam in domum Obededon Gethæi. Et habitauit arca domini in domo Obededō

Hebr. 11.

Gethæi. Et habitauit arca domini in domo Obededon Gethæi tribus mensibus, & benedixit dominus Obededon, & omnem domum eius.

§. X.

Dei maiestatem extollis, dum reuereris eius accessum.

OZæ percussione non parua Dei arcæ accreuit gloria. Dicit enim: *Extimuit Dauid dominum in die illa dicens: Quomodo ingredietur ad me arca domini? Et noluit diuertere ad se arcam domini, &c.* Itaque noluit in suam domum Dei arcam trahere; an ex arcæ contẽptu? Absit; imo inde maiestatem Dei arcæ assistentis ostendebat, quod cauebat illam suscipere sua in domo. Matth. 8. dicebat ille Centurio: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum:* non contemnens, sed pauens ingressum domini, & sic maxime eius extollens gloriam. Vt dicat D. Chrysol. ser. 15. *Ipsum esse dominum singulari pauore significauit, deducere dum veretur ad animæ suæ domum.* Pauor equidem ille non despicientis, sed ostẽdentis est maiestatem domini. Cui accinebat D. Ambr. ser. 89. aiens: *Magnus enim, & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cælorum esse regem, dum verebatur, ne hospicij sui eum angustia non acciperent.* Sic Dei maiestas ostendebatur, in pauore eorum, qui eũ verebantur habere intra domũ. Hinc Matth. 27. ait: *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum:: Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Et quid ad defunctum Iesũ hic terræ motus, & petrarum scissio? Non ne tunc diuinissimus Christi spiritus terræ viscera penetrabat, & post paululum, diuinum eiusdem cadauer terræ tradendũ erat? Ad quid ergo terra tremit, & scindũtur petræ? sic maiestatem defuncti testabatur terra, dum terrore concussa se se eius susceptioni inidoneam ostendebat. Ait D. Hilar. lib. 3. de Trinit. *Terra quid fecit. Adonus domini pendentis in ligno intremuit, eum qui moriturus erat intra se contestata non capere. Nunquid & portionem suam rupes, & saxa concedunt? Sed rupta desiliunt, & naturam suam perdunt, cæsamque ex se arcam incõtinentem condendi corporis consitentur.* Et terra, & saxa maiestatem suscipiendi Iesu pauentes terroribus testabantur suum ipsorũ metum, & incapacitatem ad suscipiendum intra se filium Dei, quem reuerentes extra se nitebãtur habere. Hic enim metus, & reuerentia nunquam non Dei maiestatem ostendit.

Matt. 8.

D. Chrys.

D. Amb.

Matt. 27

D. Hyla.

§. XI.

A Dei præsentia omnia eueniunt fælicier.

CAuens mortem Dauid arcam domini non in sua sed in Obededõ domo posuit, & inde domus Obededõ cæpit in vitam proficere. Ait enim: *Et habitauit arca domini in domo Obededom: & benedixit dominus Obededom, & omnem domum eius.* Quid mirum? Assistebat in arca Deus, de cuius præsentia omnia aspirant fælicitatem, & vitam. Veterum Patrum duo inueniuntur singulari à Deo circa vitã prerrogatiua insigniti, nimirum Moyses, & Elias: Moyses enim præter quam, quod venerit ad mortem in tegro corpore, & viribus, eo conditur à Deo sepulchro, quod à nullo mortalium possit inuenire. Dicit nãque Deuther. 34. *Nemo nouit sepulturũ eius.* Elias autem nemo non scit, vt translatus à Deo est igneo curru in paradisum, vbi vsquemodo viuit. Et vnde his præcipue viris hæc singularis gloria circa vitam accidit? Quid singulare fecerunt, pro quo sic singulariter ornati sunt? Si Matthæum cõuenimus cap. 17. vbi Iesum in gloria transfigurationis ostendit, statim ait: *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum Iesu loquentes.* Vbi ergo duo hi viri circa veram testamenti arcam Iesum apparuerunt, quid gratiæ non accipiant ex presentia illius? Ait D. Ambr. lib. 1. de Abel cap. 2. *Quis in terris reliquias eius potuit deprehendere, quẽ secum esse Dei filius in Euangelio monstrauit. Et Elias simul est visus, qui translatus curru est, non sepultus, nec mortuus legitur. Viuit enim, qui cũ Dei filio est.* Quidquid mortis, quidquid mali est, procul dubio fugit eũ, qui diuina præsentia, & assistentia fungitur. Is enim nunquam non sentit in se responsum fælicitatis, & vitæ. De Zachæo locutus Lucas cap. 19. ait: *Et festinans descendit, & excepit Iesum in domum suam:: Stans autem Zachæus dicit ad dominum: Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, &c.* Vbi Iesum accipit in domo sua, dimidium bonorum suorum stans pauperibus distribuit, & alium dimidium debitis soluendis reseruat. Deus bone, qui omnia

Deut. 34.

Matt. 17

D. Amb.

Luc. c. 19

nia sua bona dabat, credebat post acceptũ in domo Iesum interiturum? Putabat cum Anna Samsonis matre, quod post visum dominum in mortem iret, & ideo dilapidabat bona sua? Imo nihil cogitabat quam æternam fælicitatem, & vitam, quo sua bona cutabat trãsmitter. De præsentia enim Dei nunquam non habent boni, quod viuant, & in æternum viuant. Ait D. Chrysol. ser. 54. *Audi, quid ingressus ad peccatorem fecerit Christus. Stans, inquit, Zachæus dixit. Vides, quomodo erectus est, qui iacebat. Stans inquit: Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Iste post mortem se credit esse victurum, qui dimidium bonorum iam futurã trãsmittit ad vitam.* Sic Zachæus vbi accipit in domo sua Christum â malis erigitur, & nescit iam aliud cogitare quãm vitam, & eternam vitam. Accinit Chrysostom. in cat. Græca D. Luc. ad cap. 19. *Nondum edoctus est, & obedit; non dũ didicit, & custodiuit, nil adhuc dixerat Saluator, docuerat nihil, nec quidquam de eleemosyna præceperat, nec amorem paupertatis prædicauerat, sed sibat, & quiete illuminabat. Et sicut sol per radios infusus in domum, non illustrat verbo, sed opere: ita saluator, &c.* Et crede mihi, à nullo, nisi à Deo assistente in felicitatem secure, & certo itur. Habes Genes. 39. duellum celebertimum inter Iosephum, & mulierem Ægyptiam; hæc nitebatur illum castitate spoliare; ille amabat castus exire ex eius vinculis. Sed illa habebat diabolum sociũ, hic Deum. Vter autem quod amabat, obtinuit? Sane vnus ille, qui Deum socium habebat. Ait D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 77. *Vnde iam factum vt illa quidem ipsum captãs præda non potiretur, quamuis omnia venatura retia explicuisset. Iste vero compos fieret eo, quod ipse venabatur, omnibus illius retibus superior euadẽs, neque id mirum. Cum illa enim castitatis hostis, cum isto autem eiusdem legislator faciebat. & certaminis socium se coniugebat.* Non vbi diabolus, sed vbi Deus sotius est, optata ad fælicem exitum perducuntur.

D. Chrys.

Luc.

D. Isid.

2. *Reg.* 6. Nuntiatum est regi Dauid, quod benedixisset dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Abijt ergo Dauid, & adduxit arcã Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio; & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli. Cum transissent, qui portabãt arcam domini sex passus immolabat bouem & arietem. Et Daui saltabat totis viribus, &c.

§. XXII.

Dei assistentis index nullus certior, quam vita hominis recta.

DVO nuntiabantur Dauidi iudicia Dei in arca assistentis, nimirum benedictio resplendens in Obededõ, & benedictio resplendens in omnibus bonis eius. Dicit namque: *Nuntiatum est regi Dauid, quod bene dixisset dominus Obebedõ, & omnia eius, &c.* Et quidem benedictio bonorum omniũ in eo ostendebatur quod tribus mensibus sic aucta fuerint; vt non nisi à superiori virtute profecta viderẽtur. At benedictio ipsius Obededom in quo ostendebatur? Crediderim eam ostendi in vita, & moribus eius, qui in sanctiorẽ speciem efformati sunt, ex quo intra domum arcam Dei accepit. Vt enim Iesu ingressus in domum Zachæi Luc. 19. patuit in hominis reformatis moribus; sic ingressus arcæ in domum Obededom. Ideoque hæc benedictio prius proponitur, quam benedictio bonorum; quia vitæ, morumque rectitudo certior testis est Dei assistentis; quam miracula cætera. Hinc Actor. 9. dicebat dominus de Paulo: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c.* Dum vocat vas electionis, non tam admirabilia patranda per Paulum respicit, quam ad electos eius mores, & animæ virtutes. Et cur in diuini nominis prædicatore, & portatore prius morum virtutumque electio notetur, quam miraculorum potestas? Pulchre, & sapienter ad hæc ait D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 80. *Vbique enim locorum currere volebat præconium, non solum sermone, sed & moribus præconium facientium, velut quibusdam neruis compactum. Nam miracula quidem etiam suspitionem prauam accipere possunt, quasi scilicet à Dæmone potius, quam à Deo patrentur. Vita autem recta etiam ipsius diaboli os obturat.* Itaque non sic à miraculis, vt â bonis moribus ostenditur Dei assistẽtia tam clara, & patens, vt nec diabolus possit contra illam diserere. Hinc cum discipuli miracula à se peracta prædicarẽt,

Actor. 9.

D. Isid.

in dæmonum eiectione, dicebat Iesus Luc. 10. *In hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subijciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et quando nomina scripta habebãt in cælis, cur etiã non gaudeant de expulsione dæmoniorum? Nomina scripta in cælis designabant, quid omnibus sanctis commune, & sanctæ vitę insigne, quod ad vitam æternam conducit; miracula autem circa eiectionem dæmoniorum, nec sunt communia omnibus sanctis, & quando quidem per reprobos efficiuntur. Ideo bonꝰ magister suos instruit, vt ijs nitantur, quæ solum sanctis sunt communia. Id notabit D. Greg. PP. lib. 9. Regist. epist. 58. inquiens. *De temporali ad aternã latitiam reuocãtur, quibus dicitur; in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Non enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen nomina omnium scripta sunt in cælis.* Quando omnium electorum propriũ est, nomen in cælis habere, de hoc gaudere discipuli permittuntur, non de eiectione dæmoniorum, quæ non est propria onium electorum, sicut nec alia miraculorum operatio, quæ quidem nec omnibus cõuenit electis, & quandoque est & reprobis, & malignis communis.

Luc. 10.

D. Greg.

§. XIII.

Qui non requisiti sese ingerũt auribus principum, nunquam non sunt in malum.

QVando nulla inquisitione à Dauidæ peracta, nullisque missis ab eodem, dicuntur illi nuntiatæ esse Obededom benedictiones, suspecti mihi sunt renuntiatores. Quippe ait: *Nuntiatumque est regi Dauid, quod benedixisset dominus Obededom, &c.* Non inquisiuit Dauid, non explorauit; sed minime id curanti renuntiatum est, à quibus. Crediderim renuntiatum ab inuidis, qui Obededom fortunæ inuidentes, se se non vocati, nec missi auribus regis inseruerunt, vt ab Obededom felicitatem arcerent. Quod Iosephus lib. 7. cap. 4. insinuat fatus. *Rex autem cognito, quòd Leuita is, ex paupere, & humili repente vsque ad inuidiam eorum, qui incrementa eius viderent, felix extitisset, nil aplius veritus, &c.* Ecce tibi rem nouit ex inuidentibus, malumque Obededom procurantibus. Tales sunt quicumque non vocati, nec missi se principum auribus inserunt; nil aliud curant, quam aliorum perditionem. Dicebat dominus Ioann. 10. *Omnes, qui venerunt ante me, fures sunt, & latrones.* Sed ante Iesum multi venerunt sancti, qui principibus, & popularibus annuntiabant bona. Elias nõne sanctus erat apud Achab? Daniel nonne sanctus apud reges Babylonios annuntians eius secreta cælestia? Quomodo ergo omnes, qui ante Iesum venerunt, dicuntur fures, & latrones? Expende verbum illud *venerunt*, non enim dicit, omnes, qui missi sunt, aut vocati, sed omnes, qui non missi, nec vocati, sed ipsi ex se venerunt, & nulla spectata vocatione ad principes concurrerunt, hi fures sunt, & latrones, nihil aliud spectantes quam proprium lucum; cũ perditione aliorum. Ait D. Isidor. Pel. lib. 3. epist. 119. *Non enim dixit, Omnes, qui missi sunt; sed qui venerunt. Nam Prophetæ quidem missi sunt. Moyses quippe audiuit: Veni, mittam te in Ægyptum ad Pharaonem regem. At vero Pseudoprophetæ, & qui ad principes, & præfectos currebant, non missi, sed ostentationis studio flagrãtes, atq; ambitione laborãtes suapte sponte velut transfugæ desciuerunt. Quod autẽ de his ipsis hæc dicta sint, liquet ex eo, quod sequitur. Fur enim inquit, nõ venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* Duo in ijs verbis sunt maxime expẽdenda, & imprimis illud: *Pseudoprophetæ, & qui ad principes currebãt*; pares enim Pseudoprophetis proponuntur hi, qui nulla vocatione, aut missiones pectata ad principes currũt. Ab his enim æquæ vt à Pseudoprophetis non nisi falsa, & nociua audiunt reges. Deinde illud expẽdẽdũ, nimirũ vnde ostẽdantur comprehensi sub Ioanis verbis, qui currunt ad principes; videlicet ex eo, quod sequitur, *Fur non venit, nisi vt mactet, & perdat.* Qui enim sine vocatione, & missione Dei, suopte ingenio currunt ad principes in eo facile dignuscũtur, quod nihil suggerant, quod non in damnum, & perditionẽ alicuius eat. Quas pestes ille felicissimus, & verissimus rex, qui possit cauere. De se dicebat Iob cap. 29. *Cum sederem quasi rex circunstante exercitu.* Quæ verba sic sonant apud Græcos: *Rex eram inter monozones*: hoc est, *inter latrones*: quasi inde se commẽdet, quod vel inter latrones viros, qui alijs cruenter insidiarentur, ipse minime à virtutibus regijs descẽderet, sed maxime illis se ostenderet infensum. Quo spectans D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 78. ait: *Latronibus metum injiciebam, eosque, ne moribus suis vterentur prohibebam, aut si minus obtemperabant:*

Ioann. 10.

D. Isid.

Iob c. 29.

D. Isidor.

Ioseph.

rabant eos in legum retia includebam. Quid magis regium? Is vere rex, qui se opponit illis, qui ad proximorum destructionem tendunt.

§. XIIII.

Solius Iesu Spiritus est, quod non tibi potius, quam proximis vtilia velis.

VBi Dauid resciuit præsentiam arcæ vtilem esse Obededom, eam quam primum ad se transferre studet. Dicit enim. *Abyt ergo Dauid, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitate Dauid cũ gaudio.* Dum credebatur arcæ præsentia detrimentosa, illam à se arcet Dauid, & in domo Obededom constituit. Vbi autem apparuit vtilis, sine mora totam illam vtilitatem sibi amat Dauid prerripere. Eu mundialium hominum spiritus auarissimus, se se super omnes alios deligens! Crede mihi non ab alio, quam à Iesu meo venit, quod vtilia non velimus nobis magis, quã proximis. Quo spectant illa Ioann. 13. nimirum. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et quidem mandatum dilectionis paternæ antiquissimum erat ab ipsa natura præscriptum, & in tabulis Moysi exaratum: cur ergo dicitur hoc mandatum nouum factum esse à Iesu? In hoc suum nouum dilectionis cõstituit Iesus, quod dicat, *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*; nimirum quod non vtcumque diligamus proximos, sed eos diligamus eo modo, quo Iesus meus factus in hac vitæ semita viator dilexit nos, Qui quidem nos supra se ipsum dilexit, impendens, & super impendens, se ipsum pro nobis, sibi dolores, & anxietates prærripiens, vt omnia nobis præstarentur vtilia. Aiebat D. Cyrill. Alexandr. lib. 9. in Ioann. cap. 23. *Vides nouum, atque inauditum dilectionis modum. Lex enim fratrem diligendum ait, sicut se ipsum. Christus autem magis nos, quam se ipsum amauit. Non fuisset factus pauper, nisi nos magis, quam se ipsum amasset. Nouus atque inauditus huius dilectionis modus est, quo nos afficiiubet, nihil omino dilectioni fratrum anteponentes, non gloriam, non diuitias, &c.* Hic est vnius Iesu spiritus suis asseclis insitus, quod in nullo se anteponant proximis; quod proximis diuitias, glorias cedat, sibique pro illis acerbiora prærripiant. Hinc inter omnes alios agnoscitur Iesus; qui de se dicebat Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Et in quo cognoscitur hic diuinissimus pastor? Aiebat D. Basil. Sel. orat. 26. *Pastorem hunc Pilatus nouerat. Nouerant hunc prophetarum cœtus, dum ante passionem, quidquid acerbitatis futurum erat, annuntiant.* Equidem inde plenissime ostendebatur agnosci Iesus, quando acerbissima quæque annuntiabantur assumenda ab ipso. Huius enim solius spiritus est, sibi mala prærripere, commoda autem proximis relinquere.

§. XV.

In bonis filijs non possunt de esse parentum gratia.

ET Dauid, & omnis domus Israel ducebant arcam, sed inter omnes vnus Dauid dicitur saltasse coram arca; ait enim: *Et Dauid saltabat totis viribus ante dominum, &c.* Et cur in tanta multitudine comitantium vnus dicitur Dauid saltasse ante Dominum? Crediderim Dauidem inter illos omnes singulariter inuentum Abrahami filium, de quo dicebat Iesus, Ioann. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meũ, vidit, & gauisus est.* Et quando Abrahamo datum est, vt coram diem domini exultãret, & gauderet, non potuit in tanto filio deficere illa exultatio, qua saltaret, vbi ante dominum apparuit. Habes Luc. 1. Mariam in contemplatione Verbi incarnati clamasse: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo:* Sed & pastoribus dicebat Angelus: *Euangelizo vobis gaudium magnum.* Imo senex Simeon habens puerum in vlnis non potuit non exultare. Et si quæras, cur hi præcipue in Deo saluatore suo, sic exultent, & gaudeant? Non absre erit credere, in illos, vt in præcipuos filios nõ potuisse non venire exultationem parentis Abrahę. Dicebat namque sapiẽter D. Irinæus lib. 4. cap. 15. Abraham ergo a Verbo cognoscens Patrem, qui fecit cælum, & terram, hunc Deum confitebatur; *& doctus representatione, quod inter homines homo futurus esset filius Dei, concupiuit eam diem videre, vti & ipse complecteretur Christum, & per spiritum eam videns exultauit. Propter quod & Simeon de semine eius re inplebat gratulationem patriarchæ. Angeli autem gratulationem magnam vigilantibus nocte pastoribus enuntiauerunt. Sed & Maria ait: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo: desce-*

dente

Ioan. 13.

D. Cyril.

D. Basil.

Ioann. 8.

Luc. 1.

D. Irin.

dente quidem exultatione Abrahæ in eos, qui erant ex semine eius euigilantes, & videntes Christum. Quid pulchrius? Proculdubio exultatio in Abrahamum à Dei conspectu profecta; non poterat non descendere ad filios eius, qui præcipue ante dominum vigilabant. Ne miremur, quod Dauidem Abrahamidem tanta occupet exultatio, vt saltet ante Dominum sedentem super arcam. Sic enim in filios optimos descendunt parentum gratiæ.

§. XVI.

Vel ab vmbra Mariæ noua prosiliunt gaudia.

ECce Dauid *saltabat totis viribus ante dominum.* Et quando alias sæpe ante dominum esset, & non saltaret; cur modo saltat? Nunc dominus sedens super arcam, representabat regi æconomiam Mariæ ex eius semine oriundæ, cuius futurũ erat, vt sedẽ in se domino daret. Vbi autẽ Mariæ vmbra hominẽ tetigit, non potuit nõ illum implere nouũ, & inusitatũ gaudium. Ait D. Ambros. serm. 80. *Dauid elatus gaudio in saltationem prorrumpit. Præuidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam.* Sic Mariæ vel vmbra valuit Dauidem in exultationem & gaudium trahere. Aiebat Elisabeth Luc. 1. ad Mariam: *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit infans in vtero meo.* Quæ verba memorans D. Bern. vbi Mariam cælum ingredientem miratur, sic ait hom. c. in Assump. *Hæc est cuius salutationis vox, & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli necdum nati animalique facta est, vt Maria locuta est, quid putamus, quanam illa fuerit cælestium exultatio, cum & vocem audire, & videre facie & eius frui præsentia meruerint!* Et cælum, & terram implet, exultationibus, & gaudijs presentia Mariæ, valens vel infantes conclusos visceribus facere exultare. Fallar, si Maria affulserit, nisi vel tristitiosissima loca perfundantur gaudijs. Merito clamabant illi captiui Psal. 136. *Quomodo cantabimus in terra aliena?* Plane intercluſus erat gaudio aditus illis, qui captiui in terra aliena existebant. Sed vtinam illis Maria affulsisset; vbi hæc nobis affulget, & terram non alienam, sed nostram facit, & plenam gaudijs. Aiebat D. Bern. serm. in Natiuit. Mariæ: *Ne dixeris: Quomodo cantabimus in terra aliena? Non enim aliena reputabitur, de qua sponsus ait: Vox turturis audita est in terra nostra. Plane vox turturis audita est in terra nostra. Plane vox turturis, quæ tam viuenti, quã mortuo singulari vtique castimonia suo compari perseuerat.* Ex quo diuinissimæ turturis Mariæ vox audiatur, non terra aliena, sed nostra est, in qua apertissimus patet aditus lætitiæ, & cantibus. Vt merito dicat Damascen. or. in Assum. Mariæ: *Per eam nobis cum Deo magno plausu fuit reconciliatio, paxque & gratia fuit donata: & simul cum Angelis choreas ducunt homines, & filij Dei sumus effecti.* Quid lætius Maria potuit excogitari, quæ nos choreas ducere facit cum Angelis?

D. Amb.

Luc. 1.

D. Bern.

D. Bern.

Damasce.

§. XVII.

Lætitia, quæ ex Maria oritur victorem animum designat.

EQuidem Dauid *saltabat totis viribus ante dominum*, nimirum ante arcam domini. Et quid cum tanto rege & duce saltus mimici? An rex tantus referebat iam Cai, siue Neronis genium, qui dum mimici saltat, hostes imperij patitur, & ab illis vincitur? Absit; imo in ijs saltibus, & lætitiæ gestibus se se maxime ostendebat Dauid inuictum. Saltabat enim ante arcã domini, quæ singulariter adumbrabat Mariam; à Maria autem exorta lætitia nunquam non animum victorem, & triumphatorem denuntiat. Noti sunt triumphi Israelitarum in mari rubro inter quos dicit Exodo 15. *Sumpsit ergo Maria prophetissa Soror Aaron tympanum in manu sua, &.* Vbi & choreæ, & tympana, & gaudia veniebãt à Maria, non poterãt non denuntiare Israelicam gentem Ægyptiorum victricem. Iosue cap. 7. ante arcam precedens Israel circuibat ciuitatem Iericho, *& clangentibus tubis postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Inter tympana, & choreas, & tubarum sonitus triumphãt Israelitæ, & altissima mænia solo æquant. Quid choreæ, & tympana, & tubæ ad muros subuertendos? Agebantur hæc sub nomine Mariæ, & sub arca, in qua Mariæ vmbra erat, ne miremur, quod choreæ, & lætitiæ soni à Mariæ vmbra profecti victores semper animos vel prædicent, vel ostendant. Ex quo monebat,

Exod. 15.

Iosue, c. 7.

bat D. Damaſ. ſer. in Aſſumpt. Mariæ fa-
D. Dam. tus: *Cum Maria prophetiſſa, ô animæ iuuenes, choros ducamus cum tympanis:: Iubilemus in arca Dei animæ iubilationibus, & muri cadent Hierichuntini, contrariarum, inquam, poteſtatum infeſtæ munitiones.* Vbi iubilemus, & exultemus in arca Dei Maria, ſic triumphabimus, vt contrariarum poteſtatũ muri cadant, & tota dæmonum poteſtas nobis cedat. Aiebat Ioel cap. 2. *Canite tubain*
Ioel. c. 2. *Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum:::Et dicens, Parce Domine, parce populo tuo, ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes.* Vt congregati Iſraelitæ implorẽt à Deo inexpugnabilem fortitudinẽ, aduerſus hoſtes, iubentur in primis & ſanctificare ieiuniũ, & canere tuba in Sion. Non alibi, ſed in ſola Sion cantus tubæ mandatur. Et curcãtus, & ſignum lætitiæ non aliunde, ſed ex Sione petitur. In Sion Mariæ habitatio erat, & inibi non pauca eius myſteria peracta ſunt; cantus autem, & lætitiæ ſigna, quæ inde veniunt, vbi eſt Maria, non poſſunt non munire nos aduerſus communis hoſtis inſidias. Ait Andræas Creten. ho-
Andræas mil. 1. in Dormitione Mariæ. *Quanam de cauſa Sion feciſti mentionem, ô qui cauis himnum ſacræ præſentis lætitiæ? Sed non ab inſtituto eſt hoc alienum, ſi memini ſanctiſſimæ Sion. In eã enim peractam eſt hoc magnum Deiparæ myſterium. Toto enim tempore incolatus in ea eſt verſata. Et illic naturæ ſeruiens legibus, vitæ finem accepit. Hic quoque latuit principem tenebrarum, quomodo in pariendo ea effugit, quæ accidunt matribus.* Equidem non immerito Sionis cantus, & lætitiam optabat vates; quæ vt Mariam donauit hoſpitio, ſic principem tenebrarum deluſit, nequid myſterij mariani prænoſceret. Semper enim à Maria profecta lætitia inuenitur, cum accerrimi hoſtis ruina.

2. *Reg.* 6. Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant arcã teſtamenti domini in iubilo, & clangore buccinæ. Cumque intraſſet arca domini in ciuitatem Dauid: Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram vidit regẽ Dauid ſubſilientem, atque ſaltãtem coram domino: & deſpexit eum in corde ſuo. Et introduxerunt arcam Domini & impoſuerunt eam in loco ſuo in medio tabernaculi, quod tetẽderat ei Dauid: & obtulit Dauid, &c.

§. XVIII.

Præſtãtia principis ex eo, quod in re Dei ſe popularibus exæquet.

EXpende illa: *Et Dauid & omnis domus Iſrael ducebant arcam, &c.* Non aliter Dauid, & aliter populares, ſed ſic Dauid ſe cæteris adiungebat in ſaltibus, in cantibus, & iubilationibus, quaſi vnus è popularibus eſſet. Quæ præſtantia nunquam non in Dauide ſplenduit; vt in re Dei ſe à popularibus indiſtinctum vellet. Supra lib. 1. Reg. cap. 17. vbi à paſcendis ouibus ad ſingulare certamen cum Philiſthæo deſcẽdit: *Tulit vnum lapidem & ſunda* 1. Reg. c. 17. *iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum, &c.* Vnde tanta præſtantia animi; & valẽtia in paſtore iuuene potuit eſſe? Ait D. Baſil. Sel. orat. 26. *Simul gratia lapidem iecit, & iactum ſpiritus ſimul adiuuit, Ouium paſtor, ſpiritus miles erat, & ouiculæ ritu ex Goliathfaucibus Iſrael extractus eſt.* Expende illa: *Ouium paſtor, ſpiritus miles erat*: quippe in re Dei, ſpiritu ſque diuini, non ſe paſtorem, non ducem, ſed gregarium militem agnoſcebat. Quid præſtantius in Principe, in Præſule? O quam præſtantibus facinoribus pollerent duces, qui in re Dei non ſe à gregarijs militibus diſcernerent! ò quã magno Paſtorum principi reſponderent paſtores, qui inter agnos etiam numerarẽtur Deo! Habes. 1. Reg. 3. vt Samuel adductus eſt à parentibus in templum domini; de quo ait text. *Creuit autem Samuel, &* 1. Reg. 3. *dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terra. Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel propheta eſſet domini, &c.* Et vnde tantus Samuel? Ait D. Paulin. epiſt. 42. de naufragio Martiniani:

Samuel & iſte creuit in templo Dei. D. Paulin.
Nunc agnus, & Paſtor.

Equidem præſtantiſsimus vates, & iudex populi Samuel, cum paſtor populi eſſet, in templo Dei aguum agebat, nec in minimo ſe ab infimis agniculis diſcernebat. Sic ſe paſtorem populi agnoſcebat, vt in Dei rebus quaſi vnus è popularibus, quaſi vnus ex agnis eſſet, in nullo ab eis diuerſus,

sus. Quod in Deipara laudabat D Hilde-
D. Hilde. ph. ser. 1. de Mariæ Assump. fatus: *Ecce hodie exaltatur Maria apud eum, quem genuit, vt permaneat sine fine gloriosa in cælis. Quæ cum Apostolis degens vixit; & quandiu simul fuere, vnanimiter in oratione permãsit.* Licet mater summi principes esset, & ab Apostolis regina Ecclesiæ agnosceretur, tamen vbi ad orationem veniendum erat; sic se omnibus exæquebat, quasi à
Exod. 7. nullo esset discreta. Exod. 7. dicebat dominus Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Verum Exod. 4. dixerat: *Tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Nõ dixit, eris ei Deus. Et cur modo non dicitur, quod erit Deus, quando supra Deus Pharaonis vocabatur? Modo erat respectus ad populares in his, quæ ad Deum pertinent, in quibus nulla superioritas, nulla maioritas, sed omnimoda æqualitas debet ostẽdi. Vt dicat D. Aug. quæst. 17. in Exo.
D. Aug. *Notandum, quod cum ad populum mitteretur Moyses, non ei dictum est, ecce dedi te Deum populo: Pharaoni autem dicitur Deus datus Moysi, & Moysi propheta Aaron, sed ad Pharaonem.* Quippe boni principes erga eos, qui Dei sunt, non maioritatem, sed æqualitatem exercent. Erga immorigeros dignitatem exerunt.

§. XIX.

Sola ex omnibus creatis Maria apud cælites est in suis.

Dicitur arca domini posita in loco suo verbis illis: *Introduxerunt arcam domini, & imposuerunt eam in loco suo, &c.* Cur dicit arca domini posita in loco suo? An arca acquisierat sibi aliquem possidendum locum? Ego illis verbis adumbrari crediderim præcellentiam quandã viuificæ arcæ Mariæ Deiparæ, cuius solius est apud cælites requiescere in suis, nempe in proprio filio suo. Quo spectans Cantic. 8. aiebat. *Quæ est ista, quæ ascẽdit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Equidem dum Maria transfertur de huius mundi deserto ad cælum, ibi ostenditur innixa non in extraneis, non super sedes ab alio effectas, & elaboratas, sed super filium suum, quẽ ipsa genuerat, & generationis iure illum habebat suũ. Ex quo ait Petrus Damian. serm. in Assumpt.
Petr. Dam. *Regem gloriæ generat, penetrat cælos cumulata dinitijs, & delicijs affluens ad regnum eno-*
Cant. 8.

lat sempiternum suum. Innixa super dilectum suum. Super hunc innititur mater illa salicior, & in aureo reclinatorio diuinæ maiestatis incumbens, intra sponsi, imo & filij sui brachia requiescit. O quanta dignitas, quam specialis potentia! Sane inde Maria se super omnes electos attolit, quod illi sedes habent in cælis, quas illis benignissimus artifex Deus fecit, & dedit; Maria autem requiescit in sede sua, quam ipsa effecit, nempe in proprio filio suo à se genito, Matth. 19. dicebat Iesus Apostolis: *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, &c.* Apostolis sedes designat, & matri non designat sedem. An quia matri non est sedes? Absit, imo quia illa suam habet iure materno acquisitam in filio præcipuam sedem. Quo aspiciens D. Hildeph. ser. 2. de Assumpt. ait. *Id circo absque dubio beata virgo pro tanta gratia, tantique honoris priuilegio materno hodie resedit sublimata in throno, quoniam & si duodecim leguntur throni, in quibus duodecim Apostolorum sessurus est numerus; non desunt tamen ibidem quam plurimi alij, &c.* Expende illa: *Priuilegio materno hodie resedit, &c.* quippe Maria non thronum habet vitæ Apostolicæ respondentem, quam ipsa exercuit; sed magis in illa atendẽdum fuit ius maternum, quod habuit in filium quẽ ipsa genuit, vt in eius brachijs, qui si in propria sede sua resquiescret. Quo omniũ sanctorum gloriam excedit. Adhęc dicebat D. Epiphan. in Mariæ Assumpt. *Creditur, quod saluator omnium ipse, quantum datur intelligi, per se totus festinus occurrit, & cũ gaudio eam secum in throno collocauit.* Expende illa: *Secum in throno collocauit, &c.* nonà se distinctum thronum parauit matri, ne illa videretur requiescere nisi in proprio filio.
D. Hilde.
D. Epiph.

2. *Reg.* 6. Cumque complesset offerẽs holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine domini exercituũm. Et partitus est vniuersæ multitudinis Israel, tam viro, quam mulieri, singulis collyridam panis vnam, &c.

§. 20.

§. XX.

Nil Mariæ datur, quod hominibus non proficiat.

ARcæ domini dedit Dauid locum in domo sua, & simul populo impertijt benedictionem, & epulas. Dicit namque textus: *Cumque complesset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo: Et partitus est vniuersæ multitudini, &c.* Non equidem vni arcæ dabat locum, & victimas; sed simul partiebatur cum populo epulas & benedictiones. Ne arca domini aliquid ex Dauid acciperet, quod non esset populis vtile. In quo non obscure exprimebatur gloria Mariæ, cuius propriſsimũ est, nihil accipere ex Deo, quod hominibus non communicet. Aiebat D. Hildeph. ser. 1. de Assumpt. in arcæ fœderis translatione cõsiderans ad cælos Assumptionem Mariæ:

D. Hild. *Illa omnia vmbra sunt futurorum; in Maria vero manifesta veritas, ante quam Christus rex subsiliendo pertransijt de morte ad vitam: sicque Ecclesiam vna cum matre reduxit ad superos, quoniam ipsa est arca noui testamenti, in qua Deus versatur.* Expende illud: *Ecclesiã vna cum matre reduxit ad superos, quoniam ipsa est arca*: erat enim Maria vera arca Dei, & ideo non transfertur ad cælum, quin secum transferat Ecclesiam, partiens semper cum hominibus bona sua. Et quando quod datum est Mariæ, ab ea in homines

Ioann. 1. non prosiliuit? Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Vt se se Deus carne vistiuit, non amplius distulit apparere, & esse cum hominibus. Et cur post acceptam carnem sic properat habitare nobiscum? Induerat carnem in viscеribus Mariæ, a qua vt receptus fuit, etiam habuit, vt ad nos prosiliret. Ait D. Hildeph. ser. 2. de

D. Hild. Assumptione: *Adquam ita mox ingressus filius Dei, qui est virtus Dei, & sapientia patris sic replenit, sicque possedit, vt in ea Verbum caro fieret; & habitauit totus Deus in nobis. Et ideo totus in nobis, quia totus in ea fuit.* Quia totus in Maria fuit, non potuit inde nõ esse totus in nobis, quando Maria nihil sibi noluit præsumere, quod non communicet homini. Huc trahenda sunt dicta. 1. tom. de Christo Figurato lib. 3. cap. 1. part. 1. §. 5.

(†)

2. *Reg.* 6: Reuersusq; est Dauid, vt benediceret domui suæ, & egressa Michol filia Saul in occursum Dauid ait: Quam glorioſus fuit hodie Rex Israel discoperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.

§. XXI.

Regium est cibos suis prouidere.

POst benedictionẽ ciborum populeribus dilargitã, venit Dauid, vt domesticis suis etiam similem benedictionẽ pararet. Fatur namque *Reuersus est Dauid, vt benediceret domui suæ, &c.* Vt exteris benedixit in cibo præstito, sic domesticis benedicere parabat. Nec miror, in hoc etiã maxime reges constituuntur, & distinguuntur à tyrannis, nimirum quod reges suis cibos prouideant, & parent. Audiuit Pharao Gen. 41. famis septenium eminere Ægypto; cui vt occurreret, & frumẽta pararet, Ioſephum adsolium regni eleuauit, vt

Psal. 104. dicat Psalm. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, &c.* Sic Ioſepho clauis & regni, & Regiæ traditur. Et quando tanta dignitas datur Ioſepho? Pulchre rem attigit D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 78. fatus: *Imperium Ioseph obtinebat in regiã, quando videlicet Ægyptius tyrãnus tyrannidem in regnum commutauit.* Ecce tibi Pharao simul Ioſepho frumenti prouisori, & famis depulsori imperium in regiã dabat, & tyrannidem in regnum commutabat; quasi in eo regnũ ostenderetur in se cõstitutum, & à tyranni de distinctum, quod subditis prouideat panem, quod in eo valeant, qui subditorum curant saturitatem, & penurias abigunt, qui penurias faciunt. Et sane populares non tã æstimant regnũ ex alio, quã ex propria saturitate. Vnde Ioan. 6. post saturata

Ioan. 6. à Iesu quinq; millia hominũ dicebat: *Illi ergo homines cũ vidissent, quod Iesus fecerat signũ, dicebãt. Quia hic est vere propheta, qui vẽturus est in mũdũ. Iesus vero cũ cognouisset quia venturi essent, vt raperet eũ, & facerẽt regem, &c.* Vna saturitas fecit homines venire in cognitionem regalisimi prophetę à Deo

promissi, qui eos iuxta Micheæ vaticiniũ fæliciter regeret, ac duceret. Sic notat Euthym. ibi: *Cum autem impleti sunt, tunc hunc esse prophetam dixerunt, qui ex Moysis promissione ab eis expectabatur.* Cognitus fuit Princeps à Deo promissus ex fatuitate præstita subdictis.

Euthim.

§. XXII.

Superbis animis in vno regnã di supercillio est pulchritudo, & gloria.

MIchol irrisit Dauidi coram arcam domini saltanti dicens: *Quã gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris?* Irrisorie dixit: *Quã gloriosus fuit rex, &c.* quasi diceret, nec gloriosus, nec decorus, nec honestus fuit rex; nec rex apparebat, sed mimus qui dã, & scurra. Et vnde tam turpis Dauid apparuit reginę? Indę solum quia discooperuit se purpurã, quia vestes regias exuit, & assũpsit cõmunes, & priuatas. Superbis nãque oculis totus decor, & gloria est in solo regnandi supercillio. De vero rege, & Dauidis filio Iesu dicebat Isaias cap. 53. *Non est species ei neque decor; & vidimus eũ, & nõ erat aspectus, & desideravimus eũ: Despectũ & nouissimũ virorũ virũ dolorũ, & sciẽtẽ infirmitatẽ; & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputavimus eum.* Mirabar, quod sic Iesus meus despiceretur, & haberetur indecorus, & deformis. Qui fieri potuit, vt decor, & species & forma sic abijsset à Iesu? Nõne ipse est, de quo canit psal. 34. *Speciosus forma præ filijs hominũ?* Quomodo speciosus forma potuit sic deformari, & indecorus apparere? Ait Paul. 2. ad Philipp. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualẽ Deo, sed semet ipsum evinaniuit formam serui accipiens, &c.* Quid quidem regium erat, quoad nos exuit, & & sub forma apparuit serui, quo solo sic apparuit oculis superbis, quasi nihil speciosum, nihil decorũ haberet, sed prorsus despiciendus esset. Ait D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 130. *Non habentẽ speciẽ, neque decorem duplici de causa vocat: alterà, quoniam herili forma occultata seruilẽ ostendit, &c.* Vbi regalẽ stolã occultauit, siue exuit, & se subseruili, & priuata veste ostendit, non potuit nõ indecorus, & despectus videri illorũ oculis, qui totam speciẽ, & pulchritudinẽ ponunt in supercillio regnãdi. Sapientius poneretur pulchritudo in puluere pro virtute suscepto. Isaias cap. 63. aiebat. *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Quæ de Iesu dicebãtur, vbi de puluere passionis veniebat. Vt dicat Augustin. ser. 178. de Tẽp. *Viderũ cælites cunctis speciosum vulneribus Christũ.* Cui accinit D. Paulin. lib. 4. de sancto Martino, vbi data tunica pauperi vili subuestę ad sacrũ accedit. Ait enim.

Paul. 2.

D. Isidor.

Isai. c. 35

Isai. c. 63

August.

Sic altare petens, & multo comptior heros
Hoc habitu, qualis Regi post bella reuersus
Occurrit madidus sudore, & puluere miles
Pulchrior hoc titulis, quo membris turpior horret.
Nam speciem virtutis opus præcedit.

Sic sapienti virtutis opus vel innuditate, vel infæditate facit pulchritudinem.

§. XXIII.

Humilitas, & abiectio à sola cruce domini prævalet.

DE Michole videnti Dauidẽ ludentem ante arcã dicitur supra: *Despexit eum in corde suo:* & modo quod illi nuditatẽ obijcerit dicẽs: *Quã gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorũ suorũ, & nudatus est quasi si nudetur vnus de scurris.* Sic nuditatẽ, & abiectionẽ marito obijciebat Michol, quem propter eam despiciebat. Sed quis nudior, & abiectior Iesu, dũ in cruce apparuit? Et tamen Maria eũ sic nudũ, & discoopertũ videns minime contẽpsit, nec illi obiecit, quod tantã abiectionem pateretur. Et cur Maria non quæritur de Iesu filio, quod tantã abiectionẽ, & nuditatẽ libens amplexus esset, quando Michol propterea de Dauid queritur? Ait Ioan. 19. *Stabant autẽ iuxta crucẽ Iesu Mater eius, &c.* Erat Michol in Regia; erat Maria iuxta crucẽ; ne miremur, quod quæ iuxta crucem erat, nec abiectionẽ, nec nuditatem obijciat summo regi. Non enim ab aulis, sed à cruce venit, quod prævaleat humilitas, & abiectio. Duos filios suos Ephraim & Manassem adducẽs Ioseph patri suo, vt eis benediceret, posuit maiorem in dextera patris, minorem in sinistra. Quid tunc? Ait text. Gen. 48. *Qui extẽdens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manassę, qui maior natu erat commutans manus. Benedixitque Iacob filijs Ioseph.* Commutans itaque Iacob manus in benedione

Ioan. 19.

Genes. 48

hoc

hoc effecit, vt minor ſub dextera, & maior ſub ſiniſtra benediceretur. Minor placeret ad regnum, maior inter priuatos relinqueretur. Vnde hoc? In manuũ communicatione crux brachijs efformabatur, ſub cuius ſigno illud euenit, quod minor, & humilior plus placeret. Ait D. Iſidor. Peluſ. lib. 1. epiſt. 362. *Manuum cancellatio ſalutiferam crucem adumbrabat, atque inferioris adductio nouum populum ſubindicabat, per huiuſmodi habitum modo non edita voce clamans: Cum crux in benedictionem apparebit, inferior populus augebitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Sic de cruce venit, quod humilitas, & abiectio non in deſpectum, ſed in gloriam abeat.

D. Iſidor.

§. XXIIII.

Non inſpicienda, quæ ad dedecus, ſed quæ ad gloriam faciunt.

DEſpexit Michol Dauidem, & illi obijcit nuditatẽ aiens: *Quam glorioſus rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorũ ſuorũ, &c.* Et quidẽ Dauid ante arcã domini exuit purpuram; Michol autem non attendit ad nuditatẽ Dauidis ante arcã domini, ſed ad nuditatem anꝫe populares. In quo maxime errauit, vt quæ attendens ad ea, vnde aliquid poſſet eſſe indecoris, non meminit ea, quæ Dauidi pariebant gloriã maximam. Quã aliter nobilis Regina Maria in filio ſuo ſe habuit? De illa fatur Ioã. 19. *Stabant autẽ iuxta crucẽ Ieſu mater eius & c.* Et mirabar, quod prudens fœmina nõ magis erubeſceret apparere crucifixi mater. Cur bona nõ erubeſcis filij nuditatẽ, & abiectionem in cruce? Cur non amas delitescere in morte filij adeo infami? Cur ſtas coram deſpectum ab omnibus defunctum? Ait D. Hildeph. ſer. 5. de Aſſumpt. Mariæ: *Pijs oculis ſpectabat non filij mortem, ſed mundi ſalutem.* Duo erant in Ieſu cruci fixo ſpectabilia; in altero abiectio, & deſpectus, & infamis mors ſpectabatur, in altero mundi ſalus, & Dei gloria oſtendebatur. Bona autem Maria nõ ad id quod erat indecorũ, & mortis vmbra obſcuratum attendebat, ſed ad ſalutem mundi, & glorioſas operationes, quæ ibi agebantur. Quid glorioſius? Quid ſanctius? Sane non inſpicienda, quæ dedecus, ſed quæ gloriam pariunt. Hinc Ieſus meus informabat mulieres lugentes in eius paſsione Luc. 23. *Filiæ Ieruſalẽ nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Et cur domine ſuper te patientẽ non fleant? Erat tunc in Ieſu aliquid fletu dignũ, ſed & erat aliud ſummis proſequendum gaudijs. Erat paſſio carnis, ſed erat triumphus virtutis, & mundi ſalus. Vbi autem eſt tantum quod laudes, non attendum id ſolum quod lugeas. Ideo merito inſtruuntur hæ fœminæ, ne ſolum attendant ad lugenda in eo, qui habet tanta, quæ ad lætitiam, & gloriã faciant. Ad hæc dicebat D. Leo ſer. 10. de Paſſ. *Nolite flere pro mundi redemptione morientem.* Vbi tanta apparet mũdi ſalus, oculos ad lugenda nõ cõuertatis. Hinc Actor. eleuans oculos Stephanus clamabat: *Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem â dextris virtutis Dei.* Erant equidem in Ieſu plagæ in pedibus & manibus. Stephanus autem nõ plagatum aſpicit, ſed ſtantem â dextris virtutis Dei. Pro quo ait D. Auguſt. hom. 6. ibi: *Moyſes quando velamentum poſuit in faciem ſuam, nolebat videre criminoſam faciem veſtram. Stephanus autem reuelata facie ſua ſpeculabatur in cælum gloriam Dei filij, ideo videbant vultum eius Iudæi, tanquam vultum Angeli Dei.* Moyſes, & Stephanus fulgurarunt facie: Moyſes cum facie ſplendet, operit oculos velamento, ne crimina ſuorum videat. Stephanus autem in Ieſu nihil non glorioſum ſpectat; inde merito vultus eius creditur vultus Angeli videntis Deũ. Qui enim ad Deum oculos intendit, nihil nõ glorioſum in proximo ſcit videre. Ecõtra Luc. 2. *Murmurabant Phariſæi, & ſcribæ dicẽtes. Quia hic recipit peccatores & manducat cũ illis.* In Ieſu condeſcenſu non virtutẽ vident. Quid inde? Ait Chryſol. ſerm. 56. *Phariſæus prandiũ dominicum putat non virtutis, ſed ventris. Non ſpiritus, ſed carnis. Sic videt, qui Deum non videt.* Expende illa. *Sic videt, qui Deum non videt*; qui enim Deũ præoculis non habet, nihil bouum ſcit videre in proximo: at qui Deum ſpectat, nihil malum ſcit ſpectare in fratre.

D. Leo.

D. Aug.

Luc. 23.

Chryſol.

2. *Reg.* 6. Dixitq; Dauid ad Michol: ante dominum, qui elegit me, potius quã patrẽ tuũ, & quã omnẽ domũ eius, & præcepit mihi, vt eſſẽ dux ſuper populũ domini in Iſrael. Et ludã, & vilior fiam pluſquã factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cũ ancillis, de qua locuta es, glorioſior apparebo. Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius, &c.

§. XXV.

Maiora beneficia à Deo in nos profectam maiorem in nobis humilitatem exposcunt.

EXhibitæ à se humilitatis rationem Dauid reddens Micholi aiebat: *Ante Dominum, qui elegit me, potius quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi, vt essem dux super populum domini in Israel. Et ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis, &c.* Et plane de acceptis à Deo beneficijs, hanc debemus ebibere mentem, qua humiliemur coram eo, & repræsentemur illi in eadem nuditate, quam ex nobis habemus. Ad hoc enim impellimur per beneficia à Deo accepta. Ioan. 13. ait de Iesu: *Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus; & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, surgit à cœna:: cœpit lauare pedes discipulorum, &c.* Sciebat bonus Iesus se præ omnibus alijs ditatum à Patre esse, manusque omnium bonorum habere plenas. Et quo extendit manus illas diuinas bonis plenas? An vt instar Adami scientiæ boni, & mali fructū fastuosus decerperet? Absit, sed ad vilium discipulorum lauandos pedes. Quod notabat D. August. tract. 55. in Ioan. fatus: *Cum ergo illi omnia pater dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lauit.* De acceptis omnibus bonis à patre Deo hoc habuit Iesus, vt in humilima quæque grauitaret; nec sistit, donec se infimo loco statuat. Notum est illud Abrahamii ingens incrementum, quando in paruo tugurio Deum conuiuā habuit, à quo mille promissiones accepit, insuper & longum colloquiū de liberandis Sodomis cū Deo traxit. Interea post multa hinc inde agitata ait Abrahamus Gen. 18. *Quia semel cœpi, loquar ad dominū meum, cum sim puluis, & cinis.* Nūquā ante Abrahamus se puluerem, & cinerem nominauit; nec quando Deo hospitiū offerebat dixit se puluerem; sed tātum aiebat: *Ne transeas seruum tuū, sed afferam pauxillū aquæ, & lauētur pedes vestri.* Officiū offert, sed non memorat naturæ suæ indignitatē, vilitātem. Et cur hospitium offerens non meminit se esse puluerē, quod post tot, tantaque cū Deo acta memorat? Non dū tunc admissus fuerat ad tanta; non dum diuinū colloquium participarat; vbi autē eo peruenit, vt præ alijs Deo, eiusque bonis, & colloquijs frueretur, statim se se in infimo loco statuit. Ait D. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 188. *Abrahā diuino colloquio fruens terram seſe ac cinerem appellabat.* Sic bonus vbi diuinis bonis præ alijs fruitur, in humilima, & vilissima grauitat. D. Aug. Gene. 18. D. Isidor.

§. XXVI.

Tunc glorioſior, cum scias etiā infimis te propter Deum æquare.

ILla verissima Dauidis sententia: *Et cum ancillis, de qua locuta es, glorioſior apparebo*: quasi in eo glorioſior præcellētissimus quisque appareat, quod se propter Deū nouerit vel infimis ancillulis exæquare. Cōmēdās nobis Ioannes & humilitatē, & præcellentiam Iesu domini, ait cap. 13. *Cœpit lauare pedes discipulorū:: Postquā ergo lauit pedes eorū, accepit vestimenta sua. Et cū recubuisset iterum, &c.* Duo fecit Dominus humilitatis facinora, & pedes lauit vilium piscatorū, & cū illis recubuit. Vtrūmaius, & glorioſi⁹ Iesu humilitatis opus, an quod lauit pedes illorum, an quod cū illis recubuit? Crediderim hoc ad extollēdā eius maiestatē sublimius fuisse; magnum enim est, quod vili, & pauperi præstātissimus quis aliquod obsequiū præstet, at quod ad familiarē sortietatē, æqualēque conuictū eos assumat, id longe est maius, & sublimius, vt quod maioris gloriæ, & maiestatis sit manifestatiuū. Quo spectans D. Ambr. lib. 1. de Spiritu sācto in proœmio ait. *Quāta ista maiestas est? Quasi minister pedes famulorū tuorū lauas: quasi Deus rorē mittis è cælo. Nec solū pedes lauas, sed etiā, vt tecū recūbamus, inuitas.* Vide vnde sanctus doctor extollat maiestatē Iesu, nimirū, quod cū Deus sit producēs pluuias, seruile opus assumat lauando pedes pauperū, sed quod eos in consortiū, & socialē familiaritatē assumat, cū illis discūbens quasi vnus ex illis. Huius facinoris gloriā, & maiestatē quis valeat exprimere? Et sanē in ministrando pauperibus, eorūq; pedibus laudis, multi inueniuntur principes imitatores Iesu; at in admittēdis infimis ad sociale cōsortiū, ad æqualē conuictū, aut nullus est, aut rarus, qui eo maiestatis perueniat. De quo pergit D. Ambr. vbi sura: *Lauare voluit quidē, & Abrahā pedes, sed hospitalitatis affectu. Volebat & Gedeō lauare pedes Angelo domini qui apparuit sibi, sed volebat vni, volebat quasi vis, qui differret obsequiū, non qui donaret consortium. Hoc mysterium magnum est.* Forte Ambrosius in Gedeone memoriæ lapsum incurrit, quando in Vulgata non inuenitur, vbi tale obse- Ioan. 13. D. Amb. D. Amb.

obsequium Angelo præstiterit. Aut forsam incurrit Ambrosius in aliqua Biblia, quæ illud haberent. Quidquid illud sit, parui est momenti; illud non parum habet momenti, quod notat sanctus, nimirum quod nec Abraham, nec aliquis alius, qui obsequium pauperibus etiam seruile præstabant, illos in consortium, & socialem familiaritatẽ traherent. Hæc solius fuit gloria, & maiestas Iesus, & mysterium diuinissimæ illius æconomiæ; in qua & magni glorioſe & sociantur, & exæquantur infimis.

CAPVT XXI.

Dauid templum ædific. cogitat.

Textus Historia.

NVLLVS iam obstrepebat bellorum motus ab hoste vicino, & Dauid meditabatur secũ in domo sua, vt ipse cedrinas habitabat domus, Dei autem arca sub tabernaculo erat pellibus strato. Quod Nathario Prophetę communicat, & de eius consilio animum templo ædificando applicat. Dominus autem eadem nocte ipsi Prophetæ reuelat, quid à Dauide vellet sibi præstari. Quãdo enim ex decusso Ægyptiorum iugo, & primo in desertum ingressu, vsque modo à nemine sibi domum construi petierit, nec etiam illam requirebat de Dauidis manu. Illud tamen certum, quod vt Dauidem à pascuis ouium ad regni erexerat moderamen; sic deinde in illũ beneficia collaturus non pauca, firmissimam additurus quietem, qua domus Dauid conspicua foret in toto orbe terrarum. Ac tandem cum fatis concesserit, eadem in posteris continuata fluent beneficia, quorum vnus magnificum Deo templum ædificabit, quo Dauidicum regnum æternabitur. Hæc vbi rex audiuit, pro tam prolixa Dei liberalitate gratias egit, & beneficia tam sibi, quam populo exhibita amplificat, & tandem orat, vt promissionis fides, & euentus appareat.

(†)

PARS MORALIS.

VBI Dauid locum domi suæ dedit arcæ, statim cæpit de templo ædificando cogitare; sic boni à primis virtutum gressibus nituntur ad maxima euolare.

2. *Reg.* 7. Factum est, cum sedisset rex in domo sua, & dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis. Dixit ad Nathã prophetam: Vides ne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? Dixitque Nathan ad regem; omne quod est in corde tuo, vade fac: quia dominus tecum est.

§. I.

Vbi Iesus adest, omnia apparent preciosa, & cælestia.

DOlet Dauid se in cedris habitare, cum Dei arca habitaret in pellibus; sic enim ait text. *Dixit ad Nathan prophetam: vides ne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* Vtinam non arca; sed ipse, qui per arcam figurabatur Iesus, poneretur, & fallar, nisi vel vilissimæ pelles in preciosa quoque, & cælestia transmutarẽtur, vbicumque enim meus Iesus est, ibi & splendidissimum apparet cælum esse. Matth. 2. dicit: *Ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.* Matth. 2. Mirabar tale dici potuisse de stella; Stellarum enim locus est cælum; pueri autem locus tunc stabulum erat, & præsepe. Et cur stella sic pueri loco videbatur hærere, quasi in eodem stabulo cum illo esset? Cur non magis amabat de cælo splendescere? Ait sapienter D. Epiphan. orat. de laudibus Mariæ: *Apparet stella Magis, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potius in cælo. vbi enim Christus, ibi & cælum. Nam stabulũ visum est esse cælum in terra.* Non multum D. Epiph.

attendas, an stabulum sit, an præsepe; sed illud nota, si Christus ibi sit. si enim Christus adest, vel stabulum fit cælum, quo gaudeant commorari stellæ. Vna Christi domini præsentia omnia transmutat in fulgẽtissimum cælum. Dixerat aliquando dominus Petro suo Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, sed & dilecto discipulo dixit, cum esset in cruce Ioann. 19. *Ecce mater tua.* Alteri claues cæli, alteri Mariæ commisit custodiam. Vtrius maior dignitas? An quæ cælum, an quæ Mariam custodiebat? In vtrisque eadem magis creditur, quando enim in Maria Christus fuit, tam facta est cælum; vt Ioannes similis Petro videretur in custodiendo cælo. Ait Petrus Damian. serm. 1. de Ioann. Euang. *Excellentium meritorum dignitas in duobus cæli senatoribus videtur æquari. Dicit dominus Petro: Tibi dabo claues regni cælorum. Nũquid & beata Maria cælum non fuit, in cuius vtero virginali nouem mensibus tota diuinitatis plenitudo permansit? In augusta eius aluo conclusus Iesus, totius orbis iura regebat inmẽsus. Non ergo præsumptio ve cælum dicitur beata Maria, atque ideo B. Ioannem dominus quodam modo cæli claviculariũ esse constituit, &c.* Quando Iesus in Maria fuit, statim cælum facta fuit Maria, & eius custos Ioann. inde in cæli custodia par Petro creditur fuisse.

Matt. 16.

Pet. Dam.

§. II.

Turpe est non dare spiritualibus, quod das terrenis.

ERubuit Dauid cedros ædificandæ domui suæ dedisse; cum arcæ domini pelles viles datæ sint. Ideo dicebat: *Quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pelluim?* Erat plane viro prudenti erubescendum, quod plus operis, & precij raperent humana, quam diuina. Qui enim non desipit, nõ minus tribuit spiritualibus, quam terrenis, Matth. 2. monebatur Ioseph ab Angelo, vt cũ puero Iesu fugeret Herodis iram, dicit enim: *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Ille ipse Iesus, qui venerat pro nobis moriturus, cum infans ad mortem quæreretur, fugam arripuit. Et quando factus vir, ipse erat mortem oppetiturus, cur infans eam fugit? Pulchram in rem præsentem, rationem attingit D. Chrysol. ser. 151. fatus: *Alia est causa, quod fugit Christus, quod infans tempus suæ distulit passionis, quod crucem supratricessimum annum vitæ corporalis ascendit: vt qui ad vitam perfectum hominem fecerat, perfectam repararet in vitam; & qualem terris dederat, talem redderet cælo.* Expende illa: *Et qualem terris dederat, talem redderet cælo*, quippe cum de introducendo homine in terram ageret Deus, eum hominem finxit, qui perfectus esset iam vir, instar illius, qui tregisimum annum attingit. Ex quo fieri debuit, vt & qui in Christo homo erat introducendus in cælum, similiter vir perfectus esset. Ne qui terræ dabatur, perfectiorem ætatem haberet, quam qui dabatur cælestibus, & diuinis. Amat enim Deus, quod demus spiritualibus, & æternis, quidquid splendidũ & precioſum damus terrenis. Hinc Luc. 2. describens domini ortum, incipit: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino, &c.* Sic Imperatorũ, Præsidum ve nomina præfiguntur narrationi ortus dominici. Et quid hæc Imperatorum nomina ad ortum Christi? Solemne erat mundiales emptiones, & venditiones nominibus Præsidum præfixis nobilitari; ex quo voluit dominus, nequid honoris, & speciositatis exhibitæ mũdialibus emptionibus, deficeret redemptioni orbis spirituali, quam exercebat dominus Iesus recens natus. Vt dicat D. Amb. ibi: *Præside, inquit, Cyrino facta est hæc prima professio, vt quasi Consalem quemdam sini gratia huic libro Euãgelistæ adscripsisse videatur. Nam si consules adscribuntur in tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi! Habes ergo omnia, quæ in contractationibus esse consueuerunt.* Merito Euangelista cauit, ne diuinis, & spiritualibus deficeret quidquid honoris, & speciositatis mundialibus rescriptis tribuebatur. Erubescendũ enim esset negare diuinis, quod terrenis datur. Hinc latro ille, Luc. 23. *Domine memẽto mei, dum veneris in regnum tuum, &c.* Quẽ sic affatur D. Athan. ser. contra omnes Hæreses: *O beatum latronem, rapuisti in mundo latrocinando, rapuisti item regnum cælorum ista confessione.* Vt in mundo, sic in cælo exraptu viuebat. Abacuc. 2. *Lapis de pariete clamauit.* Septuag. legũt: *Scarabeus de ligno loquetur.* Et per Scarabeũ intelligit Athanas. latronem beatum. Sed quid ad latronem hunc Scarabæus? Ait ille: *Nostis Scarabæum immundum circa immunda negotiosum esse, ita quoque hic latro negotiosus fuit in latrocinando, in cruce tamen confitetur.* Negotiosus fuera latro circa immunda vt Scarabæus, ne furandi ocasionem amitteret; sed

Matth. 2.

Chrysol.

Luc. 2.

D. Amb.

Luc. 23.

Abac. 2.

Athanas.

sed totum illud negotium ad diuina conuertit,ne etiam prætermitteret occasionem cælum rapiendi. Huc trahe dicta, tom. 5. de Christ.Fig.lib.9.cap.8.§.32.

2. *Reg.*7. Factum est autem illa nocte:& ecce sermo domini ad Nathan dicens. Vade,& loquere ad Dauid seruum meum:Hæc dicit dominus: Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?Nec enim habitaui in domo ex die illa,qua eduxi filios Israel de terra Ægypti vsque in diem hanc, sed ambulabam in tabernaculo,& in tentorio,&c.

§. III.

Non sic gaudet Deus in manufactis templis habitare, vt in hominum animis.

NEgat dominus Dauidi seruo suo ædificationem templi,ea ratione, quod ex quo populum cæpit habere, sic inter illos vixerit, vt templum non requisierit. Dicit namque: *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitaui in domo ex die illa,&c.* Qui populum sibi facere curauit, illumque ab Ægypto eduxit, & apud quem tandiu vixit, non curauit templum habere manufactum, nec ab vllo petijt domum sibi ædificari. Nec miror, habens enim Deus Moysi,& Iosue animos, & Dauidis cor iuxta Dei cor factum; non requirebat templum aliud manufactum, imo nec illud sine illo æstimabat. Non enim sic gaudet Deus in manufactis templis habitare, vt in hominum fidelium animis. Vnde D. Petrus 1. epist.cap.2.ad fideles clamabat. *Et ipsi tanquam lapides viui super ædificamini,domus spirituales,sacerdotium sanctum, &c.* Et sane nobile Ecclesiæ fundamentum, cuius erat christianam religionem in toto orbe terrarum fundare;non clamat,nec petit à fidelibus, vt templa materialia ædificent,sed magis satagit, vt eorum in animus fiant domus spirituales Deo. Et cur nec verbum de templis materialibus ædificādis facit? Sciebat bonus,non tam templa materialia,quā spiritualia conducere ad habitationem Dei inter homines fundandam. Et hæc potius procuranda esse,quam illa. Ex quo dicebat D. Isidor. Pelus.lib.2.epist.246. *Apostolorum tempore,cum Ecclesia & spiritualibus gratijs abundaret;& vita splendore afflueret,nulla templa erant;: Ego vero,si mihi optio daretur,temporibus illis esse mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant, Ecclesia autem diuinis,ac cælestibus gratijs vndique cincta,& redimita erat; quam his nostris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus coloneſtata sunt, Ecclesia autem spiritualibus illis gratijs munda, & euacua.* Apostoli christianæ religionis fundatores, anxie curantes, vt spiritualis Ecclesia viuis ex lapidibus fundaretur,multis virtutibus & cælestibus gratijs splendens; non adeo anxie curabant de templis materialibus erigendis,semper enim apud sapientes viros ea præcipua cura fuit, vt spiritualis Ecclesia augeretur, vt pote in qua,& firmius, & gratius nosci tur Deum habitare. Dum enim Deus in hominum cordibus spirituales habeat ædes, non solet multum requirere alia præciosæ materiæ templa. Ait Genes.18. *Apparuit autem Abrahæ dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi.* Quippe Abraham iuxta annosam quercū fecerat sibi tuguriolum quoddam, in quo habitaret,& in cuius ostio sedebat;vbi illi Deus apparet,non detrectās in augusto,& vili tuguriolo esse. Sed non miror, quod Deus inibi habitare non detrectet; illud magis mirandum, quod Abraham videns dominum,quem adorandum censet, & de facto adorat, vt notat Paulus ad Hebræos 12.dicens: *Vnum adorauit*: Nilominus illum tantum dominum non refugit ad vile suum tuguriolum adducere. Cur bone non magis refugis, vt tantus dominus in tam vili casula hospitetur? Ait D. Aug. ser. 68.de Temp. *Ingreditur lucum arboris Abraham,sub qua construitur qualecumque suffugium,angustum quidem homini,sed sufficiens maiestati. Dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat.* Vbi Deus habet in humano pectore palatium à fide,cæterisque virtutibus effectum, non adeo alios requirere solet,nec tam magni æstimat externū preciosis materijs confectum. Quisquis ergo Deo gratius templum oferre curas, illud prius satage, vt in te, & in animo tuo, illi pares spiritualem ædem: hac enim prius ædificatà & materialis postea placebit. Zachariæ cap.6.dicebat: *Summes aurum, & argentum,& facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, & loqueris ad*

D. Petr.

D. Isidor.

Genes.18

D. Aug.

Zachar.

ad eum dicens: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum domino. Et ipse extruet templum domino. Expende illa: *Ædificabit templum domino. Et ipse extruet templum domino.* Templum s & templum dicit ædificandum à Iesu; sed ab illo vnum solum templum Hyerosolymis reædificatum est. Et quando vnum solum ædificauit, cur bis dicebatur ædificaturus templum, & extructurus templum? Plane vbi ad constructionem parabatur externi tẽpli, hoc in primis curauit, vt animo suo, & impectoris suo prius strueret spirituale templum, quod habens Deus, de illo æstimat externum. Quo spectans Sidon. Apollin. lib 7 epist. 16 monebat:

Ædificas hic ipse Deo venerabile templum
ipse Dei templum pectore facte prius.

Hæc præcipua debet esse cura fideliũ, vt Deo in corde suo faciant ornatum virtutibus templum; præ quo Deus aliud non requiret, & de quo solo æstimabit externum. Hinc Matth. 13. dicebat de magnifico Salomonis templo: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et cur tantum templum despicitur, & contemnitur à Domino? Ait D. Zeno Veronens. ser. de spirituali ædificat. domus Dei: *Reprobat ergo tam immensum, tam insigne, tam opulens templum; quia in eo verum non erat templum? etenim hominum conciliabulum est contextio ista parietum; fidelis autem Dei templum, dicente Apostolo, Vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis, & verum est; nam sicut idolis insensatis similia templa conueniunt, ita viuenti Deo viua templa sunt necessaria.* Sic semper de templo cordis accipit, vnde placeat externum templum; vt si illud deficiat, & hoc despiciat Deus.

Matt 13.

D. Zeno.

§. IIII.

Virtuosi muneris progressus nullo prætextu interrumpendus, sed vsque in finem deducendus.

ET arcetur Dauid à templo ædificando, & instruitur, quid faciat, Dei exẽplo. Quo spectant illa verba: *Numquid tu ædificabis mihi domum, ad habitandum?* Qua si dicat: Tu qui electus es, vt dimices pro populo, vt hostes funditus debelles, ad alia non debes te diuertere, exẽplo mei, qui *non habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti: Sed ambulabam in tabernaculo, & tentorio.* Ex quo enim Deus defensionem populo assumpsit, vt illum ab hostibus protegeret, nõ ad aliud spectauit; nec cogitauit de postulando templo, sed vnum illud agebat, vt hostes arceret, habitans in tentorijs, & in ipsa arena. Quo exemplo instruitur Dauid, ne de alia re cogitet, licet sanctissima videatur, nisi de adimplẽdo munere, quod sumpserat ex Deo in debellandis funditus hostibus, & perimendis. Et si enim sopiti hostes tunc viderentur, attamen adhuc, vt fatetur Salomon 3. Reg. 5. imminebant bella per circuitum. Et quando Dauid bellatorem agebat propter Deum, non tantã laudem acquireret, si se vel ad templi ædificium diuerteret, quamtam in munere accepto perseuerans vsque quod glorioſum finem imponeret bellis. Ad hæc pulchre aiebat D. Zeno ser. de Patient. *Neque tantum in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantum in finiendis.* Non equidem tanta est laus illius, qui modo hanc, modo illam, modo alias virtutes assumit; quanta es laus illius, qui vel ab vna semel assumpta nunquam destitit, donec illi imponat finẽ perfectum. Crede mihi ille homo maximã laudem apud Deum, & homines meretur, qui non tam in multiplicandis virtutibus infistit, quam in semel assumptis ad finem deducendis, donec victoria potiatur perfecta. Vnde Matth. 27. clamabãt Iudæi: *Si rex Israel est descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Quæ voces minime mouerunt Iesum meum, vt descẽderet, sed magis in cruce perstitit. Et quando venerat saluum facere Israel, cur non descendit de cruce, vbi audiuit ob hoc conuertẽdos esse Iudæos? Nonne pietatis esset opus, si vt illos converteret à cruce descenderet? Sed nobilis Imperator nullo prętextu potuit ab arena dimoueri, donec hostes humani generis, quos debellare venerat, prorsus prosterneret. Vt dicat Pascasius lib. 12. in Matth. *Hoc fecit Iesus, ad quod venerat: Et sciens aduersariorum insidias, permanet in patibulo, vt omnes tartareas vinceret legiones, victorque remaneret ab inferis.* Venerat equidem Iesus non ad multiplicia miracula perageda, sed ad detriumphandas aereas potestates; nec vllo prætextu potuit ab hoc munere dimoueri, donec rei finem imponeret perfectum. Habes etiã. 1. Reg. 24. vt Saul ingressus in speluncam incidit in manus Dauidis, quẽ si Dãuid occidisset maximis se, & suos liberaret ærumnis. Sed ait Dauid: *Propitius sit mihi dominus, vt non mittã manum meam in Christum dominum.* Sane mul-

D. Zeno.

Matt. 27.

Matth.

1. Reg. 24

multa impellebant Dauidē ad Saulis mortem? & propria commoditas, & voces suorum testātium sic impleri Dei promissum. Cur ergo Dauit magis elegit parcere? Ait D. Zeno in Psal. 129. *Regem à Deo sibi in manus traditum maluit timere, quam occidere retinuerso gratus officio, Deo Dei munus retinendo placiturus.* Expende hæc: *Deo Dei munus retinendo placiturus*; nempe ex Deo acceperat munus defendendi Saulem, & Israelem ab hostibus, & ruinis; nec vllo prætextu commoditatis, aut virtutis desistere voluit, sed magis perseuerare in accepto munere vsque in finem. Huc trahe dict. 5. tomo de Christo Fig. lib. 9. cap. 5. §. 3.

D. Zeno.

§. V.

Non ex parte, sed ex integro muneri instabit virtutis.

ADhuc ponderanda illa sunt nimirum: *Nunquid tu ædificabis mihi domū, &c.* Tu, inquam, qui ad bella electus es, de ædificāda domo mihi tractas. Absit hoc a tanto duce, cuius est se se totum ex integro tradere militiæ. Ex cap. enim 20. Deuth. cantum manebat, ne domus ædificatio iungatur cum militia. Dicit enim: *Quis est homo, qui ædificauit domum & non dedicauit eam? Vadat, & reuertatur, &c.* Hæc erat lex militiæ a ducibus promulganda tempore belli; ne admitteretur in exercitu miles, qui domui ædificandæ incumbit. Et merito non creditur militiæ aptus, qui in curas ædificandi apparet diuisus; nunquā enim militari muneri dabit operam ex integro, & sic in bello deficiet. Crede mihi ruinæ causa inde oritur, quod in plura diuidimur & nullo muneri demus operam ex integro. Adamus dum solus erat, vni Deo vacabat; sed illi costa eripitur, ex qua Eua fit, quo fic diuisus fuit, vt minime cum Deo permanserit; dicente Apostolo. 1. Ad Corinth. 7. *Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Et cur non ruat, qui sic diuiditur? Cælestis Adamus lancea in cruce punctus emisit aquam, & sanguinē, ait enim Ioan. cap. 19. *Continuo exiuit sanguis & aqua*: ex quibus noua sponsa nempe Ecclesia illi fit, quæ per illum de aereis potestatibus triūphat. Et cur cum Christi spōsa orta de eius latere triumphus est, cum Adami autem sponsa perditio? Cum fit Adamo sponsa, ipse Adamus diuiditur, dans sui partem, nempe costam sponsæ. & sic diuisus nō seruit Deo, ex integro, quo abijt in ruinam. Cum autem fit sponsa Christo, non diuiditur Christus, nec costam, nec partem aliā essentialem corpori eripiunt; ideo vbi non intercessit diuisio, surrexit triumphus. Ait D. Zeno ser. de Circuncis. *Domino feliciter soparato, similiter de eius latere, ictu lanceæ, non costa diuellitur, sed per aquam, & sanguinem, quod est baptismum, atque martyrium, spirituale corpus spiritualis famina effunditur, vt legitimè Adam per Christum, Eua per Ecclesiam renouaretur.* Expende illa: *Non costa diuellitur, &c.* Non equidem nouus, & cælestis Adamus diuiditur ad sponsam; nec illa rapuit sponsi partem, & sic humana salus per illos perficitur. Ille namque in omnibus triumphat, qui non ex parte, sed ex integro corde illa procurat. Quo trahenda sunt dicta supra tom. 3. de Christo Fig. lib. 6. cap. 4. §. 11.

Deutero.

Apostol.

D. Zeno.

2. *Reg.* 7. Hæc dicit dominus Deus exercituum: Ego tuli te de pascuis; sequentem greges, vt esses dux populi mei Israel, & fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti & interfeci omnes inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabit sub eo, &c.

§. VI.

Potestatis, & splendoris minus semper ostendere debes, quam habeas.

QVis nesciat Dauidem electum fuisse à Deo in regem Israel? Plane vel ipse eius æmulus Saul dicebat. 1. Reg. 24. *Scio, quia certissime regnaturus es, &c.* Verum dominus in præsenti non regnum, sed ducatum Dauidis memorat aiens: *Ego te tuli de pascuis sequentem gregem, vt esses dux populi mei.* Et quando ad regnum eleuatus Dauid est per Deum, cur non dixit, vt esses rex, sed maluit dicere, vt esses dux populi mei? Equidem à Deo in regnum elebaba-

babatur, sed requirebatur, ne regem ageret, sed ducem, ne totum ostenderet in modo se habendi, quod esset, sed licet summã potestatem haberet, minorem ostenderet. Nunquam enim non magnæ virtutis est, quod minus potestatis, & splendoris, quam habeas, de facto ostendas. Actor. 7. affirmat de Stephano: *Cum esset plenus Spiritu sancto, &c.* Quibus in se dicitur Spiritus sancti plenitudinem habere. Sed cum esset in concillio Iudæorum ait Actor. 6. *Viderunt faciem eius, quasi faciem Angeli.* Habens in se Spiritum sanctum, non totum quod habebat extrinsecus referebat, sed in facie Angelũ ostendebat. Quod notans D. Hilar. Arelat. ser. de eo aiebat. *Abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiant, habens in se Spiritum sanctum os præ se gestat angelicum.* Non is est Stephanus, qui totum quod habet, passim exerat: scit magna continere, & mediocria ostendere, Deum in se habere, & Angelum referre. Nouerat satis Stephanus sanctissimi Dei ingenium illud esse, quod minus de se ostenderet, quam esset. Exod. 3. dicit. *Apparuit Moysi dominus in flãmina ignis de medio rubi.* Quam visionem referrens Stephanus Actor. 7. ait: *Apparuit illi in deserto mõtis Sina Angelus in igne flãma rubi, &c.* Et quando in Exodo dicitur Dominus Deus apparuisse in rubo, cur Sthephanus non Deum, sed Angelum apparuisse dicit? Sciebat id in Deo præstantissimum, & mirabilissimum, & maxime ab omnibus amplectendã, nimirum, quod minus exterius referat, quam sit. Ex quo ait D. Hildeph. ser. 1. de Assumpt. Mariæ: *Videbat, quod arderet rubus, & non cõburebatur, quod erat multũ mirabile. Sed lõge mirabilius erat, quia Deus erat totus in rubo, & Angelo vocabatur.* Hoc plane mirandũ, & amplectẽdũ in magnis potestatibus, & virtutibus, quod minora prętẽdãt, quã intus habeãt. Inde se se maxime quiscõmẽdat, quod nõ passim se totũ effundat, sed de magnis, quæ posset, minora faciat. Ioã. 18. ait de Iesu meo: *Vt ergo dixit eis: Ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terrã.* Posset plane illos occidere, & in puluerẽ redigere! cur solum voluit illos deijcere? Pulchre in rem præsentem ait D. Augustin. hom. 17. de tẽp. *Deus latebat in homine, humiliata est virtus, vt pietas augeretur, & quod ad laudẽ nominis eius pertinet, visa est potestas minus velle, quãm posset.* Hoc facit ad laudem, & commẽdationem cuiusuis magni, quod minus semper vellit, quam posset, minus ostendat, quam habet. Id quod in Dauide commendabat D. Zeno in Psalm. 129. fatus: *Dauid rex mansuetus, pater pius, propheta modestus, totum potest, â toto dissimulat.* Quid regius? Quid sanctius? Quid magis laudandum? D. Zeno.

2. *Reg.* 7. Prædicitque tibi dominus, quod domum faciat tibi dominus. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cũ patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternũ. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.

§. VII.

Illud homini ad felicitatis miraculum accidit, quod in exibitis bonis temporalibus annuntientur ei futura diuina.

AN nuntiatur Dauidi filius illis verbis: *Suscitabo semẽ tuum post te, quod egredietur ex vtero tuo, & firmabo regnum eius, &c.* Sic filius Dauidi promittitur, qui rex sit, qui ædificet, domum domini qui in æternum habeat regnum, qui sit Deo in filium. Et vter hic filius, an Salomon, an Iesus. Iudæi solum Salomonem putant; Tertul. lib. 3. contra Mart. cap. 2. Angelomus, & Glossa solum ibi intelligendum credũt Christum, vt qui solus æternum habeat thronum. Verum communior expositorũ sententia & de Salomone, & de Christo intelligit verba illa, adeo vt in Salomone dato Dauidi de præsenti, intelligatur & Christus in futuro dandus. Quod Dauidi fælicissimum accidit; miraculum enim fælicitatis est; quod alicui in bonis exhibitis temporalibus, aliquid etiam diuinum annuntietur dandũ. Sic Exod. 3. de Moyse dicitur: *Apparuit ei dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnã.* Exod. 3.

Et

Et vere magna erat visio Moysi, quod sic ei Deus ostenderetur in medio flammæ ignis rubo insidentis, & rubum non comburentis. Sed illud in hoc fælicitatem Moysis vsque ad miraculum protendebat, quod nō solum ei Deus rubo insidens ostenderetur de præsenti, sed & de futuro ei Deus demonstrabatur in virgine habitaturus absque eius læsione virginitatis. Ait D. Hildephonsus ser. 1. de Assumpt. Mariæ: *Videbat Moyses, quod ardebat rubus silvestris, & non comburebatur. Erat quippe visio corporea valde mirabilis, sed longe mirabilius, quod intelligibatur in spiritu: quia præsens totum erat in flamma, & quod per flammam futurum mō strabatur. Rubo nimirum incombusto manente, virginitatem Mariæ conseruatam credimus corde, confitemur ore, quia Spiritus sanctus totam inflammauit, &c.* Expende illud. *Sed longe mirabilius quod intelligebatur, &c.* Quippe de præsenti dabatur Moysi visio præcellēs, qua illi ostēdebatur Deus in medio flammæ, & rubus totus flammis possessus, & minime combustus. Quid hac visione oculis gratiꝰ humanis? Sed illud Moysi maius, & mirabilius erat, quod præter hāc visionem præsentem; adhuc illi annuntiabatur, aliud diuinius, & vtilius toti generi humano. In ipso enim rubo flammanti, & non cōbusto ostendebatur futura Virgo Maria, quæ Iesum habens suis visceribus inhabitantem, nullam virginitatis læsionem patiatur. Quis neget felliciſsimum Moysem in præsenti visione rubi? Sed tunc eius fælicitas creuit ad miraculū, quando in præsenti illa rubi visione tantum diuinitatis opus Moysi, & mundo vtile protendebatur. Hoc omnem superat fælicitatem, quo in præsentibus bonis, etiam futurorum bonorum cælestium pignus habeas. Quæ fælicitas in Iobo etiam demonstrata est, de quo ait cap. 42. *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis, quam principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, &c.* Et in quo facta est hæc benedictio Dei grandior in Iob? An in eo, quod dedit illi dupplicata bona temporalia? Plane in hoc, sed & in illo, quod in præsentibus illis temporalibus etiam futurorum cælestium bonorum pignus dabat. Vt dicat Nicetas in cat. Græca: *Liberorum, caterarumque externarum opum copia apud priscos illos in diuinarum benedictionum numero habebantur. Quoniam igitur Iobus, qui legi ætate anteceſſerat, tum ad legis, tum ad Euangelij normam viuendi rationem expressit, sane par erat, vt non solum, quæ bona lex pollicita esset, consequeretur, sed & cum illis quoque manerent, quæ sanctis in eo quod secuturum est, æuo promissa sunt.* Hinc plane Iobi fælicitas acta fuit, quod cum receptis bonis temporalibus simul illi venit cælestium promissio certa.

D. Hilde.

Iobo.

Nicetas.

§. VIII.

Bonis temporalibus assutus est defectus vltimus.

VIx Dauidi domus etiam à Deo promittitur, & statim mortis eius commemoratio fit. Dicit namque: *Prædicit q; tibi dominus, quod domum faciat tibi dominus. Cumque cōpleti fuerint dies tui, &c.* Ecce tibi vt simul memorentur & domus Dauidis facienda, & finis dierum eius. Sic semper omnibus temporalibus bonis assutus solet finis venire. Cum Salomon amplissimi templi ædificationem moliretur, creditur ceciniſse illud psal. 126. *Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Et quando ex Deo totam illam aggriedebatur ædificationem, cur putat in ea casum laborem suum? Vt tota illa templi amplitudo excogitata temporalis erat, sic non potuit non videre simul & tantæ molis ortum, & ruinam eius. Vt merito dicat D. Zeno ibi: *Recte ipse ille euertendæ ciuitatis propheta est, qui author fuerat struendæ.* Non alius expectandus fuit, qui videret finem ciuitatis, quàm illæ ipse, qui eius ortum procurauit; ortus enim, & finis in temporalibus bonis pene assuti veniunt. Hieremias cap. 31. clariſsimum temporalis aduentus Dei ad nos videns diem clamauit: *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdauit virum:* & statim ad alia longe diuersa diuertit. Cur non magis in tanta illa fælicitate Dei ad nos temporaliter venientis hæsit? Ait Petrus Damian. hom. in Vig. Natiuit. *Hieremias in vocem gratulabundæ laudis prorrumpens: Ecce, inquit, faciet dominus nouum super terram, fœmina circumdauit virum, sed tamen repentinæ subuersionis lachrymis edocetur, vt prius lamētum suscipiens, quam aduentum, penitus contēscat.* Expende ab illis: *Repentinæ subuersionis lachrymis edocetur, &c.* Videbat quippe temporalem Deo ortum in terris, sed & mortis eius lachrymæ sic simul hominem impleuerunt, vt prius videretur debere flere de mortuo, quàm gaudere de nascente. Sic in temporalibus bonis ortui venit finis connexus.

Psal. 126

D. Zeno.

Hier. cap. 31.

Pet. Dam.

2. *Reg.* 7. Qui si inique aliquid egerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autē meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amoui à facie mea. Et fidelis erit domus tua vsque in æternum, & thronus tuus, &c.

§. IX.

Maius iudicium debetur ei, qui in maiorum suorum pœnis, non sibi præcauet.

DE Dauidis domo firmanda locutus dominus, nullum illi malum minatur, si peccet: sed solum ait. *Prædicit tibi Dominus, quod domum faciat tibi dominus*, & nihil ibi addidit minarum. Vbi autem ad Salomonem Dauidis filium ventum est, post multa de illius donis dicta statim subiūgit: *Qui si inique aliquid egerit, arguam eū*, &c. Et cur peccaturo Salomoni suppliciū prædicitur; & Dauidi etiam peccaturo nullum de supplicio fit verbum? Maius, credo, debebatur iudicium Salomoni, qui nō caueret sibi post notas patri datas proculpis pœnas. Dicebat Dominus Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, &c.* Ecce tibi omnis homicidarum pœna annuciatur ventura super Iudæos Christi discipulos persequentes. Et cur tot illorum pœnæ in hos veniant? Non ne satis esset, si hi debitam sui sceleris pœnam soluant? Cur præter hanc etiam soluere debeant & Caini, & Manasses, & Ioacimi, & Achabi, & omnium illorum, qui sanctos interfecerūt, penas? Merito id agitur; quando enim in maiorum suorum homicidarum pœnis non sibi cauerunt, & ab homicidijs nō abstinuerunt, iuste maiorum omnium iudiciū illis debetur. Ait Theophila. ibi: *Super Iudæos illos, qui tunc erant, dicit; veniet omnis sanguis iustus iniuste effusus. Plus enim punientur, quā patres sui. Nam neque post tanta exempla emēdati fuerunt.* Necnon & Euthym. rem expēdens ait: *Lucas dixit: Vt inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est, à constitutione mundi. Docet autem quiddam tremendum sermo iste. Qui enim peccatorum nouit pœnas, & nihilominus eos imitatur, reus est, vt ab eo exigantur omnium supplicia: hoc est pro vno quoque pœnam luat, eo quod exemplo eius se non refrenauerit:* Quid magis tremendum? Sic post Cain homicidam Lamech virum occidit, & ait Gen. 4. *Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech septuagies septies.* Et cur adeo supra pœnam Caini creuit Lamechi pœna? Ait Theophil. supra. *Lamech post Cain plus punitus est, eo quod non fuerit ad exemplum Cain emendatus,* Qui predecessoris homicidæ non cauit à suplicio, iustum est, vt longe maiores det pœnas.

Matt. 23

Theoph.

Luca.

Genes. 4.

Theophil.

§. X.

A Deo profecta beneficia non in vno stagnari solent, sed inde ad omnes eius posteros peruenire.

A Salomone etiam peccante promittit Deus non auferendam misericordiā verbis illis: *Misericordiam autem meā non auferā ab eo, sicut abstuli à Saule.* Quod vt modo Dauidi promittitur, sic credo factum in gratiam ipsius Dauidis. Qui enim tot Dauidem beneficijs muuerabat, noluit vt in eo solo stagnarentur, sed magis, vt ad omnes eius posteros, se extenderēt. Quod & magnum in Dei beneficentia, & splendidum in Dauidis meritis notabat D. Ennod. lib. 5. epist. 10. fatus: *Grandis est pōpa præstantis, quoties quod vnus meruit; pluribus repensatur. Superiorum instituta sectantur, per quos generatio recipit, quod persona condiderit. Sic Israelitici delicta populi propter Dauid pœna non tetigit, dum genti opitulata est præcessoris integritas, & fides hominis aut eripuit de errore populum, aut inuit in gratia.* Cur non extollatur præstantis gloria; cui in longa filiorum serie præsentia sunt patris obsequia, vt cōseruet in posteris beneficia sua? Et cur non laudetur pater, cuius virtutes tantæ sint, quantæ posterorum malitia nō extinguantur, sed etiam inter filiorum culpas, solicitent, imo & trahant benefactoris benignitatē? Duo clarissimi reges in scriptura memorantur; alter Iosias, qui medio

D. Ennod

ætatis

ætatis flore abrreptus est; alter Asa, qui post virtutes astensas obscurum finem habuit. Ille 4. Reg. 23. hic. 3. Reg. 15. Et cur hi clarissimi principes aut præpropero, aut obscuro fine decesserunt? Non habuerunt fideles patres, quorum virtutibus possent viuere. Ex D. Ambr. commendãte Honorium, & Arcadium Imperatores, orat. in obitu Theodosij fatus: *Illorũ patres Abias, & Amos infideles fuerunt. Theodosius vero plenus timoris Dei, plenus misericordiæ, speramus, quod liberis suis apud Christum præsul assistat, si dominus propitius sit rebus humanis.* Iosia, & Asa feliciores sunt Honorius, & Arcadius Theodosij liberi; illi enim nõ habuerũt patres, de quorũ virtutibus viuerent; hi autem Theodosium habuerũt patrẽ adeo plenum virtutibus ex Deo acceptis, vt etiam filijs multa præstarent.

Theodosij.

2. Reg. 7. Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: Ista est enim lex Adam, &c.

§. XI.

Magnæ virtutis est, quod excelsi fiant humiles.

IN stuporem rapior dauidicæ virtutis sublimitatem videns, ait enim: *Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coram domino.* Coram domino dicitur Dauid sedisse, quid sublimius? Isaias cap. 6. vbi vidit dominum in solio suo, statim addit: *Et Seraphim stant, &c:* Coram domino stãt Seraphini, & Dauid sedet, an vt credãtur Dauidis virtus superior Seraphinis? Et quidem & magna, & multis spiritibus superior debet esse virtus illius, qui in regno positus dicat: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque?* Crede mihi, nil non magnum, & excellens debuit in virtute Dauidis præmitti, vt credatur in regno tam humiliter de se sensisse, Gen. 41. Ioseph educitur è carcere, & secundus à Rege constituitur in vniuersa Ægypto, interea natus illi est secundus filius, quem vocat Ephraim dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis me.* Iam in regno erat, & tota Ægyptus eius parebat nutui, & adhuc præ oculis habet paupertatem, & seruitutem, quam passus fuerat in Ægypto. De quanta hoc virtute venit? Pulchre ibi exclamat D. Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 78. dicens: *O incredibilem virtutis vim! Qua & seruum magnanimum exhibuit, & regem humilem, atque demissum.* Nõ enim credidit posse in regem humilitatem venire, nisi de vi incredibili virtutis. Vt enim magnanimitas in seruis, & plebeis rara, sic & humilitas in principe. Ioseph autem seruus antea, sic magnanimus euasit, vt in summa fame saciaret, omnes Ægyptios, & sic humilis, vt in regno meminerit paupertatis suæ. Quod non potuit non de ingenti sanctitate venire: alioquin, & seruo non defuisset auaritia, nec superbia principi. Pro quo maxime notandus est Angelorum casus, & Iudæ Apostoli casus. In Angelis cecidit supremus; in Apostolis non supremus, sed vnus ex infimis. Et cur illic supremus cecidit, hic autem infimus? In cælis superbiæ valuit insultus, qui in principes est validior; in Apostolis pusillaminitas erat auaritiæ, que non potuit prævalere nisi plebeio, & infimo. Ex quo dicebat D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 283. *Ex angelorum classibus, atque Apostolorum choro, hominum voluntates, animi instituta perpenduntur. Siquidem abillis is qui principatum tenebat, abbis proditor seductus est. Hoc autem ipsum nunc quoque perfici reperies.* Plane hoc in singulis hominum quotidie perspicitur, qui regio spiritu sunt, hi per elationem veniunt in Angelorum præcipitium; qui vili, plebeioque spiritu aguntur, vilitatè rapiuntur auaritiæ.

Gene. 41.

D. Isidor.

D. Isidor.

Isaias c. 6

§. XII.

Virtus à primis acquisita vnguiculis, semper solet retineri, vel in sublimioribus.

DIctum fuerat Dauidi, vt à pascuis, & ouibus assumptus venerat in regnum; cui respondens ille, vt notat noster Sanctius, ait in præsenti: *Quis*

ego sũ domine meus, quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Quæ verba sic expressius referuntur à D. Chrysostom. hom. de illis: *Quis sum ego domine mi, qui tulem gratiam inuenerim ante faciem tuam? Ego minimus in tribu mea, & elegisti me ex omnibus, &c.* Nec otiosè à Deo, & ipso Dauide iam rege facto notatur, & semel, & bis recolitur pristinum pueritiæ exercitium, qui pastorem agebat circa oues. Et qui rex eligebatur, cur à pueritia pastor esse permittitur inter oues, nisi vt quod tunc induebat pastoris munus, & affectus, vel in ipso regno retinere posit? Ait supra D. Chrysostom. *Electus ergo ex ouibus vt pastorem ostenderet, & innocentiam non negaret.* Qui pastor adoleuerat inter oues, adducitur ad regnum, vt nunquam non ostenderet pastorem, & innocentiam ouinam. Quod sane Dauidi accidit, qui inqualiuet sublimitate, & fortuna cõstitutus semper pastoritij muneris in pueritia exercitij reddebat saporem. Hinc nactus Saulem sibi infensissimum hostem dormientem in tentorio, socij sui Abisai cohibuit furorem, ne dormientem interficeret, dicens 1. Reg. 26. *Ne interficias eum, quis enim extendet manum suam in Christum domini, & innocens erit?* Et cur non magis Dauid superior factus perimit infensissimum sibi hostem? Ait D. Zeno in Psalm. 129. *Magnis, ac mirabilibus sæculi non immatatur, mitem humilemque retinet vbique pastorem.* Quid pulchrius, Non cum fortuna Dauid mores deponit: Sed in quauis sorte vel suprema retinet mitem, humilemque pastorem. Sic virtutes à primis acquisitæ vnguiculis prævalere vbiq; solent. Luc. 2. *Et postquam consummati sũt dies octo, vt circumcideretur puer.* In præputio maluit esse Dei filius primis diebus octo natiuitatis suæ, & postea circuncidi. Et cur diebus octo natiuitatis esse in præputio maluit, nisi vt ostenderet, quam semper incircuncisis gentibus futurus erat fauorabilis? Ait D. Zeno ser. de Circuncis. alio datus: *Ideo Circuncisus, quia Iudæis erat promissus: ideo cum præputio natus, quia in æternum incircuncisis gentibus erat profuturus.* Primis diebus natiuitatis incircuncisus manere maluit, vt nunquam non esset incircuncisis fauorabilis.

D. Chrys. D. Chrys. 1. Reg. 26 D. Zeno. Luc. 2.

§. XIII.

Multa filiorum posteritas non nisi à Deo.

MErito refert Deo acceptum, quod de longa filiorum posteritate audierat Dauid, in qua nõ longe iam ab Adamo disparem se cogitabat. Quippe ait: *Hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo seruitui in longinquum: ista est enim lex Adam.* Plane vt Adam asserta fuerat posteritas filiorum, quæ duraret in æternum; sic modò Dauidi asserebatur. Ex quo Dauid exultans se alterum futurum Adamum in posteritate filiorum, id Deo acceptum refert, & merito, tunc enim expressius domus à Deo per filiorũ seriẽ dilatata cognoscitur, cũ multitudo seruat posteritatem. De Israelitis dicebat Dominus Isaiæ cap. 1. *Filios genui, & exaltaui, &c.* Et quãdo filij hi à Deo credebãtur generari? An quãdo ab sterilib⁹ parẽtibus vnus Isaac generabatur? An quãdo duo fratres Iacob, & Esau in sterili vtero erãt? Vel an quãdo duodecim patriarchę ab vno Iacob procedebãt? Sed illud inuenio Exo. 1. *Filij Israel creuerunt, & quasi germinãtes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleuerũt terrã.* Et crediderim nõ tã ad illas, quam ad hanc multiplicem filiorum generationem respexisse Deum, quando dixit: *Filios genui*; multa enim filiorum posteritas Deum ostendit generantem. Vt dicat. Zeno serm. 1. de Isaia: *Hos in Ægypto genuit, vbi ingressis paucis hominibus innumerabilis multitudo processit.* Vbi multa filiorum posteritas, ibi Deus genitor ostenditur clariùs; non enim nisi à Deo particulariter prouidente, tam larga fæcunditas posset dari. Gen. 6. *Dixit ei Angelus domini: Reuertere ad dominã tuã, & humiliare sub manu ipsius. Et rursus: Multiplicans, inquit multiplicabo semẽ tuũ, non numerabitur præ multitudine.* Hæc dicebat Angelus ad Agar; sed illud mirandum, quod asserit, nimirum; *Multiplicans multiplicabo semen tuum*; quasi ipse longam posset Agari posteritatem dare. Sed seminis humani multiplicatio nonne superat potestatem Angeli? Quomodo ergo dicit: Multiplicans multiplicabo semen tuum? Ait Interlineris: *Dicens autẽ Angelus multiplicãs multiplicabo & cætera; palam est ipsum hoc in persona Dei fuisse locutum.* Adeo certum est, quod à solo Deo veniat longa filiorum poste-

Exod. 1. Zeno. Genes. 6 Interlin.

posteritas, vt inde palam fiat, quod Angelus ille loquēs ad Agar representatiue erat Deus, quod à se dicebat Agaris semen multiplicandum. Cui etiam accinit Caietanus dicens: *In his verbis capit Angelus manifestare se ipsum, dicendo in prima persona, multiplicando multiplicabo semen tuum, hoc enim Dei officium est, & in persona Dei Angelus hoc dixit.* Vane ab alio, quam à Deo homines sperant in filijs posteritatem, Dei enim proprium officium est illam dare.

Caietanus

§. XIIII.

Indecorum est merenti, quod ambiat dignitatem.

DAuid non sibi, sed vni Deo acceptum refert Deo regnum, dum ait: *Quis ego sum domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque?* In quibus duo ostendit, in altero maximā humilitatē suā, qua ingentia merita sua præmostrabat. Quippe ait D. Chrysost. ibi: *Ecce nihil se esse dixit, seruum se esse non negauit, quia omnis qui confitetur seruitutem, meretur gratiā libertatem.* Sic in primo se longissime esse à regni dignitate asserebat, qua humilitate in se omnium dignitatum merita præmōstrabat. In secundo, sibi a solo Deo regnum obuenisse fatetur aiens: *Adduxisti me huc vsque*: quasi diceret; non iui, nec cucurri ad regnum, sed tu adduxisti: Quibus nō solùm gratum se exhibet Deo, sed & sibi cauet, ne credatur ambisse, quod merebatur regnum. Nunquam enim non est indecora merenti ambitio dignitatis. Cantatissimus ille Trajani orator in eius Paneg. hinc suum Imperatorem commendabat: *Crederent posteri nihil ipsum, vt Imperator fieret, agitasse, nihil fecisse, nisi quod meruit, & paruit.* Hæc prima laus erat venientis ad principatum, nō illū procurasse, non ambisse, quod merebatur: ex ambitione enim non potuissent merita non turpari. Iacob primogenij honorem acquisierat & moribus, & astu; osculatisque parentibus, Gen. 28. *Profectus peruenit in Mesopotamiam Syriæ ad Labam, &c.* & quādo primogenij ius acquisierat, cur à parentibus abscedit? Cur nō magis matri assidet; vt quæ cæperat illi primogenij benedictiones negotiari, rem deduceret ad perfectum statum? Cauit bonus, ne videretur negotiari, quod merebatur, ne inde sua merita obscuraret. Vt dicat D. Zeno ser. de Patient. *Iacob dat iracūdia locū, sensim mitisque discedit, vt probet se, & meruisse, & non ambisse, quod meruit.* Nitebatur equidem bonus sua merita in proprio splendore seruare; ideo fugit à parētū conspectibus, vt palam omnibus faceret, non ambisse, quod merebatur. Hinc etiam extollebat Theodosium Latinus Pacat. in eius Paneg. factus: *Illud tamen præcateris mirū, quod cum omnia faceres, vt imperare deberes, nihil tamen faciebas, vt imperares.*

Caietanus

D. Chrysſ.

Paneg.

Geneſ. 28

D. Zeno

Theodoſ.

2. *Reg.* 7. Quæ est autem, vt populus tuus Israel, gens interra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram, à facie populi tui, quem redimisti tibi ex Ægypto, &c.

§. XV.

Nulli non gloriosum est innocētem à tyranno liberare.

DIcitur Deus redimisse gentem Israelis, vt poneret sibi nomen; ait enim: *Vt redimeret eam sibi in populum & poneret sibi nomen, &c.* Et merito, nunquā enim nō spectat ad gloriam nominis, quod quis innocentem à tyrāni faucibus eruat. Hinc Exod. 15. post liberatum Israelem à Pharaone dicebat Moyses: *Cantemus domino, glorioſe enim magnificatus est, equū, & ascēsorē proiecit in mare.* Expende illud: *Glorioſe enim magnificatus est*; quis enim gloriā diuini nominis ex liberatione Israelitis partā explicet? Sapiēter dicebat D. Cyril. Alex. in cat. Græca: *Nonne hic præstans est super omnem humanam opinionem, qui fecit, vt sanctus populus per medium mare transiret, & veluti per continentem ambulans pelagus trāsiceret; qui sine labore omnes de medio sustulit, & in fugam vertit impium Ægyptiorum populum?* Plane opinionem omnem, & famam vincit tanta potestas, quæ tyrannum submergens liberum eduxit innocentem populum. Ea, mihi crede, est glorioſissima, & commendatissima principis victoria, quæ consistit in liberandis ciuibus ab oppressione tyrannorū. Quo spectās Psal. 23. sic triūphatorē Iesum in cælestibus acclamabat: *Tollite portas principes vestras, & ele-*

Cyril. Alexand.

Pſal. 23.

& eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ: Dominus fortis, & potens dominus potens in prælys. Rex gloriæ vocatur Iesus in triumphali cælestis Hierusalē ingressu. Et vnde tunc adeo glorioſus apparuit? An ex multitudine captiuorum? An ex hostico? Minime; sed vt notat Euthymius: *Victoriā laudāt, quā retulerat dominꝰ de tyranno.* Hoc vnū spectabatur in tota illa regis gloria, quod tyrannꝰ erat deuictus, quod sāctorū ciuitas tyranno perēpto in libertatē ibat. Rē pulchre explico ex Nazario in Paneg. Cōstantini Imperatoris, cuius triūphū de crudelisimo tyranno exprimens ait: *Nullus post vrbē conditā dies Romano illuxit Imperio, cuius tā effusa, tāq; insignis gratulatio, aut fuerit, aut esse debuerit, nullā tā læti triūphi, quos annaliū vetustas consecratos in literis habet.* Et vnde fic, & triūphi, & eorū gratulationes tā immaniter crescebāt? Pergit statim: *Non agebātur, quidē ante currū vincti duces, sed incedebat tādē soluta nobilitas. Nō cōiecti in carcerē barbari, sed educti è carcere consulares. Non captiui alienigenæ introitū illū honestauerunt, sed Roma libera. Nihil ex hostico accepit, sed se ipsam recuperauit, nec prædā aucta est, sed esse præda desiuit, & (quo nihil adyci ad gloriæ magnitudinē potest,) imperiū recepit, quæ seruitiū sustinebat.* Et sane nulli non videretur infinitis laudibus æternāda gloria huius triūphi, & si aliud non adderetur. Sed addit tamen: *Duci sane omnibus videbantur subacta vitiorū agmina, quæ vrbem grauiter obsederant. Scelus domitū, victa perfidia, diffidens sibi audatia, & Importunitas catenata, Furor victus, & cruenta Crudelitas inani terrore frendebat. Superbia, atque Arrogantia debellata. Luxuries coercita nexu ferreo tenebatur. Sequebatur hunc comitatū suum tyranni ipsius teterrimum caput: Quis triūphus illustrior? Quæ species pulchrior? Quæ pompa felicior.* Omnia hæc glorioſa accidérant Cōstantino, & Imperio Romano in vno debellato, & interempto tyranno. Ex quibus liceat de Iesu meo triumpho aliquid prælibare, cuius inde exurgit immensa gloria, quia omniū teterrimū confecit tyrānū. Aiebat Isaias cap. 51. iuxta Septuag. *In saluando te non morabitur, neq; tardauit, & non occides in corruptionē, & non deficiet panis eius. Quia ergo Deus tuus conturbans mare, & sonare faciens fluctus eius, Dominus Dominus Sabaoth nomen mihi.* Expende vnde tot nomina glorioſa sibi dominꝰ apponat, nimirū ex illis: *In saluādo te non morabitur*, quæ sic ex Rabbinis leguntur apud Leonē de Castro: *Festinauit captiuū, vel ligatum aperiri.* Et quidem nullus talis triumphus ab orbe condito recensetur, qualis fuit triūphus domini Iesu, cuius ante currum nō agebantur vincti duces, sed incedebat soluta mundi nobilitas, quæ in inferno captiua tetfuerat sæculis. Non ibi visebantur coniecti in carcerē barbari, sed educti è carcere Reges, Patriarchæ. Nō captiui alienigænæ illū introitū honestabant, sed spiritualis Hierusalem libera: quæ tunc esse præda desiuit, & imperiū recepit, quæ seruitium sustinebat. Nec non & illud addit Abacuc cap. 3. *Ante faciē eius ibit mors*, siue, vt Symachus, & quinta editio legunt, *ibit pestis. Egredietur diabolus ante pedes eius.* Quippe vt suprą ex Nazario dicebamus, in Christi domini triumpho omnibus videbantur duci subacta vitia, mundi pestes. Scelus domitum, victa perfidia, superbia debellata, Luxuries nexu ferreo coercita. Quis triumphus illustrior? Plane vincit omnes triumphos ille, qui triumphat de tyrannide.

Euthim. Nazario. Isaias. Rabbinis. Abacuc.

2. *Reg.* 7. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populū sempiternū. Et tu domine Deus factus es eis in Deum. Nunc ergo domine Deus, verbum quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius: suscita in sempiternum, & fac sicut locutus es, &c.

§. XVI.

In humilitate fundatur maxima hominis valentia erga Deum.

PRomittē promissi diuini adepturus Dauid ait: *Nunc ergo domine Deus, verbū, quod locutus es, suscita in sempiternum.* Et ad quod tēpus relatum est illud: *Nūc ergo?* Crediderim ad illud referri, in quo Dauid maxime se se humiliarat coram Deo dicens: *Quis ergo sum, &c.* Post testatā sui vilitatem, & abiectionem; humilēq; animū ostensum, merito dicit: *Nunc ergo*: est enim in humilitate spectabilis hominis valētia apud Deū. Exod. cap. 3. humiliter Moyses scire cupiebat Dei nomē, quod annūtiaret Pharaoni; cui respōdit Dominus: *Ego sum, qui sum, ait: Hæc dices populo Israel: Qui est, misit me ad vos. Dixitq, iterū Deus ad Moysē: Hæc dices filys Israel. Dominus Deus patrum* Exo. c. 23.

vestro-

Abraham, Deus Isaũc. &c. Vnum requirẽti nomen Deus duo nomina explicat. Et cur duo explicat requirẽti vnũ? Ait Rupe. lib. 1. c. 14 *Ad vnã per veneratione duo reddit, quia fortis erat inquisitor, qui pulsabat, fortis, inquã, vera fortitudine, quæ est virtus humilitatis.* Ecce tibi vt de virtute humilitatis tãta veniebat fortitudo in Moysem, quãta valeret à Deo duplicatũ cõmodũ obtinere. Quid nõ cõsequatur, qui scit se coram Deo humiliare? Exod. etiã. 3. dicebat Moyses: *En incircumcisus labijs sum, quomodo audiet me Pharao? Dixitque dominus ad Moysem: Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Vbi Moyses se humilians suam fatetur infirmitatem, id consequitur, vt Deus habeatur. Dixit Ruper. supra cap. 26. *Gloriosa virtutũ regina humilitas, quæ in cælum volare consuevit, locuta est in eo dicente se incircuncisum esse labijs, & id circo dignum, ac pro suæ reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus regnantis hominis se esse Deum.* Eo peruenit humilis Moyses, vt fieret regnantis hominis Deus. Nunquam enim humilitas non valet suum alumnũ ad supremam erigere valentiam. Ideo Dominus monebat Matth. 1. *Qui vult esse primus, sit vltimus omnium.* Circa quæ ait D. Chrisostom. *Qui humilis est, is ad vera sublimitatis cacumen volauit; quæ non solum appellatione, & nomine, sed reipsa sublimitas est. Et externa quidẽ celsitudo necessitatis, atque timoris est; hæc vero interior, & nostra celsitudini diuinæ similis esse cognoscitur.* Quod si quæras, in quo humilis cordis celsitudo similis sit celsitudini diuinæ? In eo est maxime similis, quod à nullis externis dependeat, quod vel per abiectissima ad sublimia quæque perficienda tẽdat. Nihil enim magnum peractum est in hominibus, quod humilitatis excellentiæ non debeas. Dicebat Maria Luc. 1. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Vbi D. Aug. ser. 2. de Assumpt. *O vere beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit.* | *Facta est Mariæ humilitas scala cælestis, per quã descendit Deus ad terram, &c.* Sic ibi.

Rupert. Moyses. Rupert. Matth. 1. Luc. 1.

§. XVII.

Deus suauitatis, & dulcedinis fons.

HOc singulare notat Dauid in populo Israel, quod nimirum Deus illi Deus fuerit: quippe ait: *Et tu domine Deus factus es eis in Deum.* Non ne & omnibus alijs erat Deus? Cur ergo dicitur solis Israelitis factus Deus? Solis Israelitis diuinæ suauitatis, & dulcedinis thesauros aperiebat, vt clamaret Dauid psal. 24. *Dulcis, & rectus dominus,* & sapiẽs cap. 16. *Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quã in filios habes, ostendebas, &c.* Et plane cum his Deum agebat Deus, quibus se dulcem, & suauem exhibebat, quando ab vno Deo omnia dulcia, & suauia procedũt. De Iesu venturo in mundum dicebat Isaias cap. 7. *Butyrum, & mel comedet,* quibus ostendebatur, quam esset saturandus vbere de cælo pleno, non enim nisi à Deo dulcedo venit. Vt dicat D. Cyril. Alexand. in cat. Græca D. Luc. cap. 2. num. 32. *In omnium salutore Christo magnum erat, eximiamque miraculum. Nam cum adhuc infans esset, comedit butyrum, & mel. Butyrum autem lac virginis vocat propheta, quod non est muliebri mollitie, voluptateque, ac dissolutione natum sit, sed leue esset, ac firmum, nullam peccati amaritudinem habens, sed mellis dulcedinem. Siquidem omnia, quæ ex Deo sunt, dulciora sunt super mel, & fauum.* Ecce tibi vt in Deo sint fontes dulcedinum, & suauitatum: ab illo omnia fluunt dulcia, & suauia. Exod. cap. 3. dicebat dominus Israelitis: *Educam vos de afflictione Ægypti: ad terram fluentem lacte, & melle.* Et quæ vnquã terra lacte, & melle manauit? Sane talis terra in vna reperitur Christi humanitate. Ait D. Chrysost. hom. 41. in Matth. Dixit Deus ad Abraham, *Omnem terram, quamcũque tetigeris pedibus tuis, tibi dabo eã. Quã terrã, terrã, Orientalem fluentem lac, & mel. Quod verum non est de terra illa Iudææ, quoniam illa terra nunquam fluxit lacte, & melle, sed terram rationabilem, quam Christus suscepit.* Equidem à nullo, nisi à Deo possunt dulcedinis fluenta diriuari. Ab alijs omnibus non nisi amaritudines aucupaberis. Exod. 12. dum agni immaculati edulium paratur, canet etiam Deus: *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Et quãdo lactucæ agrestes amarissimæ sunt, cur in suauissimi agni conuiuio adhibentur? Ait Theodor. ibi: *Cũ lactucis agrestibus edimandat, vt acerbissimæ in Ægypto seruitutis commonerentur.* Equidem inter suauissimas carnes agni amaritudo lactucarum commenesaciebat edentes, quid à mundiali rege, quid ab Ægypto huius mundi habeant; Ab his enim sola amaritudo venit, à Deo autem agni dulcedo, & suauitas.

Psal. 24. Isai. c. 7. Luc. c. 2. Exod. c. 3. Matth. Exod. 12. Theodor.

CAPVTXXII.

Philisthim, Moab, & Syria percuciuntur.

Textus Historia.

QVàm merito à templi fabrica Dauid abstraheretur, monstrarunt statim ingruentia bella, quibus dum se Dauid opponit, & munitissima Philisthæorum Get expugnata arce, sub tributo redigit Philistæos. Nec melioris conditionis fuere Moabitæ, qui solo æquata præsidia sua videntes, iuxta Dauidis placitum vel in mortem, vel in vitam procedebãt. Sed & Adarezer rex Soba cũ auxiliarijs sibi Syriæ copijs in triumphũ Dauidis venit, qui ingentem auri, argenti, & æris vim illis ereptam ædificando à filio consecrat templo. Tandem cæsis decem & octo millibus hostium in valle Salinarum, & in Hebelem viginti, & tribus millibus, vniuersam Idumæam sub potestate redigit.

MORALIA CIRCA literam.

POst tot victorias Dauidis, dum arenæ puluis rarescit; non me contineo, quin aliquid salutis fructus moribus humanis demetam.

2. *Reg.* 8. Factum est autem post hoc, percussit Dauid Philisthim, & humiliauit eos, & tulit Dauid Frænum tributi de manu Philisthim. Et percussit Moab, & mẽsus est eos funiculo, coæquãs terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnũ ad viuificandum, factusque est Moab Dauid seruiens sub tributo. Et percussit Dauid Adarezer, &c.

§. I.

Vnus est Deus, qui possit sibi totum orbem subijcere.

EXpende illa: *Tulit Dauid Frænum tributi de manu Philistyn, &c.* Potuit enim Philisthæus, & Moab, & aliqua alia natio vel Dauidi, vel cuiuis alii principi seruire; atqui ab omni terra, & ab omni mundi plaga seruitium exigat, non is homo est, sed vnus Deus, & dominus omnium. Dominicæ natiuitatis tempus explicans D. Luc. cap. 2. ait. *Exyt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* D. Luc. Et quidem Cæsar Augustus non habebat subiectum vniuersum orbem; multę erant tunc in mũdo nationes, quarum nec nomen Romanis innotuit. Quare ergo nõ magis erubuit Cæsar tale edictum iactare in orbem? Equidẽ agebat iam Deus in illo edicto causam Christi sui, Regis sui, qui iam ostendebatur esse supra hominem, & representabatur Deus, quod vniuersus illi seruiturus erat orbis. Ait ibi D. Ambr. *Dum professio secularis obtenditur, spiritualis impletur, non terrarũ regi danda, sed cæli. Professio ista fidei, census animorum est:: Denique vt scias censum non Augusti esse, sed Christi, totus orbis iubetur profiteri. Quis ergo poterat totius orbis professionem exigere, nisi qui totus habebat orbis imperium? Non enim Augusti, sed domini est terra, & plenitudo eius, & orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Gothis nõ imperabat Augustus, non imperabat Armenijs: imperabat Christus. Acceperũt vtiq; Christi cẽsorẽ, qui Christi martyres ediderunt.* D. Amb. Quid pulchrius? Hinc clara mei regis Christi diuinitas ostenditur, quod illi vniuersus orbis tributa pendit; non enim nisi Deus potest subijcere sibi vniuersos. Propterea dicebat Angelus pastoribus, Luc. 2. *Ecce euãgelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus.* Luc. 2. Expende illud de Christo domino dictũ, nimirum, *quod erit omni populo*; non enim homines, non Angeli prævalere possunt in omni populo. Ait Orig. hom. 2. in Natiu. *De omnibus gentibus nonnulli proselyti fiebant, & hoc ipsum Angelis, qui gentes habebant subditas admittẽtibus. Nunc autem populi credentium accedũt ad fidem Iesu, & angeli, quibus creditæ fuerint Ecclesiæ roborati præsentia saluatoris multos addu-* Origen.

adducunt proselytos, vt congregentur in omni orbe conuenticula Christianorum. Hoc plane non de potentia hominis, nec de cura Angeli, sed de præsentia Dei fieri potuit.

§. II.

Certa, & determinata mensura vtere infruendo diuinis donis.

HOc maxime laudabile inuenio in præsenti Dauidis de Moabitis victoria, quod ait: *Mensus est eos funiculo, &c.* non indefinite vsus est iure victoriæ vniuersos perimēs, sed funiculi mensuram adhibuit, iuxta quā, & alios occidit, & alios reseruauit. Vtinam sic vniuersi se intra certam mensuram contineant in fruendo acceptis diuinis donis. Cum cælitus manna pluebat, cauebat ex Deo Moyses, Exod. 16. *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum; gomor per singula capita.* Non permittebantur sine mensura vti tanto beneficio. An quia parua erant horrea diuina, & timebatur illis penuria, aut defectus? Absit: Sed tunc docebātur homines, quam mensurate debeant vti omnibus donis diuinis, vt non pro potestate, sed pro sufficientia vtantur illis. Ait Philo lib. 2. de legis Allegor. *Ergo, & in manna, & in quolibet dono, quod Deus largitur nostro generi, dicet contentum esse certa mensura, certoq; numero, nec plura, quam pro capacitate, sumere per anaritiam. Colligat potius anima, quantum quotidie sufficit, & custodiam bonorū suorum munificentissimo Deo credat, potius quā sibi.* Prudentissimum sane assertum, & doctore christiano digum: vt nimirum in fruēdo donis diuinis certam habeamur sufficiētiæ mensuram, intra quam se quisque contineat. Nunquam enim sine mensura ages, quin perditionem incurras. Genes. 11. de primis mundi fundatoribus post dilubium dicitur: *Cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt ibi:* Porro pauci homines, qui tūc erant sufficientem terram ad habitandum habuerant in Oriente, cur necessum fuit illis aliam quærere? In his perditorum hominum effigiem proponit D. Chrysostom. hom. 30. in Genes. quando nullam mensuram attendunt in bonis, quæ ex Deo habent. Quippe ait ibi: *Vide quomodo humanū genus non potest subsistere intra suos limites, sed amplius concupiscens maiora supra se appetit. Atque hoc est, quod potissimum humanum genus perdit: quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere.* Merito inde creditur venire perditio hominum, quod nesciunt cū mensura operari, nec mensura vti in omnibus suis placitis. Et cur perditio nascatur, ex eo quod homines mensuram non teneant in suis placitis? Ait Philo supra: *Incipiat colligere, non acceruatim, sed quantum sufficit in diem. Vt quisque sumpta mensura, quæ sufficiat, reliquorum dispensationē permittat Deo. Qui vero vult omnia colligere, desperationem sibi parat & molestiam maximam. Desperat enim, si nunc tantum, non etiam in posterū, sperat Deum sibi pluiturum commoda; & infidelis est, si non credit, & nunc & semper gratiā copiosè dandam his, qui digni sunt, & demens est, si putat se posse inuito Deo seruare, quæ collegerit.* Eccetibi in quantis errat, qui nulla vtitur mensura in bonis suscipiendis ex Deo, sed omnia vult statim tenere, quasi non fidat Deo in posterum daturo; & putet etiam renuente Deo illa à se retinenda: quo quid magis perdione dignum? Hinc Oseas cap. 5. *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum:* Septuagint. *Quasi trāsferentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.* Quid est transferentes terminū? Ait Theophil. sic. *Cupiditate plura habendi laborantes:* nullis terminis, nullis limitibus, nulla mensura vtebantur, non miror, quod diuinam iram in se trahant. Longe namque â Dei spiritu absunt, qui absque mensura vtuntur donis diuinis, quādo Deus nunquam non vtitur mensura in affectibus suis. Vt dicat Isaias 28. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Ex quo spiritu biberat Paul. 2. ad Cor. 10. *Nos autem, non immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi ad vos.* Sic sancti cum mensura vtuntur donis diuinis vt proximis proficiant.

Exod. 16.

Philo.

Philo.

Oseas c. 5.

Theophil.

Isai. 28.

Paulus.

§. III.

Christus non ex terra, sed ex cælo habendus.

NOn prætereundum est, id quod singulariter factum est Moabitis, nimirum ait; *Mensus est eos funiculo cœquans terræ:* cum nullis alijs hostibus deuinctis hoc factum est; solos Moabitas terræ æquauit, vt sic iacto funiculo alios separaret

Genes. 11

D. Chrys:

raret in vitam, alio in mortem. Et cur hoc cum solis Moabitis fecit? Nonne Moabitæ illi per Ruth propinquiores erant? Cur præ omnibus hos terræ coæquat? Quãdo per Ruth Moabitæ ad Christũ pertinebant; vt post Dauidem satum ostenderentur iam nihil cum Christo habere, merito disponente Deo, æquantur terræ, Christus enim non ex terra, sed ex cælo habendus. Sic Hierem. cap. 22. vt ostenderet Ieconiam minime ad Christum pertinere, dicebat: *Terra, terra, terra, audi sermonem domini, scribe virum istum sterilem, &c.* Terrã vocat ipsum Iechoniam, siue Ioachim vt mavult Clemens Alexand. in glossa. Et Sapienter, quia à Christo excluditur, terra vocatur, & terræ coæquatur; non enim per terram acquiritur Christus, sed per cælum. Paul. ad Colo. 3. ait: *Si cõsurrexistis cũ Christo, quæ sursum quærite, vbi Christus est ad dexterã Dei sedẽs, quæ sursũ sunt, sapite, non quæ super terrã.* Ex quibus D. Amb ser. in Fer. 5. post Pascha ait: *Ergo non supra terram, nec in terra, nec secundum carnem Iesum quærere debemus, si volumus inuenire.* Fuge terram, maximeque terrenis affectibus, si vis Iesum inuenire; qui vt cælestis est, sic ab illo inuenitur, à quo in cælis quæritur. *Magdalena stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumẽtum. Et vidit duos angelos, &c.* Dicit Ioã. cap. 20. Inter angelos erat Magdalena, & non cessabat à fletu, quia Iesum non tenebat. Quam aliter Stephanus Act. 7. inter rabidissimos agens hostes dicebat: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantẽ, &c.* Stephanus dum est inter Iudæos videt Iesum; Magdalena dum est inter angelos Iesum non cernit. Nec miror; ille enim oculos substulit in cælum, hæc inclinauit se ad sepulchri terram. Pulchre ait D. Ambr. vbi supra: *Stephanus non supra terram quæsiuit, qui stantem Iesum ad dexteram Dei vidit. Maria autem, quæ quærebat in terra, tangere non poterat: Stephanus tetigit, quia quæsiuit in cælis. Stephanus inter Iudæos vidit absentem: Maria inter Angelos non vidit præsentem.* Proh fælicitas eius, qui Iesum quærit in cælis, procul dubio eum inueniet! Sed miser, qui in terris quærit, longè namquè erit à Iesu inueniendo. Hinc reprobandæ generationi dicit dominus Matth. 21. *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signũ non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, &c.* Ecce tibi adulteræ, & reprobæ generationi omnia signa negantur inueniendi Christum præter vnum, nempe signum terrenæ sepulturæ. Hoc vnum terrenæ sepulturæ signum non negatur generationi reprobæ; & quæ per solam terrã quærit, haut dubium quod Christum non inueniet. Hinc extollebat fælicitatem Constantij Augusti D. Cyril. Hierosolym. epist. illi data; quod eius tempore signum crucis visum sit in cælo. At enim. *Tempore Deo dilectissimi, & beatæ memoriæ Constantinopatris tui salutare crucis lignum Hierosolymis repertum est: diuina gratia concedente ei, qui recte quærebat pietatem, etiam abtrusam locorum sanctorum inuentionem. Tempore vero tuo Domine omnium pientissime Imperator, quia tu erga Deum pietate maiori, Parentes tuos superasti: non tam amplius de terra, sed de cælo sunt prodigia, quoniam domini, & seruatoris nostri trophæum, beata, inquã, crũx splendoribus luminis coruscans Hierosolymis apparuit. Sanctis hisce diebus Pentecostes circiter horam tertiam, omnium maxima crux ex lumine constituta in cælo, non vni aut alteri tantum visa, sed vniuersæ ciuitati, &c.* Sic bonus factiori, & fæliciori credit signum Iesu dari non de terra, sed de cælo.

§. IIII.

Pudicitia nescit non erecto animo esse etiam in mortis discrimine.

NOn otiose dicitur Dauid de exercitu Adar ezer, *subneruauit omnes iugales currum*, nimirum equos trahentes currus. Nec miror, quod à Dauide equi subneruentur, in quibus maxime feruet lasciuia, cuius est subneruari, & repere. Vna enim pudicitia est, quæ nescit non integro gradu, & erecto collo vel in summis discriminibus versari. Nota est historia militis Mariani, qui tribunum stuprum sibi inferre conantem occidit. Is apud Imperatorem Caium Marium accusatus defenditur à Quintiliano Declam. 3. his verbis inter multa alia: *Hunc vero Cai Mari, nec si damnaueris, pudebit. Si forsita tulerit, ibit ad pœnam pleno gradu, tam paratus mori pro pudicitia, quam occidere: laudemque perpetuam fortissimi pudoris secum feret.* Expende illa: *ibit ad pœnam pleno gradu*; non equidem pudicus homo pœnam abiecte subibit, nec tanquã subneruatus taurus reptabitur ad macellum, sed erecto collo, pleno gradu quasi ad pudicitiæ coronã procedet. Ea est enim pudicitia, quæ sic erigat suorum alumnorum animos. Habes Dan. 13. lasciuientiũ

senum

senum, & castissimæ Susannæ historiam de illis dicit: *Exarserũt in cõcupiscentia eius, euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum*. De Susanna autem dum condemnanda stabat, dicit: *Flens suspexit ad cælum; erat enim cor eius fiducia habens in domino*. Quid lasciuis deiectius? Quid pudicâ sublimius? Illi & pro tribunali sedentes euerterunt sensum, & declinauerunt oculos, ne viderẽt cælũ. Hæc ad mortem damnata pleno gradu, erecto vultu, libera fronte respiciebat ad cælum. Ioann. Ait Orig. in Exposit. cap. 11. Ioann. *Obserua in his; illos quidem deprauata mente sua, oculos suos demisisse, ne cælum viderẽt: hanc autem domini humanitate fretam conuenienter spei, quam in domino collocasset, in cælum oculorum aciem intendisse. Debebat ergo hæc quidem, quæ obcontinentiæ fiducia precatura erat, cælum aspicere, sursumque attolere oculos.* Abiecte, & dimisse agant, qui lasciuiæ ardore tenentur, nec attollere vultus audeant in cælum, sed humi deiecti repant. At pudica mens pleno gradu, erecto collo, & libera fronte vel in mortẽ procedat.

2. *Reg.* 8. Audiuit autem Thou rex Emath, quod percussisset Dauid omne robur Adar ezer, & misit Thou Ioram filiũ suum ad regem Dauid, vt saluta-ret eum congratulans, & gratias ageret: eo quod expugnasset Adar ezer, & percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adar ezer, & in manu eius erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea: quæ & ipsa sanctificauit rex Dauid domino cum argento, & auro, quod sanctificauerat de vniuersis gentibus, &c.

§. V.

Opera bona occultanda, dum hostibus sumus exposiți.

CVm Thou rex Emath Dauidi congratulatur per filium de hoste communi perempto, dicit textus: *Et in manu eius erant vasa aurea, &c.* In manu, inquit, eius, nempe qui veniebat ad Dauid post hostem peremptum. Non enim in manibus prætenderet aurum Dauidi, viuente hoste Adar ezer, sed post mortem eius, quasi suam securitatem prædicans ad Dauidem venit, aurum argentum ve in manibus ostentans. Discant hinc filij lucis, quam verè debeãt occultare animæ bona, dum sopitis, aut interemptis hostibus ad verum Dauidem in ciuitate cælesti non accedunt. Quis dum instat hostis, dum latro desæuit, aurum prætendit? Sapienter admodum D. Gregor. PP. lib. 8. cap. 30. monebat: *Hostes ad rapinam prouocat, qui suas eorum notitiæ diuitias denudat. Quousque enim ab æterna patriæ securitate disiungimur, per latronũ insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere de prædari formidat, abscondat, necesse est bona quæ portat. Occultanda sunt ergo bona, quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus.* Equidem dum inter viuentes hostes degimus, dum latronibus circundamur, dum à Dauidis filij ciuitate gloriosa disiungimur, bona nostra in abscõdito thesaurorum sint, non præ manibus. Matth. 4. post trinam tentationem à Iesu superatam ait: *Tunc reliquit eum diabolus & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Dũ aderat diabolus teterrimus hostis, non accedunt ad Iesum angeli, nec sua officia erga eum propallant, sed hostis expulsionem expectant, & tunc cibos saluatori parantibus manibus ministrant. Quo spectãs ait Rupert. lib. 3. de glor. & hon. Filij hominis: *Remoto diabolo à participatione, vel præsentia refectionis accesserunt angeli, & ministrabant ei.* Et sane non timebant sibi angeli à diabolo, sed docebant homines, vt debeant sua officia erga Deum abscondere, dum adest hostis, qui valeat vel rapere, vel inficere omnia. Monebat item dominus Matth. 6. ne in conspectu hominũ fierent nostræ iustitiæ; & pro doctrinæ corona ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Sed thesaurizate vobis thesauros in cælo: vbi fures non effodiunt, &c.* Cauendi sunt hostes, cauendi sunt fures; ibique solum manifestandus bonorum operum thesaurus, vbi fure, & hostes cessarint. Quo circa ait D. Chrysolog. ser. 7. *Ieiunium tuum sit hominibus occultum, ignotum diabolo. Deo notum. Thesaurum, qui non abscondit, prodit: virtutes proditæ non manebunt: Qui ergo inter tineas, rubiginem, fures sua ponit; exponit, quæ sua sunt, non reponit.* Sic ibi: Vt ostendatur, quam celanda sũt opera viuẽtibus hostibus. Iudith. cap.

Ioann. Gregor. Matth. 4 Rupert. Matth. 6. Chrysol.

9. In

9. *Induēs se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se, &c.* & post hæc cap. 10. *Lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo: posuit mitram super caput suum, &c.* Paulo ante cinerem, modo mitrā super caput ponit: paulo ante ieiunio, & cilicio maceratur, modo aureis induitur. Et cur, quæ illa faciebat, modo hæc accipit? Processura erat ad hostes, & celabat opera virtutis, quo vinceret. Chrysost. hom. 10. ex variis: *Post solemnitatem triduani ieiunij capite vncto, & lota facie, ita interna afflictionis tristitiam texit, vt lætari hostibus videretur: ac sic dum lætitia vultus ieiunium texit de hoste triūphauit.* Non aliter Æster cap. 4. triduanum ieiunium sibi indixit, & cap. 5. dicit Regi: *Obsecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecū ad conuiuium.* Triduo ieiunat, & lautū Regi prætendet conuiuium. Cur a ieiunante offertur conuiuium? Chrysost. supra: *Dum post triduanum ieiunium intelligi à Rege non potuit, Amam illum populi sui inimicum interemit.* Sic sancti dum cauent, ne videantur opera sua, de inimicis glorioſe triūphant.

Chrysost.

Æster. c. 4

Chrysost.

§. VI.

Affectus ob temporalia nimis præproperus est, cuius vis mora impatiens.

SAlutaturus Dauidē Ioram filius Thou dona præferebat manibus; dicit enim: *& in manu eius erant vasa aurea, & argentea, &c.* Salutaturi autem Iesum Magi in thesauris clausa portabant dona, dicit enim Matth. 2. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei aurum, &c.* De illo non dicitur, quod aperuisset thesauros, quasi non clausa, sed aperta, & præ manibus aurea vasa portasset; at de his dicitur, quod thesauros aperuissent, quasi clausa eo vsque portassent. Et cur hi sic dona sua afferunt, vt necesse sit thesauros aperire ad illa exhibenda; ille autem sic ea præ manibus trahebat, vt nihil in aperiendo fuerit cūctatus? Magorum affectus totus erat circa spiritualia negotianda, affectus autem hic nil præpropere agit, sed omnia mature, & tranquille moderatur. Verum filij Thou regis affectus eo tendebat, vt Dauidis temporalem venaretur gratiam, & qui affectus cica hęc temporalia versatur, nunquam non nimis festinat, quarumcumque morarū impatiēs. Venerat Iesus ad Lazari sepulchrū Ioan. 11, & vt sororum eius, quæ stabant, præcibus annueret, vt redderet illis fratrem, aīe ministris circunstantibus: *Tollite lapidem.* Quam aliter Iacob Genes. 29. qui accedēs ad puteum opertum lapidem, cuius ablationem expectabant pastores, vt adaquarent greges; vbi Rachelem vidit sub eadē expectatione appropinquare, *amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Circa quæ non ignobilis est quæstio ab Orig. in cap. 11. Ioannis agitata, nimirum: *Cur hoc quidem loco Iesus ipse lapidem à spelunca non amouerit, sed dixerit, tollite lapidem. Genesis autem Iacob saxum à putei ostio detruxerit?* Sane Iesus afficiebatur desiderio salutis spiritualis hominū, pro qua scit expectare, & moras conuenientes pati, vt lapidis ablatores, & spectatores sensum miraculi capiant. Iacob autem illo solum affectu tenebatur, vt Rachelis gratiam raperet; huius autem tēporalis affectus præceps est, & vel prudentis cuiusque moræ impatiens. Ideo non expectat, vt pastores lapidem tollant, nec id ab illis petit, vt faciant, sed ipse festinus nihil veritus tollit lapidem, hoc vnum attendens, vt puellæ pulchrę placeat. Crede mihi nil, antiquius in affectibus tēporaliū inuenies, quàm quod nullæ morulæ non rūpantur. Solus spiritualium affectus tranquille, & mature omnia facit. Ioann. 4. *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontē: hora autem erat quasi sexta: venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus; da mihi bibere.* Quis crederet Iesum sitire, quando fæminam haurientem aquam expectat, & ab illa petit aquam? Cur non magis, ò bone, arripis vas, & quam propere tu ipse aquam hauris, & sic fæminæ gratum facies, illam à labore leuans, & citius siti satisfaciēs? Cur mavis fæmineam lentitatem in hauriēda aqua expectare; & eius fastidia in negando pati? Hoc sitire erat? Ait D. Ambr. hom. 1. de Samar. *Sitiebat ergo Christus? Sitiebat plane, non potum hominū, sed salutem: sitiebat non aquam mundi, sed redemptionem generis humani.* Equidem vt nō tenebatur aquæ mundialis desiderio, sic nō festinabat haurire aquam; sed magis spiritualis salutis hominum affectus desiderio præstolabatur, & moras nectebat. Est enim affectus spiritualium patientissimus morarum. Dicebat Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Et quid habet commune cum ortu Solis, nostri Saluatoris ortus. Sol clare oritur, Iesus obscuro in loco: Sol oriens nubes propinquas facit rutilare; Iesus pannis obvoluitur, & in præsepio se occludit. Quid ergo ortus Iesu ad ortum solis? Ait D. Zeno ser.

Matth. 2.

Ioann. 4.

D. Amb.

Malach.

ser.

ſerm. de Patient. *Sol denique quamuis mira celeritate alternas mundi metas illuſtrat: tamen nunquam dilectam, verecundamque ante vertit auroram.* In ſumma celeritate ſcit nō præceps ferri, nec præcurrere, ſed moras nectit, infantiæ paruitatem ſeruat, vt per ſpatia creſcat inſublime. Hoc amauit in ortu ſuo Saluator noſter, quod in Trajano ſuo abijciebat Plinius dicens: *Tu ſimul omnia profudiſti, vt ſol, & dies, non parte aliqua, ſed ſtatim totus.* Aſcribebat principi Solis ſimilitudinem in bonorum profuſione; ſed repellebat ab illo ſimilitudinem ſolis in modo procedēdi, quia Sol paulatim, ille ſtatim totus. Et quando in principe ſuo laudat Philoſophus homo, quod non Paulatim vt Sol, ſed ſtatim totus; cur in Ieſu meo laudatur illud, quod nō ſtatim totus, ſed vt Sol paulatim efficiat ortum? Sane mundiales homines, vt rapti mundialibus affectibus ſunt, ſic nil magis æſtimant, quā rumpere omnes moras, & vel præcipitanter ferri ad bona. In Ieſu autem meo, vt omnes affectu ſpirituali amāt, inde eius laudes dignoſci habent, quod tranquille, & cum maturitate, & patientia procedat. Vt exclamet D. Auguſt hom. 17. de Tēp. *O grandis patientia Saluatoris! Expectat naſci, ſua membra, qui fecit.* Sic in ſumma celeritate ſaluandi hominis, nūquam ante vertit ætatis horas, nec naſcendi ordinem.

Plinius. xxi. in pa.

D. Aug.

§. VII.

Aurum in vere regali manu proficit ſtruenda Eccleſiæ Dei.

ILlud notandum, quod ait textus: *In manu eius erāt vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea: quæ & ipſa ſanctificauit rex Dauid domino cum argento, & auro, quæ ſanctificauerat de vniuerſis gentibus.* Ecce tibi quidquid auri, argentique veniebat in manus Dauid, ſtatim ſanctificabatur, & dedicabatur templum Dei ſtruendo. Proh manus veri regis, & regaliſsimi regis, aurum enim in illis & ſtabiliendæ, & fulciendæ, proficit Dei Eccleſiæ! Matth. 28. *Congregati cum ſenioribus conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus:: Sic illi accepta pecunia fecerunt, ſicut erant edocti.* Sic milites accepto argento dominicæ reſurrectionis teſtimonium infirmauerunt. Quid non deſtruat pecunia in manu gregalis, & vilis hominis? Vtinam veniat ad manus regias, & fallar, niſi fundet Eccleſiaſ. Ait D. Cyril. Hieroſol. catech. 14. *Dederunt argentū, corruperunt milites: ſed non corrumperunt eos, qui nunc ſunt reges. Nam illi quidem milites, propter argentum prodiderūt veritatem: iſti autem, qui nunc ſunt reges, pietatis ergo, argento induentes, & auro, ſanctam hanc Eccleſiam reſurrectionis Saluatoris extruxerunt, & argenteis monimētis ſplendidam fecerunt.* Sic regaliſsimi principes auro, argento ve acepto Eccleſiam Dei conſtruunt, & honorant. Quod Eccleſiæ ſuæ promittebat dominus Iſaiæ cap. 6. *Suges lac gentium, & mā milla regum lactaberis.* Vbi Septuag. *Suges lac gentium, & diuitias regum comedes.* Quippe reges, principeſque regales diuitijs ſuis, auro ſuo, argento ſuo facient, vt diuinus cultus, gloriaque Eccleſiæ mirum in modum augeatur. Inde manifeſte patet, quæ ſint manus regales, nimirum, quæ dato auro faciunt diuinum cultum ſplendoremque Eccleſiæ dilatare. Quæ autem ablato auro, & cultum Dei, & Eccleſiæ ſplendorem minuunt, non regiæ ſunt, ſed viliſsimæ manus. Dicit enim dominus 1. Reg. 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Et qui contemnit Deum? Ait Concil. Aquiſgranenſe l. 2. cap. 6. *Specialiter glorificatur Deus in cultu ſuo, & in his, quæ ei conſecrantur, & ſanctificantur. Contemnitur autem ab his, qui in tantam veſaniam prorumpunt, vt illi conſecrata, auferre non formident. Quibus illud pertimiſcendum eſt: Qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Magna porro ignobilitas eſt aliquam Dei in ſuis ſacratis rebus iniuriam inferre.* Sed occurrendum eſt Fidei hoſtibus? Id videat ille, cui ius eſt circa diſpenſationem ſacrarum rerum. Ego vnum ſcio nimirum principes, & reges victores, & triumphatores illos fuiſſe, qui auro, & argento dato cultum promouere diuinū, & Eccleſiam honorarunt. Et valde timerē illi; qui ablato auro in cauſa eſt, cur diuinus cultus minuatur. Dicit enim. 1. Reg. 2. *Si autem in Deum peccauerit vir, quis orauit pro eo?* Et quale eſt hoc peccatum in Deū, quod caret apud Deum aduocato? Ait Cōcil. Aquiſgranenſe vbi ſupra. *Inter cætera peccata, quibus in Deum peccatur, non minimum peccatum extat illud, quo cultus Dei cōtemnitur, aut diminuitur, vel dehoneſtatur, & id circo tam ingens peccatum modis omnibus eſt cauendum. Quicumque ergo ea, quæ diuino nomini conſecrata ſunt, aufert, in Deum ſe peccare nullo modo dubitet.* Conſulendus item eſt Petrus Damianus lib. 1. epiſt. 20.

Matt. 28

D. Cyril.

Iſai. c. 60

1. Reg. 2.

1. Reg. 2.

vbi refert de quodam Pontifice Romano, qui vendita balsami possessione, qua lampas coram D. Petri sepulchrum nutriebatur, in causa fuit, quod deficeret lampas. Hunc Petrus sic percussit, vt tertia die expirauerit. Et si hoc accidit Papæ propter minutionem lampadis; qui timeāt principes sæculares, si in causa fuerint, quod Ecclesiæ cultus minuatur?

2. *Reg.* 8. Fecit quoque sibi Dauid nomen, cū reuerteretur capta Syria in valle Salinarum cæsis decem, & octo millibus, & in Gebelem ad viginti tria millia, & posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium; & facta est vniuersa Idumæa seruiēs Dauid: & seruauit dominus in omnibus ad quęcumque profectus est. Et regnauit Dauid, &c.

§. VIII.

Falicius cordibus benemeritorum, quam marmoribus nomen inciditur.

DIcitur nomen sibi fecisse Dauid in victoria obstenta in valle Salinarum, cum ait: *Fecit que sibi nomen Dauid, cū reuerteretur captà Syria in valle Salinarum cæsis decem & octo millibus, &c.* Sunt, qui hæc referant ad erectam aliquam fornicē seu arcum triumphalem; alij vero probabilius ad famam gloriosam ibi à Dauide comparatam. Sed curpotius nomen istud gloriæ Dauidi factum est in valle hac Salinarum, quam in tribus, aut quatuor victorijs immediate antea partis? Creditur à Rabinis Dauid in valli Salinarum non solum tam hostium multitudinem percussisse; sed etiam peremptos omnes piâ sepultura honorasse. Quod probabile putat Carthus. & persuadetur ex cognatione Idumæorū cum Iudæis, quam respiciens Dauid, illos præ cæteris voluit sepultura honorare. Quo facinore, quis explicet, quantum sibi nomen compararit? Et quidem maius, & glorioſius, quam si mille fornicibus, æreis, marmoreis ve inscribi illud curarit. Sapiēter enim ait Plinius in Panegir. Trajani: *Ego titulis omnibus speciosius reor, quando nō trabibus, aut saxis nomem tuum, sed monumētis eternæ laudis inciditur.* Non equidem id summum est, quod marmoribus tua sint inscripta facinora; illud maius, & glorioſius, quod in laudantium cordibus scripta valeant æternari. Vnde Dauid non illam, sed hanc gloriam misericordię promittit fatus Psal. 111. *Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in iudicio: In memoria aterna erit iustus.* Et Psalm. 30. hanc etiam requirebat, dum ait: *Obliuioni datus sum, tanquā mortuus à corde:* nō tāquā deletus à marmoreis titulis, id enim parui æstimaret, sed tanquam mortuus à corde, quasi id esset maximæ æstimationis, quod in cordibus laudantiū maneret inscriptus. Ideo Paul. 2. ad Corint. 3. ait: *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus: manifestati, quod epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in cordibus carnalibus.* Ecce tibi vt Chorinthiorum populos vocat Paulus Epistolam suam, nimirū, inscriptionem suam, & titulum manifestatiorem suæ gloriæ, & dignitatis. Sic explicabat D. Thom. ibi fatus: *Epistola nostra vos estis, id est, epistola per quam manifestatur dignitas nostra, qua nos commendamur. Supra capit. 2. gloria nostra vos estis.* Sic epistolam sumit pro glorioso titulo, & inscriptione, quæ non in tabulis lapideis, & marmoribus vt vetus testamentum, sed in cordibus imitantium, & celebrantium eius virtutes scripta gloriatur. Non immerito, nam qui non tam cordibus infigi, quam marmoribus ammant, in id discriminis veniunt, vt à Deo conterantur. De his dicebat Psalm. 48. *Vocauerunt nomina sua in terris suis:* nimirum terras suas, possessiones suas titulis, & fornicibus impleuerunt. Quid inde? Ait D. Aug. lib. 15. decinitat. cap. 21. *Inuocauerunt nomina eorum in terris ipsorum, propter quod sequitur eos, quod in alio Psalm. scriptum est: Domine in ciuitate tua imagines eorum ad nihilum rediget.* Sic ibi. Amemus ergo nos magis figere nostri memoriam in cordibus benemeritorum, quam in marmoreis tabulis.

Panegi. Psal. 111 Paul. 2. D. Thom. Psal. 48. D. Aug.

(?)

§. 9.

§. IX.

Victoria à Christo reportanda est doctrinæ virtute, non in potentia ferri.

NOn otiosè notatur Dauidis victoria de Idumæis fuisse in valle Salinarum, cum dicit: *Fecit Dauid sibi nomen cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem, & octo millibus, &c.* Et cur in valle Salinarum? Iam ibi ostendebatur Christi victoria de mundo eventura in sale sapitiæ, & doctrinæ, nō in ferro, & puluere militari. De Gad filio suo dicebat Iacob Gen. 49. *Gad accinctus præliatur:* & addit de eodē Moyses Deuther. 33. *Quasi leo requieuit, cæpitque brachium & verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus.* Sic tota militaris dexteritas, & prosperitas in Gad, ex eo esse ostendebatur, quod in parte sua doctor esset repositus. Sed quid Doctor cum militari virtute, cum victoria, & militari prosperitate? Iam ibi adumbrabatur tota politia virtutis Christianæ, de qua venturu serat, vt non ferro, sed verbo doctrinæ mundum subiugaret. Ait ibi Glossa: *Subiectis sibi regnis, & gentibus potentia Christi apparuit, non armorum terrore, sed virtute doctrinæ.* Inde equidem claret potentia Christi, quod solo gladio verbi & regna, & reges expugnet. Post quam Dauid per adulterium, & homicidium à Deo descinerat, volens Deus tantum regem sibi iterū subiugare, non misit in eum exercitum, sed dicit, 2. Reg. 12. *Misit ergo dominus Nathan ad Dauid, &c.* Ad subiugandum regem rebellem vnus homuntio à Deo mittitur. Et quæ illi arma prestantur tanto suffectura discrimini? Ait D. Basil. Sel. orat. 17. *Mittit hominem vilem in speciem, ad eum, qui thronum insidet, paupertati innutritum ad eum, quem sceptra decorant. Quasi dicat: Ne verearis, o homo, dignitatem regiā: Quod si maiestatem regiam reformidas, ego linguam tuam perpoliam, ego curationis scalpellum verbis exacuam.* Expende illa arma, quæ sola ad subiugandum rebellem regem parantur à Deo, nimirum: *Ego linguam tuam perpoliam:* vnus linguæ gladius paratur, qui à Dei virtute strictus & reges, & regna omnia valet debellare. Vbi Dei virtus adest, vna lingua valet vniuersum capere. Matth. 4. dicebat Dominus ad viles piscatores: *Venite, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt dominum.* Audiunt se ad piscaturam vocari, & retia abijciunt; cur boni nō magis retia seruanda putatis? Seruatur piscandi munus adhuc, cum non seruentur, & retia. Equidem in Dei piscatura; sicut in militia, non ferrum, non rete, sed vna linguę doctrina sufficit, vt verrat, & subijciat mūdi maria. Aiebat ibi D. Basil. Seleuc. orat. 30. *Petrus populum vniuersum lingua capit: Pamphilia deinde occupata est, Macedonia vastata: accurrit Thratia, Gracia cum sua eloquentia capta est. Roma supresso diademate crucis prædicationem exosculata est, ordine dē fissimo ciuitates sponte concesserunt in prædam Apostolorum, &c.* Valet equidem in virtute Christi lingua sola mūdum subiugare. Et tunc maxime ex Deo creditur victoria venire, cum non ferro, sed oris halitu nationes subiugantur. Hinc Iosue 5. dum ipse Iosue esset in agro Hiericò expugnaturus vrbem vidit virum coram se stricto gladio, qui aiebat: *Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Et vnde se principē exercitus domini ostendebat? Ex cap. 6. vbi ciuitatem non ferro sed tubarum sono expugnari mandat. Ait Drepanius Florus in Hymno de sancto Michaele:

Hic vnus eximio placidi Iordanis ad vndā
Se castris domini prodidit esse ducem.
Cum sacro in campo strictō consisteret ense
Subrueretque pyis impia septa tubis.

Sic ostendebatur dux iste ad Dei exercitum pertinere, quod nō ferro, sed vocibus triumphos agat. Huc trahe dicta tom. 5. de Christo fig. lib. 9. cap. 10. §. 8.

Genes. 49

Glossa.

2. Reg. 12

D. Basil.

Matt. 4.

D. Basil.

2. *Reg.* 8. Et regnauit Dauid super omnem Israel: faciebat quoque Dauid iudicium, & iustitiam omni populo suo. Ioab autem filius Saruiæ erat super exercitum: porro Iosaphat filius Ahilud erat à commentarijs: & Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes, & Saraias scriba. Banaias autem filius Ioiadæ super Cerethi, & phelethi: filij autē Dauid, sacerdotes erant.

§. X.

Ille vir diuinitati accedit, qui rectum iudicium facit populo.

HOc mirandum in præfixis verbis, quod aiunt, *Filij autem Dauid sacerdotes erant*: & quando ibi sacerdotis nomine insignem quandã dignitatẽ principatus exprimebant, cur non potius dixit, erãt filij Dauid principes maximi? Cur maluit in presenti dicere, quod erant sacerdotes? Ostenditur Dauid iudicium faciens, iuxta illa: *Regnauit Dauid super omnem Israel, faciebat quoque iudicium, & iustitiam omni populo.* In quo tam proximus Dauid ostẽdebatur diuinitati, vt illius declarãdę causa, merito eius filij, & laterones sacerdotes dicantur, quasi qui Dauidis diuinitati assistant, & ministrent. Simili inuenio in Ioseph, de quo ait Gen. 39. *Emit eum Phutiphar Eunuchus Pharaonis princeps exercitus sui*: verum Genes. 41. vbi Ioseph ad thronum eleuat Pharao, in super: *Dedit ei vxorem Aseneth filiam Phutifaris sacerdotis Heliopoleos.* Credo non duos, sed vnum fuisse Phutipharem, qui supra princeps exercitus, & modo sacerdos dicebatur. Sed cur modo sacerdos dictus est, nisi quia affinitate iungebatur, Ioseph, qui ad soliũ regni adiungebatur, vt iudicium, & iustitiam faceret? Plane tam clare tunc cæpit patere in Ioseph diuinitas, vt merito illi adiuncti sacerdotes dicantur. Ait D. Aug. quæst. 136. in Gen. *Congruenter autẽ alibi illi honor principatus eius commemoratus est, qui talibus actibus cõgruebat. Hic vero postea quam in Ioseph apparuit non parua diuinitas, ipse honor debuit nominari soceri eius, qui pertineret ad diuinitatẽ non paruam secundum opinionem Ægyptiorum in sacerdote solis.* Nõ potuit non explicari sacerdotis dignitas in eo, qui Ioseph adiungebatur, quando in Iosephi throno tam clari visebantur diuinitatis radij. Sic in Dauide faciente iudiciũ, sacerdotes dicuntur eius adiuncti filij propter apparentẽ diuinitatẽ. Nunquã non diuinitas maxime apparet in eo, qui iudicium facit. Cauet enim dominus Deuth. 1. *Quod iustũ est iudicate, siue ciuis sit ille siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Expende illud: *Quia Dei iudiciũ est*: quippe in iuste exercẽdo iudicio, proprium diuinitatis munus æmularis. Circã quæ ait D. Cyril. Alex. in cap. 1. Abacuc: *Eximium igitur quidem est iudicare, diuinaque præstantia, & gloria sapiens imitator est iudex sincerus, & incorruptus, & se à suffragatione iustitiæ detorqueri non sustinens.* Ne miremur, quod sacerdotes dicantur, qui adiũguntur, & ministrant tanto æmulo diuinitatis.

Genes. 41

D. Aug.

Deuter. 1

D. Cyril.

CAPVT. XXIII.

Miphiboseth alitur.

Textus Historia.

QVIETE suorum delectatus Dauid Saulis superstites cæpit requirere, quibus iurati quondam fœderis redderet gratiam. Inuentus est vnus Miphiboseth Ionathæ filius, quem pedum infirmitas periculis eripuerat, & latentem in domo cuiusdam ciuis nomine Machir, conseruabat. Sed Sibæ Saulis liberti testimonio requisitus, & ad Dauidem adductus, tantum fauoris inuenit, vt singulis vitæ suæ diebus sedere ad mensam regiam fuerit nactus. In super, & auiti vniuersi agri dantur Sibæ excolendi, quorum fructibus domini sui Miphiboseth familiam alat.

PARS MORALIS circa.

DIVRATAM Sauli, & Ionathæ misericordiam reddit Dauid Mophiboshetho, despecto Ionathæ filio, & claudo, ne principes vel in filijs abiectis parentum eorum merita obliuiscantur.

2. *Reg.* 9. Et dixit Dauid: Putas ne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham? Erat autem de domo Saul, seruus nomine Siba, quem cum vocasset rex ad se dixit ei: Tu ne es Siba? Ille respondit: Ego sum seruus tuus. Et ait rex; Nunquid

super

supereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericodiam Dei? Dixitque Siba Regi: Supereſt filius Ionathæ debilis pedibus, &c.

§. I.

Magna præſtantia virtutis eſt, quod præuenias petitiones munerandorum.

EXpectaſſet alius, quod receptturus beneficium ipſe veniret, breui ſchedula merita parentũ prætẽderet, & gratiã poſtularet. Non ſic Dauid, ſed antequã vllus accedat poſtulator, imo nec appareat, ipſe inquirit, clamans: *Putas ne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam?* Vel vt poſt pauca: *Vt faciam cum eo miſericordiam Dei?* Quippe maximum, & præſtantiſsimum eſt miſericordiæ genus, & Deo propinquiſsimũ, quo ſic faueas, vt præuenias petituros. Hoc in Trajano ſuo ponderabat Plinius: *Hæc prima paruulorum ciuium vox aures tuas imbuit: quibus tu daturus alimenta, hoc maximũ præſtitiſti, nẽ rogarent.* Inuenerit forſam Plinius in ſuo Principe hoc maximũ; quod donis ſuis petituros præuenerit. Quod abſque dubio in noſtro ſummo, & vero rege Chriſto Ieſu inuenitur. Daturus enim paruulis ſuis gloriam, hoc multis maximum præſtitit, ne rogarent. Quo ſpectans Pſalm. 8. ait: *Ex ore infantium, & lactentiũ perfeciſti laudem.* Mirabar ego, quod laus diuina dicatur perfici non tã ex adultorum ore, quam ex ore infantium. Qui enim infantes tantum valent, vt Dei perficiant laudẽ? Dũ hæc meditor, recordor infantium innocentũ pro Chriſto occiſorũ, quibus Deus hoc maximum præſtitit, ne rogarent, ne mererentur, ſed ante preces, & merita coronas illis parauit. Ad hæc D. Ber. ſer. 1. *Hi ſunt plane martyres tui Deus, vt in quibus nec homo, nec Angelus meritum inuenit, ſingularis tua prærogatiua gratia euidentis commendatur. Ex ore infantium perfeciſti laudem. Gloria in excelſis Deo, angeli dicunt, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Magna quidem, ſed audeo dicere, non perfecta laus; donec veniat, qui dicat, ſinite paruulos ad me venire, & pax hominibus etiã ſine vo-*

luntatis vſu. Tunc ſane perficitur laus principis, & Dei quãdo vel ante voluntatẽ accipientis, dona parat. Matth. 2. *Venit Ieſus à Galilæa in Iordanẽ ad Ioannẽ, vt baptizaretur ab eo.* Et cur mundiſsimus Ieſus feſtinat ad baptiſmi lauacrũ? Sane non ſuas, ſed noſtras ſordes tergere curabat, vt ante quam naſceremur, & rogaremus, iam ex illo mũditiei beneficiũ habemus. Quantum hoc? Merito ait D. Aug. hom. 1. in Epiph. *Illũ ergo currentes aquæ tunc infundebãt, ſed peccata noſtra ſecũ portabant. De illo gutta baptiſmatis fluebant, ſed extra in gutĩs crimina fluebant. O miſericordia ſimul, & potentia Dei, nec dũ eramus in mundo, & iã abluebamur in baptiſmo! Mũdati illo ſumus, ante quam nati.* Hæc inuenitur in Deo miſericordia, quæ ſic excepturos præueniat, vt ante quã ſint, iam beneficiũ abeant. Nec eorũ expectetur poſtulatio, ſed nec natiuitas, vt illis dona cæperint parari. Quid hac miſericordia diuinius? Quid illã recipienti dulcius? Clamabat Pſal. 20 *Præueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis.* Et quæ eſt dulcedinis benedictio à Deo in hominẽ ſuũ profecta? Illam oſtendit illud verbũ *Præueniſti*; dulciſsimũ enim eſt homini beneficijs præueniri, ante quã de illis requirendis, aut poſtulandis ſtudeat. Pro quo D. Ber. ſer. 39. de Paruis. *Non immerito dulcius ſapit ea benedictio, quæ non modo immeritos, ſed & male meritos præuenit; vt dũ adhuc ſumus ſilyiræ, & operamur opera mortis, ipſe cogitet ſuper nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidẽ, imo, & impetentibus, non inuocantibus, ſed prouocãtibus: non interpellantibus, ſed etiã repellẽtibus ſpiritũ bonũ largitur. Quid animæ dulce ſapiat, cui miſericordia tã ta non ſapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ præuenit.* Hoc dulciſsimum eſt homini, quod ſic præueniatur donis, antequam vel petere cogitaret.

Pliniꝰ. Matth. 2. Pſal. 18. D. Bern. Pſal. 20. D. Bern.

§. II.

Diuinum eſt abiectis, & deſpectis fauere.

REquirebat Dauid aliquẽ, cui miſericordiã præſtaret porpter Ionatham: dicens. *Putas ne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiã propter Ionatham?* Et nullus eſt, qui renuntiet regi remanſiſſe aliquem; deinde rex ait ad Sibam: *Nunquid ſuper eſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiã Dei? Dixitque Siba Regi: ſuper eſt filius Ionatæ debi-*

debilis pedibus, &c. Primo promittebat Dauid misericordiã ei, qui remanserat ex familia Saul; & nullus manifestè dicebatur. Modo pro mittit non misericordiam quamlibet, sed misericordiam Dei, & statim filius Ionathæ mansisse reuelatur. Et cur hic filius Ionathæ non ostenditur Dauidi mãsisse vsque dum diceret, quod faceret ei misericordiam Dei? Erat hic *debilis pedibus,* & ideo vt abiectus, & despectus relictus, domi fuerat; nec credebatur talis alterius, quam Dei misericordia foueri posse. Diuina enim est misericordia, quæ despecto, & vili homini faueat. Isaiæ cap. 40. Sic Dominus clamat: *Consolamini, consolamini populo meus.* Consolationem immittit misericors Deus populo suo, & qui est populus, qui sic à misericorde Deo consolationem accipit? Ait D. Bernar. ser. 5. de Natiuit. *Consolamini, consolamini, populo meus, ait: Vtique populum humilem, quam saluum faciet. Nam populum superborũ humiliabit. Vis nosse populum eius? Tibi derelictus est pauper, ait homo secundum cor Dei. Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lachrymæ cachinantes, non consolantur panni eius ambulantes in foris, non consolantur præsepe, & stabulum amantes primas cathedras, sed paunosis, & pauperibus cedere videbuntur.* Sic quidquid Dei est, & Christi eius; eam misericordiam halat, quæ feratur in abiectos, & pauperes, Adeoque est propria Dei hæc misericordia in pauperes, vt nusquam sine Deo inueniatur: Dicebat Iob cap. 31. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creauit mecum miseratio, & de vtero matri meæ egressa est mecum.* Ecce tibi tam propriam sibi adscribit miserationem pupillorum Iob, vt dicat eam secum esse natam; sed quando dicit misericordiam pauperum secum esse natam, cur etiam non asserit secum esse morituram? Absit hoc à sana Iobi mẽte, qui id non sibi, sed Deo adscribere maluit, cuius solius adeo est propria misericordia in pauperes, vt si Deus mori posset, etiam moreretur misericordia in pauperes. Ioann. 12. Maria Magdalena effudit vas precioſi vnguenti super caput Iesu. Quid tunc? Ait Ioann. *Dicit ergo vnus ex discipulis Iesu, Iudas Ischariotes, qui erat eũ traditurus: Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarys, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum.* Et cur non pertinebat ad Iudam de egenis? Nonne & si latro esset, & fur aliquam poterat habere erga egenos pietatẽ? Cur ergo excluditur prorsus ab egenorũ misericordia? Rationem insinuant illa præmissa verba, nimirum. *Qui erat Iesum traditurus,* vbi enim Iesum interficere volebat, simul, & misericordiam pauperum ad mortem impellebat. Necessum enim erat vt cum Dei filio etiam misericordia in pauperes interficeretur: Ait Rup. lib. 10. in Loã. *Nox cura pauperum pertinebat ad eum, etenim longe excesserat animus eius, trãcidatur pietatis, vltra omnes terminos humanarũ miserationum, tanquam alieni pectoris erat, vt ipsam posset ad mortem tradere misericordiam pauperum.* Sic in Iesu misericordiam pauperum trucidare volebat; adeo enim propria Dei est hæc affectio, vt si Deus morti traderetur, & illa traderetur.

Ionatha. *Isaiæ c. 40* *D. Bern.* *Iob c. 31.* *Ioann.* *Rupert.*

2. *Reg.* 9. Misit ergo rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodobar. Cum autem veniſſet Miphiboseth filius Ionathæ filius Saul ad Dauid, corruit in faciẽ suam, & adorauit. Dixitq; Dauid: Miphiboseth? Qui respondit. Adsum seruus tuus. Et ait ei Dauid. Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, propter Ionatham patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panes in mensa mea semper, &c.

§. III.

Aliena fugiat, qui in bonis amat æternari.

VT omnia Saulis bona iuxta antiquorũ mores primogeniti sui Ionathæ erãt, sic & ad Miphiboseth huius primogenitũ pertinebant, nulloque titulo illis priuari debebat. Quia licet Israelitæ rebelles contra Dauidẽ extitissent sequẽtes Isboſethũ; tamẽn post huius mortẽ se se libere, & spontanee Dauidi subiecerũt, quo omnẽ rebellionis maculam eluerũt. Vnde iure Dauid prædecessoris sui hæredi prospicere debebat, illi integrã hæreditatẽ priuatam reseruans, dum ait: *Restituam tibi omnes agros Saul patris tui.* Quod in filijs regũ defunctorũ maxime cauerũt Cõcilia Toletana; quippe in Concil. 5. ca. 22. ait:

Vt

Vt omni benignitate, omnique firmitate circa omnem poſteritatem principis noſtri Chintillani regis teneatur dilectio; & præbeatur rationabile defenſionis adminiculum, ne res iuſtè prouiſæ, aut etiam parentum digna prouiſione procurata, ad inris proprietatē pertinentes iniuſtè fraudentur, &c. In ijs principibus, quiad regni dignitatē promouentur, ſunt multa bona priuata, quæ ad dignitatem non pertinent, ſed ad perſonam; & hæc ad iilorum pertinent poſteritatem. Quibus ne filij fraudarentur, prouidebant maxime Concilij Patres, & prouidit Dauid, in poſteris Saulis, quibus & ſi per electionem Dei regnum eripuit, priuata tamen bona, quę nullo iure erant regiæ dignitatis, integra Miphiboſebo tradidit. Nec miror, quod ſibi aſſerens regnum, priuata Saulis bona proprio hæredi, & domino tradat, ſciebat enim bonus, quam debeat fugere aliena, qui amat in ſuis æternari. Ieſus meus dum illuditur a militibus, vel nudus erat proprijs veſtimentis, vel indutus coccinea alterius chlamyde. At vbi ad crucem properat, ſuis proprijs veſtimentis induitur, dicit enim Matth. 27. *Exuerunt eum chlamide; & induerit eum veſtimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigeretur.* Et cur non alienis, ſed ſuis opertus voluit ad crucem ire? Merito aliena exuit, & ſuis contentus eſt quādo ad regnū ibat immutabile; qui enim ſtabilitatem, & firmitudinem in bonis appetit, ſuis contentus ſit, aliena caueat. Ait Sedul. lib. 5. Paſchali cap. 11. *Mox veſtibus alienis exutus, ſuis protinus eſt amictus, tā quam poſiturus in morte corporis indumētum, quod ſe poſt paululum nouerat reſumpturum, nihil iam ſumpturus motabile.* Duo tunc volebat ſignificare, nimirum vt corruptibilia deponenda erant, & vt æterna, & ſtabilia accipienda erat. Vt oſtenderet corruptibilia ponenda veſtes alienas admiſſit, & diſpoſuit, vt oſtenderet ſtabilia, & permanentia, veſtes proprias prætendit. Et crede mihi in eo maxime æternaberis, ſi proprijs contentus ſis, ſi de alienis nec filium habeas; nunquam enim non aliena recepta cum cæteris omnibus corrumpuntur. Quo ſpectans Amos dicebat cap. 3. *Theſaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus ſuis. Propterea hæc dicit dominus Deus; tribulabitur; & circuietur terra; & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripiētur ædes tuæ.* Circa quæ ait Ruper. ibi: *Quanta hoc damnationis, ſi videlicet theſauros cogere de iniquitate, & rapinis, præſertim in illo populo, qui pauper in Ægypto fuit, quem miſericordia Dei de illo camino paupertatis eduxit, vix ſatisdigne poteſt edici.* Nulla ſane damnatio, & perditio non venit in eum, qui paupertati ereptus rapinarum theſauros ſibi accumulat. Vnde Zachæus Luc. 19. vt vidit domi ſuæ Ieſum, ſtatim ait: ſi quid alicui fraudaui, *redo quadruplum.* Circa quæ D. Chryſoſt. hom. 10. in Lucam: *Non vult apud ſe rapinarum quicquam reſidere, vt poſſit iudici Chriſto placere.* Perditionem timebat, ſi videtur aliquid in ſe retinere rapinæ.

Matt. 27

Sedul.

Amos.

Luc. 29.

Chryſoſt.

§. IIII.

Non cenſentur filij, qui à legitimo thoro non naſcuntur.

VNi Miphiboſeth omnes agri Saulis dantur, dicit namque Dauid: *Reſtituā tibi omnes agros Saulis Patris tui.* Sed tunc adminus erant ſuperſtites duo alij filij Saulis, quos ex Reſpha genuerat ſibi. Cur his relictis tota, & integra hæreditas vni traditur Miphiboſeth? Nonne patris bona debent per omnes filios dicidi? Eſto, quod patris bona diuidenda in omnes filios, at illi duo filij Reſpha, vt nō erant ex vxore, ſed ex concubina Saulis, ſic minime cenſebantur Saulis filij. Ita Abbul. & Salianus, ibi. Geneſ. 17. dicit dominus: *Non vltra vocabitur tibi nomen Abram, ſed appellaberis Abraham.* Abram explicatur latine à D. Abr. pater vanus; Abraham autem pater ſublimis, ſive pater filij. Et cur modo vocatur pater filij, qui iam dudum filium genuerat ex Agar? Plane filius ex Agar, vt non erat ex vxore, ſed ex concubina, ſic non cenſebatur Abrahæ filius. Ait D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 4. *Mutat ei nomen litera addita, vt Abram vocaretur Abraham, hoc eſt de patre vano vocaretur pater ſublimis, pater electus; vel de patre fieret pater filij. Vanus erat, cum Deum neſciret, electus factus eſt, poſtquā cognouit Deū. Pater erat, cum de ancilla prolem haberet, ſed pater filij non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo ſuſceptus coniugio.*

Geneſ. 17.

D. Ambr.

Ecce tibi vt non cenſeturfilius, qui legitimo coniugio non gignitur.

§. V.

In mensa communionem non dedignẽtur principes etiam inferiorem personam accipere.

EX pẽde regalissimi regis verba ad despectum, & claudum Miphibosethi; *Et tu comede panes in mensa mea semper.* Nullam maiestatem dedecet in mensæ communionem, vel inferiorem personam accipere. Nicolaus Pont. Max. 1. in respõsion. 42. ad consult. Bulgarorum ait: *Asseritis, quod Rex vester cum ad manducandum insedili sicut mos est, ad mensam sederit, nemo ad conuescendum etiam, neque vxor eius, cum eo discumbant, vobis procul in sellis residẽtibus, & in terra manducantibus, & id circo, quid vobis hinc præcipiamus, audire, & nosse desideretis.* Sic recentes in fide Christianę Bulgari regum suorum maiestatem, & consuetudinem in cibis summendis representabant Romano Pontifici, vt ab illo discerent, quid melius fieri oporteret. Sed quid ad illa respondit Pontifex? Ait ibi: *Nos, quia non contra fidem, quod agitur, est, licet bonos mores satis impugnet, non tam præcipientes, quam suadentes hortamur, vt ad Christianæ religionis cultores Principes attendatis, & humilitatis eorum considerantes fastigium, deponatis ex vobis omne ad nihil vtile supercilium. Nam antiqui Reges quorum multi sanctorum consortium meruerunt, acideo veraciter reges inuenti sunt, qui sancti sunt, cum amicis, quin imo cum seruis suis conuiuati fuisse memorantur: quin potius ipse Rex regum Redẽptor noster, non solum cum seruis, & amicis suis Apostolis scilicet recubuisse, verum etiam cum publicanis, & peccatoribus, & recubuisse, & manducasse describitur.* Sic ibi Pontifex, quibus nil addere iubat.

Nicolaus.

Rom. Põt.

2. *Reg.* 9. Dixitque Siba ad regem: sicut iussisti domine mi rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus, & Miphibosethi comedet super mensam tuam, quasi vnus de filijs regis. Habebat autẽ Miphibosethi filium paruulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ seruiebat Miphibosethi. Porro Miphibosesh habitabat in Ierusalem, quia de mensa regis iugiter vescebatur: & erat claudus vtroque pede.

§. VI.

In summi regis mensa nihil hostile, non abest.

MIphibosethi infestissimi Saulis hostis in Dauidem nepos inter filios Dauid eius mẽsæ accumbit. Ait enim: *Miphibosethi comedet super mensam tuam, quasi vnus de filijs regis.* Vnde hoc potuit fieri, quod hostis filios inter filios proprios habeat? An id tribuemus mensæ sanctitati vel veræ, vel adumbratæ? Ait Chrysost. hom. de Dauide, & Saule vlt. *Quid illius mensa sanctius? Quam cingebant filij hostis, hostis, in quam occidere conati.* Iam inmensa Dauidis adumbrabatur summi Christi regis mensæ sanctitas, quæ ibi nihil hostile sinebat memorari. Quæ nouit extinguere vniuersas hostiles simultates, Gen. 43. Fratres suos, quos vt exploratores affixerat Ioseph, tandem excipit conuiuio, qui *mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperat.* Itaque Ioseph ante conuiuium fratres affligebat, & tanquam exploratores vexabat, imo in carcerem conijciebat, & vincula. Vbi ad conuiuium ventum est, illis sua manu dapes porrigit. Proh viuifici conuiuij signum! Dicebat Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 1. *Vbique gratiosus Ioseph, sed in conuiuio magis, multoque amplius iucundus. In conuiuio etiam venditoribus suis non negat negatam sibi germanitatem. In conuiuio non retinet iniuriam, extendit manifestentiam. In conuiuio, iuxta scripturam, cibando inimicum extinguit inuidiam, & sanat maliuolentiam.* Quid pulchrius ad Iesu conuiuium Eucharisticum? In quo nemo non debet esse iocundus; à quo cum salutiferis dapibus eam mentem quis debet induere, qua etiam iniuratoribus suis non neget germanitatem, sed cum omnibus habeat charitatem, & pacem. Et hic est habitus ille nuptialis requisitus in conuiuio regali, quo qui carebat, tenebris datur. Matth. 12. *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nup-*

Chrysost.

Gene. 43.

Abb. Cel.

Matt. 12.

nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Plane nuptialis habitus eſt, qui nihil præſeferat hoſtile, ſed vndique charitatem halet, & pacē. Qui habitus requiritur in cæleſti conuiuio, nec admittitur ibi, qui vllam exerceat hoſtilitatem. Dicebat D. Ambr. in cap. Luc. 14. *Nec hoc tamen plenum eſt, vt aliquis vocatus aduenias, niſi veſtem habeat nuptialem, hoc eſt, fidē habeat, & charitatē. Et ideo, qui pacē, & charitatē nō detulerit, ad Chriſti altaria, tolletur pedibus, & manibus, & mittetur in tenebras, &c.* Non alios admittit conuiuium euchariſticum, niſi eos, qui hoſtilitatem abiurent, & pacem colant; & charitatem.

D. Amb.

§. VII.

Menſa euchariſtica filios Dei oſtendit.

DIxerat Dauid Miphiboſeth: *comedes panes in menſa mea:* & Siba id audiens addit: *Miphiboſeth comedet ſuper mēſam tuam, quaſi vnus de filijs regis.* Non ſolum dicit, quod comedet ſuper menſam, ſed in ſuper addit, quod comedet ſicut vnus ex regis filius. Et cur id additur â Siba, quando minime ſic expreſſum fuerat à Dauide? Plane in eo, quod dicebatur comeſturus in menſa regis, oſtendebatur ibi comeſturus vt filius regis. Habent enim hoc regaliſsimæ menſæ, vt filijs maxime apponātur. Vt merito ex mēſa euchariſtica diuiniſsimi regis nos filios eiꝰ notet D. Mach. ho. 14. dicens: *Quemadmodū ſiquis ſeruos, ac filios poſſideat: cibis alys ſeruos paſcit & alijs proprios filios ex ſemine ſuo natos, quia filij ſunt hæredes patris, & cum eo manducāt, vt pote patri ſuo prope modū æquales: ita Chriſtus, qui verus eſt dominus, filios, quos è ſemine ſuæ (nempe gratiæ) genuit, in quibus formatus eſt dominus, peculiari refectione, cibo, & potu præter cæteros homines enutrit. Sicut ait: Qui manducat meam carnem, &c.* Non ſerui, ſed filij inmenſa patris familias admittuntur; ſic euchariſtica Chriſti menſa filios oſtendit, ſibique ſimilimos eos, quos debite admittit. Hinc Pater familias Euangelicus Luc. 15. prodigum reuertentem amplexatus clamabat ad ſeruos: *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Statim mādat apponi mēſam epulis diuini. Et cur neceſſum fuit, tam cito parari diuinam menſam prodigo reuertenti? Nonne ſatius peccatori differtur cæleſte conuiuium? Merito menſam jubet proponi, vt inde tangantur, & ignoteſcant viſcere filij. Ait D. Auguſt. in cat. D. Thom. *Quod autem iubet, vt adducant vitulum, quid aliud eſt, niſi vt prædicent Chriſtum, & annuntiando faciant venire in exhauſta fame viſcera filij eſurientis?* Plane vbi diniſsimus vitulus ſaginatus in menſa proponitur, haud dubium quin tangantur viſcera filij, & accurrat filius, qui tanto epulo famem extinguat.

D. Mach.

Luc. 15.

D. Thom.

§. VIII.

Euchariſtica menſa & filios, & ſeruos excipit.

FOrſam Siba â Dauidis menſa ſolum putabat ſuſcipi debere filios, cum ait: *Miphiboſeth comedet ſuper menſam tuam quaſi vnus de filijs regis.* Et quidem adeo eſt angusta mundialium principū maieſtas, & magnificentia vt timeat ſibi à ſeruis, ſi in eadem menſa admitantur cū filijs. Non ſic rex regum Ieſus, qui ſui corporis menſam non ſolum filijs, ſed & ſeruis proponit: Diuinus ille pater Luc. 15. dū prodigum filium excipit: *Dixit ad ſeruos ſuos. Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite. Et manducemus, & epulemur, &c.* Ad ſeruos loquitur, & dicit: manducemus, quaſi illud ſaginati vituli conuiuium non ſolum paretur filijs, ſed & ſeruos admittat. Vt dicat Chryſol. ſerm. 3. *Vnus vitulus totius familiæ funditur in ſaginam.* Et clarius Beda ibi: *Non ſolum filius, qui reuixit, & inuentus eſt, verum pater, & ſeni illius; ſacroſancti vituli, qui propter filium occiſus erat, carne refecti epulantur.* Sunt, qui filiali affectu epeccati morte reuiuiſcunt; ſunt, qui ſeruiliter pœnitentiæ ſacramento adiuti in vitam gratiæ veniunt. Diuini autem menſa epuli omnes admittit & ſeruos, & filios, nullum excludit, licet viliſsimum, dum aliquomodo ad familiā domini pertineat. Matth 15. poſt longam dilationem dicebat Ieſus Chananææ: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit etiam domine, nam & catelli edunt demicis, &c.* Ieſus dicebat

Luc. 15.

Chryſol. Beda.

Matt. 15.

cebat non porrigendum filiorum panem canibus; mulier autem quasi econtra affirmabat debere porrigi. Et quando negat Dominus panem filiorum canibus dandũ, cur mulier è contra dandum affirmabat? Mulier non attendebat ad panem vsualẽ, cuius similitudinem prætendebat dominus. Sed ad panem diuinum cælestis mensæ, cuius est, neminem excludere, nec vilissimum canem, si ad familiam pertineat patris. Ait D. Ambros. in expos. cap. 16. D. Lucæ: *Agnouit Chananitidis illa mysterium; cui dicitur: Nemo tollit panem filiorum, & mittit canibus. Agnouit hũc panem, non panem esse, qui videtur, sed illum, quo intelligitur, & ideò respondit: vtique domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mẽsa dominorum suorum.* Vt percepit ibi debere intelligi super substantialẽ panẽ; statim arguit illũ non pro filijs tantum, sed & pro seruis, & catellis familiæ debere diuidi. D. Amb.

§. IX.

Eucharistica mensa reges facit.

VBi nouit Sibi Miphiboseth pransurũ in mensa Dauidis, regiam in illo dignitatem considerat; ait enim: *Miphiboseth comedet super mensam tuam, quasi vnus de filijs regis.* Eo enim creditur rex fieri, quod comedat in tanti mensa principis. Quod certius accidit hominibus accedẽtibus ad mensam Eucharistiæ, ex qua digne sumpta prolcui dubio reges fiunt. Notum est illud Apocal. 4. *Ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis::: Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti & quatuor seniores:::in capitibus eorũ coronæ aureæ.* Ecce tibi dominus ostenditur sedens in trono, & vndiq; cinctus, atque vallatus viginti quatuor regibus coronatis. Cant. autem 7. de mystico corpore Christi ait: *Venter tuus acervus tritici vallatus lilijs.* Quem dominũ effigiabat supra thronum sedentem, modo vt acerbum triticio stendit: vtroque circum vallatus ostenditur vel auris coronis, vel floridis sertis. Sed cur, qui rex ostendebatur in throno septus viginti, & quatuor regibus, modo astenditur quasi tritici acerbus. Cum dicitur dominus tritici acerbus, non obscure insinuatur, vnde nascatur, quod vndique valletur regibus. De viuifico enim tritico in altari sumpto prouẽnit, quod accedentes ad Deum coronis ornentur, & fiant reges. Quo spectans Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 2. ait: *De agno igitur ventris Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, tanquã de acervo tritici vallato lilijs, viginti quatuor panes, iuxta numerum viginti quatuor seniorũ in conspectu Agni astantium collegi:* Itaque de Christi aceruo triticeo panes colligebat iuxta numerum viginti, & quatuor regum astantium coram Agno. Sed cur necessum fuit panes eductos ex Christi aceruo proponi iuxta numerum illorum regum; nisi quia illi & coronas, & regnum viuifico illo pani referebant. Plane quot coronas meditabatur bonus Pater in capitibus illorum, tot panes ex Christi aceruo eruebat, quasi nulla corona sine illo viuifico pane, posset esse. Huc trahe dicta. 1. tom. in Euãgel. lib. 3. cap. 8. §. 2. Apocal. 4 Abb. Cel.

§. X.

Corporalis infirmitas vtilis, vt nos ad cælestia prouehat.

EXpende illa: *Miphiboseth habitabat in Ierusalem, quia de mensa regis iugiter vescebatur; & erat claudus vtroque pede.* Non enim otiose notatur Miphiboseth claudus vtroque pede assidere Dauidis mensæ; sed vt tanti honoris causa claudicationi eius detur. Claudicatio hominẽ a bello eximit, in quo & pater, & auus, & patrueles ceciderunt; claudicatio illum domi continuit, ne in tanta pericula iret; claudicatio illum fecit parẽti & auo superstitem, vnde ad Dauidis honores excipiendos peruenit. Proh Deus immortalis, & quoties corporis infirmitas nos periculis eripit, & asserit cælo. Luc. 14 post repudiatam à multis cænam dominicam ait dominus seruis: *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Quam cænam perdiderũt sani, acquisiuerũt cæci, & claud. Et cur cæci & claudi ad tantam cænã vocãtur? Ait ibi D. Ambr. *Inuitat pauperes, debiles, cæcos, quo ostenditur nobis, vel quod nullum debilitas corporis excludit à regno; rariusque delinquat, cui desit illecebra peccandi:* Et clarius Beda, ait: *Cæci, & claudi vocantur, quod veniunt, quia infirmi quique, atque in hoc mũdo despecti plerumque tanto celerius vocẽ Dei audiunt* Luc. 14. D. Amb. Beda.

audiunt, quanto & in hoc mundo non habent, vbi delectentur. Vt corporis infirmitas homines eripit mundialibus voluptatibus, sic facit, vt expeditiores redantur ad Dei sequelam. Imo, & eos compellit venire ad Deum. Sic enim monebat dominus seruũ Luc. 14. *Compelle eos intrare.* Et qualiter nolentes compelluntur intrare in dominicam cænam, nisi immissis infirmitatibus super eos? Ait Beda supra: *Sunt non nulli, qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistũt. His plerumque contingit, vt eos in carnalibus desiderijs suis mundi huius aduersitas feriat. Sæpe namque aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti iniurijs concidunt, aut percussi grauioribus damnis affliguntur, seque ipsos in suis desiderijs reprehendentes ad dominum corda conuertunt. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, quid isti visi compelluntur, vt intrent?* Sic ibi: quibus patet, quam verum sit, quod infirmitas temporalis homines ad Deũ trahat. Beda.

CAPVT XXIIII.

Ammonitæ expugnantur.

Textus Historia.

NON diu quieuit Dauid, cuius in sibi amicos gratitudo eum in noua bella impulit. Nam defuncti Ammonitarum regis hęredem dum per legatos consolari curat; ille iuuenili temeritate, & consiliatiorum stultitia ductus Dauidis legatos contumelioſe deturpat, & deturpatos domino suo remittit. Nec destitit; sed Syrorum manũ multis emptam pecunijs sibi adiungit, ingentique conflato exercitu aduersus Dauidem insurgit. Proh miseri principes, quã inscienter propriam solicitatis ruinã! Occurrit Ioab venienti Ammonitæ, qui Israelitarum faciem non sustinens coactus fuit seſe dedere fugæ. Et licet bis certamen instauratur, bis etiam Ammonitæ, & Syri fugiũt; percussi multi ab exercitu Dauidis campos implent, & cæteri meliorem sortem putarunt, si Dauidi penderent tributa.

MORALIA CIRCA textum.

QVOT bella in Dauidem insurgunt, tot illi victoriæ parturiuntur: sic illi; qui Deum secum habent, in omnibus proficiunt.

2. *Reg.* 10. Factum est autẽ post hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Honõ filius eius pro eo. Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Honon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid cõsolans eum per seruos suos super patris mortem.

§. I.

Mors, & vita in manu linguæ

CONtritionem Amonitarum narraturus sacer textus, non otioſe præmittit, sub quo eorum rege acciderit; nimirum ait: *Factũ est, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Honon filius eius pro eo.* Honon iuxta explicationem Gloſſæ moralis, idem est ac populus murmurãs. Ne miremur, quod pereat regnum, in quo prævalent murmuratorum, detractorum ve linguæ. Hierem. cap. 22. sic minatur regi Israelis: *Mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini:: Nũquid vas fictile, atque contritum vir iste Iechonias? Nũquid vas absque omni voluptate?* Hæc vltima sic abque interrogatione in Theodoreto leguntur: *Vir iste est os contemptum & abiectum. Vilis habitus est Iechonias tanquam vas inutile.* Ecce tibi totius excidij, & ruinæ causa, nimirum; *Vir iste est os contemptum;* quippe vbi oris, linguæ ve regnat malicia; non potest non inueniri ruina, & perditio Pro quo ait Theodoret. ibi: *Addidit eos nõ reuersuros in terram, in qua orti sunt, & supplici causam dicit: Vir iste est os contemptum, & ab-* Hye. c. 22. Theodor. Theodor.

& abiectum. Arguit lenitatem eius, & facilitatem eius in habēdis sermonibus illegitimis. Facilitas in sermonibus illigitimis habendis, est, quæ homines perdit, quæ calamitates parturit vltimas. Diues ille epulo, qui totus in flammis erat, vni linguæ refrigerium petebat; sic enim ait Luc. 16. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam:* Cur solam linguam refrigerari amat? Ait D. Aug. in Cat. D. Thom. *Quod linguam suam vult refrigerari cum in flamma totus arderet, significat, quod scriptum est: Mors & vita in manibus linguæ.* Omne malum à lingua venit, si hæc mala est. Vt è contra lingua illa, quæ lucem emittit, vt sub eius radijs omnes luceant, omnium fælicitatum est indicium. Ioan. 1. locutus de Iesu ait: *In crastinum voluit exire in Galileam, & inuenit Philippum, & dicet ei Iesus: sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida.* Ecce tibi vt Philippus primo vocatus à Iesu expressis verbis. Et cur Philippus vocatur primus? Sonat Phllippus *os lampadis*; ne dubites illum in fælicitate debere esse cum primis, cuius os non ad obtenebrandos, sed ad illustrandos alios inuenitur procliue. Ait Euseb. Gallican. hom. in vig. sancti Andreæ: *Primus omnium Apposto lorum Philippus videtur esse vocatus. Et merito quidem primus vocatur ille, qui os lampadis interpretatur. Tale namque os tunc omnes receperunt, quando in linguis igneis Spiritus sanctus super eos descendit* Cuius ab ore lampas exit ad proximos illustrandos; non miror, quod cum primis in omnes transeat fælicitates. Tale os suis alumnis Spiritus sanctus infundebat, quā do in igneis linguis apparuit, quæ nullum comburerent, sed omnes illustrarent.

Luc. 16.

D. Aug.

Ioan. 1.

Eusebius.

§. II.

Soli illi luctus consolationem exigunt, quibus nihil gloriæ affulget.

IN morte Amonnitarum regis curat Dauid eius consolari filium; dicit namq; textus: *Misit ergo Dauid cōsolans eum per seruos suos super patris mortem.* Consolā dus equidem erat filius in ea patris morte, in qua nihil glorioſum patri posterat sperari. Quando enim in morte propinqui, vel amici gloria affulget, & si eorū desiderium luctus gignat & lachrimas, tales luctus cōsolationē ablegāt, Matth. 2. *Vox in rama audita est, ploratus, & vlulatus multus; Rachel plorat filios suos, & noluit consolari.* Et cur noluit consolari? An qui in luctu pertinax? An quia dolore oppressa furijs agebatur, vt solent in morte filiorum multæ matres? Absit hoc à Rachelis religione, & sanctitate; sed dum filios videt in morte triumphare, in eos luctus deuenit, qui nullam mouerint consolationem expectare. Ait D. Chrysost. hom. 4. in Matth. *Conditioā matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contēnitur. Pietas affectus infletibus declaratur, sed acciſorum gloria repudium cō solationis indicitur.* In aspectu gloriæ acquisitæ vel ipse luctus calamitatis fugit consolari. Tanta enim est vis gloriæ vt consolationem ostendat minime luctui necessariā. Ioann. 11. videns Iesus amici Lazari defuncti sepulchrum *lacrimatus est.* An lachrymis suis adhibuit cōsolatores? Absit; qui enim mortuum sciebat, vt manifestaretur gloria Dei, potuit amicum lugere, sed consolationem noluit expectare. Vt dicat D. Chrysost. supra: *Dominus Iesus in Lazaro fleuit, nec tamen ipse cuiusque consolatione indiguit.* Detur consolatio his, qui in suorum calamitatibus nullam spen gloriæ habent; qui autem spe gloriæ nituntur, consolationem contemnunt humanam.

D. Chryſ.

Ioan. 11.

D. Chryſ.

2. *Reg.* 10. Cum autem venissent serui Dauid in terram filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominū suum: Putas, quod propter honorem patris tui miserit Dauid ad te consolatores, & non ideo vt inuestigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam misit Dauid seruos suos ad te? Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum, &c.

§. III.

Impiorum amicicia nunquam fidendum.

PAterni amici legatus miserè turpat Hanon victus principum suorum suggestio-

gestionibus. Dicit namque: *Dixerunt principes filiorum Ammon ad dominum suum: Putas, quod propter honorem patris tui miserit Dauid ad te consolatores, & non ideo, vt exploraret ciuitatem? Tulitque itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ, &c.* Non distulit Hanon facinus, vt suorũ suggestiones percepit, in amici regis legatos insaniuit, eosque summis iniurijs affectos dimisit. Quid frequentius videtur in impiorũ amicicijs? Crede mihi, impiorũ affectus, & amicicia vel arctissima adeo vilis est, vt ad primam maleuolorum sugestionem conuertatur in iniuriam. Aristobulus ille Hierosolymorum rex in matrẽ, & fratres tyrannus, vnum Antigonum fratrem sibi prædicabat amicum, quem imperij socium promittebat adscribendum. Quid tunc? Ait Egesipp. lib. 1. cap. 2. *Egesip.* *Primam in ipsum Antigonum seruus animus exasperatur, & de amore in odiũ conuertitur, vt eum ante omnes necaret, quem solum sibi consortem imperij pollicebatur. Adeo apud improbos affectus vilis, vt cito prauis suggestionibus extorqueatur.* Quid pulchrius? Silice insculpe auream illam sententiam nimirum: *Adeo apud improbos affectus vilis, vt cito prauis suggestionibus extorqueatur.* Vilissimus est apud vniuersos improbos affectus, vt qui vel minimæ maleuolæ suspicioni, & suggestioni subscribat. Quando prauorũ suggestiones, & voces affectum etiam ardentissimum in prauo corde non immutarunt? Nullus est Euangelista, qui Pilatum non referat liberando Iesu maxime affectum. Et tandem Ioan. 19 post relata verba Iesu de peccato hostium suorum, ait: *Ioan. 19.* *Ex inde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, &c.* & illum condemnauit. Expẽde, quam iunctum fuerit in Pilato, quod amaret dimittere Iesum, & quod illum condemnauit. Modo quærebat Pilatus dimittere eum; confestim absque vlla mora tribunal ascendit, & Iesum damnat. Vnde tam rapide ab affectu dimittendi ad affectum transijt condemnandi? Plane nihil aliud mediauit nisi clamor, & suggestio Iudæorum. Pro affectus vilissimus impiorũ! Vt affectus liberãdi Iesu in improbo principe erat, adeo vilis apparuit, vt ad voces, & suggestiones Iudæorum fuerit in contraria mutatus. Vt dicat ibi D. Cyril. Alexand. *D. Cyril.* *Clamoribus illorũ cessit Pilatus, adeo vt nec ius veritus sit, nec valde curauerit, quod inconstanter nimis faceret.* Crede mihi, nescit affectus impiorum constare, vbi praui clamores, & suggestiones adsint. Et quid de impiorum amicicijs nisi ruina, & perditio oriatur? Dicebat Dom. Gen. 3. serpenti: *Inimicicias ponam inter te, & mulierem.* *Genes. 3.* Et cur pacis, & concordiæ amator, delsimi nator sit inimiciarum inter serpentem, & mulierem? Ait D. Cyril. Hieros. Catech. 16. *Amicicia enim quæ est cum serpente, inimiciciam Dei, & mortem efficit.* Nil aliud, quam mortem amicicia cum impijs parit. *D. Cyril.*

§. IIII.

Maxime detrimento sunt est benefactoribus iniurias irrogare.

EV crudele, & plenum periculis facinus! Consolationem afferentibus legatis non parua iniuria ab Ammonitarum rege infertur. De quo ait: *Tulit itaq; Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, &c.* Quid magis crudele, & barbarum, quam amica, & bona nuntiantes sic mulitare? Fallar, siquod facinus festinatiorem pœnam ex Deo trahat. Matth. 21 *Homo erat, pater familias, qui plantauit vineam: & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Cum autem tempus frugum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperet fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad illos suum, &c.* Ecce tibi semel, & bis audit dominus seruos suos percussos, & occisos ab agricolis; non dum irascitur, sed adhuc satagit ad illos filium mittere. At Matth. 22. dicit: *Simile factum est regem cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias; & nolebant venire. Iterũ misit alios seruos: Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villã: alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelys affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & mistis exercitibus suis perdidit homicidas illos.* In vtroque audit rex seruos suos semel, & bis occisos esse ab ijs, ad quos misi erant. In primo adhuc audita seruorũ occisione quiescit, & agit de mittẽdo filio; in secundo autem vbi audit seruos occisos, statim irascitur, & perdit homicidas *Matt. 12.* *Matt. 22.*

micidas. Et cur citius iraſciturin ſecundo, quam inprimo? Illic occidebantur ſerui exactores fructuum, hic occidebantur, qui prandia exhibebant. Illic male habebant, qui ad rationem reddendam fructuũ vocabant: hinc male tractabantur, qui ad delicias, & feſta nuptiarum vocabant; & ideo horum acciſores merito citius in ſe trahunt diuinam iram. Ait D. Chyſoſt. hom. 70. in Matth. *Nec grauiter hi ſolum peccarunt, cum inuitati non venerunt, ſed atrociter, atque tyranice inuitantes ſeruos, & vitnperauerunt, & necauerunt, quod multo ſuperioribus grauius eſt. Ille enim fructus repetentes, hi vero in nuptias vocantes trucidarũt, quo furore qui maior excogitari poteſt?* Non eſt furor maior, quam ille, quo percutis eum, qui tibi afferebat bona. Forte excuſabilius offendis eos, qui tibi moleſta inferunt, & ſi iuſte procedant, at qui ſuauia offerunt, & vtilia, quando ſine ingenti facinore male tractari poſſunt? Vt dicat D. Athanaſius hom. de ſemente: *Quid enim deterius, quam beneficia accipere, & inſidiari?* Plane quod bonis mala rependas, omne videtur ſuperare ſcelus.

D. Chryſ.

D. Atha.

2. *Reg.* 10. Quod cum nuntiatum eſſe Dauid, miſit in occurſum eorum; erant enim viri confuſi turpiter valde, & mandauit eis Dauid: Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra, & tunc reuertimini.

§. V.

Malum, quod cito reparatur contemnendum eſt à viris ſapientibus.

INiuriam ſuis illatam reſciuit Dauid, nec dicitur fuiſſe iratus, nec minas iactaſſe, nec paraſſe bella aduerſus iniuriatorem, ſed ſolum mandaſſe ſuis, vt in Iericho quieſcerent. Ait enim: *Mandauit eis Dauid: Manete in Iericho, donec creſcat barba veſtra.* Cur nihil de iniuria accepta loquitur? Cur de iniuria confuſos non magis conſolatur ſpe vindictæ? Cauſam indicant illa Dauidis verba nimirum, *Donec creſcat barba veſtra*: quando enim barba per iniuriã raſa tam cito in priſtinam pulchritudinem creſcentibus pilis reducenda erat. Non miror, quod ſapientiſsimus Dauid totam illam iniuriam contemnat. Cur non rideam malum, quod cito reparatum videbo? Verba ſunt deſpicientis mala illata, quæ dicuntur Pſal. 51. *Quid gloriaris in malicia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.* Æquidem vaniſsime gloriatur homo de damno illato, quando totum damnum illatum tam cito reparari poteſt, vt barba à nouacula raſa reparatur. Nec vnquam non ſunt à ſapiente contemnenda damna illa, quæ citam reparationem expectant. Sic Dracontius in Exameron explicans ſtuporem à primis hominibus conceptum ob primam noctem viſam ait:

Pſal. 51.

---------- Sanxit natura, quod inquit
Omnipotens migrare diem, diſcedere ſolem
Nec lucẽ remeare putat terrena propago,
At vbi purpureũ ſurgẽtẽ ex æquore cernũt
Luciferum, vibrare iubar, flãmaſque eiere
Et reducem ſuper aſtra diẽ de cælo rubẽtẽ,
Cæperunt ſperare diem, ridere tenebras.

Quid pulchrius? Vt primum in noctem venerunt, tenebriſque offundi mundum viderunt, triſtitia afficiebantur neſciẽtes, an ſemper tenebræ eſſent regnaturæ; at vbi viderunt tenebras auroræ cedere, diemq; iterum inſtaurari, *cæperunt ſperare diem, ridere tenebras.* Et merito ridebant tenebras, & mala omnia, quæ tam citam reparationem oſtendunt. Mirabar ego, quod filius Dei, cum eſſet patris ſapientia tam frequẽter apud homines ignoratiam prætenderet. Marc. 13. *De die autem illo, & hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque filius*, & Luc. cap. 8. ait: *Quis eſt, qui me tetigit?* Et Ioan. 11. dicebat: *Vbi poſuiſtis eum?* Et cur domine toties te ignorantem oſtẽdis? Cur non magis omnigenam tuam ſapientiã manifeſtas? Cur ignorantiæ maculam tuæ ſapientiæ inuris? Ait D. Hilar. lib. de Trinit. 10. *Inſcientia non dedignatus errorem, maxime cum è mortuis reſurgentem, & ingreſſurum, ſupergreſſurumque cælos. Apoſtoli videbunt non neſcientem.* Quando tam cito apparituras erat ſurgens è ſepulchro, & omnia ſciens, contemnit pauliſper aliquibus ignorans videri. Nullus enim ſapiens eſt qui malum non rideret, quod cito ipſe ſit reparaturus.

Marc. 13.

Luc. c. 8.

Ioan. 11.

D. Hilar.

(?)

§. VI.

Christi passionis meditatio nostras passiones temperat.

COnfusos pro iniuria accepta legatos Dauit in Iericho manere iubet fatus: *Manete in Iericho, donec crescat barba vestra.* Et cur maxime in Iericho manere debeant? *Iericho* idem est, ac Luna, in quo cælesti sydere & defectus cernuntur, qui tandem desinunt in plenam lucē. Prudentissime ergo legati in defectu barbę coguntur expectare eius accretionē in Iericho, vt de defectu, & accretione cælestis syderis discant ipsi toletare defectū suū, donec accrescant pili. Quis enim in cælestibus damna tolerari videns, non toleret sua? Vtinam & nos iniurijs affecti, malis pressi, maneamus ad cæleste sydus, apud dominū Iesum similiter percussum; lapides erimus, nisi inde maximum in malis temperamentum accipimus. Ioan. 11. suscitaturus dominus Lazarum, interesse voluit eius sorores, quæ iam lachrymentes aderant. Quid tunc? *Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit, vbi posuistis eū? Dicunt ei, Domine veni, & vide. Et lachrimatus est Iesus.* Ioan. 11. At quid Iesus lachrymatur? Cur, non potius ridet? Non statim erat amicū suscitaturus? Cur ergo voluit lachrymare? Vidēs Magdalenā & Iudæos plorantes, voluit eorū tēperare luctū, & ideo lachrymas ipse fundit; nullo enim mellus temperantur mala nostra, quā si eadē inspiciamus in Iesu cælesti sydere. Aiebat ibi D. Zenō: *Flebat Deus, quod sororū fletus tēperaret.* D. Zen. Et qui dē nullū aptius leuamē, & tēperamentum nostris lachrymis applicatur, quā Iesu proposite ob oculos lachrymę. Quis in luctu, & flectu doleat, cū videat Iesum etiā fleti bus vacasse? Non enim malum sed bonū est, quod Iesus in se fuerit passus. Aiebat ille Cant. 2. *Ego flos campi*: & quidem si cāpus caluariæ spectetur, ibi bonus Iesus nō tam flos, quā spina apparuit; ibi tanquā rubus ardens visebatur. Et cur os hominū, & Angelorū mauis nos in campū prouocare, in quo spinis, & doloribus obsitus appares? Volebat nobis ostendere non esse iam mala, sed bona pericula, quæ à se suscepta demonstrabat. Ait D. Ber. serm. 47. in Cant. *Ego flos campi: Qui diligit me, veniat in campum, non refugiat mecum, & pro me inire certamen, vt possit dicere: Bonum certamen certaui.* D. Bern. Vt possit bona experiri certamina homo, spectet Iesum in eadem pugna, nihil enim non bonum, & suaue experietur ex ijs, quæ Iesus fuerit passus. Nescit in Iesu non consumi omnis species mali. Matth. 27. dicit de Iesu meo: *Chlamydē coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: : Et post quā illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, &c.* Matt. 27. Duo posita fuerunt Iesu ad ludibrium, & chlamys, & corona spinea. De chlamide iā dicitur, quod etiam fuerit illi ablata: de corona spinea nihil tale dictum est. Et quando chlamys ablata ei fuit, cur similiter spinea corona nō fuerit ablata? Dicit Orig. hom. 35. in Matth. *De chlamide scriptū est, quod denuo spoliauerunt eum chlamidem coccineā, de corona spinea nihil tale Euangelistæ scripserunt, propterea quòd & nos quærere voluerūt exitum rei de corona spinea, semel imposita, & nunquam detracta. Ego igitur arbitror, quod spinea illa corona consumpta est à capite Iesu, vt iam non sint spinæ nostræ antiquæ, postquam semel eas â nobis abstulit Iesus super venerabile caput suum.* Orig. Ex quo spinæ apparuerunt in capite Iesu, sic vniuersæ cordis nostri spinæ suauiātur quasi spinæ nō sint, sed tota illarū acerbitas consumpta maneat. Nequit enim Iesus nō cōsummere malū, quod prius ipse in sepatitur, vt inde nobis non malum, sed bonum appareat.

§. VII.

Spiritus Dei eos amat, qui virili animo sunt.

NOn ad se venire patitur Dauid eos, quorum ab Ammonitarum rege barba rasa fuerat, sed ait: *Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini.* Cur non potius permittit eos venire in Hierusalem, vt ibi quisque in domo propria lateret? Diuino spiritu agebatur Dauid, cuius est vitare infirmatos à diabolo, & amare illos qui barba integra virilem præseferunt animum. Quo spectabat illud Psal. 132. *Sicut unguentū in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Psal. 132. Per vnguentum in capite significatur diuinus spiritus in Christo; qui ab illo in barbam descendit. Et cur in barbam, nisi quia

in barba intelliguntur fortes, & præstantes virili robore. Ait D. Aug. ibi: *A capite venit vnguentum. Caput nostrum Christus est, crucifixus, & sepultus, resuscitatus ascendit in cælum, & venit Spiritus sanctus à capite. Quo? Ad barbam. Barba significat fortes, barba significat iuuenes, strennos, impigros, alacres. Ergo illum primum vnguentum descendit in Apostolos, descendit in illos, qui primos impetus sæculi sustinuerunt.* Diuini spiritus est barbatos implere, hoc est, ad illos venire, qui virili robore præstent. Curat malignus quidquid roboris, & virilis animi est in nobis abradere, quod dum perficit, longe manemus à diuino spiritu, qui barbatos expectat, hoc est, fortes, & viriles vt suo perfundat vnguento. Hinc monebat Dominus Iobum cap. 40. *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi.* Eccè tibi vt primum petatur ex eo, qui ad Deũ admittendus est, quod se *sicut vir* accingat. Quo spectans Orig. in Cat. Græca ait: *Non igitur Deo quisquam prius respondeat, quam vir absolutus extiterit, hoc est, ad spiritualem ætatem peruenerit.* Prius virilem animum ostendas, prius virilis animi robore confirmeris, quam credas te ad Dei aulam pertinere. Sed quomodo vir ero, qui sum puer? An pueri excludimur à Dei? Absit, nam & pueri virilem animum possunt gerere. Sic mater pia hortabatur puerulum vt pro Christo in arenam prosiliret, apud Prudentium in Peristephanon, in martyr. S. Romani.

D. Aug.

Iob. c. 40.

Origin.

Hic bibendus nate est tibi calix
Mille in Bethleem, quem biberũt paruuli.
Oblita lactis, & papillarum immemor
Ætas amaris, mox deinde dulcibus
Refecta poclis, mella sumpsit sanguinis.
Exemplum ad istud nitere, o fortis puer
Generosa proles matris, & potentia.
Omnes capaces esse virtutum, pater
Mandauit annos, neminem excepit diem
Ipsis triumphos annuens vagitibus.

Equidem iam pridem virorum facinora insæuerat Deus vel primis puerorum vagitibus; iam dixerat Isaias cap. 8. *Ante quã sciat puer vocare patrem, & matrem suã, auferetur fortitudo Damasci.* Ex quo pergit illa vbi suprà.

Scies sæpe dixi, cum docenti adludæres
Et garrulorum signa verborum dares
Isaac fuisse paruulum patri vnicum
Qui cũ immolãdus arã, & ensem cerneret
Vltro sacranti colla præbuerit seni?
Narrani, & illud nobile, ac memorabile
Certamen, vna matre, quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis viri.

Sic de paruuli Isaaci, & septem puerorum Machabæorum triumphis probat in paruis posse virile robur inueniri.

2. *Reg.* 10. Videntes autem filij Ammon, quod iniuriam fecissent Dauid, miserunt, & cõduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum. Quod cum audisset Dauid misit Ioab, & omnẽ exercitum bellatorum, &c.

§. VIII.

Nequam animus non vna affigitur pœna.

VIde post facinus Ammonitæ regis solicitudinẽ; *Miserunt, & cõduxerũt mercede Syrã*: circa quæ 1. Paral. 19. *Miserũt mille talenta argenti, vt conducerent sibi currus, &c.* Quam argenti molem exhibitã Syris vocat merito Salianus noster primam sceleris mulctam. Deinde totus quantus erat exercitus Ammonitarum, & Syrorum in bello corruit; quorũ multi à Dauidis militibus trucidati sunt, alij sub tributo redacti. Pro Deus immortalis, quot pœnæ manẽt scelestis animis! Crede mihi, qui nequã est, non semel vapulat. Scelesto Cain dicebat Dominus Gen. 4. *Vagus, & profugus eris super terrã.* Alij legũt: *Eris gemẽs, & tremens*: & gemitus, & timor illi pro pœna datur; sed timor est de imminenti malo, gemitum præsentia mala extorquent. Si ergo iam sub præsenti malo gemebat, cur adhuc sub timore versatur? Ait D. Ambr. lib. 2. de Abel c. 9. *Gemẽs, & tremens iubetur esse super terrã. Quia impio mala adsũt, & affutura sũt. Quæ adsunt tristitiã operãtur, quæ futura, formidinẽ.* Nõ in vno malo sistũt pœnę impiorũ; sed dũ vnũ sustinet impius, etiã timet imminẽs aliud. Vix præsens cõcutit miserum, & futurũ exurgit, vt eundẽ inuadat. Auarus ille Luc. 12. clamabat præ dolore: *Quid faciã, quia non habeo, quo cõgrẽgẽ fructus meos? Et dixi: Hoc faciã: destruam horrea mea, &c.* Quãtus hic labor? Ipsissima rerũ abundãtia pro foribus existẽs miserũ & dispendio pecuniarũ, & anxietate vexabat. Et vtinã ijs finiretur eius labor, sed maior alius illũ in futuro expectabat, quando audiat, stulte, *hanc nocte repetunt animam*

1. Par. 19

Gene. 4.

D. Amb.

Luc. 12.

animam tuam. Merito de illo ait D. Zeno ibi: *Quis non infelicitatem eius doleat? Angustiatur ex abundantia; infelix ex præsentibus bonis, infelicior ex futuris.* Non vna infelicitas diuexat miserum; sed dum præsens vna eius corrodit viscera, iam altera paratur affutura. Dicebat Isais ad peccatricem ciuitatem cap. 51. *Duo sunt, quæ occurrerunt tibi, quis contristabitur super te? Vastitas, & contritio, fames, & gladius, quis consolabitur te?* Quibus illud maxime expendendum est, quod cum duo mala occurrentia proponãtur, quatuor de facto numerentur, nimirũ vastitas, & contritio, fames, & gladius. Et cur si duo ventura erant, explicantur quatuor? Nullum malorum sine alio comite solet venire in peccatores, si ergo duo præcipua ventura erant, necessum erat, vt & duo alia sequentia cõmitarentur. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 4. in Hesaiam orat. 5. *Illud considerandum est non oscitanter. Nã quatuor enumeratis, duo illa esse dicit Siquidem ruinam numeranit, & contritionem, & famem, & gladium. Quid ergo dicimus? Aut quo pacto esse poterũt duo, quæ dicta sunt? Etiã si plura esse videantur, primis tamen sequẽtia sermo propheticus coniunxit.* Cum duo dixit prima, & præcipua proposuit, cum quatuor numerat, sequentia explicat, quæ necessario cum primis debebant venire: quãdo in peccatores nullum malum sine socio inuenitur.

D. Zeno.

Isaias.

Cyri. Alex.

CAPVT. XXV.

Dauidis lapsus.

Textus Historia.

IAm dies opportunus Dauidis castra in arenam produxerat; quorum, Ammonitis confractis, Rabba, vrbem regiam fatigabat obsidio. Aderat dux Ioab expugnationi; & Dauid Hierosolymis indulget quieti. Qui post prandium in solario deãbulans, dum oculos camporum, ædificiorum ve conspectibus amænat, incidit in domesticum cuiusdam ciuis balneum, adeo Regiæ vicinum, vt tota labantis se in eo fœminæ elegantia conspiceretur. Simul & Cota mulier, & Dauid infectus apparuerunt. Illa adhuc mundiciei radiabat candore, hic libidinum iam voluptabatur cæno. Forsan primo meditatur coniugium, ideo que per nuntios examinat, quæ esset puella, nupta, an virgo; nobilis, an plebeia? Vt nuptã agnouit strenuo militi Vrię Ethæi, totũ ebibit virus adulterij, præsensit illa fructum vtero tumente: & simul ambo cæperunt cogitare de infamiæ remedio. Vocatur à castris Vrias, iubet rex, vt domi pauliſper cum vxore quiescat, ad quod vt deflectat virum; conuiuis regalis agmen integrum in eum direxit. Nullis tamẽ blãditijs, nullis potibus adduci potuit bonus, vt puellæ coniugis desiderio teneretur, dum Israelis duces aduersus hostes stabant in arena. Pro miles ipso Marte præstantior, quem nec cum concessa Venere Vulcanus prendit! Virtus militis non mouit regem; detrectant forsan principes à priuatis discere sapientiæ documenta. Denique dat rex fideli viro literas infideles, quibus Ioabo mandat, vt in ea certaminis parte constituatur Vrias, in qua perire sit necesse. Non distulit dux mandatum regis, & vt Vrias pereat, nihili æstimat rex, quod strenui alij milites cadant, & in eorũ ceruicibus hostiles acies acuminẽtur. Prosecuta est Bersabee viri funus externo luctu, sed letitia interna, finitisque luctus diebus facta est vxor regis, cui filium peperit.

PARS MORALIS circa textus literam.

IN fausta Dauidico regno dies in foribus est, qui enim Deo propitio tot triumphos consecutus est, ex quo lasciuæ concupiscentiæ se dedit, nullam non cladẽ fuit expertus.

2. *Reg.* 11. Dauid autem remansit in Hierusalem. Dum hæc aguntur, accidit, vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierẽ se lauantem ex aduerso super solarium suũ; erat autẽ mulier pulchra valde. Misit ergo rex, & requisiuit, quæ esset mulier. Nun-

tiatumque est ei, quod ipsa esset Behtsabee filia Eliam, vxor Vriæ Ethæi.

§. I.

Inerti, & remisso vel aqua gutta officit, laboranti vel omnia maria ministrant.

ECce Dauid vbi offendit, dicit namq; *Vidit mulierem se labantem ex aduerso &c.* Domestici balnei aqua Dauidem impetit, & prosternit, quem mille antea procellæ, mille impetus fluctuum incolumem seruarant. Si de quo alio, de Dauide credide rim illud dictum Cant. 8 *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: quippe omnia tribulationum genera, & vniuersæ procellæ excitatæ à Saule, & alijs Dauidis charitatem non potuerunt extinguere; modo autem vel pancæ aquarum de lauacro guttæ hominem penitus submergunt. Et cur, qui e tot fluctibus emersit liber, tã paruæ guttæ cedit? Notabat textus de illo, quod tẽpore bellis destinato à Regibus, ipse Hierosolymis manserat: quod post prandium à lecto surrexerat, & remissis curis obambulabat in superiore Regiæ tecto. Ne mire mar, quod laborans sub armis triumphet de procellis; & remittens curas, sub parua aquarum gutta suffocetur. Ait D. Basil. Sel. orat. 17. *Cum regie Dauid epulatus esset, & meridiana se se oblectaret obambulatione, tunc diabolus animi, curæque neruum remissum conspicatus, & mentem indiligenter succinctam, ac parvula sui parte nudatum ab armis, optimatem cedit, &c.* Non laborantem, sed remissum, sed delicioſum spectat, & non ad procellas recurrit, sed vel gutta è lauacro prosiliente hominem malus perdit. Vt etiam ibi dicat Theodor. quæst. 25. *Vere magnum & vehemens est bellum desidia, & delicia, & regnum, & postestas, & forma corporis, & post cibi satietatẽ insultus*: Fallar, si tunc vel gutta cadens marmorea pectora non conterat. Video purpureũ diuitẽ Luc. 16. fartis mẽsis insidentẽ, & pauperem post flammis immersum, & clamantem: *Mitte Lazarum, vt intingat extremũ digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam.* Cur non magis fontem expetit, quàm guttam à digito productã? Solemus non febrium æstu correpti vel fontes, vel flumina appetere; iste inter flammas cur tam paruã gutulam appetit? Cum non fontem, sed guttam petit, designabat miser, quã paruis guttis diuitum, & purpuratorum suffocetur inertia. Pulchre enim clamat Chrysol. ser. 124 *Sitit itaque guttam, qui vini lacus effudit; & stilla digiti extremi credit flammas extingui. Hanc sibi guttam ad refrigerium dari petit, ad ardorem pauperis quam negarat. Ista gutta est dives, quæ te facit crudelem, ista gutta est, quæ os Lazari à te negata siccauit.* Non miser pugnauit cũ maris fluctibus, nõ cũ fluminũ inundatione, sed cum breui aquæ frigidæ poculo; & pro populo aquæ negato æternis immergitur flammis. Eu diuitũ desidia? Eu laborũ remissio! Nõ à procellis, sed à guttis inuasi æternũ periclitãtur. Ab fuisset desidia; & vel maria vobis ministrarent. Dũ filij Israel castra mẽtati essent iuxta ripas Arnon dictũ est illis Numer. 21. *Sicut fecit dominus in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon*; Vtrouiq; impediebatur exercitus ab aquis, ne transiret: Sed vtrobique illæ ipsæ aquæ, quæ impedimento erant, versæ sunt in eorũ tutelam, dum ibi hostes submerguntur, & Israelitæ incolumes procedunt. Sed vnde illi tantã ex Deo gratiam meruerunt, vt & flumina, & maria illis ministrarent? Non desidiosi iacebãt, sed in armis, & labore, & puluere belli dominum sequebantur. Ex quo pulchre Venant. Fortunat. lib. 7. de egregio duce Lupo canebat.

Ferrata tunica sudasti pondere victor
Et sub puluurea nube coruscus eras
Tamque diu pugnas acies fugiente secutus
Laugona dũ vltreis terminus esset aquis
Qui fugiebat iners, amnis dedit ille sepulchrũ
Pro duce falici flumina bella gerunt.

Dum bonus dux sub armis desudat, nec pugnis vale dicit, sed puluerem vorat belli, flumina aduiuantia inuenit; quæ inertes, & desidiosos, bellaque fugientes misere perdunt. Quid non faciat desidia? In quale malum suos alumnos non impellat? Vocabat Deus inuitatos ad nuptias filij sui. Quid tunc? Ait Matth. cap. 12. *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. Reliqui autem tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.* Horrebam Dei seruos iniurijs affici, & occidi ab hominibus. Et qui homines in tale nefas præcipitati sunt? An qui in villam ibant? An qui negotiationem suam arripuerant? Minime; non enim qui in villam, aut

negotiationem eunt; sed reliqui, nimirum qui nulli labori, aut negotio operam dabant, tantum illud nefas perpetrauerunt, sub quo funditus perierunt. Sapiens erat illud dictum Quintiliani Declamat. 3. *Vacat vitijs nostris, & ad omne votum fluente fortuna lasciuit otium!* Quintil.

§. II.

Non sic tranquillitas, vt tempestates, & procellæ hominem lotum ostendunt.

DE stratu itaque suo Dauid surrexit; *vt de ambularet in solario domus regiæ, vidit que mulierem se lauantem, &c.* Et quis dicat; quot maculæ ex illo lauacro prosilientes & Danidem, & fœminam illam turpauerunt? Sane nil tranquillius inueniri potest, quam lauacrum domesticum; sed nulla tempestas, nulla procella tot fæces voluunt, tot sordes emittunt, vt lauacrum illud emisit domesticum. Imo dū sub tēpestatibus, & procellis erat Dauid, candidissimus apparebat, vbi ad tranquillum huius lauacri accessit, totus incepit sordescere. Vt hinc pateat, quā illi vtiliores tempestates erant, vt toto animi candore niteſceret. Dicebat Iacob Genes. 49. dum filium suum Iudam laudaret: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Expende nouum lauacri genus ad stolas candidissimas mundandas, nimirū lauacrum vini, & præcipue vini nigri, vel rubri, quod intelligitur à pluribus per sanguinem vuæ. Vinum autem præcipue rubrum non tam ad lauandum, quam ad fœdandum aptum est. Cum ergo vini, & non aquæ lauacrum instituit? In vino intelligebat asperitates vitæ, quæ licet potiores videantur ad turpandum, & perdendum hominem, tamē aptiores sunt ad eum illustrandum, quam tranquillitas, & suauitas vitæ. Id quod in Christo Iesu ostendit Gennadius apud cat. Græcam fatus: *Lauabit in vino stolam suam. De mortis genere loquitur, qua magnum quid, & excellens efficietur. Nam quo alij inficiuntur, hoc splendidior ipse reddatur: non datur enim natura vini ad abluenda? vestes, sed ad maculandas idonea est: Sic mortis quidem est dissoluere defunctos, non ad meliorem conditionē traducere. Attamen hoc aliter euenit in Christo, &c.* Quis nes Genes. 49 Gennad.

ciat tempestates, & procellas mortis Christi dominus? Ipse aiebat Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me;* & explicans quousque à tempestate demersus fuerit, ait: *Infixus sum in limo profundi, &c.* à tempestate in limum iactatus, inde lotus, & splendidior apparuit. Sic turbidę, & limosæ procellę mūdi potiores sunt ad homines, illustrandos, ditandos. Quo spectans Isaias cap. 40. demonstrans Christianorum persecutores aiebat: *Ecce gentes quasi stilla situla.* Dum situlæ, vel regulæ aquas emittunt, non mediocris nimbi signū est: ex quo & lutum, & non paruæ sordes nascuntur; sed & inde camporum omniū crescit fœcunditas. Cur ergo stillis sitularū persecutores christianorum assimilantur, nisi vt inde pateat, quam potiores sint ad ditandos, & illustrandos homines illæ ipsæ tempestates, quæ videbantur ortæ ad illos fœdandos? Dicebat D. Irinæus lib. 5. cap. 29. *Gentes autem, quæ & ipsæ non alleuauerunt oculos ad cælum, neque gratias egerunt factori suo, neque lumen veritatis videre voluerunt, iuste sermo, vt stillicidium de cado deputauit, in tantum vtiles, & aptibiles iustis quantum vtilitatis præstat stilla ad tritici augmentum.* Quod pluuia ad tritici augmentum, hoc tyrannorum procellæ valent ad iustos illustrandos, exaltandos. Psal. 68 Isai. c. 41 D. Irin.

§. III.

Ex similium consortio cuique vires adduntur siue ad bonum, siue ad malum.

NOn otiose notatur nomen fœminæ, quæ in balneo visebatur; nuntiatūque est Dauidi, *quod ipsa esset Bersabeth filia Eliam, &c.* Bersabee idem est, ac puteus saturitatis; nemiremur, quod puteus existens iuxta balneum longius suum virus eiaculet, similes enim ab adiuncti similibus, nunquam non maiores vires propalant. Liceat spurcos hos voluptatum fontes ex purissimis, & diuinis metiri. Ait Ioann. cap. 4. *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere, &c.* Et sane vel hoc solum mirandum erat Apostolis ipsis, quod Iesus cum illa muliere loqueretur! Vnde ergo venit, quod Iesus rem adeo miram modo Ioan. c. 4.

faceret, vt verba vitæ daret mulieri illi? Ait textus: *Sedebat sic supra fontem*; vbi enim fons vitæ Iesus se se adiunxit fontia quarum, statim voluit largiori riuo suam misericordiam effundere. Aiebat D. Ambr. hom. 1. de Samar. *Mirum igitur in modũ*
D. Amb. *fons super puteum sedens misericordiæ ibidem fluenta produxit, & mulierem sexto iam non vino, sed adultero fornicantem viui meatus vnda purificat, nouoque admirationis genere mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, â Christi fonte casta regreditur.* Gompone modo, & illa spurea cum ijs diuinis: ac cessit Bersabe puteus satietatis ad fontem lauacri, & statim inde iaculat voluptatum virus. Accessit Iesus fons gratiarum ad Samariæ fontem, vel puteum, & misericordiæ fluẽta produxit, quæ meretrices facerent virginitatis æmulatrices. Sic similes apud suos similes faciunt, vt propriæ vires in conspectum prosiliant. Nec enim semel Iesus de consortijs similitudine sua exerit magnalia. Matth. 12. ait: *Abyt Ie-*
Matt. 12. *sus per sata Sabbatho; discipuli autem eius esurientes, &c.* Et cur per sata ducit discipulos suos? Vt ipse sator erat diuini verbi, sic ad satoris hominis opera accedit, amans per simile excitari, vt copiosas meses inferat discipulorum animis. Ait D. Amb. lib. 3.
D. Amb. de Spiritu sancto cap. 18. *Per sata ducit discipulos seminaturus in eorum affectibus cælestium segetem præceptorum, vt messis animorũ facunda flaueſceret.* Expende illa: *per sata ducit discipulos seminaturus, &c.* Posset equidem & alibi cælestium segetem discipulorum animis seminare; sed vt doceat, quam de similium consortio amet acuere voluntatem benefaciẽdi, eos ad sata deducit, & cælestium segetes in eorum animis serit.

§. IIII.

Lasciuiæ assultus criminose in principio funditus, non perdis.

NOn culparem Dauidem, quod viderit mulierem se lauantem; si statim resileret, si vel cõspectæ imaginem sic perderet in se, ne posset reuiescere. At ipse, & vidit, & expectat sibi nuntiare de fœmina. Dicit namque textus: *Vidit mulierem se lauantem ex aduerso supra solariũ suũ: erat autem mulier pulchra valde. Misit ergo rex, & requisiuit, quæ esset mulier. Nuntiatũque est ei, quod ipsa esset Bersabee, &c.* Credat alius huc vsque Dauid castum existere; ego iam illum puto in crimine lasciuiæ esse, qui & vidit, & requisiuit, & nũtiari sibi fœminæ qualitatem expectat; & nõ potius primis voluptatis assultibus obsistit, illosque funditus perdit. Miles quidam honestus dum à Centurione ad lasciuiam alliceretur, cum primum lasciuas voces percepit, districto gladio Centurionem perimit. Accusatus autem apud Marium Imperatorẽ, occisi Centurionis affinem, quod occidisset, quem honesta solum repulsa potuisset auertere, sic â Quintiliano defenditur, Declam. 3. *Miles indignis vocibus contami-* Quintilia.
natus, nihil amplius aget, quã renuet? Et quis non illum inter prostitutos habeat, si comisserit, vt possit iterum appellari? Ecce tibi ab ethnico sapiente prostitutus, & in lasciuia criminosus ducitur, qui solum renuit, & non magis curat, sic lasciui assultus radices perdere, ne iterum valeant reuiescere. Equidem qui expectat, vt secundo possit impeti, putet inde iam maculosum habendum, ex textu sacro affert D. Aug. illa verba: D. Aug.
Abominatio est domino defigens oculum. Et mitabar, quod sanctus doctor, sic traducat vel simplicem definitionem oculorum, vt iam in illa Deo abominationem putet esse. An ne simplex quilibet intuitus formę abominatio erit? Minime; sed cum defixionem oculorum dicit, eum intuitum notat, qui facit, vt secundo in idem reddas. Tunc enim cum iam ad secundum intuitum te preparas, mirum erit, nisi iam maculas manifestas prætendas. Aiebat D. Aug. Epist. 109. *Si hanc oculi petulantiam in aliquâ ves-* D. Aug.
trum animaduertitis, statim admonete, ne capta progrediantur, sed ex proximo corrigãtur. Si autem & post admonitionem iterum, vel alio quocumque die id ipsum eam facere videritis, iam velut vulneratam sanandam prodat quacumque inuenire potuit. Sic sanctus admonebat virgines sacras, vt custodirent oculos. Quibus illud expendendum est nimirum *velut vulneratam*: quippe si post primum intuitum formæ virilis, secundo in idem redeat, iubet Augustinus eam velut vulneratam haberi, & adducendam ad remedium. Nec miror, quando vel in secũdo intuitu vxor Loth castigatur, vt ras. Genes. 19
Dicit enim Gen. 19. *Respiciens vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Ex quo sic monet virgines Naziancen. in Car. de Pu Nazian.
dicitia aiens: *An tu, rogum cum fugeris Sodomiticum rẽdibis? Absit: ne salis fias lapis.* Cum enim semel flammas spirantem formãm fugeris, non cõmittendum, vt iterũ in illã possis redire nisi velis, iã vt rea multari.

2. Reg.

2. *Reg.* 11. Missis itaque Dauid nuntijs tulit eam: quæ cũ ingressa esset ad illum, domiuit cum ea; statim que sanctificata est ab immunditia sua,& reuersa est in domum suam concepto fætu. Mittensque nuntiauit Dauid, & ait: Concepi. Misit autem Dauid ad Ioab dicens: Mitte ad me Vriam,&c.

§. V.

Libidinoso laqueo qui se implicat, mirum erit, si inde expeditus viuat.

VIde iam apertissime Dauidem lethali vulnere transfixum, ait enim: *Missisque Dauid nuntijs tulit eam, &c.* quã nouit alienã, nihilominus ad se tulit. Nec miror, quod à lasciuo mentis vulnere in apertissimam mortẽ incurrat. Quis enim ẽ lasciuiæ laqueo euasit viuus? Dicebat Marcus cap. 6. de puella saltãte coram Herode, quod *placuisset Herodi*, Ex quo sapiẽter ait Andræas Cretensis ibi: *Quid vero puella iniquitatis, esca adultery, hamus Herodis, laqueus, in quem ille prolapsus offendit, & captus non effugit.* Et quis à lasciuiæ laqueo captus effugijt viuus? Caueat homo, ne in hæc retia pedem, aut manum, aut oculum ponat,& captus appareat, temerarius erit, si credat ijs retibus captũ adhuc se viuere. Lasciuas dominæ manus effugerat Ioseph, de quo postea dicebant patri fratres eius Genes. 45. *Ieseph filius tuus viuit.* Quæ verba ponderans Orig. hom. 15. in Gen. ait: *Si potuisset vinci à libidine, & peccare cum vxore domini sui, non puto, quod hoc à patriarchis nuntiatum de eo fuisset patri eius Iacob, quia filius tuus Ioseph vivit. Hoc enim si fecisset, sine dubio non viuebat.* Non dictus fuisset quod viueret, qui lasciuiæ consenserat; vbi enim illa aderit, ibi & lethalia vulnera; & quid ad vitam pertinet, euanescit. De illa enim merito dicit Iob cap. 31. *Ignis est vsque ad perditionem denorans, & eradicans omnia genimina.* Circa quæ D. Gregor. lib. 21. Moral cap. 9. ait: *Beatus Iob crimen luxuriæ definiens ait: Ignis est vsque ad perditionem denorans, quia nimirum reatus huius facinoris, non solum vsque ad inquinationem maculat, sed vsque ad perditionem vorat. Et quia quamlibet fuerit alia bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur, secutus dixit, & omnia eradicans genimina.* Sic ibi, pro quorum signum Dauid adest, qui ex quo cæpit lasciuiæ flãmis aduri, sic iacuit omnis vitæ spiritualis oblitus, quasi penitus maneret defunctus. Luc. 14. inuitantur ad cænam Dei homines, ex quibus vnus, quod villam emerit, excusatur dicens. *Rogo te habe me excusatũ.* Similiter alius dixit, qui iuga boum emerat. Tertius autem dicit: *Vxorem duxi, non possum venire.* Cæteri rogabant se excusatos haberi, non tamen negabant se posse in cænam ire. Solus hic, qui vxorem duxit, negat absolute se ire posse. Et cur hic solus, negat se posse ire? Ait D. Basil. in cat. D. Thom. *Dicit autem non possum venire, eo, quod intellectus humanus vergens ad mundanas ille celebras, debilis est ad agenda diuina.* Equidem sic emortuus iacet, qui se carnis ille celebris immergit, vt videatur quasi non posse ire ad diuina.

Mar. c. 6.

Genes. 45

Origen.

Iob. c. 31.

D. Greg.

Luc. 14.

D. Basil.

§. VI.

Non est potestatis femineæ regum cupedijs obniti.

EXpende illa: *Missis nuntijs tulit eam, quæ cum ingressa esset ad illum dormibit cum ea.* Sic facile annuit puella regi, vt nihil obluctata exprimatur, sed vt ingressa est, in facinus iuit. Et quæ fæmina obluctaretur regum iussis iniquis? Iusserat Pharao obstetricibus suis, vt Hebræorum masculos in ipso exortu interficerent. De illis tamen ait Exod. 1. *Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis.* Quas regi mentitas sic miratur D. Aug. ser. 89. de tempore, vt exclamet dicens: *O magnum humanitatis ingenium, & pium pro salute mendacium. Tãtum timuerunt obstetrices Deum, vt præcepta regis contemnerẽt.* Et merito mirabatur sanctus, quod potuerint fæminæ inueniri, qui regis cupiditatibus, & præceptis iniquis resisterent. Sic Gen. 20. Abimelech rex Saram à se intactam dimittens, multa donaria cum illa largitus est, ait enim text. *Tullit igitur Abimelech oues, & boues, seruos, & ancillas, & dedit Abraham, reddidit que illi Saram, &.* Et cur tot dona exhibuit

Exod. 1.

D. Aug.

Genes. 20.

buit in gratiam fœminæ, quam nec tangere licuit? Ait D. Isido. quæstion. in Gene. cap. 16. *Munera Saræ obtulit rex Abimelech plus in ea mirans formæ decus, quod amare potuit, & violare non potuit.* Et hoc mirandum maxime erat in fœmina, quod à rege amata, in nullo regi respondeat: quod regis cognoscens amores, in eius amplexus non ipsa volet. Huc adde renda sunt dicta.

D. Isidor.

§. VII.

Scelestum hominum est in corporali mundicie sanctitatem ponere.

MEnstruæ immunditiei abolitionem, seu cessationem notans in Bersabee dicit textus: *Statim sanctificata est ab immundicia sua.* Et cur diuinus scriptor, non magis dixit, purgata est, siue mundata est, siue purificata est? Cur maluit vei sanctitatis vocabulo, vt diceret, sanctificata est? Crediderim forsam in eo scriptorem sacrum locutum fuisse ad mentem adulterorum; proprium enim est scelestum animorum sanctitatem in corporis munditie ponere. Ioann. 4. meretrix illa Samaritana maxime cauens Iudæi hominis consortium ne pollueretur, dicebat ad Iesum veræ sanctitatis authorē: *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Circa quæ verba sapienter ait D. Chrysost. tract. 2. in Samar. tom. 6. *Tale Samaritanorum est ingenium, in scortationibus polluitur, & in baptismatibus purgari se arbitratur. Animam sordibus replent, & corpus videntur abstergere. Sic hæc cum animam scortationibus plenam habeat, de aquarum potu litigat.* Multa erat fœmina in inmunditia vrceoli per hominis Iudæi contactu ortura cauenda; cum nihili penderet animā scortationum fœditatibus plenam. Hoc dominus obijciebat Pharisæis Matth. 23. dicens: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis, rapina, & immunditia.* Circa quæ Imperfect. ait homil. 44. in Matth. *Iudæi quotiescumque ingressuri erant templum, aut sacrificia oblaturi per dies festos, & seipsos, & vestimenta sua, & vtensilia lauabant, & à peccatis nemo seipsum purgabat.* Hoc erat deploratorum hominum proprium, quod nullam aliam sanctitatem procurabant, nisi eam, quæ versabatur circa munditiem corporis.

Ioann. 4.

D. Chrys.

Matt. 23

§. VIII.

Nullas virtutes nonobliuiscitur animus lasciuia irretitus.

PErfecit lasciuiæ facinus Dauid, & audit fœminam concepisse, nec pro remedio ad Deum oculos leuat, sed magis ad Ioab mittit, vt Vriā remittat. Quippe ait: *Mitten sque nuntiauit Dauid, & ait: Concepi. Misit autem Dauid ad Ioab dicens: Mitte ad me Vriam, &c.* Non pauci dies à facinore præterierant, quando necessum fuit, quod fœmina concepisse se experiretur, & tunc misit, vt Dauidem moneret. Qui interea nulli alii rei intentus erat, nisi vt gratum faceret amasiæ suæ. Quid ergo Dauid pristinarum suarum virtutum oblitus? Cur antiqui illi Psalmi Deo cantati nō magis hominem cohibent? Cur saltus ante arcam, cur religio sacrorum, cur tot veniæ hostibus datæ non magis faciunt Dauidem Dei meminisse? Sapienter dicebat Hidelbert. Cenomanensis Episcop. epist. 57. *Caro & mulier cumulata infirmitas, & inter exempla etiam virtutum faciles ad ruinam.* Tanta est fœminæ illecebra in virum, vt vel inter ipsas formatum virtutes facile illum obcæcet, nequid meditetur nisi ruinas. Quod etiam in Dauidis filio ponderant Tertul. lib. 5. in Mar. aiebat: *Salomon etiam quam habuit in Deo gloriam amisit per mulierem in idolatriam vsque pertractus.* Expende illud: *Etiam quam habuit in Deo*; non enim multum esset, quod fœmineo sibilo euanescerent bona fundata in temporali aliquo fulcro; at in Salomone, quæ in Deo fundabantur bona, eiusq; nitebantur virtutibus prorsus obliuioni sunt data, eo ipso, quod fœminis se addixit. Nec miror, hoc enim est proprium lasciuiæ, quod facilime faciat Deum contemni à suis alumnis. Saul præceptum habuit, vt Amalech funditus perderet, ipse autem Amalecitæ regi affectus pepercit illi, 1. Reg. 15. *Et pepercit Saul, & populus eius Agag, &c.* Et cur tam facile Dei præceptum contempsit parcens Amalecitæ? In Amalech significabant luxuria; cui affectus Saul non potuit non facilimē Deum obliuiisci. Ait D. Greg. lib. 6. in 1. Reg. ca. 15. *Hoc diuinum præceptum contempsisse dicitur Saul, & Amalech pepercisse, indicans*

Hidelb.

Tertul.

1. Reg. 15.

D. Greg.

Dei

Dei præcepta abijs facile contemni, qui impuræ voluptatis amore capti detinentur. Expende illa: *Dei præcepta abijs facile contemni, &c.* hoc enim propiſsimum eſt laſciuarum mentium, quod facile obliuiſcantur, & contemnant Dei præcepta. Obijcie bat dominus Iudæis Matth. 23. *Vſque ad* Matt. 23
ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem occidiſtis inter templum & altare. Zacharias memoria Dei interpretatur quæ dicitur à Iudæis deleta, & occiſa. Sed quis memoriam Dei ſic occidere poſſet? Ait Orig. Orig.
tract. 26. in Matth. *Inter templum etiam, & altare ab impijs memoria interficitur Dei quando templum Dei, à laſciuis corrumpitur.* Quando laſciuia vſque ad templum efferueſcit, tunc tota virtutis, Deique memoria funditus perditur.

2. *Reg.* 11. Et venit Vrias ad Dauid. Quæſiuitque Dauid, quã recte ageret Ioab, & populus, & quomodo adminiſtraretur bellum. Et dixit Dauid ad Vriam, vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Egreſſus eſt Vrias de domo regis, ſecutuſque eſt eum cibus regius. Dormiuit autem Vrias ante portam domus Regiæ, cum alijs ſeruis domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam.

§. IX.

Mundialium principum muneribus non ſemel odium magis, quam gratitudo debetur.

QVam profuſus Dauid oſtenditur in munerando Vriæ! Accedentem benigniſsime excipit, recedentem, *ſecutus eſt eum cibus regius.* Sed & Vrias quã gratus erat! *Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum alijs ſeruis domini ſui, &c.* Ride ò ſapiẽs vir mũdialium hominũ miſeram conditionem, qui ſe ſe totos impendunt, & ſuper impendunt pro illis dominis, & principibus ſuis, à quibus in eos profecti honores non honorant, ſed maculant, non ſunt dominorum munera, ſed ſpicula tyrannorum. Sequebatur Vriam cibus regius, vt adulterium in vxore voret; excubabat ille pro tanti principis foribus. ſuum principem reputans, qui in veritate erat hoſtis. Non abſimile quid inuenio apud Philonem de legat. ad Caium, vbi proponens Macronem pro rebus Cai ſolicitum erga Tiberium ait. *In ſumma quicquid pro germanis fratribus, ac filijs afferri poterat, hoc totum, & amplius etiam Macro afferebat pro Caio apud Tiberium. In cauſa fuerunt, non ſolum eius officia mutua, quibus colebat Macronem, qui tunc erat pene columen imperij; ſed & vxor Macronis propter quiddam tectum ſilentio, quæ quotidie maritũ incitabat, ne vllam occaſionem iuuandi iuuenis prætermitteret. At ille ignarus probri domeſtici, & ratus ab amore proficiſci illas blanditias imprudens ſuis artibus gratificabatur inimicis, quos putabat amiciſsimos.* Philon;
Quid frequentius apud mundiales principes? Quoties dignitas, & fauor à principe profectus in ciuem, non dignitas, nec fauor eſt, ſed domeſtici illius probri velamen? Quoties credentur recte geſta præmiari in ciue, & non niſi dedecora eius occluduntur? Quoties viri ignari domeſtici probri iactãt beneuolum ſibi principem, quem acerrimũ hoſtem ſatius habuiſſent? Caius colebat Macronem, vt Dauid Vriam; ſed nõ Macronis, aut Vriæ merita, verum vtriuſque domeſtica probra totum illum fauorẽ extorquebant à tantis principibus. Vt illis adaptem merito illud Iob cap. 18. *Lux ob-* Iob. c. 18.
tenebreſcet in tabernaculo ipſius. Siue vt legunt Septuag. *Lux eius tenebræ in domo:* quippe quibus priuati illuminantur, illuſtranturque fauoribus à principibus, multa renebroſa domi parturiuntur. Quid erat tota illa cibi regalis luciditſsima pompa ad Vriam? Tenebræ in domo. Quid erat totus ille perfulgidus Cai cultus ad Macronem? Tenebræ in domo. Quid ſunt fulgentiſsimi alij fauores principum in priuatos? Tenebræ in domo. Habes, Gen. 12. vt Sara Abrahæ vxor deducta ſit in aulam Pharaonis: *Et nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam. Abraham autem bene vſi ſunt propter illam.* Vide, quo ſpectabant fauores principium in Abraham, nimirum vt domo eius maculam adulterij inurerẽt. Ignarij alij gauderent ſub tot fauoribus principum; at ſapientiſsimus, & oculatiſsimus Abraham vt rem nouit, non putat fauores illos, quibus illuſtretur, ſed flammas quibus honor aduritur. Aiebat D. Chriſoſt. hom. 32. in Gene. *Hæc autem ipſa, quæ honoris, & miniſterij gratia data ſunt ei, quomodo non magnum rogum in ea ſuccendent?* Gene. 12. Chriſoſt.

runt? Quomodo autem non eius exusit mentẽ, & deflagrauit rationem cogitatio causæ tanto rum donorum? O si causæ donorum à mundialibus principibus venientium agnoscerentur, quam sæpius illos haberes hostes, & non benefactores!

§. X.

Dona, & fauores principis, siue Dei, animis ingenuis non otij delicias suggerunt, sed doriora ab illis obsequia extorquent.

DAuid donis, & fauoribus Vriam implebat vt hominem faceret domi indulgere amplexibus vxoris, at Vrias magis inde vigil pro rege suo excubabat cum seruis regis ad aulæ fores. Sic ibi: *Dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam & lauа pedes tuos. Egressus est Vrias de domo regis, secutusque est eum cibus regius. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cũ alijs seruis domini sui.* Quo maioribus fauoribus Dauid fouebat Vriam, vt ad delicias domesticas iret; magis ipse accendebatur ad subeundos pro rege labores; & post regis cibos acceptos inter seruos regis excubabat ad aulæ portas valedicens domesti co otio. Quid mirum? Sic fauores superiorum solent animos ingenuos componere, vt otia fugiant, & maioribus se dedant laboribus. Et famelico, & dormienti Eliæ affuit Angelus domini, 3. Reg. 19. appositoque illi pane, & aqua dicebat: *Surge, & comede.* Non nego magnum hunc fuisse fauorem Eliæ præstitum ab Angelo. Et cur cælestis princeps sic fauet dormienti homini? Cur illi mensam apponit. An vt illaborata mensâ refectus vitam amet otiosam, deliciosam? Absit, imo ait Ruper. lib. 2. de gloria, & honor. Fil. Hom. *Eliæ ministrauit Angelus, vt deinde iciunaret quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Quippe cælestis principis fauor non sineret hominem ingenuum deliciari, sed illum impelleret ad maiores labores. Nihil enim magis proprium est ingenuarum mentium, quam de superiorum fauoribus & donis ardentiores elicere voluntates laborandi pro illorum honoribus. Mar. 1. ægrotabat socrus Petri, adquam cum venisset Iesus, illi sanitatem dedit. Dicit autem Marcus: *Accedens Iesus eleuauit eam apprehensa manu eius, & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.* Expende illud: *& ministrabat eis*, nihil medium, vt salutis beneficiũ accipit, ad maius se accinxit prestandum ministerium. Vt dicit Victor Antioch. ibi: *A febribus liberata suum vicissim ministerium, & seruitium exhibet: nos per hoc erudiens, ne sanitatis beneficium frustra, aut præpostere à Deo expetamus, verum eo animo vt sanitatem adepti præceptis illius accuratius parere, sanctisque necessaria vitæ præsidia facilius ministrare valeamus.* Hoc da beneficis Dei elicere debemus, non otio indulgere, & inertiæ, sed maiori conatu, & accuratioridiligentiâ in eius absequia euolare.

Rup. li. 2.

Marcus.

Vict. Antioch.

§. XI.

Regius panis militares vigilias parit. Vbi de Eucharistia.

SEquebatur Vriam regius cibus, & ille non ad vxoris amplexus festinat, sed ad excubias palatij militares. Dicit namque: *Secutusque est eum cibus regius, Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ com alijs seruis, &c.* Et post cibum regium gustatum; quo citius iret Vrias, quã ad militares excubias pro regis foribus? Est ea cibi regij virtus, quæ militares animos in hominibus gignat, quæ non ad delicias impellat, sed ducat ad militares excubias. Trajanus vbi ad imperium peruenit, nil prius fecit, quam de suis alimenta præbere paruulis ciuium Romanorum filijs. Et quo ea prouidentia spectabat? Ait Plinius in eius Paneg. *Vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur, alimentisque tuis ad stipendia tua peruenirent.* Stipendium vocat militare subsidium; ostendit, quid panis Principis in infantilibus annis efficeret, nimirũ vt illa nutriti pueri nihil non militare respicerent, & abiectis delicijs Trajani amarent militare sub signis. Iudicum cap. 3. dũ Gedeon in arena staret contra Madianitas, dicebat miles eius ad alium: *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madiam descendere: cumque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis,*

Plinius.

Iud. c. 3.

&c.

&c. Ecce tibi panis credebatur esse Gedeonis gladius, nimirum armata illa manus, quæ Madianitas euertit. Et quid panis habet cũ gladio armatis? Multa alij dixere de hac similitudine panis cum gladio. Ego crediderim in eo ostendi virtutẽ regij panis; is est enim panis principis, qui gignat armatos, quo aliti arma pascãt, & gladios, quibus pro principe suo cõfringant hostiles cõnatus. Ille ergo panis, qui â Principe Gedeone suis dabatur, illud militare robur pariebat, quo armati milites Madianitas expugnabat. Quid enim aliud de principis pane procederet, nisi pugnantium, & vincentium agmen? Christi Ecclesiæ dicebat Isaias cap. 60. *Mammilla regum lactaberis: & scies, quia ego dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Fortis Iacob sic explicatur â nostro Cornelio à Lapide, qui scilicet Iacobum fortem effeci, vt luctans cum Angelo, ei prævaleret Gen. 32. Promittitur ergo Ecclesiæ, quod regum mammillis lactabitur; siue vt ait D. Cyril. Alexand. *Regum diuitias comedes.* Exeo autem, quod lactetur, seu vescatur regũ bonis, sciet, quia redemptor eius fortis Iacob, qui fortem, & luctatorem, & victorem fecit Iacobum. Et cur de cibo regio hoc habebit, vt sciat Deum & fortes, & luctatores, & victores efficere? Sic cibus regius inclinat ad pugnas subeundas, & victorias procurandas, vt quisquis eo vescitur, vel ipsâ experientia ferat ad Deum vocantem ad pugnas, & victorias suos seruos, nec aliud scire potest, quam id quod halat certamen & bellum. Quo spectans ipsissima sponsa Cant. 2. aiebat. *Introduxit me rex in cella vinaria, & ordinauit in me charitatem.* Ex hebræo: *vexillũ eius super me dilectio.* Ex quo enim ad cibum, potum ve regis admissa est, non potuit non apparere sub vexillis regis, & in ordine militari procedere. Nunquam enim non regius panis bellatores, & triũphales animos generat. Vt vehementer admirandi sint comptuli illi, & effæminati, quæ aulas replent, & de cibijs regijs implentur, quomodo non magis ad puluerẽ belli euolent. De cibo enim regis non puluis pigmentarius placet, sed magis puluis tormentorum, quo cadunt hostes, & venit victoria lęta. Apocal. 6. Ecce equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua. *Et audiui tanquam vocẽ in medio animalium dicentium. Bilibris tritici denario* Circa quæ verba ait Andreas Cæsarien, *Tritici porro bilibrem denario æstimari vno, vt quidam putant, statũ illorum insinuat, qui legitime certauerunt, impressamque à Deo imaginem accurate custodierunt.* Ecce tibi vt intritico intelligitur legitime pugnatorum, & triumphatorũ agmen. Sed quid panis ad pugnas, & victorias? Credendus est panis hic esse de cellarijs summi regis, quo refecti homines nihil non bellicum, & victoriosum amãt. Et sub signis tanti regis domesticas delitias abijciunt, vt pro eius imagine custodienda decertent, & in triumphos veniant.

Isai. c. 60.

D. Cyril.

Cant. 2.

Apoc. 6.

Andreas.

2. *Reg.* 11. Nuntiatumque est Dauidi à dicentibus: Non iuit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam: Nunquid non de via venisti? Quare nõ descendisti in domum tuam? Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam, &c.

§. XII.

Propria commoda non præponenda sacrorum commodis.

HÆc præstantissimæ virtutis fuerun in Vria, quod dum Arca Dei militaret, ipse minime quiescere voluerit, dicebat enim: *Arca Dei & Israel, & Iuda habitant in papilionibus: & ego ingrediar domum meam, vt commedam & bibam, & dormiam cum vxore mea?* Præclarus homo detestabatur quietem sibi accipere, quam minime habebant Dei sacra. Cui non absimilis Dauid Psal. 131. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis. Donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Errabat equidem tunc temporis arca Dei, nullamque quietem habebat; ideo bonus detestabatur se inquiete esse, & omnem à se volup-

Psal. 131.

voluptatem abijciebat, dum non insimili inueniretur posita Dei arca. Quo circa docebat D. Chrysost. *Vide maximam eius animi alacritatem. Non solum dicit se non ingressurum domum, nec lectum ascensurum, sed nec ea quidem, quæ erant naturalis necessitatis secure desumpturum, donec inueniret locum, & tabernaculum Deo Iacob. Quorum contraria eis â Deo obyciebatur dicente: vos quidem habitatis in domibus laqueatis, domus autē mea deserta est.* Quibus sanctus proponit & Dauidis maximam virtutem, & Israelitarum Deo exosam iniquitatem. Dauidis virtus in eo erat, quod omnem â se depelleret requiem, dum non insimili videretur Deiarca. Israelitarum iniquitas inde maior ostē debatur, quod dum Dei templum noscerēt inornatum, ipsi sibi domos struebant maxime ornatas. Quod illis quæribundus obijcit dominus Aggæe cap. 1. fatus: *Nunquid tempus vobis est, cur habitetis in domibus laqueatis: & domus ista deserta?* Quando Dei Domus vilis, & nuda, incomposita iacet, Dei querelas excitat, qui sibi ornatas, & preciosas ædes parat. Circa quæ D. Cyrill. Alexand. ait: *Haud obscure damnatur Israel, demonstraturque eos ad priuatam quietem, & delicias pertinentia Dei gloria anteponere:: Quare ingens profecto piaculum committimus, nec prætendere ad excusandū, quicquam possumus, si diuina in secundis, & humanis posteriora ducamus.* Quippe vt maxima est virtus, quod sacrorum commoda tuis præponas; sic nunquam sine ingenti piaculo tuis habendis, & fruendis commodis das operam, & diuina iacere permittis. Dicebat Dominus Oseæ cap. 10. *Ex diebus Gabaa peccabit Israel.* Et sane in Gabaa vna tribus Beniamin peccauit, dum concubinam vnius Leuitæ oppressit, vt habes Iud. 19. quorum facinus tupissimum detestatus Israel processit in vindictam, & pene omnes Beniaminitas ex Dei sententia percussit. In quo ergo ex tunc peccauit Israel Deo? Nonne quod adulteros percusserit, opus fuit virtutis? Erat equidem tunc temporis Deus ab Israelitis maxime offensus, qui fornicabantur in dijs alienis. Israelitæ autē nō curantes adulteria, quæ in Deum fiebant, illa adulteria castigare nituntur, quæ nocentiora credebantur sibi. Ideo merito censentur ex tunc peccasse, ex quo sua is commodis consulunt, & nō diuinis. Ait D. Hier. ibi: *Ex eo die, quo vxorem Leuitæ turpiter, & orndeliter occidit Beniamin in vrbe Gabaa: peccauit mihi omnis Israel, non quia vltus est iniuriam, & scelus sanguine vindicauit, sed quia dolore maxitali pro filiuit ad pugnam, & sacrilegium in Deū suum noluit vindicare.* Posuit in secundis incommoda diuina pellere, & sua in primis: ex quo die Israelis peccata cæperunt solicitare diuinam iram. Vt hinc metuāt sibi principes, qui in primis ponant sua commoda acquirere; nihili æstimantes incommoda inde ortura religioni diuinæ; rati hæc vt secundaria, & accidentalia iuri suo minime curanda. Eu metuendum ius, cui est secundaria, & accidentaria religio! In super matuendus maxime est principibus sumptus in prælijs pro temporali suo dominio recuperando, vbi nihil impenditur pro reintegranda Dei fide in medio pene orbe amissa. Nota est historia, vt arca Dei fuerat apud Philisthæos captiua; cum trium phās reducerentur ad populum Israel 1. Reg. 6. *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Et cur arca à captiuitate veniens ad suos, tantam stragem in suis facit? Ait Theodor. quæst. 14. ibi: *Pupulus fuit castigatus, vt qui noluerit pro arca adire periculum, & septem menses eam relinquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non susceperit.* Et cur non timeat ille populus à Deo percuti, qui cum pro suis commodis subeat pericula, bella moueat, ingentes faciat sumptus, pro Dei religione conculcata ab impijs nec pedem moueat? Et prætermittat periclitantem Dei causam, vt operam det promouendo causam suam.

§. XIII.

Similitudo in laboribus gratiam conciliat.

SApienter Vrias labores cauet vitare, in quibus nouerat esse duces suos primarios, dum ait: *Dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manēt, & ego ingrediar domum meam, vt comedā, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, non faciam, &c.* Sapienter inquam, bonus miles non se dissimilem in laboribus faciat suo duci primario; ex similitudine namque laborū illius tenebit gratiam. Quem enim similitudo laborum gratiosum tibi non faciat? Luc. 2. *Post quam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* Et mirabar, quod diuinissimus puer circuncisionem susciperet minime sibi necessariam. Cur Deus, qui omnia redintegrare venis,

in

tu circuncidi àmas? Veniebat Israelitas circunciſos ad ſe tracturus; & eorum labores capit, vt magis illis ex ſimilitudine placeat. Quo ſpectans D. Zeno ſer. de circunciſ. dicebat: *Ideo circunciſus, quia Iudais erat promiſſus. Ideo cum præputio natus quia in æternum incircunciſis gentibus erat profuturus.* Ecce tibi quando Iudæorum gratiam, & affectum piſcaturus venerat, non refugit illis in labore circunciſionis aſſimilari, ratus non poſſe illis gratioſus eſſe, niſi ex laborum conformitate. Hinc latro in cruce clamabat ad Ieſum: *Domine memento mei.* Luc. 23. Dauid autem Pſal. 131. ait: *Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Itaque latro ſolam ſui memoriã petit; Dauid autem non ſolam ſui petit memoriam, ſed, & manſuetudinis ſuæ. Et quando Dauid ad ſolicitandam Dei erga ſe gratam memoriam, non ſolum ſe proponit, ſed & ſuam mãſuetudinem addit. Cur latro nil operis virtuoſi habens proponendum, audet ſe ſolum proponere, vt Dei miſericordiam conſequatur? Videbat ſe latrò in cruce poſitum, quam ſimilimum eſſe in forma externi laboris filio Dei, Regi omnium, & duci, & ex hac ſimilitudine laboris non potuit non expectare gratiam apud tantum ducem. Vt dicat pro eo D. Cyril. Hieroſolym. cãtech. 13. *Nõ dico, vt opera meorum memineris, hæc enim metuo, Omnis autem homo afficitur bene comiti ſuo: ſimul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui.* Ecce vt non in alio, niſi in conformitate laboris ſperat excitari ad ſe Dei gratiſsimam memoriam. Et quid non ſperet vel peccator à Chriſto de laborum ſimilitudine? Profecto D. Hilar. lib. contra Cõſtantium, inde nequiſsimum Imperatorem percutit, quod blãditijs, non tormentis ad hæreſim trahat ſeruos Chriſti: ait enim: *At tu omnium crudelitatum crudeliſsime, dã no maiori innes, & venia minore deſauit. Non relinquis ſaltem miſeris excuſationes, vt æterno iudici ſuo pœnas, & aliquas laniatorũ, corporum præferant cicatrices, vt infirmitas defendat neceſsitatem.* Expende illa: *Vt æterno iudici ſuo pœnas, & aliquas laniatorum corporum præferant cicatrices:* quippe etiam à fide cadentes tormentorum vi, haberent excuſationis fiduciam de laborum ſimilitudine, ſi æterno iudici poſtmodum pœnitentes præferrent laniati corporis aliquas cicatrices.

D. Zeno.

Pſal. 131

D. Cyril.

D. Hilar.

(?)

2. *Reg.* 11. Manſit Vrias in Hieruſalẽ in die illa, & altera; & vocauit eũ Dauid, vt comederet corã ſe, & biberet, & inebriauit eũ qui egreſſus veſpere dormiuit in ſtratu ſuo cum ſeruis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit. Factum eſt ergo mane, & ſcripſit Dauid epiſtolam ad Ioab; miſitq; per manum Vriæ; ſcribens in epiſtola: Ponite Vriã ex aduerſo belli, vbi fortiſsimũ eſt prælium, & derelinquite eũ, &c.

§. XIIII.

Ab Euchariſtiæ menſa mors triumphalis procedit.

COnuiuio excipitur regio Vrias; ait enim: *Vocauit eum Dauid, vt comederet coram ſe, &.* Deinde ad non ignauam mittitur mortem, dum ait: *Ponite Vriã ex aduerſo belli, vbi fortiſsimum eſt prælium, & derelinquite eum vt percuſſus intereat.* Secretius, & facilius res fieret, ſi vni lictori mandaretur, quod hominem percuteret in porta Regis dormientem. Et præcipue ſi hoc opus mandaretur miniſtro illi, quo vſus Dauid fuerat in Berſabee ad ſe adducenda. At cum mandatur Ioabo, & ſimul præſcribitur rei modus, vt nimirum ponatur Vrias in maiori periculo belli, & ibi derelinquatur à comitibus, magis vulgabatur res, cum præter Ioab, tota illa pars exercitus facienda erat certior mandati regis, quæ deſertura hominem in periculo erat. Cur ergo Dauid non magis elegit, quod Vrias occideretur priuatim dormiens in porta aulæ, quam in illo periculo belli? Nulli dubium eſt, quin mors illa priuata dormienti in porta regis fædior miliiſſet, quam ſi inter confertiſsimos hoſtes ſtrenue pugnans moreretur. Cauit ergo rex hominem, quem conuiuio regio exceperat, non glorioſiori, & præſtãtiori tradere mortis generi. Indigniſsime ad ianuam Regiæ iaceret percuſſus, qui paulo ante Regiæ aſſederat menſæ. Quare ille menſæ fauor, homini glorioſiorem

rem acquirebat in bello decessum. Quo non possum non meminisse virtutem eucharisticæ mensæ à summo omnium rege nobis paratæ, de qua nobis etiam, & triumphalior, & glorioſior mors aduenit. Dicebat Iacob filio ſuo Iudæ, in quo noſter rex Iesus figurabatur, Gen. 39. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*: quibus non obſcure inſinuatur mortis Chriſti claritudo; quæ confertur lauacro vini. Sed cur vino comparatur mors Chriſti? Ait Gennadius in cat. Græca. *De mortis genere loquitur, qua magnum quid, & excellens efficietur. Nam quo alij inficiuntur, hoc ſplendidior ipſe reddetur. Et belle quidem vino mors eius aſſimilatur, longo ante tempore præmonſtrans vſum myſtici ſanguinis, quẽ ab eo acceperi eramus.* Expende illud: *Præmonſtrans vſum myſtici ſanguinis, &c* quippe vt triumphus, & gloria mortis Chriſti oſtenderetur, illam vini lauacro maluit comparare, vino, inquam, in quo figurabatur poculum viuifici ſanguinis, vſum mirum eius præmonſtrans, dum ſimul hoc ſalutiferum poculum meminit, & illi adiũctã mortẽ ſplẽdidiſsimã, & triũphalẽ. Quidquid enim in morte ſplẽdidũ eſt, triũphale de huius venit poculi conuiuio ſalutari: Quo ſpectaba Paul. 1. ad Corith. 5. *Etenim paſca noſtrũ immolatus eſt Chriſtus itaque expullemur, &c* Et Chriſti mortẽ ſimul, & epulũ meminit Paulus. Et quis filius in morte partis meminit epuluũ? Cur in Chriſti morte non magis meminit ieiunia, lachrymas? Pater ille familias Luc. 15. dixerat: *Mãducemꝰ, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit.* Nõ propter mortẽ, ſe propter reſurrectionẽ filij epulatur. Cur Paulus in ſola crucis morte epulum proponit? Viderat Paulus mortem Chriſti in cruce glorioſam eſſe, & triumphalem, & totam iam ſplendeſcere ſub reſurrectionis gaudijs, & epulum clamat, oſtendens totam illam mortis, & crucis gloriam, de viuifico eucharistiæ epulo manare. Vt dicat D. Aug. hom. 9. de cruce, & latr. *Feſtiuitas epulationis eſt crux Chriſti.* Quidquid feſtiuũ, quidquid triumphale in morte, & cruce apparet, de epulo diminiſsimi regis naſcitur. Hinc venit, quod quidquid horrendum, & vile eſt in morte, vacet, ſolum quod ſuaue, & glorioſum maneat. Id circo clamabat ſponſa Canticor. 5. *Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſtimi.* Simul vocat ad epulũ, & ebrietatẽ? Et cur in diuiniſsimo epulo voluit adiũgere ebrietatẽ? Vt eucharistiæ nobiliſsimũ effectũ commẽdaret, ſolet enim ab ebrietate ſõnus venire; & ſic adiuino epulo prouenit mors, quæ nihil mortis vilitatum, & horroris habeat, ſed placidiſsimi ſomni referat imaginem. Quo forſam ſpectabat D. Niſſen. hom. 10. in Cant. aiens. *Ebrietatẽ autem ſequitur ſomnus: Somnus eſt mortis ſimilitudo. In eo enim ſoluitur omnis ſentiens corporum operatio, procreat obliuionem curarum, efficit, vt nullus ſit malorum ſenſus, &c.* Sic ex diuino conuiuio illa ebrietas naſcitur, quæ hominem non in veram mortem, ſed in mortis trasfert imaginẽ, in qua, quæ acerba ſunt mortis, diſparent; & ſolum manet quaſi ſomni ſuauitas.

Geneſ. 39

Gennad.

Paul. 1.

Luc. 4.

D. Aug.

Cant. 5.

Niſſen.

§. XV.

Ad victoriam magis pertinet, qui neſcit non vigilare pro domino ſuo.

MVltus eſt Dauid in procurãda Vriæ morte; dicit enim: *Ponite vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſsimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* Iubet, vt conſtituatur Vrias, vbi fortiſsimum eſt prælium, & inſuper monet vt ibi deſaratur â ſuis. Quid neceſſum fuit addere, quod ibi à ſuis deſeratur? Nõ ne ſufficiebat, quod poneretur, vbi erat bellum difficilimum, vt crederetur ibi periturus? Quẽ viderat rex ſemel & ter vigilantem pro Regiæ foribus, & inter vigilantiſsimos cuſtodes degere, nõ credidit poſſe ſuperari in certamine, niſi à ſuis proderetur. Nunquam enim non ſpectat ad victoriã, qui ſic nouit vigilare pro domino ſuo, pro ſuo Rege. Electurus Gedeon milites, cum quibus victoriam obtineret, eos audit à Deo eligendos Iud. 7. *Quilingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, &c.* Ad deuicendos hoſtes illi ſeparantur, qui canes æmulabantur in haurienda aqua. Sed quid canum æmulatio ad victoriam facit? In cane oſtenditur ſumma pro domino vigilantia. Et vix creditur caſurus in difficilimo etiam certamine, qui nouit pro domino vigilare. Vt dicat D. Aug. epiſt. 59. *Et certe illi recẽti in numero per crucis literã ſanctiſsimo nõ eligerentur ad victoriã faciẽdã, qui tanquã canes lãberent aquam, niſi aliquid magnũ ſignificarent. Vigilant enim, & latrant boni canes, & pro domo, & pro domino, & pro grege, & pro paſtore.* Itaq; ex eo, quod veluti canes vigilãt pro domo, & pro domino, eliguntur à Deo ad victoriam de hoſtibus

Iud. 7.

D. Aug.

repor-

reportandam. Nunquam enim non signũ præferunt victoriæ propè comparatæ, qui nullis vigilijs pro domino parcunt. Hinc Luc. 12. *Beati serui illi, quos, cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discũbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia, &c.* Audio vigilias militares, & non audio certamina; sed vigilias immediate sequitur totum negotium victoriæ comparatæ, & pacis, sequitur enim discubitus, & in mensa ministratio. Sed post vigilias militares instare solent certamina difficilia, & post hæc victoria plaudit, tunc discubitus, & epulatio, & totum negotium pacis. Cur in præsenti nihil de certaminis difficultate, nihil de victoria; sed post vigilias immediate sequitur pacis negotium, nimirum discubitus, & epulatio? Crediderim, quod in eo, qui scit pro domino vigilare, nullum sit difficile certamen, nulla victoria, quæ comparata non censeatur, & ideo vigilanti vni iam dantur negotia pacis. Quo forsam spectabat D. Cyprian. epistol. 54. aiens? *Interesse debet inter eos, qui apostatauerunt: & inter eos, qui ab Ecclesiæ limine non recedentes, & implorantes iugiter, ac dolenter diuina, & paterna solatia, nunc se ad pugnam paratos esse, & pro domini sui nomine, ac pro sua salute stare fortiter, & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem vos non dormientibus, sed vigilantibus damus, &c.* Ostendat aliquis se in domus domini limini stare, nec inde recedere, sed magis ibi vigilare pro nomine domini, & salute sua, paratus fortiter, & viriliter pugnare. Huic iam tunc temporis datur, quidquid est pacis: & pene vllus in eo timetur casus.

D. Cypr.

§. XVI.

Nequiter operanti nihil laboris eripitur.

POterat Dauid rem occisionis Uriæ commendare Ioabo, dicens; Fac, vt Urias pereat in bello; sed maluit ipse per se & rem, & modum, & circunstantias cogitare, & præcipere. Et ideo ipse scribit epistolam, ipse omnia disponit. Aitnamque textus: *Misitque per manum Uriæ: scribens in epistola: Ponite Uriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, vt percussus intereat.* Nihil reliquit Ioabo cogitandum, sed omnia ipse per se præmeditatur, omnia disponit, ne quid laboris in facinore desit male operanti. Structores illi turris Babel Genes. 9. vt opus inceptarent, dicebant: *Venite faciamus lateres, & coquamus eos igne, &c.* Genes. 11

Lateribus à se peractis turrim amant ædificare, cur non potius lectis lapidibus? Cur magis eligunt lateres, quam lapides? Lapides à natura & Deo iam facti vnum requirunt laborem, quo expoliantur, vt in ædificio ponantur. Lateres autem toti fiũt ab arte, & labore humano; est enim labor in terra adiũgenda, purgãda, in luto efficiẽdo, in cõponẽdo in coquẽdo in fornace, in poliẽdo, & aptando operi. Vt ergo illa turris ex malo struebatur; sic eius strũctores eã materiã eligunt, qua nullus illis eripiatur labor. Non longe abest Claudius Marius Victorin. lib. 3. in Genes. fatus:

------ --- Sic mota inuentus
Contemnit cautes, & quidquid mõte reciso
Desiit, ac domitæ fictos de viscere terræ
Constringunt igne lateres, operisque futuri
Materiem proprio malunt debere labori.

Nihil laboris amant remittere, ideo non lapidibus, qui elaborati à natura sunt, sed lateribus vtuntur, in quibus omnia ex labore proprio proficiscuntur. Habet enim hoc præcipuum ille, qui nequiter operatur; cui nullus labor minuitur. Ioann. 20. *Cum ergo serò esset die illo, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio, &c.* Non fores pulsauit, non iussit, vt illas aperirent discipuli, sed clausis manentibus introiuit. Quam aliter Psal. 23. clamabat: *Attolite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales; & introibit rex gloriæ.* Cur in præsenti iubet principibus, vt aperiant portas? Quando ad discipulos intrauit clausis ianuis, cur ad hos principes nõ vult intrare, quin prius ipsi portas aperiant? Discipuli sancti erãt, quibus Deus laborẽ minuit; at principes isti erãt principes inferorũ nequissimi, quib⁹ nullus minuitur labor, sed ipsi cogũtur, quidquid laboris est perficere. Ait D. Epiph. orat. de Christi domini sepultura. *Non quasi dominus, qui hic præsto est, clausis ianuis, si velit, ingredi nequeat; verum quia vobis fugitiuis seruis æternarum portarum sublationem, translationem, & communitionem imperare maluit, quam vel per se ipsum eas aperire, vel per occlusas prodigiosè transmittere.* Ea solet esse Christi domini prouidẽtia, quæ seruo nequam nihil laboris minuit.

Ioan. 20.

Psal. 23.

D. Epiph.

2. *Reg.* 11. Egressique viri de ciuitate, bellabant aduersus Ioab, & ceciderũt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus. Misitque Ioab & nuntiauit Dauid, omnia verba prælij, &c.

§. XVII.

Uriæ mors illi optima, ex ignorato vxoris crimine.

ECce tibi in belli discrimine, *mortuus est etiam Vrias Hethæus.* Ita ne Deus permisit cadere virum fidelissimum arte malignantium? Permisit equidẽ, sed non in damum, sed in bonum ipsius Uriæ. Ereptus est enim vitæ, quando tantum nõ suboluerat illi vxoris flagitium, cui ille minime mederi potuisset. Sic canebat de Delphidio mortuo Ausonius.

Auson.

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævi raptus es
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læsus coniugis.

Hoc plane euenit Uriæ munere Dei, quod nullo errore filiæ læsus, nullumque coniugis malum sentiens, minus malorũ expertus, virili ætate, integra adhuc nominis gloria è vita discederet. Præuẽtus est mortẽ, ne dolorè maritali conficeretur. Quis nesciat, quod maritis, *dura sit sicut infernus æmulatio*, Cant. 8. Durissimum sane est viro, quod sciat vxorem suam alteri prostitutã, & fallar, nisi inde dolor exortus mortis dolores vincat. Ideo Amos cap. 7. æmulo suo durissimum supplicium minitans

Cant. 8.

ait: *Propter hoc hæc dicit dominus, vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent:: & tu in terra polluta morieris.* Expende quando denuntietur mors implo futura, nimirum cum prius adimpleatur illud: vxor tua in ciuitate fornicabitur, hoc est, publicabitur tibi fornicaria, & adultera, vt eam talem videas ante mortem tuam, nec remedium possis adducere tantæ nequitiæ. Quid homini durius? Sapienter ait D. Hieron. ibi: *Grandis autẽ*

D. Hier.

dolor, incredibilisque ignominia, quando maritus in media ciuitate, præsentibus cũctis vxoris iniuriam prohibere non potest. Sed hic dolor, hæc ignominia datur impio; sed nõ datur Uriæ, quem mors tãto malo eripuit,

§. VVIII.

Illustrior tibi mors accidit, quæ infertur ab ijs, quibus obsequia præstiteras.

CAuit textus dicere, quod hostes occidissent Uriam; ait enim: *Egressi viri de ciuitate bellabãt aduersus Ioab, & ceciderũt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias.* Dixisset consequentius, & ceciderunt etiam Uriam, sed cauit exprimere; quod hostes ceciderint Uriã, malens dicere, quod ipse mortuus esset; vt innueretur non ab hostibus fuisse occisus. Pertinebat enim ad gloriam Uriæ, quod non tam esset ab hostibus occisus, quã ab eis, quos innumeris obstrinxerat officijs. Nemo non scit Abelis virtutes, vt grãtam Deo hostiam obtulit, vt inde fratris incurrit indignationem, vt fuit interfectus ab illo. *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum Gen.* 4. Cuius tamẽ mortem componens D. Chrysost. cũ plagis D. Pauli acceptis à Iudæis, has ille excellentiores, & præstantiores dicit. Et vnde Pauli plagæ illustriores sunt clarissima Abelis morte? Ait Chrysost. hom. 1. de laudib. Pauli: *Abel obtulit sacrificium, & inde laudatur, sed si Pauli hostiã adducamus in medium, quãm celũ à terra superior apparebit:: Abel quidẽ à fratre, vt nihil à se læso, ita nullis affecto beneficijs interemptus est: Paulus vero ab ijs interfectus est, quos innumeris malis cupiebat eripere, & propter quos sustinuit vniuersa quæ passus est.* Hæc fuit prestãtia Pauli supra ipsum Abel iustum, dum ambo in mortẽ, & plagas deueniunt. Quod Abel mortẽ patitur à Cain, quẽ nullis officijs obstrinxerat, nulla pro eo mala pertulerat, nec laborauerat, vt eũ malis eriperet. Paulus autem ab ijs sustinebat lethales iniurias, & mortẽ ipsam, quos mille obsequijs deuinxerat sibi, pro quibus innumera mala passus fuerat, & à quibus arcere curauerat calamitates infinitas. Hoc sane supremũ in Paulo fuit, & supra omnia alia illius generis clarissimũ. Ideo Cant. 3. ait: *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui.* Procl. Pelt. D. Bernard. Ruffin. Theodor. Iustus, Angelomus & alij relati à P. Delrio in præsenti refe-

Chrisost.

Cant. 3.

rune

runt hæc ad spineam coronam, qua Dei filius crudelissime coronatus est ab impijs. Sed cur non dicit; quod coronarũt illum impij; perduelles, nefarissimi hostes; sed dicit, quod illum mater sua coronauit, nempe Synagoga? Faciebat maxime ad gloriam Christi, quod illam lethalissimam iniuriam pertulisset, nõ ab alijs, quã ab ijs quos ipse prosecutus fuerat affectu, & obsequijs filij, pro quibus extollendis, & liberandis diu vigilauerat. Ait Aponius. Aponius lib. 5. in Cant. *Crudelis mater spinis coronauit visibilibus filium pacificum regem: clementissimus vero filius sua morte, inuisibilibus eam gemmis, si credat, ornauit. Illæ igitur animæ ad intelligentiam huius mysterij inuitantur, quæ possunt capere magnæ gloriæ esse illius funebris spectaculi diem, quando sibi effuso præcioso sanguine despondit Ecclesiam; quando sacrilega mater spineo diademate coronauit eum Synagoga.* Non sic gloriosus fulgeret Iesus sub plagis acceptis ab hoste insensissimo, quam ab illis, qui acceptis beneficijs tenebantur illum colere vt filium.

§. XIX.

In hoc veniabile peccatum Dauid apparuit, quod glorioſam mortem, non vilem Uriæ procurauit.

EA mors fuit procurata Uriæ, quæ etiã gloriosissimis bellatoribus accidit, dicit namque: *Egressi viri de ciuitate bellabant aduersus Ioab, & ceciderunt de populo filiorum Dauid, & mortuus est etiam Urias*; itaque pugnans in difficilimo certamine Urias mortus est; & qui dormiens posset vel à Dauide, vel Ioabo opprimi; cauerunt illi, ne aliter interficeretur, quã pugnans aduersus hostes, quod gloriosissimorum militum proprium est. In quo quis neget aliquomodo veniabilem esse Dauidis culpam, quæ non vilem, sed glorioſam mortem militi suo procurat? Aiebat Psal. 108. *Peccatum matris eius non deleatur.* Quod refert Aponius ad peccatum Synagogæ in Iesum. Et cur petitur, quod peccatum huius pessimæ matris in Iesum omni careat venia? Ait ipse Aponius lib. 5. in Cant. *Quia crudelior stetit mulieribus adulteris, & homicidis, quæ crudeliter, furtimque generatos filios, crudelius trucidant; quæ gloriose editum, morte turpissima condemnauit.* Equidem Synagoga in morte Iesu omni prorsus venia caret, quia filium glorioſe à se editum, gloriosisque facinoribus illustrem turpissima morte damnauit, vt vel mortis infamia posset eius nomen penitus eradere. Non sic Dauid, sed quo milite glorioſe vsus est in multis, & si nefarie illum morti tradidit, tamẽ eam illi mortem procurauit, ob quam inter gloriosissimos milites posset numerari. Inde Dauidis facinus veniabile apparuit; & longe distans à Tyrannorum deplaratorum insidijs. De maximo namque locutus Latinus Pacat. in Paneg. Theodosij ait: *Sicut ille pro ceteris sceleribus suis minus crudelis fuisse videtur, is vestram Vallio triumphalis, & trabeate Merobandes recordetur interitum. Quorum alter post amplissimos magistratus, & purpuras Consulares, & contractum intra vnam domum, quendam honorum senatum, vita se se abdicare compulsus est, alteri manibus satellitum Britannorum gula domifracta, & inusta fœmineæ mortis infamia, vt scilicet maluisse vir ferri a mantissimus videretur laqueo perire, quam gladio.* Quid crudelius? Quid magis proprium deploratissimi tyranni? Mortẽ, infert, & eam mortem quæ patienti nihil relinquat laudis. Pacati.

§. XX.

Vix creditur mortuus, qui hoſtium aſſultibus oppoſitus decumbit.

NOtantes dicit textus: *Egressi viri de ciuitate bellabant aduersus Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Urias.* Expende illud: *Egressi viri de ciuitate, &c.* non ait, egressi hostes, sed egressi viri. Et cur cauit vocare hostes, & vocat viros? Occurrẽs illis pugnacissimus Urias, in occursu ab illis percussus corruit, & cum oporteret illum mortuum nuntiari, sapienter tacetur, quod fuerit ab hostibus inter difficiles pugnas interfectus: egre enim crederetur mortuus, si pugnans ab hostibus diceretur percussus. Supra. 2. Regum 1. narrabat quidam Dauidi, vt inuenerat Saulem ab hostibus percussum, & vt precibus eius annuens illum occiderat. Ait enim: *Stansque super eum, illum occidi, sciebã enim, quod viuere nõ poterat post ruinam.* Quo audito Dauid iuuet, vt hic miser nuntius confestim perimatur, quod & factum est. Et quæ fuit culpa 2. Reg. 1.

huius miseri, vt sic deberet occidi? Ait Bachiarius epist. de recipiendis lapsis: *Illum Dauid statim morte damnauit, cum percussum ab hostibus desperasset esse victurum.* Dixerat miser, quod Saulē inuenerat in pugna ab hostibus percussum, & sic percussum, vt certo sciret illum confestim moriturum: & ob hoc Dauidis iram incurrit, quod crederet non posse viuere, qui in pugna fuerat ab hostibus percussus. Adeo difficulter credenda est mors, in eo, qui pugnans deficit inter hostes confertissimos. Hac mente Iudæi, cum Centurionem Romanum pugnacissimum virum multitudine oppressissent, cadauer eius apud se obseruabāt. Et cur cadauer obseruabant? Ait Egesip. lib. 5. cap. 30. *Quasi adhuc, & defunctum timerent, si Romanis restitueretur.* Is erat Iulianus, qui solus se se medios inconfertissimos hostes dederat, inter quos acriter pugnans oppressus fuit multitudine; quem & si mortuum videbant; vix credebant Iudei mortuum, & non sopitum, se se que ab illo obseruabant, tanquam si viuiueret?

Bachiar.

Egesip.

2. *Reg.* 11. Dixit Dauid ad nuntium: Hæc dices Ioab. Non te frangat ista res: varius enim est euentus belli, & nunc hunc; nūc illum consumit gladius; confortare bellatores tuos aduersus vrbem, vt destruas eam, & exortare eos. Audiuit autem vxor Vriæ, quod mortuus esset Vrias vir suus, & planxit eum. Transactoque luctu misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor, peperitque ei filium; & displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid, coram domino,

§. XXI.

Temporalium vsura hominem solet in malum firmare.

AVdierat Dauid suorum ruinam, florētissimi Vriæ militis mortem, nec in ijs memoriam Dei habet, sed solū spectat fortunę casus. Dicit enim Ioabo: *Non te frangat ista res, varius est enim euētus belli, & nūc hunc, nūc illū consumit gladius, cōfortare, &c.* Ecce tibi quo cōfugit Dauid in acepta clade, nimirum, ad varios bellorum euētus, cur non magis ad Deum confugit? Cur non magis in nota suorum morte, meminit proprij finis instantis, diuini gladij minantis? Inerat mortibus illis vsura boni tēporalis, qua liberabatur Dauid à magna anxietate, quam habebat circa Bersebeth infamiam cælandam, vt iam posset eius libere frui complexibus. Vbi autem boni temporalis vsura, vel spes eius arridet, memoria Dei abest, & fere homines in peccatis obfirmantur. Cum Iesus crucifixus esset Matt. 27. Iudæi illudebant magnis clamoribus crucifixo; & quod magis est: *Id ipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* In ipsis mortis tormentis erāt latrones, & tunc adhuc illis vacabat Iesu improperare, & non magis afflicto parcere. Interea ait Luc. cap. 28. *Vnus de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens, si tu es Christus, saluū fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eam dicens: Neque tu times Deū.* Mirabar antea, quod duo moribundi homines, & iam in ipso mortis articulo constituti nec Deū meminissent, sed magis proximi iniurijs vacassent. Et modo miror, quod vel sero alter illorum resipiscat, & Deum agnoscat, & in eius agnitionem trahere amet socium. Vnde illis sic moribundis tanta illa stultitia; siue tam demēs obliuio Dei; huic autem tam sapiens resipiscētia, & memoria Dei? Ait D. Titus Bostrensis in cap. 23. Lucæ: *Initio vterque latro, æque ac cæteri iudæi Christo insultabat; forsam quo hac ratione gratiam illorum emeriti, venia potirentur, aut aliquod saltem pœnarū laxamentum consequerentur. Postea quam beneficio, quod à Iudæis expectabant, se frustratos viderunt, alter resipuit, sotiumque, vt vna resipisceret, grauiter admonuit.* Dum illos tenebat spes lucelli temporalis obtinendi a Iudæis, sic obfirmabantur in peccatis, vt etiā in morte Dei obliti, Iudæis cum diuina iniuria placere satagerēt. Nec antea resipuit illorum alter, quam illa spes temporalis lucelli prorsus euanuit. Illa autem euanescente, statim alter Deum meminit, & æternæ suæ salutis negotium agit. Proh vsura temporalis lucelli, quam vel in ipsis periculis mentes hominum obcæcas, ne meminerint Deum! Quid dico, ne mæminerint Deum? Solent equidem, qui intendunt tē-

Ioabo.

Matt. 27.

Luc. c. 28.

D. Titus.

po-

poralibus vel Deum blaſphemare? Ait enim Matth. 27. *Prætereuntes blaſphemabant eum.* Qui ſunt prætereuntes iſti? Qui in bonis æternis non manebant, ſed cum temporalibus præteribant, hi & in Dei blaſphemias ibant. Ex quo ait Orig. hom. 35. in Matth. *Quandiu ergo quis non præterit viam, neque declinauit à via, ſtans dicere poteſt Deo; ſtatuiſti ſupra petram pedes meos: & non blaſphemat Ieſum. Si autem ceciderit, aut præterierit, vel trãſierit, vel declinauerit, tunc eum blaſphemat. Sicut, qui de reliquerũt terminos æternos.* Qui terminis æternis de relictis temporalia commoda prætereuntes ſpectãt, mirum erit, ſi Deum non blaſphement, & negent. Oſeas cap. 10. dicebat: *Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei, ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris.* Ecce tibi quid pampinis luxurians Iſraelis vinea pariat? nimirum veri Dei obliuionem, ſeu contemptũ, & venerationem Idolorum. Ait ibi D. Cyrill. Alex. *Nata eſt in cornu vberi, & loco pingui. Veruntamen non vuam, ſed ſpinas potius produxit. Nam in multitudine bonorum ſibi donatorum velut ſociam, & contra Deum colluctatricem iniquitatem exhibuit. Multiplicauit enim altaria, &c.* Hi ſunt legitimi partus, qui à bonis, & commodis temporalibus proficiſcuntur.

Origin.

Oſeas c. 10

D. Cyrill.

§. XXII.

Nomen ſola inter recte facta illuſtre manet.

IAm iam futuræ reginæ nomen cælatur, & ſolũ ait: *Audiuit Vxor Vriæ, quod mortuus eſſet*; nec miror adhuc adulteræ fæminæ nomen celari, imo & à memoria radi; quod ſolum inter virtutes illuſtre manet. Sapienter id notabat Theodor. lib. 8. de Martyribus fatus. *Ac philoſophi quidem præclarique oratores obliuioni iam dati ſunt; Imperatorum vero, ac magnorum ducum, nec nomina quidem multi hodie nouerunt, cum tamen martyrum nomina, magis quam familiarium cuncti mortales ſcient. Quin etiam naſcẽtibus filijs ea imponi curant, ita cuſtodiam illis tutelamque certiſſimam comparantes.* Dum peccatorum nomina etiã cantatiſſima perdũntur; manent, & ſplendent ſanctorũ nomina; eaq; nota omnibus ſunt magis, quã familiarium, & amicorum nomina. Imo vel maximi viri gaudent ea filijs ſuis imponi; cuſtodiam inde illis comparantes firmiſsimam. Et quis nõ gaudeat fulgere ſub nomine ſancti viri? Luc. 10. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum & mulier quædã Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria.* Quæ aut aptãtur ab Eccleſia Mariæ Dei Matri; ſic virgo Dei mater debet intelligi ſub nomine huius Mariæ. Et mirabar, quod puriſsima Dei mater gaudere poſſet, quod ſibi nomẽ attribuatur nomen fæminæ, cui impudicitiæ macula fuerat inuſta. Cur magis non cauetur, quod ſub eodem vocabulo intelligatur Maria virgo, & Maria, quæ fuerat in ciuitate peccatrix? Equidem hæc peccatis dedita nomine prorſus caruit in ſcriptura; ex quo autem ſe ſe Ieſu dedit per pænitentiam, id nomen obtinuit, ſub quo nõ graueturintelligi Virgo Maria. Ad hæc ait Petrus Bleſenſ. ſer. de Magdal. 23. *Nec parui pendendum eſt patrocinium, huius paniten tis, quia ſicut æquiuocatur beatæ Virgini in vocabulo, ſic etiam confertur ei, quodammodo in exemplo; nec dedignatur ancillæ domina, adoleſcentulæ regina. Dei genetrix & , quæ fuerat peccatrix, æquiuocari, vtraque ſiquidem Maria vocatur.* Quod glorioſus ſuis ſanctæ peccatrici? In tantum creuit gloria eius nominis, vt Regina Angelorum, & Mater Dei gaudeat æquiuocari in illo. Et crede mihi nunquam non ad bene operantis nomen curritur etiã à præſtantiſsimis. Pſal. 141. *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.* Quæ ſic leguntur apud Symacum: *Nomen tuum coronabunt iuſti, cum me beneficijs affeceris.* Ex quo enim Deus ſe nobis benefactorem oſtendit, ſic radiauit eius nomẽ, vt omnes ad illum euolent. Non abſimile quid dicebat Quintilianus Romano Imperatori Declamat. 3. pro milite: *Itaque cũ appareret ſoluta militiæ diſciplina, & nõ minor nobis pugna cum moribus eſſet, quam cum hoſtibus, ad vnicum Cæſarem, cum virtutis tuæ, tũ ſanctitatis, ſeueritatiſque præſidiũ cõfugimus. Et me hercule feſtinarunt parentes ad nomen liberos mittere, quamuis aſperrimo bello, velut occaſionem complexi, vt ſub te ponere rudimenta militiæ contingeret, cernere quotidie diuinæ virtutis exemplum, &c.* Expende illa: *Feſtinarunt parentes ad nomen liberos mittere*; vbi nomen præſtantis virtute viri radiat, ad illud vniuerſi feſtinant. Nunquam enim non manet commendabile apud omnes nomen virtutis.

Theodor.

Luc. 10.

Pet. Bleſ.

Pſal. 141

Quintil.

(?)

§. XXIII.

Nobilibus mentibus vitæ infamia summo est dolori.

POst luctum Vriæ in regnum rapitur Bersabeth, dicit namque: *Transactoq; luctu misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor.* Behementer accusatur hoc matrimonium à Theodor. & Procopio; sed nō ignobilis est eius excusatio à nostro Saliano indigitata. Quia nimirum Dauid illo curabat obtegere facinus à se, & à Bersabe perpetratum; nobiles enim mentes summam æstimant pœnam, si expositi sint alicuius notæ infamiæ. Senserat Saul Deum iratum, & scire cupiens authorem diuinarum irarum, sic ad Deum orabat 1. Reg. cap. 14. *Domine Deus Israel da indicium, quid est, quod non responderis seruo tuo hodie. Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionē, aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.* Sed cur pro se, & filio petit solā ostēsionem, pro populo autem petit sanctitatem? Bonus rex populo suo nullam pœnā à Deo inferri volebat etiam pro culpa, sed magis ei puritatem, & sanctitatem optabat, ipse autem vna cum filio pœnam peccato debitam subire non detrectat, ideo facinoris sui, filij ve ostensionem, & publicationem petit ex Deo, vt quę nobilibus mētibus sit pœna maxima. Mordentur sanè vehementissime ingenuæ mentes quauis turpis facinoris infamia. Passus fuerat Iob bonorum omnium iacturam, viderat filios decissa domo oppressos, inspiciebat se in sterquilinio iacentem innumeris morbis affectum; & nullum verbum acerbum pronuntiauit. Veniunt amici, vt eum consolarentur, quos ipse videns obstupefactos cap. 3. *Aperuit os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies, in qua natus sum, &c.* Tot malis, tot ærumnis, tot doloribus confectus nullum dixit verbū amarum; vbi autem vidit amicos appropinquātes, tunc tot amaritudinis, & doloris verba profatus est. Et cur amicorum aductus amariora verba à viro extorsit, quam bonorum ruina, quam mors filiorum, quam tot morbi? In amicorum congressu cæpit regalissimus homo timere famæ suæ, ne crederetur à se commissum aliquod facinus, cuius infamiæ metus præ omnibus aliis eius animum fodicabat. Chrysost. in Cat. Græca fatur. *Maxime vero laborabat eum non vis sane malorum, sed quia tanquam in hominem impium, & exlegem, tanquam in Dei hostem, calamitas illa incidisse videretur. Neque ita de corporis lue, vt is de nominis existimatione laborabat, non ambitione quidē vlla, sed ea potissimum re, quia suis illis ærumnis plerosque offendi animaduertebat.* Non sic laborabat de lue corporis, vt de nominis existimatione; huius enim defectus maxime mordet viros nobilitate præstātes. Cōueniant huc, qui se nobiles putant, & non dolent, quod luxurioſi, prodigi cantentur passim; hi fallar, si à vilissimis mancipijs valeant separari. Qui enim nobilis est, nō tā laborat de alijs calamitatibus, quam de nominis existimatione. Matth. 15. clamabat ad Iesū mulier Chananæa: *Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur.* Et noui alios pro filijs, & filiabus infirmis venisse ad Iesum, sed nullum audio sic clamasse, nec dixisse; *Miserere mei.* Cur hæc mulier plus omnibus clamat pro filia? Cur in causa filiæ dicit: Miserere mei? De hoc filiæ incommodo aliqua mala fama forsan spargebatur, quæ ingenuam fœminæ mentem super omnes infirmitates lancinabat. Orig. hom. 7. ex diuersis: *Miserere mei domine, pignus meum consumitur, & pars corporis mei violatur. Opinio inqua exit de filia mea.* Torquebatur male Chananæ filia à Dæmonio, non solum quod ab illo in corpore vexaretur, sed & forsan aliqua indecora cogebatur facere, quæ opinioni aduersarentur honestatis. Nobilis autem mater non tam de malo corporis, quam de opinione filiæ laborabat. Pro hac anxia erat, pro hac clamabat!

1. Reg. c. 14.

Chrysost.

Matt. 15.

Orig.

CAPVT. XXVI.

Dauidis pœnitentia.

Textus Historia.

OBtuso peccati aculeo, Dauid multos iam menses eius dulcedine fruebatur, cuius latente in corde veneno, nūquā credebatur sanior. Sed regis vlcus nō latuit omnipotētē Dei oculū, qui ante susceptas actiones cernens intentionem, & animum ante facta, Dauidis miseretur, au-

xi-

xiliatur à diabolo furtim oppresso, nec sinit victoriam esse percussoris. Nathanũ prophetã mittit Deus, Prophetæ medicũ futurũ. Imperat hulcus denudet, subijciat oculis miseriã, quã patitur. Venit ad Dauidẽ Nathan⁹, & orationẽ texit argute, aciẽ sententiæ sermone texit arcano, sub lingua medicamentum gerit, & fabula sensum fallit, vt sensum excitet: Duo inquit, erant viri in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diuiti erant ouium, boumque greges plurimi; pauperi tenuem vitam consolabatur oue vna, quæ de eius mensa alebatur, & erat illi in delitijs. Accidit autem, quod diues hospiti pararet conuiuium, cuius gratia parcens gregibus suis, pauperculi illius ouem occidit. Plura dicturum cohibuit rex. Sententiamque in diuitem pronuntiat, eo acriorem, quo ignorabat se illa manere percussum. Quid denique Nathanus? Arcanum deuulgat, nudat reum, scelus clare repræsentat, adijcit intẽtatas Dei minas, quibus Dauid expergefactus vt peccatum amouit, a se fecit declinare Dei iram. Decliuauit equidem ira Dei à Dauide, sed peruenit ad filium adulterij fructũ, qui correptus morbo, nullis parentum lachrymis, nullis ieiunijs, nullis precibus valuit mortem effugere. Cessauit à fletu Dauid, vt filium vidit defunctum, nondum enim fuerat expertus lachrymis parentũ donari à Deo filios sublatos à funere. Inde monenti Ioabo, qui cantatissimam victoriam asseruauerat Dauidi, cũ ingenti exercitu aduersus Ammonitas proficiscitur, expugnatisque eorum vrbibus, præcipuos pristinæ iniuriæ authores grauissime excruciatos conficit, & sibi auream coronam idolis ereptam acquirit.

PARS MORALIS

circa textus literam.

PECCANTI Dauidi sapientissime Dauid pœnitens adiungitur, nequis ad facinora euolet, de quibus tantum virum pœnituit.

2. *Reg.* 12. Misit ergo dominus Natham ad Dauidẽ. Qui cum veniſſet ad eum, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino præter ouẽ vnam parυulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens & in sino suo, &c.

§. I.

Non cuiusuis est regum facinora coram mordere.

NAthã prophera erat, vt vocant Theodor. Chrysost. Basil. Seleuc. & alij, nec quia propheta erat, ipsæ ex se venit ad Dauidem, sed expectat à Deo mitti. Dicit enim: *Misit ergo dominus Natham ad Dauidem.* Nec miror, non enim est cuiusuis, sed magni, & sanctissimi viri, & à Deo missi, quod velit rigorosas Dei sententias regibus corã indicere. Notum est illud Saulis facinus. 1. Reg. 28. vt iuit ad mulierem Phithonissam, cuius murmure creditur excitatus Samuel, & de alio sæculo adductus coram Saule. Dicit ibi textus: *Intellexit Saul, quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit, &c.* Et est celebris quæstio, an potuerit Phithonissa mulier carminibus suis sanctissimi viri animam allicere? Quod nullo modo est credendum catholicis viris: non enim eam potentiam habent maleficorum carmina circa sanctorum animas adducendas, nec circa malignas. Cur ergo modo sanctus Samuel ad mulieris euocationem voluit venire, præcipue Regi tristia nuntiaturus? Ait D. Aug. lib. 2. ad Simplician. quæst. 3. *Non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis permissum fuisse, vt non inuitus, nec domi nante, aut subiugante magica potentia, sed volens, atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, qua & Pythonissam illam, & Saulem latebat, consentiret spiritus propheta se ostendi aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus.* Equidem nec Pythonissa, nec tota Magorum potentia; sed solus Deus potest adducere homines etiam sanctos, & solo viuentes spiritu, vt regibus dicant tristia

1. Reg. 28

D. Aug.

tia. Pondera illa maxime sunt: *Sed ob temperans occultæ dispensationi Dei consentiret spiritus propheræ se ostendi aspectibus regis diuina eum sententia percussurus.* Non caro, sed spiritus prophetæ obtemperans occultæ Dei dispensationi consentiret sententia diuina regem corã percutere. Equidem non carneus, sed totus spiritualis sit, & ab vno Deo motus, qui velit regibus annuntiare tristia. Nec miror, quando hæc durissime accipiuntur ab illis. De Ioãne dicebat Dominus Matth. 11. *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Quasi à domibus regũ excludat dominus eos, qui non mollibus, sed asperis vestiuntur. At multi sunt non mollibus vestiti, sed asperis, sed vilibus, qui nihilominus versantur in Regijs, placentq; omnino regibus, & principibus; cur ergo à Regijs excluduntur? Equidem sunt in Regijs, qui non molles habent vestes, sed habent verba mollissima. In quibus verba vesti non molli correspondent, ij etiam in causa salutis male habent apud reges, & principes. Aiebat de Ioan. Rupert. lib. 2. de Glor & Honor. filij hominis: *Ecce vere hominem non mollibus vestitum, quippe cuius sermo pilis camelorũ, quibus vestitus erat multo est asperior, vnde & non potuit esse in domibus regum, imo in domo regis Herodis decollatus est propter eiusmodi sermones, &c.* Correspondeant verba vesti asperę, & fallar, si in domibus regum sis.

Matt. 11

Rupert.

§. II.

Dexteritate, magis quam seueritate vtendum tibi est, vt persuadeas pœnitentiam.

PÆnitentiam inserturus Dauidis menti Nathanus, fabulam proponit alterius peccatoris dicens: *Duo viri erant in vna ciuitate, vnus diues & alter pauper, &c.* O mira prophetæ dexteritas alium effingit percutiendum non Dauidem, vt Dauidem trahat ad pœnitentiam. Tales requirunt humana vulnera medicos, qui arte valeant, non ferro. De rege Iosia locutus Ecclesiast. 49. ait. *Ipse est directus diuinitus in pœnitẽtiam gentis.* Et qualis erat hic rex, qui à Deo dirigebatur, vt traheret homines in pœnitentiam? Vatablus ibi legit: *In populo reformando dexteritate vsus est, & abominandas impietates substulit.* Non communiter ferrum, sed ars, & dexteritas magistri impietates tollit, & pœnitentiam ingeminat. Vt moneat D. August. epist. 64. *Non ergo aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tollantur, magis docendo, quam iubendo, magis monendo, quã minando. Et si quid minamur, cum dolore simus, de scripturis comminando vindictam futuram nemo nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.* Hæc ibi: de quibus sæpe à nobis dictum est.

Eccl. 49.

Vatablus.

D. Aug.

§. III.

Sapientibus sapienter prædicandum.

NOn simplici sermone, sed argutè afficta narratione Nathanus Dauidẽ aggreditur dicens: *Duo viri erant in ciuitate vna, & c.* Circa quæ ait D. Basil. Sel. orat. 17. *Venit ad Dauidem Nathanus, & orationem texit argute.* Et merito orationem argutam composuit, qua caperet prophetam etiam cultissimum, & sapientissimum; nullis enim sapientiæ argutijs parcẽdum est, vbi ad capiendos sapientes te accinxeris. Cæcus quidam plebeius Luc. 18 clamabat ad Iesum: *Iesu fili Dauid miserere mei.* Audit Iesus se filium Dauid à cæco vocari, & nullum de hac re verbum dicit illi. Matth. autem 22. *Congregatis Pharisæis interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dixerũt ei, Dauid. Ait illis. Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat cũ dominũ dicẽs: Dixit dominus domino meo.* Ecce tibi vbi in præsẽti audit Christũ vocari Dauidis filiũ, sapientissimã, & acutissimam quæstionẽ excitat circa verba scripturæ. Et cur autem vocatus Dauidis filius tacet, deque hac quæstione, nihil dicit; & modo illam proponit? Nactus modo fuerat Scribas, & Pharisæos legis doctores, apud quos quod altioris sapientiæ est, proponit, vt eos acquirat. Quo spectãs Tertul. lib. 4. in Mat. ait: *Qui olim à cæco vocatus fuerat filius Dauid, quod tunc reticuit, non habens in præsentia Scribas, nunc vltro coram eis de industria protulit.* Quæ altioris erant sapientiæ, non promit Iesus corã plebeio cæco, vbi autem sapientiorum vidit congressum, statim, quæ subtiliora erant in scripturis, ea profert. Ioan. 10. dicitur

Luc. 18.

Matth.

Tertul.

Salomonis

c'tur Iesus de ambulasse in porticu Salomonis; ibique docens Iudæos ait: *Ego, & pater vnum sumus.* Quid sublimius? Cur domine absconditam à sæculis filij, & patris consubstantialitatem modo reuelas? ait D. Ambr. epist. 76. *Plerumque secundũ qualitatem locorum in quibus docebat famulos suos, disputationes suas formare dignatus est, vt in porticu Salomonis, hoc est, sapientis, deambulans loquebatur. Ego, & pater vnum sumus.* Sic sapientibus, quæ sapientiora erant, annuntiabat. Huc trahenda dicta, tomo 5. de Christ. Figur. lib. 9. c. 8. §. 34.

D. Amb.

§. IIII.

Sermonis cultus vtilis in Regijs.

COmptissimam præmeditans fabellam Nathamus Regiam adit. Dicit namque: *Qui cum venisset ad Dauidem, dixit ei: Duo viri erant in vna ciuitate, &c.* Vnde, o bone sic audes regi adlatrare? Cur non magis vereris regiam maiestatem? Sic illum armarat Dominus apud D. Basil. Sel. or. 17. *Si regiam maiestatem formidas, ego linguam tuam perpoliam.* Ecce tibi quibus armis confirmetur Nathamus, vt in Regia prævaleat; nimirum *liguã tuam perpoliam*, dum cultiori, politiori ve sermone agat ex Deo, mirum erit, si Regias omnes in Christo sagenam non trahat. Dicebat Ioel cap. 2. *Nolite timere animalia regionis, quòniam germinauerũt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, vinea, & ficus dederunt virtutem suam.* Quæ vinea, & quæ ficus virtutem suam proferunt, in quo videantur speciosa deserti fructificasse? Ait D. Cyril. Alexand. ibi: *Vineam, atque ficũ dedisse virtutem, firmum, atque solidam, opinor, docentium sermonem, cui mixta est dulcedo, & ratio delectandi, fructibus fici, & vineæ comparans.* Et merito sermonem, in quo est dulcedo, & ratio delectandi virtutem vocat. Magna enim virtus, & valentia in eo doctore, qui illo nouit vti sermone. Non enim otiosus debet censeri labor circã sermonem polliendum, vt eo verbosuli curiales ad Deum trahantur. Vide 5. tom. de Christ. Fig. lib. 9. cap. 8. §. 36.

Natham.

D. Basil.

Ioel c. 2.

D. Cyril.

(?)

§. V.

Sumptus facti in re diuina, maxime tenet hominem circa illam.

PRoposita fabula diuitis, & pauperis, incipit explicare pauperis affectum erga ouem suam, & ait: *Pauper nihil habebat omnino præter ouem vnam parvulam quam emerat, &c.* Et quidem nihil aliud habet pauper, nisi id quod suis sumptibus emit; ideo maiori rapitur suarum rescularum affectu; nunquam enim non magis tenent hominẽ res, quæ proprijs sumptibus cõparatæ sunt. Nemo nescit portenta illa, quæ acciderunt Christo moriente, vt sol obscuratus est, vt dẽsissimæ tenebræ factæ, vt petræ collisæ, vt terra mota; interea tamen ait Matth. 27 *Erant autem ibi mulieres multæ, à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrãtes ei: inter quas erat Maria Magdalene, &c.* Apostoli fugerant ad primum strepitum Christi cõprehensi, nec ausi sunt illum comitari euntem ad mortem; mulieres autem, & in via mortis, & in ipsa luce eũ præstolabãtur, imo inter tremenda illa tenebrarũ, terræ motusque portẽta adhuc non discedebant, sed ibi constantissime perseverabant. Et quæres magis tenebat iuxta crucem mulieres, quam apostolos? Indigitabat Euangelista dicens: *A Galilæa ministrantes ei:* erant mulieres, quæ sumptibus suis Iesum sibi magistrum acquisierant; ideo ab illo separari etiam inter tot metuenda non valebant. Quo spectans Victor Antioch. in cap. 16. Marci dicebat: *Erant autem & mulieres de longe aspicientes, & iuxta crucem domini perseverabant. Siquidem spectaculum illud mulieribus minus formidabile erat, quam Apostolis. De hac autem mulierum constantia Ioannes scribit: stabat autem iuxta crucẽ Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cæterum ministerium, quod fæminæ, quæ Iesum sequebantur, præstabant, aliud fere nullum erat, quam quod de pecunijs suis ipsi; ipsique discipulis sumptus faciẽbant.* Hoc fere solum ministerium harum fæminarum erat, quod pecunijs suis sumptus facerent Iesu; & hi sumptus sic eas ad Iesum afficiebat, vt nec ab illo separarentur propter terrores illos, qui apostolos in fugam dederant. Hinc sapienter Iesus Angelum Laodiceæ monebat Apocal. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, &c.* Sa-

Matt. 27.

Euang.

Antioch.

Ioan. 4. maritanæ dicebat Ioan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitam petisses, &c.* Non ait, tu forsitam emisses, sed tu forsitam petisses. Et cur Samaritanæ suggerit, vt petat, non suggerit, vt emat; Laodiceæ autem Episcopo nō suggerit, vt petat, sed suggerit, vt magis emat? Episcopum ad illas virtutes instruebat, quas non facile desereret, sed in illis medio quo vis turbine maneret, & ideo illā emptionem suggerebat, non enim facile patimur perdere, quod nostris sumptibus emimus. Quo spectabat Andræas Cæsarien. in Apocal. cap. 19. fatus: *Volenti animo ignitum aurum emito, nempe sacræ doctrinæ verbum igne exploratum, splendidumque redditum. Per hoc enim cordi tuo eiusmodi thesaurus obtinget, qui nec violari, nec facile diripi poterit* Quis facile diripi patiatur ea, quæ non leuibus sumptibus emit? Quis non potius despiciat omnia pericula, vt caro emptum conseruet? Iudicū cap. 18. Sexcenti viri fortissimi repuerunt idola de domo Michæ, quos ipse sequebatur clamans, & interrogatus, cur post illos sic clamaret, ait: Deos meos, *quos mihi fecit*, tulistis, &c. expende illud: *quos mihi feci*, nimirum *quos meis sumptibus feci, inde enim* ostendebat auxietatem suam, & pertinaciam in prosequendis eis, quia nimirum illi ereptos ferebant Deos, quos suis effecerat sumptibus. Sic afficiuntur homines ad ea, quæ sumptibus cōparārūt. Exquo dicebat Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autolicum: *Vbi autem dijlli opera humanarum manuum fuerint aere redempti, & in templum, aut domum aliquam collocati, non dubitant in eorum honorem victimas cadere emptores, & artifices, qui eos, & fecerunt, & vendiderunt, & accedunt pariter magno studio, & exquisito sacrificiorum apparatu, vt eos adorent.* Expende illa: *Vbi fuerint aere redemti*; quippe antea nihili fiebant, in angulis domus artificum iacētes; sed vbi empti sunt, vbi cæperunt caro pretio constare, sibi totum affectum emptorum rapiunt, vt nequeant ab illis separari; Conuenite huc viri religiosi, & ne patiamini facile perdere, quod dispendio bonorum omnium, & libertatis comparabatis. Equidem cui aut nullo pretio, aut vili stat Christus, facile eripitur. Hinc qui primam gratiam nobis in baptismo communicat per elementum à quæ, quod elementum absque vllo sumpto habetur, & conseruatur. Spiritum sanctum nobis per elementum ignis, qui multo sumptu conseruatur, nobis communicabit. Ait enim Actor, 2. *Apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis.* Plane aquā in cisterna sine sumptu habemus per annum; lampas autem nec minima sine olei, alterius ve fomenti sumpto, non conseruatur. Cur ergo dominus Spiritum sanctum suum non tradidit nisi sub eius elemento, quod pabulorum sumptibus conseruatur? Eo Deus expectabat, vt sic in Spiritu sancto firmaremur, ne facile ab eo possemus separari, vt nō facile separamur ab ijs, pro quibus tenendis sumptus facimus. Dicebat Arnol. Carnot. de Iesu tract. de laud. Mariæ: *Merces mortis Iesu, salus est hominū. Nec facile illud sibi perire patitur, pro quo & sanguinis precium datum est.* Nunquā enim quod caro emptum est, non tenacius custoditur.

Apoc. 19

Iud. 18.

Keophil.

Actor. 2.

Arnold.

§. VI.

Redemptionis nostræ pretium mensam Eucharisticam introduxit.

EXpende nexum illum verborum videlicet: *Quam emerat, & nutrierat: : de pane illius comedens, & c.* Emptionem sequitur alimētum, & pastus cura. Nullus mihi crede, gregem emit, cui statim pastū non prouideat. Ne miremur paratam nobis à Iesu mensam eucharistiam, vt corporis eius pane, & calice sanguinis vescamur: emera enim nos antea sanguine suo. Ait Apocal. 5. *Et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo regnum, & Sacerdotes.* In primis ait: *redemisti nos*, hoc est iuxta Alcazaris nostri sententiam, coemisti nos in sanguine tuo, & post sic coēptos fecisti nos sacerdotes. Non, inquam, dicimur omnes redempti sacerdotes strictim facti, sed latissimo vocabulo, prout omnes eucharisticæ hostiæ participes sumus. eo enim ipso, quod redempti sumus diuino sanguine, vocamur ad mensam, in qua pascimur, & corpore, & sanguine redemptoris Christi: Vt merito dicat D. Chrysost. hom. 2. ad Populum. *Qui sanguinem suum pro nobis effundere non recusauit, & carnem suam, & rursus ipsum sanguinem nobis communicauit.* Bonus dominus quos greges sanguine suo emit, etiam pauit. Quis enim gregem emit, cui statim pastum non procurauit? De Virginibus dicebat etiam Apocal. 14. *Hi sequuntur agnum, quocumq; ierit. Hi empti sunt ex hominibus.* Circa quę verba ait D. Aug. lib. de sancta virginitate:

Apoc. 5.

D. Chrys.

Apoc. 14.

D. Aug. tē: *Qui sequimini agnum, quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc agnum? Quo patet nat eum ire? In quos saltus, & prata?* Sic vbi deduci ab agno emptos suos meminit, statim etiam meminit prata, non ambigens emptor greges deducendos ad pascuam. Non absimile est illud Isaiæ cap. 1. *Filios enutrivi & exaltaui.* Vbi D. Cyril. Alex. legit. *Filios genui, & euexi:* Filios equidem genuit Iesus, cum nos per baptismum sanguinis sui redemit. Quid tunc? Ait ipse: *Et euexi.* Circa quæ D. Cyril. *Genui filios, nec id modo, seu euexi, id est, nutrivi. Liberatus quippe Israel, non desertus, ac destitutus auxilio deinceps fuit, non amoris diuini expers, vtpote, qui tanquam filius à patre nutriebatur. Panem namque cœli dedit illis, &c.* Vt redempti, simul & nutriti sunt. Ex pretio enim sanguinis pro nobis fuso, statim nobis cibus paratur. Quo spectant data 1. tom. in Euang. lib. 3. cap. 8. §. 5.

D. Cyril.

§. VII.

Vnus Dei spiritus est, non nisi de suo alijs præstare.

VIde, vnde alebatur pauperis huius ouicula, quippe ait: *De pane illius comedēs, & de calice eius bibens, &c.* Nō equidem de alterius, sed de domini sui pane vescebatur, & de calice eiusdem domini bibebat. Et quidem pauper iste censu, diues creditur diuino spiritu, quando non nisi de suo alebat ouiculam suam. Solius enim Dei spiritus est, qui facit homines alijs præstare non nisi de suo. Clamabat dominus Cant. 5. *Veni in hortū meū, soror mea spōsa, messui myrrhā meā cū aromatibus meis comedi fauū cum melle meo, bibi vinū cū lacte meo: comedite amici, & bibite, & c.* Ecce tibi vt nihil proponat, quod non asseruat suum, videlicet hortum suum aromata sua, mel suum, lac suum, sic nescit præstare dominus nisi de suo. Ad hæc Rupert. lib. 3. in Cant. dicebat: *Nō quomodo serpens mulierē Euā, & mulier virū suū inuitauit ad comedendū; ego inuito vos ad comedēdū; & bibendum imo cōtra illud, quod illi comederūt, ego necessariæ comestionis appono vobis antidotū. Serpēs nō dabat illis de suo, sed suadebat rapere de alieno: ego do vobis de proprio, de sauo, & melle meo, de vino meo, & lacte meo, imo de corpore meo, de sanguine meo, simul, & de spiritu meo.* Quod diuinius? Ecreaturis primi illi donatores inueniuntur, qui epulū porrigebant, vim rum serpens, & mulier? Ambo ad pomum comedendum alliciunt: & ad quod pomum? An ad suum? Absit; ambo suadebant rapere, & comedere de alieno. Sic omnes, qui alieni sunt à diuino spiritu curius est non nisi de suo escas porrigere. Ideo Iesus meus nihil non suum proponit, imo & ad suum corpus, & suum sanguinem summendum inuitat, ne de alio alamur eius ouiculæ, quam de pane suo, & de calice suo. Quo crediderim spectasse illud Ioelis cap. 2. *Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quoniam dedit vobis doctorem iustitiæ* D Cyril. Alexan. legit. *Quoniam dedit vobis escam in iustitiam.* Septuag. posuere: *escam iustitiæ.* Et quidem doctor noster Iesus escas parat suis, quæ nullius iniuriam sapiant, quæ iustitiā præ seferant, dum non de alienis, sed de proprijs proueniunt. Non sic mundialium diuitum escæ, sed iniurias halant, & cedes. Conuiuanti Herodi Mar. 6. *Allatum est caput Ioannis in disco:* Quod meditatus D. Fulg. ibi ait: *Multorum credo iam capita piscium pecudumque præcesserant, sed quantum est ad regiam voluptatem? Potuit hoc fortasse, & priuata mensa conspicere. Nil alium, nil denique procuratum esset, si defuisset regio prādio humano caput humanum:* Expende illa: *si defuisset regio prandio humano, &c.* quippe in hoc humana diuitum, potentumq; mensa distinguitur à diuinâ; quod illa aliorū iniurijs, solet impleri, hæc autem nil nō iustum profert, eoque vel in ipsis dapibus spectat, vt iustitiæ satisfiat. Quod meditatus Nicolaus Cabasila in expos. liturgiæ cap. 4. ait. *Ipse iussit panem, & vinum offerre. Ipse pro eis retribuit panem viuentē, & calicē vitæ æternæ, Vnde quemadmodū Apostolis pro piscatione piscationē reddidit, propiscatione piscium piscationē hominū, & diuiti, qui de regno interrogabat, pro terrenis diuitijs cœlestes pollicitus est; ait contra hic, quibus vitam æternam erat daturus, dico autem viuificum suum corpus, & sanguinem, eis offerre iussit ea, quæ brevis, & momentanea vitæ causa sunt, vt pro vita vitam reciperemus, pro temporali æternam, & misericordia habeat etiam aliquid iustitiæ; & impleatur illud: Ponam misericordiam meam instatere.* Ecce diuina mensa tota halat iustitiam; vt non solum fugiat iniurias aliorum; sed & ponens in ea dominus nil non suum, siquid ab alijs accipit, cumulatissime id ibi remunerat.

Rup. li. 3.

Cant. 5.

Marc. 6.

Nicolaos Cabasila.

(?)

§. VIII.

Eucharistia non nisi mundissimis.

MIrabar, quod vates sapiens effingerat ouiculam bibere in eodem calice cum domino suo, ait enim: *& de calice eius bibens.* Quis hoc dicat coram rege de homine, quod patiatur ouem bibere in calice suo? Plane id dixit vates Nathanus, & dixit prudentissime, summam inde volens commendare ouis munditiem. Insanus enim esset homo, qui crederetur in eodem calice admittere bibiturũ aliquem non mundissimum. Vt hinc discas, quanta cura dominus Iesus cauet, ne calix suus præclarus, aut labris, aut manibus tractetur immundis Luc. 22. discumbebat Iesus cum discipuli suis, & tunc ait: *Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem, &c.* Ecce tibi bis calicẽ nominat, primo est, calix datus discipulis, vt ipsi acciperent, & ipsi inter se diuiderent; secundum autem solus Iesus ostenditur & panẽ, & calicẽ accepisse, & discipulis porrexisse. Quid hoc? Ait author Anonimus in cat. Græca: *Duorũ Lucas videtur meminisse p oculorum. Et de vno quidẽ dicit: Accipite, & diuidite inter vos, quod veteris testamenti figurã quis esse dixerit. Et de altero, quod illum post quam fregit panẽ, & distribuit, ipse distribuerit discipulis, quod & noui testamẽti nominat.* Vt primus calix erat communis, & ad vetus testamẽtũ pertinebat, sic distribuendus permittitur manibus discipulorũ. Secũdus autem calix, qui noui testamenti mysteria continebat, & potionem claudebat eucharisticam, non alijs manibus creditur, sed solis Iesu manibus creditur, vtpote omnium mundissimis. Tunc enim ostendebat iã dominus, quã amet Eucharistica mẽsa tractaria mũdꝰ. Pro quo accipe rẽ scitu dignã; eã tradit D. Greg. Turronens. lib. 1. miracul. ca. 86. *Dies passionis erat Polycarpi martyris magni, & in Riçomagensi vico ciuitatis Aruerna eius solẽnia celebrabantur. Lectaigitur passione cũ reliquis lectionibus, quas canõ sacerdotalis inuexit, tẽpus ad sacrificiũ offerẽdũ aduenit, acceptaq; turri diaconus in qua ministeria dominici corporis habebãtur, ferre cepit ad ostiũ, ingressusq; tẽplũ, vt eã altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aera, & sic ad ipsam aram accedens, nunquã eius manus diaconi potuit assequi; quod non alia credimus actũ de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia.* Sic ibi, vt videas, quam amet tractari puris manibus eucharistica mensa.

Luc. 22.

Amphim.

D. Greg.

§. IX.

Amor filialis maior, & firmior, quam coniugalis.

SVb ouiculæ nomine ostendebat propheta, quam chara esset viro coniux, & ait: *Eratque illi sicut filia.* Hoc est summum, quod de coniuge potest dici, nõ quod superet filiorum charitatẽ, sed quod aliquãdo illã attingat. Quod autẽ cõmuniter accidit, nunquã non filialis amor amorem coniugalis superat. Et celebris apud Quintilianũ cõiux ille, qui in lecto decũbẽs cũ vxore, matutina luce multis cõfossus vulneribus apparuit occisus. Soli erãt domi filius, & vxor, à quibus tantũ nefas perpetrari potuit. Clamabat vxor aduersus filiũ, illũq; affictis indicijs vehemẽter accusabat parricidij: Pro quo stat Quintilian. Declam. 2. inquiens: *Facinus est, iudices, cõparationẽ fieri, vt sit incredibile parricidiũ? Idẽ vos putatis efficere noctiũ merita, & affectus oculis, blãditiisq; quæsitꝰ, quod natalium pignorũq; reuerentia? Nullas ego facilius perire crediderim, quã corporũ charitates. Et licet matrimonys paulatim reuerẽtia grauitatis accedat, possunt tamẽ distrahi, facilitate, qua coeunt. Quanto alios præstat affectus diligere vita, luciscque author? Liberi, ac parẽtis non alius mihi videtur affectus, quã quo rerũ natura, quo mundus ipse constrictus est.* Pergit multis sapiẽtissimus philosophus extollere amotẽ, qui est inter filios, & parẽtes, supra amorẽ, qui inter cõiuges inuenitur. De omnibus illud ego maxime põdero, quo amores cõiugũ videntur niti, nimirũ *noctiũ merita.* Sũt sunt pene omnia amoris cõiugalis fomẽta noctiurna merita, quæ merito sic notantur esse, vt vincãtur ab amore filiorum, qui à spiritu diuino passim vocantur parentũ lumina. Sic. 3. Reg. 11. *Vt remaneat lucerna Dauid seruo meo:* & quã tũ merita lucis superãt noctiũ meritũ, tãto filialis amor coniugalẽ amorẽ vincit. Noueràt ardentiorẽ hãc charitatẽ inter filios, & parẽtes Iurisconsulti, qui parẽti permittũt occidere filiam adulteram, vxorem autem adulteram minime percuti permittebant à marito. Et cur, qui negant adulte-

Quintil.

3. Reg. 11

rium

rium vendicandum marito, id vindicandū parenti permittunt? Quia scilicet sciebāt posse parentes vinci ab amore filiæ, vtpote ardentiori, ne illam occiderēt, quam maritum ab amore coniugis. Sic habet in L. *Nec in ea*, §. ideo, D. ad leg. Iuliam de Adult. vbi sic: *Ideo autem patri, nō marito mulierem, & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. Cæterum mariti calor, & impetus facile decernentis fuit refrenandus*, Sic ibi: quippe lex maritis frenum posuit, non parentibus; vt qui satis frænentur à natura, ne malum filijs inferant.

2. *Reg.* 12. Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem; parcens ille sumere de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad se. Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis dixit ad Nathan. Viuit dominus quod filius mortis est vir, qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, &c.

§. X.

Voluptas lasciua homini rationali peregrina.

IAm de lasciuo affectu Dauidem occupante locuturus ait: *Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, &c.* Et merito peregrinum affectum lasciuum vocat, nunquam enim lasciua voluptas homini rationali peregrina nō creditur. Pacatus Latinus in Paneg. Theodosij, dum comparat Theodosij exercitum cum Ægyptia classe ait: *Quid in cæteris saltem simile deprehenditur? Maxime si rerum, temporumque facies altrinsecus conferamus, hos illos ne populos animorum subyciamus oculis. Illos vella facientes data ventis classis attulerat, hi longum iter sub armorum fasce carpebant. Illos peregrino igne suspirans regina pellexerat, hos amor laudis, & participandæ gloriæ cura rapiebat. Illos tepens Pharus, & mollis Canopus, lasciuumque populorum altor Nilus emiserat, hos minax Caucasus, & vigens Taurus, & ingentium corporum duratorisser effuderat, &c.* Expende illa mirum: *Illos peregrino igne suspirans regina pellexerat*; Cleopatra enim classem instruens vt ad Antonium contendat, sapienter dum lasciuia correpta pingitur, peregrino igne suspirans introducitur. Quid enim similius lasciuis suspirijs, quàm peregrinus, siue alienus ignis? De filijs Aron, qui perierunt, dicit Leuit. cap. 10. *Offerentes coram domino ignem alienum*. Circa quæ Glossa moralis ait: *Per offerentes ignem alienum coram domino significati sunt sacerdotes noui testamenti qui cum igne luxuriæ ministrant altari.* Similiter Sophonias cap. 1. dicebat: *In die hostiæ domini visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Vbi ait Theodor. *Vestimenta aliena quidam dixerunt ad summam libidinem confecta.* Sic in peregrinis, siue alienis ignis lasciuiæ intelligunt affectum, qui peregrinus creditur homini rationis non experti. Luc. 1. vbi Angelus Gabriel Mariæ Virgini & conceptum, & partum suggerebat; *Turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Quæ verba sic commentatur Hesychius in rem presentē hom. de laud. Mariæ fatus: *Cum talem vocem audisset, & Gabrielem Archangelum intuita domi ex insperato esset, ob vocem de pariendo perturbata tales quasdam abijciebat Gabrielis locutiones: omnia, inquiens, præter opinionem, & peregrina video in te hodie.* Expende illud: *& peregrina*: quippe ipsas matrimonij concessas volupptates adhuc indigitat, sub peregrini nomine. Adeo enim peregrinæ censentur carnis voluptates humanæ rationi.

Leui. c. 10

Leuit. 1.

§. XI.

Magnum est nefas nō de tuis, sed de alienis indigentes fouere.

FAllar, si alijs vehementius exagitaretur hominis impietas, quam dum dicitur aliena rapuisse, vt peregrinum foueret. Dicit namque: *Parcēs ille sumere de*

Theodosij.

de ouibus, & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ouē viri pauperis, &c. Quid magis Impium in homines, & in Deum? Spoliat pauperem, vt peregrinum foueat; & de aliena & rapta substantia curat subuenire egeno. Eccle siasticus cap. 34. dicebat: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum.* Pro eodem ponit immolationem ex iniquo, & subsannationem iniustorum; quæ enim oblatio est à raptore, & iniusto, & iniuriam facienti non oblatio; sed subsanatio censetur, qua Deus irridetur. Ait ibi Hugo Card. *Non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum, id est, oblationes de alieno, quibus videtur offerens Deum deridere offerendo, quod nō est suum.* In derisum, & subsanationem videtur habere Deum, ille, qui parcit suis, & rapit aliena, vt de istis videatur pauperes fouere. Quam longe ab his erat Zacheus; vbi enim christi ano spiritu cæpit moueri, statim cauit propria cum alienis miscere, vt datis proprijs, non derideret, sed honoraret Deum, iuxta Proueib cap. 3. Ait Luc. cap. 19 *Stans autem Zachæus dixit ad Iesum. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudari, reddo quadruplum.* Sic in duas partes substantiam suam deuidebat, ne in parte pauperibus exhibenda aliquid non suum inueniretur. Rem pulchre ponderat D. Chrysost hom. 10. in Lucam: *Substantiam suam in duas diuidit partes, separat ab extraneo proprium, diuidit à fratribus suum. Discernit à bonis suis, quod fuerat alienum. Pars proficit in misericordiam, pars proficit in rapinā redimendam. Receptunt, qui perdiderant quadruplum, & residuum pauperibus proficit in subsidium. Vt, dum male quæsita restituerent, & sua propria pauperibus offerrerent; sic ex fraudibus veniam, & ex misericordia percipere gloriam.* Sic oculatissimus fiebat Zacheus substantiam diuidēs, ne in parte dā da pauperibus alienum aliquid remaneret, & tota facti gratia perderetur. Hinc Dauid facinoris sui pœnitens aiebat Psal. 50. *Tunc acceptabis sacrificium, oblationes, & holocausta.* Circa quæ addit Vrbanus 4. Pont. max. *Holocausta mea scilicet, hoc est, non solum de meo, sed de me toto facta. Nam hæc illa esse intelligo holocausta, de quibus tu domine mihi dicis Isaiæ 52. Holocausta autē tua in conspectu meo sunt semper.* Non enim placent Deo, nec in oculis eius ponuntur holocausta, quæ non sunt de proprijs, sed de alienis.

Eccl. c. 4.

Hug. Cardin.

Prob. c. 13

Luc. c. 19

Chrysost.

Psal. 50.

§. XII.

Regius decor à scelestum supplicio.

VIx Dauid diuitis audit scelus, & *iratus indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis dixit ad Nathan. Viuit dominus, quod filius mortis est vir, &c.* Quæ verba expēdēs D. Basil. Sel. orat. 17 ait: *Ob peccata aliena regie decernit, & sufficiūcōtra Dauidē fert Dauid, dignus morte est,* Et merito regie decreuisse dicitur Dauid, vbi pœnas mortis pauperum oppressori decernit; in eo enim est regius decor, quod perimantur scelesti. Ait Psal. 98. *Et honor regis iustitiam diligit.* Circa quæ Euthym ait: *Dignitas, atque authoritas regis diligit iustitiam. Atque ideo, & præsto ys, aderit, qui tyrannide opprimuntur.* Hic est honor, & splendor, & dignitas regum, quod tyrannis exsibilatur, quod iustitiæ seueritas in reos consistat. Hinc 1. Reg. 4. de Heli dicit: *Et ipse iudicauit Israel quadraginta annis.* Vbi Septuag. posuere: *Ipse iudicabat Israel viginti annos.* Quæ lectio etiam est Luciferi Callaritani, Chrysostomi, & aliorum patrum. Sed quare noster *quadraginta*, illi autem *viginti*? Cum filij eius distortis fuissent moribus per viginti annos, annis multisque, & adulterijs, & sacrilegijs polluti cum ingenti populi scandalo; in illos Heli minime animaduertebat, & ideo toto illo tempore sic in illo principatus splendor sorduit, vt nullus fuisse videatur. Tunc enim splendor claret principatus, quando scelesti calcantur. Ait Apocal. 19. *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, Et habet in vestimento, & femore suo scriptum, Rex regum, & dominus dominantium.* Prius Iesus meus ostenditur calcare scelestos, & diuinæ irę furorum in illos exercere, & statim ostenditur in illo clarissima inscriptio regis regum. Quod notans Rupert. lib. 11. in Apocal. ait: *Igitur illis, qui negauerunt, interfectis, & iuxta præsentem scripturæ huius locum, calcatis in torculari irâ Dei omnipotentis, repente infertur: Et habet in vestimēto: & femore suo scriptum: Rex regum, &c.* Nullum fuit medium, sed statim à scelestum hominum cō cultatione apparuit regius titulus, qui tantum nefariorum punitorem regem ostenderet.

Psal. 98.

Chrysost.

Apoc. 19

Rupert.

§. XIII.

Furti peccatum non sola restitutione expiatur, sed multis alijs illi adiectis.

QVi ouem pauperi eripuerat, quadruplum soluere cogitur. Dixit namq; Dauid: *Ouem reddet in quadruplum.* Nequis putet se omnia expleuisse pro ereptis bonis alienis, dum illa restituit; nã vltra restitutionem debet alijs multis peccatum expiare. Luc. 19. dicebat Zachæus ille iam Christi domini radijs illustratus: *Ecce dimidium bonorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. Non solum, quod defraudauit, reddit; sed & quadruplum soluit insuper & in gentes eleemosinas facit? Quorsum hæc? Sane vltra restitutionem non paucis alijs debet peccatum furti expiare. Ait Anastas. Nicen. quæst. 12. ex D. Chrysostom. *Non potest fieri, vt eadem mensura misericordiæ curet malum inflictum ab auaritia. Nam si obolo aliquem fraudaris, non obolo tibi rursum opus est ad eleemosinam, vt tollas vulnus, quod factum est auaritia, sed talento. Propterea Zachæus, Eu, inquit; quem fraudaui, reddam quadruplum, & dimidium bonorum meorum dabo pauperibus. Si autem in lege dare oportet quadruplum, multo magis in gratia, quam ob rem, etiam si centum dederis, non dum dedisti totum.* D. Chrys. Habet Hæc Chrysost. hom. 33. ad Popul. quibus sapienter docet, vt non in sola restitutione æquali soluitur furti peccatum, sed in superaddenda esse plura alia officia, vel in eleemosynis, præstandis vel in alijs operibus satisfactionis. Forsam Christum Dominum in die vindictæ respiciebant illa verba Prouerb. 6. vbi sic: *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusque precibus, nec suscipiet pro redẽptione dona plurima.* Prouer. 6 Expẽde illud: *Nec suscipiet pro redemptione dona plurima* quippe non quilibet donorum cumulus te eripiet iudici in die iræ, sed necesse est vt restitutionem cumules nouo, & ingenti donorum aggere. Quo spectabat Rabanus apud Hugonem Cardinal. in cap. 34. Ecclesiastici fatus: *Quidã quãta largiũtur, respiciũt, sed quãta rapiunt, nõ attẽdunt, & ideo quæ largiũtur in sacco pertuso reponũt. Prouerbor. 6. dicit Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquã precibus, nec suscipiet pro redẽptione dona plurima.* Hugonem Augenda sunt dona etiã supra multitudinẽ, si velis peccatũ furti redimere, vt si pro vno centum dederis, credas te adhuc totum nõ dedisse, vt docebat Chrysost. supra.

2. *Reg.* 12. Dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir: Hæc dixit dominus Deus Israel; Ego vnxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, & Iuda; si parua sunt ista, adijciant tibi multo maiora, Quare ergo contempsisti verbum domini, vt faceres malũ in conspectu meo? Vriam Hethæum percussisti, &c.

§. XIIII.

Id proprium hominis est, scilicet diuinis beneficijs in gratum esse.

VT Dei est in nos beneficia cõgerere, sic hominis est beneficijs diuinis in gratum esse. Ideo modo Nathã multus est in recensendo diuina beneficia à Deo in Dauidem profecta, & Dauidis eorum obliuionem; fatus: *Hæc dicit dominus Deus Israel: Ego te vnxi in regẽ super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi, &c.* Et post hæc omnia Dauid homicidium, & adulterium reddidit. Illud equidem erat Dei, hoc hominis erat. Nota sunt, quæ Deo populo Israelitico fecerat, vt illi mare siccauit, vt Ægypto eum eripuit, vt fontis aquam dedit, vt cælestem panem exhibuit. Quid ad hæc Israel? Numer. 11. *Vulgusque promiscuum flagrauit desiderio carniũ sedens, ac flens iunctis sibi pariter filiis Israel, & ait: Quis dabit nouis ad vescẽdum carnes: Anima nostra arida est, nil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man, &c.* Num. 11. Deus pluit cælestibus panibus, vt homines impleat dulcedine sua; homo autem contemnit, & despicit cælestem pluuiam. Illud sane propriũ est Dei, quod beneficijs pluat; hoc proprium est hominis, quod illis ingratus existat. Id pulchre ponderat D. Petrus Cellẽsis lib. de Panibus cap. 11. inquiens: *Pensandi sunt labores Moysi, quibus die ac nocte,*

vtitur, ne populus suus famem patiatur; nilominus aquæ exosa populi ingratitudo; cui nec Dei, nec hominis sufficit solicitudo. Plagis decem Ægyptios percutit, in Mari viam eis facit, Pharaonem demergit, de petra aquam producit, aquarum amaritudinem indulcorem vertit: Manna de cælis pluit, multa præterea beneficia impendit, & adhuc populus carnes cum murmure quærit. Hæc Deus populo: hæc populus Deo. Quid pulchrius? Nil minus à Deo venit, quam beneficiorum cumulus; nil magis abhomine redditur, quam ingratitudo. Adeo vt in ipsis beneficijs diuinis, vel iam humana ingratitudo possit definiri. Aiebat Isaias cap. 1. *Filios enutrini, & exaltaui.* Et nutritionem, & exaltationem recensetà Deo exhibitam populo suo. Quid tunc? Ait D. Zeno lib. 3. ser. 42. *Filios appellat, vt exageret crimen; exaltatos, vt ingratos ostendat.* In vna exaltationis cõmemoratione iam cernitur & populi ingratitudo, & Dei beneficium. Non expectatum est, vt dicatur scelus populi, dum solum dicitur dei beneficium, iam populi ingratitudo ibi dicitur. Deuth. 32 *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo Butyrumque de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorũ, & arietum filiorum Bisan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* Expende epilogum illum tot beneficiorum nimirum: *Incrassatus est dilectus, &c.* inuerbo *dilectus* cogita, quid ex Deo haberetur; habebantur enim, quæ ab affectuosissimo dilectore possent sperari: in verba autem *incrassatus*, iam tota hominis ingratitudo adiungebatur, nequid mediaret inter Dei beneficentiam, & ingratitudinem humanam. Vt dicat ibi Ruper. *Incrassatus est dilectus. Dilectus, sed diligenti ingratus, dilectus, inquam, sedipsa dilectione superbe, & ferociter abusus. Talis dilectus recalcitrauit, id est, largitoris imperia calce abiecit.* Diligebat Deus, & dilectionem beneficijs monstrabat; sed homo ingratus dilectoris imperia abijciebat, imo, & dilectorem repudiabat. Pro quo pergit post paulum Rup. *Hæccine redis domino populе stulte? Deum, qui te genuit reliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Illum tu derelinquisti genitorem tuum ingratitudine detestabili.* Nunquam non Deus in hominẽ beneficus pater, nunquam non homo in Deum ingratus.

D. Zeno.

Deut. 32.

Ruperto.

§. XV.

In principibus quæ ad iustitiã pertinent, maxime requirenda.

ADulterium commisserat Dauid, deinde homicidium fecerat, post matrimonium contraxerat Theodoreto, & Procopio, & Abbulensi malum. Nathanus autem adulterium præteriens vnum illi obijcit homicidium, & matrimonium fatus: *Vriam Hetheum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti, &c.* Et cur nõ prius illi obijcit adulterium, quod fuit radix cæterum scelerum? Cur solum de homicidio, & matrimonio accusat hominem, quem etiam posset accusare de adulterio? Homicidium expresse erat contra iustitiam & illud matrimonium etiam, quando per illud dabatur maximus honor fœminæ, cui erat supplicium inferendum; in adulterio autem potius luxuria ostendebatur regis. Ideo non miror, quod Nathanus in Rege, illa in primis accuset, quæ expressius contra iustitiam erant. Sunt enim maxime exigenda in principibus, quæ ad iustitiam pertinẽt. Samuel perfunctus munere principis sic ad suos populares dicebat. 1 Reg. 12. *Loquimini de me coram domino, & coram Christo eius: vtrum bouem cuius quã tulerim, aut asinum: si quem piam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, &c.* Quando omnem suspitionem vitij à se depellebat; nihil de pudicicia sua locutus est, & quidem sciens totum principatum Heli antecessoris sui corruisse ob libidinem filiorũ. Quare, & ipse nihil de luxuria dixit, nil de pudicicia fatus est? Habebat in præsentiarum recẽs creatum regem Saulem, & ideo maluit ea sola pertingere, quæ iusticiæ erãt & inde magis ad regem instituendum faciebant. Ait D. Chrysost. hom. 5. de laud. Paul. *Non enim super decore pudicitiæ, neq; de obliuione locutus est iniuriarum, sed super re tali quadam, quam præcipue discere regem illius temporis oportebat: id est, de conseruanda integritate iustitiæ.* Abstinuit Samuel à pudicitiæ commẽdatione festinans ad illa, quæ maxime principem formabant, nimirum, quæ iustitiæ erant. Sed Actor. 24. Ybi Fælix Præses Iudæorum vna cũ Drusilla vxore audiret; *Disputante Paulo de iustitia,*

1. Reg. 12

D. Chrys.

titia, & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit, &c. Ecce tibi sapientissimus concionator Paulus, vt optimum præsidem institueret, coram Fælice disputat de iustitia, & castitate. Quãdo ergo, vt ait Chrysost. supra Samuel præterit tractatum de castitate volens principem instituere, & magis cutat disputare, de his quæ iustitiæ erant; cur Paulus ad tractatum de iustitia voluit addere, & tractatum de castitate? Instituendus adstabat princeps Felix cum vxore Drusilla, quæ relicto priore marito viuente adhuc Fælici nupserat, vt probat noster Lorinus ibi; quod matrimonium contra iustitiam erat. Propterea Paulus coram illo agit de iustitia, & de castitate, quatenus castitas coniugij per iniustitiam polluebatur. Ait ibi Carthus. *De his tribus Paulus disseruit, quoniam contra iustitiam ex incontinentia Felix coniugem istam adeptus est, eique diuini iudicij memoriam, timoremque proposuit.* Non itaque introduxit Paulus tractatum de Castitate coram Felice, tam ob castitatis commendationẽ, quam in iniustitiæ detestationem, qua maxime debebat principem instituere.

Carthus.

2. *Reg.* 12. Itaque hæc dicit dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. Tu enim fecisti absconditè; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.

§. XVI.

Publicatio sceleris acerbissima solet esse super omne supplicium.

NOn tantus est Nathamus in exagerãdo supplicio, quamtus in explicanda publicitate illius, quo spectant illa: *Dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius*: imo, & illa: *Ego faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Quo sane mirum in modum exacerbabat Dauidis animum, solet enim esse scelerum publicatio omni à cerbior supplicio. Arebat. 1. Reg. 15. *Hæc dicit dominus exercituum: Recensui, quæcumque fecit Amalech Israeli.* Vbi Septuaginta legunt: *Vlciscar, quæcumque fecit, &c.* In vulgata dicit recensui, apud Septuag. autem dicit *vlciscar.* Nonne aliud longe est vlcisci, aliud recensere? Vbi scelera occulta ad publicũ cẽsu rediguntur, ibi cẽsus nõdistinguitur ab vltione, & vltione acerbissima. Idẽq, est, si peccata alicuius in publico recẽseas, ac si illi durissimã vltionem inferas. Hinc Isaias cap. 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Vt filiorum nequam peccata dicat, prius cælestia omnia, & terrena in testes vocat; vt quidquid illi in occulto mali egissent, nunc in conspectu cæli, & terræ appareat. Et quid inde? Fallar, nisi hoc sit illis omnium suppliciorum acerbissimum. Ait D. Zeno lib. 2. ser. 27. *Sicut Isaias indicat carmen, Iudaico populo irascitur Deus, eumque, ne forte pœniteat, publica obiurgatione confutat. Humana sentienti nundinari deterius est, quã puniri:* Vbi dicit nundinari, intellige publicari, vt enim merces solent in nundinis præconũ vocibus euulgari, sic hominum facinora à Deo in pœnã eorum publicantur, quæ illis est acerbissima punitio, & castigatio. Vt merito Sophar Naamites Iob cap. 20. de impiorum pœnis dicat: *Vadent, & venient super eũ horribiles. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius: deuorauit eum ignis, qui non succẽditur, afflictus relictus in tabernaculo suo. Reuelabũt cæli iniquitatẽ eius.* Ecce tibi post horribilia omnia, post tenebras exteriores, post ignẽ gehẽnæ, illud quasi supremũ omniũ ponitur, supplicium, quod cæli reuelabũt iniquitatẽ peccatoris, & illã in cõspectu omnium constituent. Accinit ibi Nicetas factus: *Omnis natura, cum eo, qui Deo est inuisus, inimicicias geret: & partem quidẽ malorum à cælo accipiet, contra eum pugnante Deo; partem vero à terra, inuadentibus hominibus. Et cælum quidem ipsum eius reteget iniquitates, eiusdem facinora, diuinã vltione palam collocante.* Et cælum, & Deus pugnans contra impium; de eiusque malitia vltionem durissimam, Deique ira dignam tractans eo dicitur adductus, vt omnes eius iniquitates palam constituat.

2. *Reg.* 12.

Isai. c. 1.

D. Zeno.

Iob c. 20.

Nicetas.

§. XVII.

Publica obiurgatio contra potentes magis illis solet aditum salutis occludere.

DIcebat Nathanus Dauidi ex Dei nomine: *Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, &c.* Expende illud: *Faciam* de futuro; de præsenti autem solus erat Nathanus cum Dauide, nullus alius audiebat increpationem. Et cur cum in futurum dicatur Dauid publicandus, & castigandus in conspectu omnis Israel; modo non eum statim publicat, & castigat coram omnibus Nathanus? Sapienter cauet diuinus spiritus regem publice obiurgare, quem adhuc ad pœnitentiam adducit. Quando potentium peccatorum est in publica obiurgatione minus pœnitere de culpis. Isaiæ cap. 1. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui; ipsi autē spreuerunt me.* Sic in conspectu cæli, & terræ carpit dominus populi sui crimina? Et cur non magis eos occulte reprehendit? Cur sic coram omnibus eorum publicat facinora? Eos iam deploratos noscens, & à via salutis repulsos publice ferit, vt pœnitentiæ aditus illis ostendatur quo ad efficaciā occlusus. Dicebat D. Zeno lib. 2. ser. 27. *Sicut Isaiæ testatur carmen, iudaico populo irascitur Deus, eumque, ne forte, peniteat; publica obiurgatione confutat.* Expende illa: *Ne forte pœniteat*, quasi hoc habeant in potentioribus publica obiurgatio, quod illis pœnitentiæ aditum magis soleat obtrudere. Vt qui illos amet ad pœnitentiam trahere, magis satagat, quod credant adhuc sua peccata manere occulta. Dicebat Paul. 1. Corinth. 12. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundātiorem circundamus, & inhonesta nostra abundātiorem honestatem habent, &c.* Pulchro exemplo ostendit, qualiter tractandi sint potētiores peccatores in Ecclesia, nimirum vt turpiora mēbra in corpore. Maiori enim honore, & reuerentia tractamus turpiora membra corporis nostri, dum illa obtegimus, ne oculis spectātium pateant. Sic potentiores peccatores obtegere debet, quis illos amat ad pœnitentiam trahere. Quo spectans D. Gregor. lib. 13. Moral. in Iob cap. 3. ait: *Fit plerumque, vt eo vehementius perpetratam culpam lugeat, quo reatum suū, & cū se percussum sentiat, nesciri putat. Magna itaque prædicationis arte agendum est, vt qui ex aperta correctione deteriores fiunt, quodam temperamento correctionis ad salutem redeant. Vnde Paulus ait: Quæ putamus ignobiliora membra, &c.* Occultandus est ergo correctionis hamus vt potentes peccatores trahantur ad vitam. Quo adducenda dicta. 1. tom. in Euang. lib. 3. cap. 6. §. 2.

Isai. c. 1.

D. Zeno.

1. Cho. 12

D. Greg.

§. XVIII.

Externas felicitates & si ingentes perdit domesticus labor.

ILlud minatur Deus Dauidi, quod ingētes eius felicitates posset perdere nimirum: *Ego suscitabo super te malum de domo tua, &c.* Euanent equidem vniuersæ felicitates externæ in malo domestico. Quo in Herode pulchre notabat Egesippus lib. 1. cap. 45. fatus: *Annos triginta quatuor imperio exegit, vtinā tam domestico vsu, quam publicis latus successibus. Namque ita foris secunda eius res aspirauerunt, vt priuatus in regnum asciscereturr, eoque per multa vsus annorū curricula, relinquens liberis imperij successionem, quam ipse à suis non acceperat. Sed intra domum infelicissimus, quam acerbo suorum sanguine, & luctu repleuit.* Hæc in Herode, hæc in Dauide: vterque in externis fælicissimi, infelices in domesticis; ille suspectos filios habuit, hic passus est aperte filium rebellem. Ille tres filios occidit, hic duos occisos fleuit. Vt in vtroque credantur euanescere felicitates externæ in luctibus, & laboribus domesticis. Superat æquidem felicitates externas calamitas domestica. Exod. 1. de filijs Israel in Ægypto existentibus dicit textus: *Filij Israel creuerant, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleuerunt terram.* De quo in immensum gloriabantur Iudæi; sed eorum inanem gloriationem vehementer concutit Hierem. Thren. 1. aiens de Hierusalem: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, &c.* Et quando in genitali solo, in patria propria sic decrescebant Iudei, vt solę manerent vrbes, nonne vanissima, & inanissima est gloriatio de eo, quod in Egypto creuissent? Equidem sapienter

Egesippus

Exod. 1.

Hierem.

D. Zeno. pienter ait D. Zeno lib. 3. ser. 40. *Quid tumet Phariſæus inanis, quem momenti præterita delectat vmbra? Exultat, quod in Ægypto creuerit, at in originali decreuit ſolo.* Et plane quando in proprijs te penuria opprimit, inanis eſt abundantia, quæ tibi in exteris arridet. Quo vehementer metuo, ne Hiſpanorum gloriatio inaneſcat, cũ illos in Indis, in Africa, in Italia, in Frandria creſcere, & in ſuis decreſcere videam. Scio auctа regna multa, extranea, ſed video rareſcere populos ſoli natiui. Iordanus Epiſcopus lib. de rebus Geticis, hinc Faſtidam Gepidorum regem pungebat: *Creſcenti populo dum terras capit addere, incolas patrios reddidit rariores.* Dicant alij, quod volent, non enim ſemel putantur filij ſæculi ſapiẽtiores filijs lucis in ijs, quæ ad ſæculum pertinent. Ego ſemper timuerim, ne penuria domeſtica omnes alias externas fælicitates perdat.

Iordanus.

§. XIX.

Dicenda etiam regibus, quæ terroris, & timoris ſunt.

NOn me contineo, quin ponderẽ Nathani virtutem, & ſapientiam, quæ audet regi, & regi amico diuinis minis terrorem facere. Ait enim: *Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum, &c.* Sic etiam regibus, & principibus dicenda, quæ terrorem faciant. Actor. cap. 24 reus ſtabat Paulus coram Præſide Fælice; & ait textus: *Diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & de iudicio futuro, treme factus Felix reſpondit, &c.* Ecce tibi Paulus & reus, & vinctus ſtans coram Præſide ea diſputat requiſitus de Fide Chriſti, quæ Præſidem perterre faciant. Circa quæ ait D. Chryſoſt. hom. 51. in Acta. *Vide Paulum, quamuis cum principe loqueretur, nihil dicere, eorum per quæ veriſimile erat reſocillari animan illius, ſed talia, è quibus terretur, & mente concutitur. Diſputante enim, inquit, de iuſtitia, & caſtitate, & iudicio tremefactus eſt Felix. Tanta erat verborum Pauli vis, vt & principem terreant.* Poſſet Paulus multa audienti Præſidi iocunda, & plauſibilia dicere, de benignitate Ieſu, de honore exhibendo iudicibus; ſed maluit ea proferre, quæ metum, & terrorem incuterent. Vt hinc iam docerẽtur illi, qui neſciunt nõ placentia dicere prncipibus.

Act. c. 24

Chryſoſt.

2. *Reg.* 12. Et dixit Dauid ad Nathan. Peccaui domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuũ, non morieris. Verum tamẽ quoniam blaſphemare feciſti inimicos domini propter verbũ hoc: filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. Et reuerſus eſt Nathan in domum ſuam; percuſſit quoque dominus paruulum, &c.

§. XX.

Salutare ſignum eſt, quod diuinis ſermonibus moueris.

NOn inania fuerunt verba prophetæ in Dauide, quinimo illis commotus, gelu peccati dimiſſo ſic incaluit, vt ſtatim clamaret: *Peccaui Domino.* Quid ſalutarius? Equidem iam inde illum æternæ gloriæ D. Aug. agnoſcit candidatum. Ait enim lib. 22. contra Faſtum cap. 67. *Quando correptus dixit: Peccaui: continuo ad hoc vnum verbum audire meruit, quod acceperit veniam. Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem?* Et merito, quẽ ſic Dei verba incẽdebant, etiam æterna ſalus expectabat. Luc. 24. diſcipuli in Emaus recumbentes cum Ieſu, agnouerunt eũ in fractione panis. Et dixerunt ad inuicẽ. *Nõne cor noſtrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Fatentur ſe incenſos fuiſſe ſermonibus Ieſu, ne miremur, quod inde deſtinarentur ad viſionem eius clarã. Ait Hugo Vict. lib. 1. Miſcell. titul. 100. *Colloquendo corda ad amorem inflammat, ſed oculos ad contemplationem adhuc non reuelat. Qui ergo in via ex ſermonibus Ieſu ignem amoris corde concipiunt, in fine viæ claritatem eius videbunt.* Iam apparent ad claritatem gloriæ parati, qui ex ſermonibus Ieſu fructum capiunt. Qui ad diuina verba accenduntur, vt Dei amore ardeat, ſpiritu Ieſu in vitam agitur. Dicebat Ieſus Ioan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit*

D. Aug.

Luc. 24.

Hug. Victor.

bit vobis, vt maneat vobiscum in aternum spi-
Ioan. 4. *ritus veritatis, &c.* Cumautem datus est hic spiritus, datus est sub specie linguarũ ignearũ; Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquã ignis, &c.* Etcũ Iesus suũ
Actor. 2. spiritum Apostolis dandum promiserit, cur illum dedit sub specie linguarum ignearum? Vt sciremus illum ad Iesu spiritũ pertinere, qui sermonibus eius concalescit, & ardet; qui autem auditis sermonibus Christi in eodem manet vitiorum frigore, longe à spiritu eius, & salute abest. Ait Hugo Victor. vbi supra: *Sunt itaque linguæ igneæ, quæ veniunt ad nos: & verba*
Hug. Victor. *flammantia quotidie Christum nobis loquentem audimus. Quia spiritum Christi non habet, qui verba Christi audiendo, non ardet.* Equidem longe à Christi spiritu abest, qui adeo riget frigore peccati, vt nulla concalescat sermonum diuinorum efficacia.

§. XXI.

In lingua ostendis, sub cuius viuas Imperio.

AD breue Dauidis verbum, nimirum: *Peccaui domino*; statim Propheta addit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, &c.* Et cur tam cito Dauidis transfertur, & deletur per Deum peccatũ? In breuibus illis verbis; Peccaui domino, clare ostendebatur iam non regnare peccatum in corde eius, sed Deum regnare. Ostendit enim clarissime lingua tua, cuius imperio subjaceas. Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, se-*
Actor. 2. *ditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui varys linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis:* Nemo nescit tunc primum cæpisse regnum peccati euanescere, & regnum Christi in mundi conspectu fundari; tunc primum apparuere viui lapidis expoliti fundantes regnum Christianum. Et cur in hac ostensione Christiani regni incipitur ab igneis linguis super Apostolos apparẽtibus, & ab immutatione linguarum eorũ loquentium prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis? Plane vt ostendebatur nouũ tunc regum Christi plantari, in quod iret mundus abolito regno peccati, sic debuit ostendi in immutatione liguarum, lingua enim ostẽdit in quorum imperium vadas. Notum est bellum illud à Cimbrorũ, hoc est, Danorum populis in Romanos excitatum; quod adeo periculosum fuit, vt merito timeretur imperio Romano à tam duris hostibus. Rem sic in rem nostram explicat Quintilian. Declam. 3. *De Italia possessione certatur, pro aris, focisque constitimus: an hac omnia igne ferroq; vastarentur, an nobis caput barbarus hostis excidat, an Cimbrice loquendum sit:* Expende illa: *An Cimbrice loquendum sit*; quibus translationem Imperij Romani ad Cimbros significabatur. Nullo enim clarius ostenderetur Cimbrorum regnum post abolitum Imperium Romanum, quam si Cimbrice loquerentur etiam Romani. Quid pulchrius in rem nostram? Equidem in lingua ostendis Christiane cuius imperio subiaceas; si sancte, si pie, si humiliter loquaris; si Deum linguà voluas, clarissime ostenditur in te regnũ euanescere peccati, & regnum Christi fundari. Dicebat Iesus Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu sancto, non po-* Ioan. 3. *test introire in regnum Dei.* Et quomodo ostenditur hæc in nobis regeneratio facta, quæ pertineat ad regnum Dei abolito regno peccati? Ait Ruper. ibi. *Quod enim agũt viscera materna, vt conceptum semen coalescat, & viuificetur, hoc agit elementum hoc aqua,* (nimirum in baptismo) *superueniente Spiritu sancto, vt homo natus de massa perditionis, & mortis, renascatur in cœtum viuentium, & populum acquisitionis:: Quo facto nõ cessat nouus homo, qui renatus est loqui de regno Dei, cui renatus est, inuocare patrem à quo regeneratus est, &c.* Expende illa: *Quo facto non cessas nouus homo loqui de regno Dei, &c.* Quippe regni peccati abolitio, & regni Dei fundatio in cordibus nostris statim in lingua ostenditur, quæ nescit iam voluere nisi ea, quæ ad regnum Dei spectant.

Quintilia.

Rupert.

§. XXII.

Non leuis, sed grauis penitentia agenda pro peccatis.

DIxit Dauid in præsenti: *Peccaui domino*, similiter & Saul. 1. Reg. 15. dixerat: *Peccaui*, & Dauidi dimittitur peccatum, Sauli autem non dimittitur. Nec miror, Saul enim extremis tantum labijs dicebat se peccasse, Dauid autem intimo cordis gemitu clamans suum fatebatur scelus. Vt dicat D. Ambr. in Apolog. cap.

2. Ma-

2. *Maturitas veniæ profundam fuisse Dauidis pœnitentiam declarauit.* Illa autem vera pœnitentia censetur, quæ nō leui, sed magno, & graui animi conatu profertur. Suscitaturus Iesus Lazarum vbi venit, ait Ioann. 11. *Fremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit, vbi posuistis eum.* Vt Lazarum in vitam vocet, & fremit, & turbat se Iesus; an quia nisi in fremitu eum suscitare non posset? Absit, sed fremet, vt ostendat, quanto conatu, & fremitu pœnitētiæ opus sit, vt anima à peccatis in gratiam suscitetur. Ait D. Aug. ibi: *Quare fremuit, & turbauit se nec ipsum, nisi quia fides hominis sibi merito videtur fremere quodammodo debet in ac[illegible]one malorum operum, vt violentia pœnitendi cedat consuetudo peccandi.* Magna equidem debet esse pœnitentia, & à magno cordis gemitu, imo & fremitu debet proficisci, vt valeat amouere mortem peccati; & nos in vitam trahere. Ad Hebræos cap. 5. dicebat Paul. de Iesu Domino: *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque, ad eum qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerētia.* Quid in Iesu clamor validus, & lachrymæ? An si tacite oraret, non exaudiretur? Exaudiretur equidem vel tacens, sed ijs ostendebat, quid erat in me necessarium, vt peccatum euanesceret, & fundaretur regnū gratiæ. Ait D. Cyrill. Alex. lib. de Fide ad Reginā, vbi de Christi sacerdotio agit: *Nos itaque in ipso veluti in altero generis nostri principio sumus, qui valido cum clamore, & lachrymis, tum vt mortis imperium in nobis aboleatur, tunc maxime vt vita naturæ nostræ quondam donata denuo firmetur, integreque restituatur, enixe efflagitamus.* In Christo itaque & clamante, & lachrymāte eramus nos, qui nisi magno cordis clamore, & luctu peccatum delere nequimus, nec vitam gratiæ nobis restituere.

Ioan. 11.

D. Aug.

Heb. c. 5.

D. Cyril.

§. XXIII.

Vera pœnitentia non tam temporis spatio, quam animi proposito metienda.

SImul dixit Dauit: *Peccaui domino*, & simul audiuit: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Sic vel in momento temporis perfecta est Dauidis pœnitudo. Nec miror, dicit enim D. Bas. orat. 4. de Pœnit. *Non temporis qualitate, sed animi proposito pœnitentia indicatur.* Vel breuissimis temporis horis largissima pœnitentia potest expleri. Ionas à Niniuitis pœnitentiam extorturus clamabat cap. 3. *Adhuc quadraginta dies sunt, & Ninive subuertetur.* Septuag. legunt: *Adhuc tres dies sunt, &c.* Et mirabar, quod tam breue trium dierum spatium detur Niniuitis, vt audiant minas, & eam peragant pœnitentiam, qua liberentur ab interitu. Nonne tres dies pauci sunt, vt ingens populus audiat Dei minas? Vt perueniat ad regem verbum? Vt pœnitentia prædicetur, & fiat? Ait D. Basil. Sel. orat. 12. *Angustis dierum terminis comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur.* Plane in angustissimis temporis terminis latissimus est campus pœnitentiæ, cuius plenitudinem potest à nobis concipi in momento. De aqua baptismo à Iesu accepto locutus Matth. cap. 3. ait: *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.* Venerat ad baptismum Iesus, non vt ipse acciperet, sed vt daret aquis sanctitatē. Et qui venit, vt sanctitatē aquis daret, cōfestim ascēdit de aquis. Cur cōfestim? Cur nō diu in aquis moraris, vt valeant amplius aquæ sanari? Ait D. Augustin. ser. 29. de Temp. *Attactu mēbra Christi tinguntur, & fluenta ditantur. Vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore. Descendere in sefontem sui felix vnda miratur, sub vno momento remedia æterna concipiens, & nouæ Deum regenerationis fecūdite paturiens.* Expendē illa: *Sub vno momento remedia æterna concipiens*, exposcunt forte remedia temporalia nō breue terminorum spatia; at æterna remedia malorum spiritualium, vel in momento concipiantur.

Basil.

Matt. 3.

D. Aug.

§. XXIIII.

Non mediocre supplicium est patri, quod sit causa mortis filij.

TRanstulit dominus peccatum à Dauide, sed vt eius pœna recens natum filium opprimeret. Ait enim: *Quoniā blasphemare fecisti inimicos domini: filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Et quidem quando Dauid peccauit, cur non ipse, sed filius interficitur? Nom in eo minuebatur Dauidis pœna, sed maxime augebatur supplicium, quando se Dauid videbat causam

Ionas.

esse

esse mortis dilectissimi filij. Ait Saluian. li. 2. de prouid. *Praeter pœnã arcerba orbitatis, etiam hanc addidisse patri intellectũ summi supplicij Deus voluit, vt dilectissimo filio acerba mortis pater ipse existeret.* Expende illud: *intellectum summi supplicij*; in nullo magis supplicij sui magnitudinem perciperet Dauid, quam vbi se vidit causam esse interfecti, vel interficiendi filij. Iepte voberat à se occidendum primo sibi occurrẽtem. Occurrit primo filia, quam vbi inde paterni voti causa occidẽdam nouit. Iud. 11. *Scidit vestimenta sua, & ait, Heu me filia mi decepisti me.* August. quæst. 49. legit: *Heu me filia mi, impediuisti me, in offendiculum facta es in oculis meis.* Ambr. lib. 3. officior. cap. 12. *Heu me filia mi, impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi.* Et ipse lib. 3. de virg. legit: *Heu me filia mi, perdidisti me.* Quantus iste dolor in triũphatore duce, vt vestes scindat, & se perditum, doloribus stimulatum clamet? Vnde magnus dux sic affligi potuit? Ait D. August. quæst. 49. *Magis ergo intellexit in eo, quod ei filia occurrit, vltorem Dei.* Plane in occursu filiæ à se occidendæ, vltionem in se experiebatur, & supplicium, quo pœnas sui loebat facinoris. Est enim summum supplicium patri, quod causa ipsa sit mortis filij. Hinc Exod. cap. 12. post nouem durissimas plagas illatas Ægyptijs ventum est ad decimam, qua illorum filij occisi sunt. ait enim text. *Factum est autem in noctis medio percussit dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Quid parentibus acerbius? Ait de illa D. Machar. Archiepisc. Philadel. de Exalt. crucis apud Grethserum tom. 2. *Decima, & vltima plaga, vel potius prima, & exordium omnium aliarum, quoad vim, & afflictionem attinet, vt etiã Dauid testatur, est terribilis primogenitorum interitus.* Expende illud: *Vel potius prima, & exordium omnium aliarum.* Et quando vltima fuit, qualiter omnium aliarum exordiũ dicitur? Equidem quantũ ad dolorem, & supplicium attinet, tam acerba est parentibus mors filiorum, cuius ipsi causa sint, vt tunc primum censeantur percuti, & sensum doloris percipere.

Saluian. Iud. 11. D. Aug. Exo. c. 12. Cretserũ.

§. XXV.

Peccati fructus nunquam non ab ipso peccato perditur.

HÆc sententia Dei fuit Dauidi adultero licet pœnitenti, nimirum: *Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Et cur innocens hic filius mortis pœnam incurrit, quam hiere debebat pater? Cur nõ magis pater moritur, & filius viuit? Erat is te filius adulterij fructus, & ideo non miror, quod ipso pereat, solet enim peccati fructus ab ipso perdi peccato. Ait de hoc Saluian. lib. 2. de Prouid *Vbique natum ex crimine puerum crimen ipsum occidit, quòd creauit.* Hoc proprium est peccati, quod suos fructus persequatur, donec eos internitioni tradat. Exod. 1. dicitur augmentũ Israelitarum in Ægipto: *Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleuerunt terram. Surrexit interea rex nouus super Ægyptum: & ait ad populum suum: Ecce populus Israel multus, & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum.* Simul nobis proponuntur Israelitarum augmentum in Ægypto, & eorum casus, quo cæperunt affligi, & percuti, & quasi miserrimi serui tractari. Et cur tã iunctus ostenditur casus augmento? Si illius augmenti radicem spectes, peccatũ fuit filiorum Iacobi; illi enim male in fratrem affecti, Ioseph um vendiderunt, qui ductus captiuus in Ægyptum, regni clauum tenuit, & fratres ibi excepit, opimaq; terra ditauit, qui in immensum fuerũt multiplicati. Ecce tibi ex filiorum Iacobi peccato hic fructus natus est, quod alerentur in Ægyptum, quod ibidem multiplicarentur, ne miremur, quod tantum augmentum & ruina, & misera seruitus sequatur. Sic enim solet à peccato percuti fructus peccati. Quo spectans Rup. lib. 2. de Operib. Spirit. sancti cap. 11. ait: *In Ægypto propter venditionem fratris sui Ioseph, iusta captiuitate seruierãt, in tabernaculis habitabant, nec passum quidem pedis de vlla terra habebant.* Ecce tibi quo peruenit tota illa opulentia Israelitarũ in Ægypto; peruenit enim eo, vt à suis eiecti, quasi miseri serui vapularent. Et hoc accidit *propter venditionem Ioseph*, vt rideas augmenta, & fælicitates ortas ex peccato, hæ nãque ab ipso dastrũtur peccato. Apud 2. Reg. 15. dicitur Absalõ rebe-

Exod. 1. Rup. lib. 2.

2. Reg. 15 rebellasse in patrem nimirum: *Facta est coniuratio magna, populusque concurrens augebatur cum Absalō.* Sed totum illud augmentum, vt peccato nitebatur, sic breui euanuit. Vt merito dicat D. Chrysost. de Absalon: D. Chrys. *Perdidit Absalon sceleſtiſsimus mentem, amiſit conſilium, inſectatus patrem. Perdidit, inquā, Absalon conſilium, dū parricidio cupit mereri imperiū.* Equidē amiſſe mentis, & conſilij homo eſt, quiſquis per peccata, & ſcelera nititur ſibi regnū, & felicitates comparare: quando neceſſum eſt, vt à peccato perdantur, quæ bona naſcuntur ex peccato. Hinc Malus oſtenſis mundi rebus Matth. 4. iebat: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Matth. 4. Circaque acute ait D. Max. ibi hom. 4. *Vere procidit, & cadit, qui non largiente Deo, ſed ad nutum diaboli acquirit ſæculi dignitates.* Dignitas, aut principatus ortus ex ſuggeſtione diaboli non poteſt non parturire ruinas, & caſus.

§. XXVI.

Filij vel vitam ſuam poſponāt ſaluti patris.

NOn Dauidem peccantem, ſed filium Dauidis percutere Deus maluit. Quippe ait: *Percuſsit quoq; dominus parvulum, &c.* Et cur non magis peccantē patrem, quam inocentem filium percuſsit dominus? An quia magis pater in morte filij feriebatur? Dixi hoc ſæpe aliàs, modo autem ideo crediderim percuſſum filium à Deo fuiſſe propter patrem, & loco patris, vt diſcerent filij, quam illis conuenit vel propriam vitam poſtponere ſaluti patris. Iſaacus iuuenis erat validus, & longe valentior ſene parente, cuius gladium à ſe facile negotio auertere poterat. Nilominus ait textus Gen. 22. de Abraham: *Cumque ligaſſet Iſaac filium ſuum poſuit eum in* Gen. 22. *altare, &c.* Et cur Iſaac ſic pateris à ſene in mortem ligari? Cur non magis obſiſtis duriſsimo in filium patri? Ea erat Iſaac pietas vt vitam etiam propriam poſtponeret commodis patris. Dicebat namque D. Ephræm ibi: D. Ephr. *Iſaac autem vſque ad mortem patri ſe obedientem præſtitit; morte peuis eſſe ſciens triſtitiam, atque moleſtiam patri inferre.* Quis hoc filio præſtantior? ſciebat equidem quam ſanctum filijs ſit, quod vel mortem ſubeant, pro parentibus à malis liberādis. Sane Ieſus crucem aſcendit, vt eueret à morte patres, non enim nos omnes ſolū ſuo ſanguine redemit, ſed & illo cōparauit vitam matris. Ait enim Arnold. Carnot. tract. de laud. Mariæ: *Imo ipſam inter reliquos pro quibus fuit ſanguinis pretij ſacrificium offerebat, illo generali beneficio complexus eſt.* Sic mortam Ieſus ſubibat, vt vineret mater, in ſuper & moriens illam diſcipulo commendauit Ioan. 19. *Et ex illa hora accepit illam diſcipulus in ſua.* Ioan. 19. Quid tunc Ait Ioan. *Poſt hæc ſciens Ieſus quia omnia cō ſummata ſunt* Omnia vidit Ieſus abſoluta & conſummata, vbi vidit matris ſalutem procuratam. Accipite Arnoldum fantem. *Suſcepit itaque diſcipulus, quod & commendatum eſt, & Chriſtus dixit: Conſummatum eſt. Hoc dixit, & bono pietatis ſine, myſterium omne compleuit.* Quid pulchrius? Bono matris, & ſanguine proprio, & verbis procurato; merito dixit, conſummatum eſt, nihil enim non perfectiſsimi filij adimpleuit. Ibi omnia virtutis, ſanctitateſque myſteria oſtenduntur perfectiſsime abſoluta, & cōſummata, cū ſimul filius & ſanguine ſuo, & verbis ſuis procurauit cōmodū matris. Arnold. Arnoldū.

2. *Reg.* 12. De precatuſq; eſt Dauid dominū pro paruulo: & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terrā. Venerunt autem ſeniores domus eius, cogentes eum, vt ſurgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibū. Accidit autem die ſeptima, vt mereretur infans; timuerūtq; ſerui Dauid nūtiare, &c.

§. XXVII.

Orationes, & ieiunia tunc efficacia ſunt, cum eleemoſinis adiunguntur.

VIdeo Dauidē orantē, & ieiunātē pro paruulo, nec illū reddere ſaluti. Sic enim inquit: *Deprecatus eſt Dauid dominū: & ieiunauit Dauid, &c.* Et cur tot Dauidis præces, tot ieiunia, & humi cubationes nō proficiunt pueri tēporali ſaluti? Inter has preces, & ieiunia, & humi cubationes maxime deſidero eleemoſinas pauperibus exhibitas, de quibus nec verbū factū eſt, & quæ ſi præſtitæ fuiſſent; nō dubito quin maximā efficaciam ieiunijs, orationibuſque dediſſent. Dicebat D. Chryſol. ſer. 8. *Fratres, eſurit ieiunium, ieiunium ſitit,* D. Chryſ.

quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiunium defecit, quod nō eleemosynæ vellus tegit: quasi eleemosyna sit, quę ieiunijs, & orationibus det efficaciam. Aiebat Dominus Ezech. 14. *Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine: vt auferam ex ea hominem, & iumentum. Et Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius, viuo, ego, dicit dominus, quia filium, & filiā non liberabunt.* Sic tres sanctissimi viri orantes minime impetrāt à Deo salutem filijs suis; vnus autem Petrus dū orat, Thabitam defunctam in vitā reducit, Act. 9. *Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit: Thabitha surge: At illa aperuit oculos suos, & c,* Et cur sanctissimorum illorum virorum preces pro filijs non audiuntur, Petri autem vnius oratio Tabitham in vitam trahit? De Tabitha ait textus, *Erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.* Adiuncta fuit eleemosinis in egenos distributis Petri oratio; & inde habuit efficaciam. Respondebat Chrysost. in Psal. 48. fatus: *Audi, quid dicat Propheta; si steterit Noe, & Iob, & Daniel, filios suos, & filias suas nō liberabunt. Quāmū luxit Samuel, & Saulem non eripuit? Quāmū precatus est Hieremias, & Iudeos nihil iuuit? Quid ergo; sunt ne super vacuæ sanctorū preces? Nequaquā sed magnas vires habēt, quādo tu quoque eis auxilium tuleris. Ita etiam Petrus sciuit Thabitam, non solum oratione, sed illius eleemosyna.* Vbi solæ præces apparent sine eleemosinis, ne miremur, si effectum non sortiantur. Tunc enim preces, & ieiunia, & aliæ virtutes morales maxime valent, cum de eleemosinis datis auxilium capiunt. Ideo monebat Lucas cap. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum deficeritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Multis modis solemus nobis amicos comparare, vel orationis suauitate, vel alijs gratijs. Dominus autem ostendēs quos nobis amicos vtiles experiemur apud Deum, nō iubet, vt illos comparemus oratione, sed pecunijs in pauperes erogatis, non enim sic nobis proderunt amici orationibus nudis comparati, vt illi, quos eleemosinis comparauimus. Id quod notans Chrysost. vbi supra ait: *In præsenti vita faciendi sunt amici erogando facultates in egenos:: Nec enim nos defendet illorum amicitia, sed quod ex māmona amici facti fuerint, propterea adiecit amicos ex māmona, vt scias, quod hæc dicuntur tua opera, eleemosyna, clementia, in pauperes munificentia.* Equidem apud Deum illa adiutoria efficacissima in ueniemus, quæ eleemosinis cōparauimus. Dictū fuit Iob cap. 1. *Filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repente ventus vehemens irruit, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Et mirabar à Deo permissū esse, quod mensa fieret sepulchrū filiorū Iob, quādo in domo Iob mēsa cōmunis erat pauperib⁹ dicēte illo cap. 31. *Si comedi buccellam meā solus, & non comedit pupillus ex ea.* Quomodo ergo dapes, & mensa, quæ apud Iobū erant communia peregrinis, & pupillis, versa sunt filijs eius in occasionē ruinæ? Cur permisit Deus, vt misericordis viri filij perirent inter dapes, & fercula, quorum participes populi erant? Accidit id credo in commendationem paternæ eleemosinæ, disponente Deo, vt panis ille pauperibus diuisus comitaretur filios Iobi in periculo extremo. Ne credatur posse venire periculū, in quo nos nō comitētur eleemosinæ, & auxiliētur. Huc traho D. Chrysost, hom. 1. de Iob fatum. *Abijt Iob ad domū funestā, qua filijs vna, & eadem hora domus, & sepulchrum, conuiuium & tumulus, festū & fletus facta est. Circumfodit, & quæsiuit liberorum membra, inuenitq; vmū, & sanguinē, panem & manum, & c.* Expēde illud: *Panem & manum;* quippe vi ruinæ potuit anima corpus, & artus deserere, sed panis pauperibus diuisus non potuit manum filij largitoris deserere, sed in ipso periculo magis illi adhærescebat.

Exod. 14.

Act. 9.

Chrysost.

Luc. c. 16

Chrysost.

Iob. c. 1.

Iob. c. 31.

D. Chrys.

§. XXVIII.

Orāti nihil illi cōducens Deus negare solet.

ORabat Dauid, ieiunabat, humi cubabat pro puero; & tamen puer concedit fatis, dicit namque: *Accidit autē die septima, vt moreretur infans.* Sic apud Deum euanescunt orationes adeo humiliter factæ? Cur ergo, qui pro se vel vno pœnitentiæ verbulo exauditus est, ne moreretur; modò tot precibus, tot pœnitentiæ operibus pro paruulo factis non exauditur? Erat Dauidis honori conueniētior mors paruuli, vt ait Theodor. ne perseueraret memoria facinoris. Et ideo & si Dauidi nō datur, quod tot orationibus petit, datur quod magis cōduci illi. Quia nō euanescūt orationes, & si Deus petita neget, solet enim Deꝰ cōcedere orāti, quod cōducit magis. Hoc vt ostēderet Iesus nostrā in

duens

dues infirmitatẽ, sic quã sciebat subeundã, & subire amabat, passionem deprecaba-
Matt. 26 tur. Ait enim Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Cum sciat passionem denique subeundam, vt quid tam anxie illam deprecatur? Volebat bonus magister mundi in se ostendere, quam non sit despectus orationis, quod negentur infirmãtis postulata, quando à Deo magis conducibilia non negantur. Aiebat D. Leo ser.
D. Leo. 5. de Passion. *Demonstratum est, quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à merente concedi. Quia enim nos, quid oremus, sicut oportet, nescimus, & vtile nobis est, nesciat plerumque, quod volumus, Deus iustus, & bonus, quando ea, quæ nocitura sunt, petuntur, negando miseretur.* Expende illa: *quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à merente concedi*: quippe infirmus ignotãs salu ti conducibilia, petat quæcũque vult, quę cũque ipse appetit, hoc enim infirmis conceditur. Medicus autem, qui conducibilia nouit, sapienter nocitura denegat, & sola conducibilia cum discretione concedit. Sic nos infirmi omnia à Deo postulamus at Deus sapientissimus animarum nostrarum medicus, & si orantes nocitura despicit, tamen conducibilia concedit. Nec crediderim tot orationes Dauidis potuisse esse sine effectu; nisi mors pueri conducibilior esset Dauidi, & ipsi puero.

§. XXIX.

Merita parentum filijs proficiunt in spiritualem salutem.

NOn assentior Caietano, nec Vatablo dicentibus puerulum hunc defunctum fuisse absque remedio circuncisionis; eo quod ait scriptura: *Accidit autem die septima, vt moreretur infans*: qui non poterat circumcidi, nisi Octaua. Verum septimus iste dies mortis infantis, non numeratur ab initio vitæ eius, sed ab initio ægritudinis. Supponitur enim iam natus filius, & tunc venisse Nathamus, & mortẽ eius denuntiasse: deinde illũ inuasit ægritudo, iuxta illud: *Percussit dominus puerũ*, & septima autem die post ægritudinẽ immissam defunctus est, cum iam plusquam octo dies expleuisset vitæ, & remedium circumcisionis accepisset. Quod mihi eo magis persuasum est, quod videam Dauidis preces Dauidis, ieiunia, humi cubationes pro illo. Vt enim Dauidis peccatum puero officit ad vitã corporis, non credã eiusdẽ virtutes non illi profuisse in animæ salutem. Ait Prouerb. 14. *In timore domini fi-* Prou. 14.
ducia fortitudinis, & filijs eius erit spes. Quibus filijs eius? Ait Iansenius, filijs eius, qui in timore Dei est. Et quidẽ pater in timore Dei versatus non paruã relinquit filijs spem æternæ salutis. Quo spectans D. Nisen. orat de ijs, qui immaturæ arripiuntur, dum tractat discrimen multorũ paruulorũ, qui ideo immature moriuntur, vt asserantur in vita æterna, & aliorum qui permittuntur viuere, & tandem in Gehennã ire; illud virtutibus parentũ adscribit. Di-
D. Nisen. cit nãque: *Sed cũ prorsus, inquies, hunc quidẽ proniã benevolentia subducit ex vita, priusquã per malũ voluntas perficiatur; illũ vero relinquit talẽ fieri, vt melius ipsi esset, pœnitus natum non esse? Adhocitẽ quandã benigniori huius rationem redemus, quod sæpe numero vitæ eorũ qui bene vixerunt, etiã ijs, qui ex ipsis nati sunt, causa melioris conditionis est.* Itaq; sanctæ parentum vitæ in causa est, quod infantes eorum antequã peccare nouerint, arripiantur, vt asserantur in æternam vitam. Nec ab hoc longe abest Psal. 127. ai-
Psal. 127. ens: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominũ.* Hæc est benedictio hominis timentis Deum, quod filij eius assistant patri recumbenti, cum Abbraham, & assistant, vt nouellæ oliuarum. Cur vt nouellæ oliuarum? Ait Theodor. ibi: *Ti-* Theodor.
mentis dominum filios nouellis plantis oliuarũ assimilauit, tanquam pietatis irrigationem, tẽ pestiũque fructum inferentes, & folium minime abycientes, secundum veram in primo psalmo dictum. Expende illa: *pietatis irrigationẽ ferentes*: quippe de irrigatione paternæ pietatis, paterni meriti filij habent, quod in vetusti hominis senium non veniant, sed nouelli ab aquis baptismi ad æternum cõuiuium abripiantur.

2. *Reg.* 12. Cũ ergo Dauid audisset seruos suos mussitantes, intellexit, quod mortuus esset infãtulus, dixitq; ad seruos suos: Nũ mortuus est puer? Qui respondent ei; Mortuus est. Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus vnctusq; est: cũq; mutasset vestem ingressus est domum domini, &c.

§. XXX.

Vbi in viuente sanctitas conspicua est, non interest, quod non sit honor in illo sepulto.

POssent aliqui aduersus huius pueri æternam salutem obijcere, quod nihil dicatur de eius sepultura. Solum enim dicit textus: *Responderunt ei: Mortuus est. Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, unctusq; est, cũq; mutasset vestẽ. &c.* Vbi mortuũ audiuit, nihil magis satagit, quãde tollenda funebri veste, & vultu. Nihil quod funus sapiat in aula auditur. Sed. 3. Reg. 14. vbi in Ieroboami supplicium filius eius Abias puer à Deo percutitur, si mul illi prouidet Deus sepulchrum. Dicit
3. Reg. 14. namque: *Morietur puer, & planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus de Ieroboan inferetur in sepulchrum*: quod & factũ est. Cõpone modo & puerũ; & puerũ: vterque regis filius; vterque à Deo percutitur in parentum suppliciũ. Sed Ieroboami filio datur sepultura cum regia pompa, regioque luctu, etiam quando cæteris omnibus eius fratibus negatur. In Dauidis autẽ filio nulla est memoria sepulturæ, nec funeris, nec luctus. Quæ huius ratio discriminis? An quia filius Dauid nimis puerulus erat? Sed etiam filium Ieroboami pusionem, siue puerulum, siue infantem vocãt Septuaginta, vt notat noster Salianus. Quæ ergo ratio discriminis? In filio Ieroboami, vt ipse erat filius parentũ nequissimorũ, siquid haberet, quod Deo placeret, adeo erat occultũ, vt deberet ostendi per procuratũ à Deo honorẽ sepulturæ. At in filio Dauidis, vt erat filius patris sanctissimi, inter cuius orationes, & ieiunia, & virtutes alias moriebatur, circũcisionis remedio munitus, vt decebat filiũ tanti iusti; sic nullus ei fuit procuratus honor sepulturæ. Non enim officit sepulchralis honoris
Deut. 34. defectus illi, quẽ ornat sanctitas vitæ omnibus conspicua. De Moyse dicit Deuther. 34. *Et non cognouit homo sepulchrũ eius vsq; in præsentẽ diẽ*, & mirabar, quod dominus absconderet Moysis sepulchrũ à veneratione mortaliũ, quãdo aliorũ etiã inferiorũ iustorum sint multis honorata signis, vt hominũ frequẽtiam inuitent. Et cur Deus
Amb. l. 1 hũc honorẽ abstulit Moysi sepulchro? Ait D. Amb. lib. 1. de Abel cap. 2. *Neminem ergo scit sepulchrũ Moysi quia vitã eius omnes nouerũt.* Cuius vitæ sanctitas omnibus nota, & cõspicua fuit, non necesse habuit cõmẽdari ex sepulchralibus virtutibus. Fuerint a lijs necessaria ad cõmendationẽ halantia sanctitatẽ funera; illi autẽ, quorũ vita, & sanctitas per omniũ ora volitat, nil pẽli habẽt, quod obscuro, & infrequenti claudantur sepulchro. Ex quo non paruã animi anxietatẽ remouerim, quę mihi orta erat pro primorum iustorũ sepultura. Sciebã iustũ Abel à fratre occisum, nec verbum inuenio de eius funere, & sepultura, sicut nec de Adami, nec de Sethi, nec de Noemi. Nõne ij in sanctitate cãtatissima defuncti sunt? Sed eorũ fũeribus, aut sepulchris, nec verbũ ab scriptura narrãte eorũ mortẽ, & vitã, inuenio dictũ. Primũ funus, & primũ sepulchrum, quod in scriptura auditur, funus, & sepulchrum Saræ vxoris Abrahæ fuit. Ait Genes. 23. *Venitq; Abrahã, vt plangeret, & fieret eã. Cũq; surrexisset ab officio funeris, &c.* Ego Sara prima omniũ antiquorũ procerũ auditur rite, & põpatice tumulata in illa spelũca duplici. Et cur nec Abelis, nec Adami, nec Sethi, nec Noemę memoratur funus; & in funere Saræ explicando hæret primo sacer scriptor, & eo tũ caput vigesimũ tertium cõsummit? Nõ negabo iustorũ illorũ patentiores, & illustriores fuisse vitas, quã Saræ vitã; præcipue quod hæc non semel ad ethnicorũ aulam fuit deducta; & cum principibus ethnicis aliquando vixit. Cuius inibi integritas, & pudicitia iam ostẽsa à Deo, etiã debuit ostendi in celebri illo, & cãtatissimo funere, & sepulchro. Quod nõ miraret de fuisse illis, quorũ vitæ omnibus fuere conspicuæ. Per hoc non nego etiã in sanctissimis inueniri, & honores sepulchri, & funeris. Sed scio horũ defectũ non officere ijs, quorum noscitur sanctitas vitæ. Genes. 23

§. XXXI.

Magnum virtutis indicium calamitate non frangi, non decidi.

AVdita morte filij non decidit Dauid, imo de illo ait textus: *Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, unctusq; est, cũque mutasset vestimẽtũ, ingressus est domũ Dei.* Quanta hæc Dauidis virtus? Equidem nũquam non magnum est, quod calamitate

prellus

preſſus non decidas, ſed ſtes. Iob cap. 1.

Iob cap. 1 *Ecce alius intrauit, & dixit; Filijs tuis, & filiabus veſcentibus in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt: & effugi ego ſolus, vt nuntiarem tibi. Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terrã adorauit, &c.* Expende ab illis: *Tũc ſurrexit Iob, &c.* vt enim domũ Dauid audita morte filij ſurrexit, & in domũ domini ingreſſus eſt; ſic Iob audita morte filiorũ ſurrexit, & adorauit. Quantum hoc? Ait D. Chryſoſt. hom.

D. Chryſ. 3 in Iob: *Tunc Iob ſurrexit, ſic enim ſcriptũ eſt. Bonum ſurrexit, non enim decidit plagâ, ſed ſurrexit pietatis virtute. Surrexit, & adorauit. Merces calamitatum adoratio, pulſatus ærumnis benedicit, oppreſſus gratias agit.* Hæc eſt conſtantis animi firma virtus, qua nõ te deprimant plagæ, ſed inſtar palmæ calamitatis pondere eueharis, & in altũ exurgas, minime cadas. Quod qui præſtat inuictæ virtutis, & fortitudininis exẽplar valet præſtare. Ioan. 5. dicitur piſcina fuiſſe ſalutaris Hyeroſolimis, quinque

Ioan. 5. porticus habens. *In his iacebat multitudo magna languentium, &c.* & poſt paucua ſubijcit: *Erat autem quidam homo ibi, triginta, & octo annos habens in infirmitate ſua.* Cum de alijs languentibus loquitur, non dubitat dicere illos iacuiſſe in piſcinæ particibus; vbi autem accedit ad hunc triginta, & octo annorum languidum, non ait, quod ibi iacebat, ſed quod ibi erat. Et quidem bonus hic in tam prolixo morbo, toties ſpe ſalutis fruſtratus non iacebat, ſed erecto erat animo, in quo maxima eius virtus, & fortitudo oſtendebatur. Quod ponderans Theophilactus aiebat: *Stupenda paralytici cõſtantia, annos habebat triginta octo,*

Theophil. *& quotanis liberari à morbo expectans aſſidebat, & impediebatur à potentioribus præuentus, nec tamen deſtitit, neque deſperauit: ideo & dominus interrogat eum volens moſtrare nobis fortitudinem hominis.* Interrogabat quidem Ieſus, vis ſanus fieri, non equidem vt ſciret infirmi voluntatem, ſed vt eius oſtẽderetur fortitudo magna, qui in tot repulſis ſalutis, & in tam largo proceſſu morbi, nunquam cecidit animo, ſed quo ingraueſcebat morbus diuturnitate, & in maiorem ſpem ſalutis erigebatur. Quod non poterat venire niſi a virtute, & fortitudine maxima. Quam fortitudinem mirabantur in

Cant. 3. ſponſa Chriſti Angeli dicentes Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſerũ ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Aromata, quo magis terantur, eo altius odoriferum fumum halant, qui ex tunſis aromatibus eleuatur. Sic fortis in Deo anima, non decidit in plagis, ſed magis erigitur. Rẽ pulchre expendit Cellenſis Abbas. lib. 5. epiſtol. 4. *Species aromatica piſtillorum tunſione fragraſcit, Eccleſia oppreſſione malorum creſcit. Virtus quoque bonorum aduerſariorum infeſtatione laceſſita vernat flore, & fructu. Equus ille, qui procul odoratur bellum, ad vocem buccinæ dicit vah, eoque amplius feruet in certamine, quo acrius concitatur. Quas enim vires collectas tempore pacis diſſimulabat, fœnore multiplicato exoluit.* Sic fortes à tunſionibus, à preſſuris maxime ſe exaltant.

Cel. Abb.

§. XXXII.

Reſurrectionis ſpes triſtitiam ex mortuis profectam leuat.

INfirmum infantẽ largo proſequebatur Dauid luctu mortuum autem vbi audit: *Surrexit de terra, & lotus vnctuſque eſt, cumque mutaſſet veſtem, &c.* Quidquid luctus erat abiecit in morte filij amantiſsimi; nec miror, ait enim Ambroſ. lib. de Fide Reſur. *Sperabat illum reſurrecturum.* Quem ſic decedere viderat, vt merito in gloria crederet ſurrecturum, non lachrymis proſequitur, nec luctu. Qui enim luctus non tollitur ſpe in vitam reſurrecturi? Poſt Chriſtum dominum ereptum oculis diſcipulorum, adſtiterunt duo angeli, Actor. 1. qui dicerent Act. 1 *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, &c.* Et cur Angeli in primo diſceſſus Ieſu punctu currunt, vt moneãt diſcipulos dẽ eius reditu? Nonne vt ſcientes in gloria rediturum, repellant triſtitiam ex diceſſu orturam? Sic ait Chryſoſt. ſer. de Pentecoſt. fatus: *Aſcẽſionis triſtiam regreſſionis commemoratione cõſolabantur, & ſeparationis dolorem, aduentus futuri pollicitatione ſedabant.* Maxime namque vel aufertur, vel ſopitur dolor de abſcentia illius, qui ſcitur in magna gloria rediturus. Hinc de Apoſtolis ſolum dicitur Actor. 1. *Cumque intuerentur in cælum euntem illum, &c.* Intuebantur euntem Ieſum, & nullam emittebant vocem, nullum gemitum dabant. Act. 4. Reg. 2. cum aſcenderet Elias igneo curru raptus: *Eliſeus autem videbat, & clamabat, Pater mi, Pater mi,*

Chryſoſt.

Actor. 1.

4. Reg. 2.

currus Israel, & auriga eius. Et non vidit eū amplius: apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa. Et cur Elisæus tot doloris, tot luctus signa promit in discessu Eliæ; & apostoli in discessu Iesu nil tale faciūt? An quia minus amabant? Absit; sed habebant angelum certificantem de reditu, quem Elisæus non habuit. Ait Chrysost. supra: *Ne hoc faciant Apostoli, quod Elisæus fecisse docetur, conscidit vestimentum cum magistrum videret elevatum ad cælum. Non enim habuit præsentem angelum, qui Heliam promitteret aduenire. Ne igitur isti hoc faciant, ideo angelus stabant, animos eorum tristitia solatio releuãtes.* Ploret, & luctum habeat, qui amici abeũtis non certificatur de reditu; at qui nouit melioris conditionis reditum, is nõ lugeat, sed consolationem capiat. Celebris est locus Abacuc cap. 2. dicentis iuxta Septuag. *Scarabæus de ligno loquetur ea.* Sive vt D. Athan. ser. contra Hæres. *Scarabæus de ligno vocem dabit.* Quod refero ad verba à Christo prolata ex quo pro nobis crucem amplexus est in Pilati prætorio; prima enim verba à Iesu sub cruce prolata, ea fuerunt, quæ D. Luc. refert cap. 23. nimirum: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, &c.* Hæc prima verba fecit Iesus, dum non homo, sed vermis, sed abiectissimus Scarabæus sub ligno crucis apparebat. Sed cur domine, quando adeo vilis, & abiectus appares, vt vermi, & Scarabæo cõpareris, nil primum satagis, quam de lacrymis pro te effusis abstergendis? In illa vilis vermiculi, nimirum Scarabæi specie, simul resurrectionis indicia prætendebat. Dicit enim D. Epiphan. in Anchorato: *Scarabæi morti vicini in pila stercoris ipsos occultant, talem pilam in terram sepelientes, ac defodientes, atque sic ex suo rursus reuiuiscentes comperiuntur.* Quod sanctus Pater adducit, vt resurrectionis vestigia, vel in hoc vilissimo vermi ostendat. Ne miremur, quod dominus factus vermis, seu Scarabæus morti proximus resurrectionem præparans lachrymas prosequendas repellat. Non enim lachrymis, sed gaudio prosequendus est, qui abscedens à vita, gloriosior iterum in vitam veniet.

Chrysost. — Abac. c. 2 — D. Luc.

§. XXXIII.

Propinqui, & cognati præmissos in æternis mansionibus præstolantur.

SCiens Dauid filiolum suum ad cælestia raptum, sapienter dicebat: *Ego vadam magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me.* Equidem præmisi propinqui in cælum, non curãt ad nos venire, sed magis gaudẽt ibi nos præstolari, vt ad eos veniamus. Quo spectans D. Ambr. sic fratrem Satyrum defunctũ affatur, in orat. funeb.: *Præcede ad illam communem omnibus, & debitã, sed iam mihi præceteris desiderabilem domũ. Para hospicij consortium, & quamadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoque ius diuiduum nesciamus. Ne quæso cupientem tui diu deseras, properantẽ expecta, festinãtem adiuua, si diutius morari tibi videbor, ac cersi. Neque enim vnquam prolixius abfuimus à nobis, ut tamen solebas reuisere. Nunc quoniã in reddire iam non potes, nos ad te ibimus.* Hoc petebat Ambrosius à fratre iam cælorum ciue; quod sciebat ab omnibus propinquis fieri, pro suis cognatis. Non ad nos veniunt, sed satagunt, vt nos ad eos eamus, in quo est nostra fælicitas maior, quod habeamus in cælis propinquos, qui præstolentur nos, qui nostrum negotientur accessum, qui indiuiduum secum locũ parant. Iob cap. 42. *Et addidit dominus omnia, quæcumque fuerunt Iob duplicia: Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ.* Omnia fuerunt Iobio restituta dupplicata; filij non fuerunt duplicati, sed vt perierant septem, redditi sunt illi septem alij! Cur septem alij solum redditi? Cur non etiam qui decesserant, restituti in vitam sunt? Non faciebat ad commodum Iob, quod filij cælorũ ciues facti ad illum venirent; magis faciebat, quod ibi eum præstolarentur ad cumulum gaudij. Ideo dicebat D. Basil. in cat. Græca: *Qui vero antegressi fuerant liberi, ei, à quo sati erant, præstolabantur: tunc illi corã adfuturi, cum index humana vita cæum collegerit.* Pertinebat quidem ad Iobi fælicitatem, quod in æternis mansionibus haberet filios, ad quos ipse iret, & qui eum expectarent, & locum pararent.

D. Ambr. — Iob. c. 42. — D. Basil.

§. XXXIIII.

Iustorum mortes miro desiderio alios afficiunt.

AMbientis, & exoptantis pueruli sui ad lem discessum crediderim fuisse illa verba Dauidis, nimirum: *Ego vadam magis ad eum.* Sic enim solent afficere iustorum mortes quemquam videntem, vt ardeat desiderio comitandi illos. D. Nacian. cen. orat. funeb. de sorore Gorgonia, ait:

Iam

Iam soluebatur, atque extremas spiritus efflabat, ac circum eam, tum propinquorum, tum exterorum chorus erat; & vetulæ matris spiratio, animaque discessio, exitum zelotypia prosequentis. Expende illa pulchra verba: *Exitum zelotypia prosequentis*; vbi enim mater sanctissimam filiam animã agere videbat, mortem eius zelotypia prosequebatur, hoc est, tam ardenti & rapido desiderio ad mortem ibat vt videretur zelotypo furore agi circa illam. Habẽt equidem hoc mortes iustorum, vt mirum in modũ nos ad æmulationem incendant, qua velimus eos sequi. Cant. 2. dicebat illa: *Introduxit me rex* Cant. 2. *in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore lãgueo.* Quæ extrema verba singulariter leguntur a Philone Carpatio Philo. dicente: *Sepelite me in numero iustorum, quoniam vulnerata sunt charitate.* Quod petierat floribus fulciri, sic explicatur, quasi peteret sepeliri cum sanctis. Sed quid habẽt flores commune cum sepulchro? In floribus suauitas, in sepulchro horror est. Vnde ergo idẽ potest reputari sepulchri horror, & florum suauitas? In cella vinaria diuini regis, nescio, quid cogitarat de torcularibus, vbi & præla, & prælia spectabat martyrum, qualiter inter tormenta domino obdormiebant. Quid tunc? Ex visis martyrum mortibus, sic in eorum æmulationem exarsit, vt nihil ardentius, quam mortem, & sepulchrum optaret, quod sibi Philo. & suaue, & floridum reputabat. Ait ibi Philo *Sepelite me in numero iustorum, quoniam vulnerata sum charitate. Propter sanctos martyres, per quos dilexit Christum, vulneratæ; ob id ipsum quoque mortem se libenter sustinuisse fatetur: Consentit, & illi, qui dicit: Moriatur anima mea morte iustorum.* Sic æmulatione morientium in domino afficiebatur, vt nihil nisi mortem, & sepulchrum suspiraret. Quod sæpe visum fuit in agone Christiano, dum enim vnus interficiebatur, sic alij ad mortem accensi euolabant, vt ad flores solent euolare apes.

2. *Reg.* 12. Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. Misitque Ioab nuntios ad Dauid dicens: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria. Congregauit itaque Dauid, &c.

§. XXXV.

Nunquam non periculosè principi primas non cedis.

MIrabar, quod ambitiosissimus Ioab sic curet, vt vrbis iam iam à se capiendæ victoria non sibi adscribatur, sed Dauidi. Quippe ait: *Obside ciuitatẽ & cape eam, ne cũ à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Et cur ambitiosus homo cauet, ne sibi adscribatur victoria, sed Dauidi? Ambitiosus erat Ioab, sed valde prudens, & iam experientia didicerat, nunquam non in malum cessisse, quod principi nõ deferamus primas. Ait Caietan. *Sciebat Ioab, quam molestum* Caietan. *fuerit regi Sauli audire laudes Dauidis in triumpho, & propterea prudenter exemisse ab huiusmodi inuidia, & victoriæ nomen, & gloriam transferre curauit in Dauidem regẽ.* Notus fuit ex 1. Reg. 17 Dauidis de Philisthæo triumphus vniuerso Israeli cantatissimo; qui vt cantatus fuit à puellis mirum in modum extollentibus Dauidem, sic vehementer Saulem regem percussit. Qui indignissime tulit, quod in victorijs vel puellæ darent non regi, sed Dauidi primas: & hinc acerime Dauidem fuit persecutus. Hoc noscens Ioab prudenter cauit, non sibi prærripere victoriæ gloriam, sed illam cedere regi Dauidi. Nunquam enim non lethale est etiam magnis ducibus, quod victoriarum glorias non cedant principi. Cyrus Rex occisus fuit à duobus Artaxergis ducibus, Cares alter. Mitridates alter dicebatur. Vterque defuncti regis spolia duxerunt Artaxergi. Quod tunc? Ait Plutarchus in eius vita: *Mitthridati, qui Cyrum sanciuerat primus, dona misit. præcepitque eis, quæ dona ferebant referre: His cete præmijs rex ornat, quod stratum equi, quem inueniſti, retuleris ei Cyri. Cari, quoque, à quo in poplite Cyrus vulneratus occubuit, præmium flagitanti nuntiare, quos misit cum dono, iniunxit: Hoc donum tibi rex, quod secundus felicem nuntiam ei attuleris, mandauit dari.* Sic Artaxerges mune- Plutarch. rabat

bat Mithridatem, & Carem dissimulans ineis, quod Cyrum interfecissent. At illi, quid ad nuntios dona afferentes? Aitidē:

Cyrum. *Miserum Caremidem, qui stolidos solet, tenuit morbus. Quippe præsenti gestiens fortuna, inductusque statim ad asserendum ea, quæ supra sortem suam erant, dedignatus est oblatum prosperi nuntij præmium accipere: sed fremuit testans Deos, clamitansque ab nullo Cyrum alio, quàm â se peremptum, qua gloria immeritò se expoliari. Quibus relatis maiorem in modum exarsit rex, ac ceruicem homini abcindi imperauit.* Consumpto Cari in gloriatione sua restabat Mithridates. Qui ad conuiuium regium vocatus dum incalesceret vino ait: *Ego diserte vobis affirmo interfectum hac manu Cyrum. Rex ira flagrauit, quasi reuinceretur, pulcherrimūque ac iocundissimū amitteret victoriæ decus. Volebat enim omnibus persuasum, hinc se Cyrum interfecisse. Itaque necari Mithridatem scaphis iussit.* Hunc exitum habuere, qui se victores Cyri, & authores victoriæ prædicabant, vt re vera erant, & non magis illam attribuebant principi. Nec alium finem sperent, quicūque victoriarum glorias sibi potius, quam principibus suis adscribunt.

§. XXXVI.

Principi debetur gloria, quam bonus ab illo minister electus acquisiuit.

QVando vrbs iam iam capienda erat, nec resistere poterat Ioabo, vocatur Dauid, ne victoriæ gloriæ Ioabo cedat. Sic ipse vocans Dauidem dicebat: *Ne eum à me vastata fuerit vrbs, nomine meo adscribatur victoria.* Sed quomodo illi non adscribiretur victoria, etiam Dauide veniente, quando ab illo tota iam res acta erat? Nonne ipse fateturâ se vrbem necessario capiendam? Non ne ipse rem eo deduxerat, vt nullum effugium hostibus maneret? Quomodo ergo etiam Dauide accedente, non illi victoria imputaretur? Equidem cū ipse Ioab à Dauide fuerit electus, & designatus dux illius prælij; quidquid ipse egisset, merito non illi, sed Dauidi tribuendum erat. Paul. ad Gal. cap. 2. dicebat:

Paul. *Cum cognouissent gratiam Dei, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, &c.* Itaque Paulus cum adiuncto sibi Barnaba in gentes mittitur; sed illud notandum, quod dicit: *Cum agnouissent gratiam, quæ data est mihi*; quasi liber totum gratiæ donū, & opus adscribat; nec illū datū Barnabæ meminerit. Et cur nō dixit, quæ data est mihi, & Barnabæ? Nō ne & Barnabas multa peregit apud gētes? Cur & illi donū nō attribuit? Vt Barnabas electus fuerat à Paulo in opus ministerii, sic quid quid Barnabas agebat, Paulo deputabatur. Quo aspiciens Nazian. orat. 20. aiebat. *Quod si quid auxilij Barnabas, qui hæc loquitur, Paulo decertanti tulit, Paulo habenda est gratia, qui illum elegit, ac certaminis socium adhibuit.* Quia Paulus Barnabam elegerat, & certaminis socium designarat, merito Barnabæ recte acta Paulo adscribuntur. Exodo 17. dixit Moyses Iosuæ *Eligi viros, & egressus pugna contra Amalech.* Ex Hebræo legit Lyppom. *Elige viros nobis:* quia si iam inde credantur Moysi, & Iosue adscribenda fore magnalia omnia, quæ peragerent illi, qui in ea electi, & designati fuerant à Iosue, & Moyse.

Nazian.

Exod. 17

§. XXXVII.

Mariæ Virgini cedunt vniuersi reges coronas.

ILlud glorioſum fuit Dauid, quod post deuastatam Regiam Ammonitarum, coronam sibi a rege sumpsit. Ait enim: *Et tulit diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput Dauid.* De tot Dauidis consectibus vnum hoc cessisse illi diadema inuenio, eo magis decantatum, quo maiori pretio æstimabatur. Quod dum noto, non me contineo, quin podderem gloriam filiæ eius Mariæ, cui non vnum diadema datū regi alicui ablatum, sed vniuersi regis illi cedunt coronas suas. Vt dicat illi sponsos, & filius Iesus Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Expende de quot captibus coronæ detrahantur, vt illis Maria coronetur. In Amana, Sanir, & Hermon vniuersa mundi regna intelligūtur, quæ idolatriæ tenebris erant obducta, & propterea cubilia leonum, & pardorū vocantur. Ea tamen ad fidem conuersa, & christo subiecta, nihil prius faciunt, quam coronas suas summitere, vt coronetur Dei mater. Quod sic quasi ex verbis Iesu expendit

Cant. 4.

pendit Ruper. lib. 3. in Cant. *Latus mundi regna, & cubilia leonum, & montes dico pardorum, quia reges regnorũ, reges Persarũm, & Babilioniorum, atque Medorũ, reges Græcorum, reges, & consules Romanorum, quid nisi leones, & pardi dicendi sunt, qui tot bellis, tot cædibus orbem terrarum lacerauerunt? De talium leonum cubilibus, taliumque pardorum montibus, tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium salus corona tua erit. Ita coronaberis, vt in cœlis regina sanctorum, & in terris reginæ sis regnorum. Vbicumque prædicatum fuerit illud de dilecto dictũ. Gloria, & honore coronasti eum; prædicabitur, & dete, quod sis mater huius coronati; atque hoc intuitu reges, atque Imperatores coronis suis te coronabunt.* Rupert. Equidem nullus fidelium regum est, qui Mariæ non submittat coronam suam. Vt merito dicam illud sapientiæ cap. 7. *Præposui illam regnis, & sedibus*; quippe super omnia regna, & super omnes thronos, & coronas radiat exaltata Maria.

§. XXXVIII.

Vnius veri Dei proprium hostibus non nocere, sed parcere.

MItissimi Dauidis facinus in castigandis Ammonitis horreo percensere; illud tamen sic narratur: *Tulit diadema regis eorum pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput Dauid, sed & prædam ciuitatis asportauit multam valde: populum quoque eius adducens seruauit, & circumegit super eos serrata carpenta, diuisitque cultris, &c.* Quid crudelius? Sic lacerabat homines captiuos, ac si palea stereret, & hoc in vltionẽ facinoris, quo ipsi inhonorauerant legatos eius. Quis hoc crederet de mitissimo Dauide, de Dauide, inquam, qui toties hostibus suis etiam infensissimis pepercerat? Non ne Dauid est, qui inimicum Saulem à sociorum gladijs eripuit? Vnde illi accidit tanta seueritas, qua non solum non parcit Ammonitis, sed & illos horrendis mortis generibus enecat? An hoc fecit in Dauide nouum istud diadema impositum capiti eius? Plane inuenio aureum diadema ereptum, siue regi Ammonitarum, vt videtur iudicare præsens textus; siue Idolo illorum, vt indicit. 1. Paral. 20. impositum capiti Dauidis; & inde Dauidem procedere in vindictam adeo crudelem: & facile adducor, vt credam seueritatem illam prouenire ab assumpto siue regis idololatræ, siue idoli diademate. Solus enim veri Dei spiritus est cum hostibus, & iniuriosis hominibus lenitatem exercere. Exod. 3. *Apparuit ei dominus in flãma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Rubus spinosa planta, spinas suis obtendebat flammæ aduenienti; flamma autem sic in oppositas sibi spinas ferebatur, vt minime eas lædere, sed potius foueret. Et vnde ignis, tam leuis in oppositas spinas? Ait D. Chrysost. orat. in Annuntiat. Mariæ apud Metaphrastem, quasi ex ore Dei: *Ignis ille, qui diuini ignis præsentiam significabat, rubum potius irrigauit, quam combusit.* D. Chrys. Non equidem idoli, nec barbari regis præsentiam repræsentabat ignis ille, sed Dei veri præsentiam; & ad Dei veri præsentiam nihil seueritatis ostendit, nec spinas comburit, sed magis fouet quasi rigatu, vt vigeant, vt crescant. Crede mihi ab Idolorum regno nihil ad te veniet, nisi quo magis sæuias, quo rabidam crudelitatem exerceas; ab spiritu autem Dei sic miteſcis, vt vel infensissimis hostibus fias lenis. Matt. 27 crucifixo domino, sitibundo, rabidi hostes illudebant, & dabant ei bibere vinum felle mixtum. Dicit enim: *Et continuo currens vnus ex eis, & acceptam spongiam impleuit aceto; & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant, sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Matth. Quando aceto probatur, quando audiebat de Elia, emisit spiritum. Cur domine ad memoriam Eliæ excitatam te morti tradis? In Elia repræsentabatur ignis absumens homines iniurios; ideo dominus tunc elegit mori, vt ostenderet, quam longe abesset ab vltore spiritu Eliæ, qui nihil mali infert iniuriatoribus suis. Quo spectans D. Hilar. lib. de Vnitate Pat. & Fil. ait: *Nascitur Deus assumptioni nostræ, patitur vero innocentiæ, postremo moritur vltioni.* D. Hilar. Nõ equidem Deus vt Elias est vltioni, sed vt mortuus; vt enim mortuus non vlciscitur, sed iniurias immotus fert, sic Deus, dum astantium scelera flagitabant vltionem, ipse se ostendit mortuum.

(?)

CAPVT. XXVII.

Dauid fugabatur ab Absalone.

VICTOREM de Ammonitis, aureaque redimitum corona Dauidem inuadunt nõ infirmæ calamitatũ turbæ, quæ homineni & regnum pene in extremas angustias deduxere. Stuprum filiæ Thamaris, Ammonis primogeniti mors cruenta, Absalonis coniuratio gaudia omnia pristini vorauerunt temporis. Coactus namque est Dauid deserta loca repetere, ne rebellis filij gladij spateret. Relictis domi decẽ concubinis pro custodia Regiæ fugientẽ comitantur vxores, validi pugnatores cerethi, & phelethi, sexcenti viri Gethæi, omnes pedites. Nec vllis Dauidis præcibus potuit adduci Ethai filius Regis Achis, vt Hierosolymis moraretur; maluit enim princeps fidelissimus amicum comitari exulantem, quam indelicijs cum tyranno esse. Vbi ad Torrentem Cedron vẽtum est, non patitur Dauid secum pergere sacerdotes cum arca Dei; quos Hierosolymam remittit, vt ibi fugientis regis reditũ, sacrificijs apud Deum, & arcanis rebelliũ per nuntios explicatis negotientur. Non aliter Cusai Arachitis cogitur apud Absalonem manere, vt dum tyrannum fallat amico vultu, causam veri, & amici regis fideliter peragat.

PARS MORALIS circa textum.

ECCE tibi adulterij â Dauide patrati messis, nimirum exilium, lachrymæ, gemitus, gladius, & bellum; hos sempe fructus metit, qui in peccatis seminat.

2. *Reg.* 15. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalẽ, surgite, fugiamus; nec enim erit nobis effugium â facie Absalon: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impleat super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. Dixerunt que serui regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex libenter exequemur serui tui.

§. I.

Peccati conscientia implicat hominem, ne in conflictu euadat.

AD primum rebellis exercitus nuntiũ cautissimus dux Dauid arripuit fugam. Dicit enim: *Surgite, fugiamus: nec enim erit nobis effugium à facie Absalonis.* Et cur validissimus dux, doctus nõ veteri hostes, modo ad primum rebellionis nuntium sic desperate fugit? Cur non magis in arce munitissima residit, & veteranorum suorum fidit viribus? Cur maturat fugam ante hostem visum, & non magis expectat fugere, quando expertus fuerit se non posse resistere? Cur desperat fugere in hostis facie? Videbat conflictũ peccati sui esse pœnam, & credebat in illo sic se esse implicandum, ne posset fugere, nec euadere. Mordebatur adhuc antiqui adulterij, & homicidij conscientia, quæ illi, si confligeret, certam annuntiabat cladem futuram. Quo spectans Cartus. ait: *Dauid conscius sibi malorum quæ fecerat, ac reminiscens comminationem sibi per Nathan factam, formidauit succumbere propter sua peccata propter quorum demerita, timuit Absalonem diuina virtute præualere tanquam flagellum diuinæ iustitiæ.* Cartus. Peccata præterita faciebant, ne exercitatissimus dux aliquod sibi bonum speraret in illo conflictu, nec dubitabat se periturum in bello, quod sciebat excitari propter peccata sua. Credite mihi ineuitabiles sunt ruinæ in bellis adquæ propter peccata venimus. Dicebat Deus peccatori Psal. 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum, nequando rapiat, & non sit, qui eripiat.* Quod Deus dixerat. *Statuam contra faciem tuam:* psaltes putat inuasionẽ esse, quæ nullum relinquat nec liberatorem, nec effugium. Sed quid potest Deus contra faciem peccatoris statuere, quod Psal. 49.

pror-

prorsus illi occludat effugium? Genebrardus putat à Deo statuenda peccata ob oculos peccatoris in conflictu, quæ proculdubio sic hominem implicabunt, ne possit effugium inuenire. Rem lepide ostendit Latinus Pacat. in Paneg. Theodosij; vbi Maximum â Theodosio in bello confractũ describens tãdem ait: *Ibat interim Maximus ad te post terga respectans in modũ mẽtis attonitus euolauat. Nec vllum ille consilium, vllam veritionem, aut denique spem sequebatur, quin ipsos viæ implicabat errores. Quoties sibi ipse putamus dixisse, Quo fugio? Repeto Britanniam? Quam reliqui. Credo me Galliæ? Sed inuisus sum. Hispaniæ committo? sed notus sum. Quid ergo faciam inter arma, & odia medius? A tergo premor hostibus, à fronte criminibus.* Expende hæc. *A tergo premor hostibus, à fronte criminibus*, quippe vbi scelerum pœnæ exigebantur, hostes terga miseri fugientis feriebant, peccata autem ob oculos statuta sic illum implicabant, ne liberatorem inueniret, nec clademeuaderet.

Theodosio

§. II.

Peccata te infirmissimo inferiorem faciunt.

MIrabar exercitatissimum ducem Dauidem sic à facie tyronis iuuenis timere, vt crederet se ab eius non posse gladio liberari. Ait enim: *Nec erit nobis effugium à facie Absalonis.* Quis Absalon? Nonne circinnatus quidam iuuenis erat? Non ne formosulus tyro in bellis, in amoribus veteranus? Fallar, si bis gladium strinxisset, nisi quando semel fratrem incõuiuio percussit. Et hunc timet exercitatissimus Dux, & ita timet, vt asserat non posse ab eius gladio liberari? Non equidem timet vires eius, sed eiusdem aduentus timet causam, nempe propria peccata; quorum est validissimum infirmissimo tradere. Pulchre dicebat D. Chrysost. in Psal. 3. *Fugiebat filium suum Dauid, quoniam castitatem fugerat. Quoniam alienam agnam in domum suam introduxerat, & eius pastorẽ interfecerat, qui erat è domo sua agnus pastorem cornu petebat.* Expẽde: *Qui erat è domo sua agnus*: non enim Deus in Dauidẽ excitauit leonem, nec Pardum, sed domus suæ agnellum, vt ostendat, quàm infirmis tradantur etiam validissimi, vbi improba illos inficit conscientia. Huc traho Salui-

D. Chrys.

anum lib. 7. de Guber. Dei, vbi Hispanias à Barbaris lamentatur vastatas, fatus: *Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate ostendere Deus voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cum & Vandalos ad solam maxime pudicitiam superponeret, & Hispanos ob solam maxime impudicitiam subiugaret. Quid enim? Nunquid nõ erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? Multi absque dubio, imo omnes. Sed ideo ille infirmis hostibus cunctatradidit, vt ostenderet scilicet nõ vires valere, sed causam. Neque nos tunc ignauissimorum quondam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari.* Quid pulchrius? Non equidem vires hostium, sed habitantium peccata validissimum etiam regnum deuastant. Nullus equidem est hostis contemnendus ab eo, qui cõtempsit conscientiam suam improbitati indulgens. Post victoriam partã ab Idumæis Amasias rex Iuda parabat exercitum aduersus regem Israel Ioas. Cui Ioas dicit, 4. Reg. 14. *Percutiens inualuisti super Edon, & sublenauit te cor tuum, contentus esto gloria, & sede in domo tua, quare prouocas malum, vt cadas tu, & Iudas tecum.* Quæ sic apud Theodor. legũtur ibi quæst. 22. *Percussisti Idumæam, & te extulit cor tuum, gloriare sedens in domo tua. Et cur litigas in improbitate? Et cades tu, & Iuda tecũ.* Expende pugnatoris in improbitate fructus, nimirũ: *Cades tu & Iuda tecum.* Quæ enim in improbitate bella instruuntur, nõ ad victoriam, sed ad casum conducunt, solet enim conscientia improba vel fortissimos prosternere coram infirmis.

Salvian.

4. Reg. 14

Theodor.

§. III.

Obedientia non parua ad salutem via.

HOrtanti ad fugam Dauidi nullus est, qui renitatur, nullus est, qui nõ pareat. Ait enim: *Dixeruntque serui regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur.* Et plane hæc obedientia illos in tuto asseruit. Dauidi confitenti peccata sua iam dictum fuerat supra. *Non morieris*; sed poterat fieri, vt cum viuus ille euaderet à gladio Absalonis, serui eius perirent. Per quod ergo saluãtur Dauidis serui? Per hoc, quod præcepto de fuga capienda obediunt. Duæ sunt namque salutis viæ notissimæ & confessio,

fessio, & obedientia. Iesus crucifixus inter latrones, alteri eorum salutis viam ostendit; & agens cum publicanis publicanum trahit ad se Matthæum. Sed quæ via latro, & publicanus ad salutem venerunt? Latro

Luc. 23. Luc. 23. clamabat: *Nos quidem iuste, nam dignafactis recipimus: hic vero nihil mali gessit.* O latronis confessio, non miror, quod cum Dauide viam salutis inueneris. De

Matth. Matthæo ait Luc. cap. 5. *Vidit Iesus publicanum nomine Leui, & ait illi: sequere me. Et relictis omnibus surgens secutus est eum.* Quæ promptior obedientia? Plane & hæc salutem inuenit cum Dauidis seruis. Ait Chry

Psal. 50. sost. in Psal. 50. *Sicut latro confessionem intulit, sic publicanus obedientiam suam, & meruit in Apostolatus ordinem collocari.* Vel latrones ponit peccatorum confessio in vijs salutis; sed obedientia vel publicanus ad Apostolorum ordinem euehit. Quis obediens non pene cernitur in ipsa Apostolorum beatitudine, & securitate? Dicebat Psal. 127. *Beati omnes, qui timent do-*

Psal. 127 *minum, qui ambulant in vyseius.* Ecce tibi vt timentes Deum ad beatitudinis securitatem euehuntur. Sed qui timentes Deum sic beatificantur? An qui timent, & sedent? Absit; sed qui timent, & ambulant in vijs eius, nimirum per mandatorum obedientiam. Sic D. Zeno ibi:

D. Zeno. *Ostendit non ex terrore eius, qui terribilis sit, beatos esse, qui timeant; sed ex eo, quod in vijs Dei incedant; timor enim, vt diximus, non in metu, sed in obedientia est, & timoris testimonium est obsequela.* Ille Dei timor beatificat hominem, & in tuto asserit, qui obedientia ostenditur, tunc enim te in salutis vijs esse ostendis per Dei timorem, quando alacriter vel nutibus eius obedis. Huc trahe dictatom. 2. in vet. test. lib. 5. cap. 8. §. 3. & tom. 3. lib. 6. cap. 1. par. 1. §. 5. & sæpe alias per omnes tomos.

§. IIII.

Vnum Dei nomen tribulatis haud ingratum.

NOn possum non expendere Dauidis constantiam in memorando nomine perduelis sui, dum inquit: *Nec erit nobis effugium à facie Absalon, &c.* Nec crediderim nominatum ab illo fuisse nomen Absalonis perduelis absque aliquo despectus, & abominationis signo. Quod

Iosephus. inuens Iosephus, ait: *Conuocatis amicorũ intimis, collocutus est cum eis, de insolentia filij*: quasi non sine acore, & abominatione tunc Absalonis meminerit. Nec miror, vnum enim Deo nomen in periculis gratum, & fauorabile affulget. Psal. 3. *Psalmus Dauid, cum fugeret à facie Absalon filij sui. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me, Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem domine susceptor meus es gloria mea, & exaltans caput meum.* Ecce tibi in eodem puncto fugæ, qualis Dauid existat in Absalonem, & in Deum; Absalonẽ meminit non sine abominatione, eius insolentia recensita; Deum autem memorat, vt in quo solo & gloriam suam reponat, & salutem. Eu quam solitum hoc nobis est in periculis, tunc abominabiles apparent creaturæ, & solum Dei nomen creditur salutare suffragium. Explico rem historia relata à Latino Pacato in Paneg. Theodosij: Feriebat rcriter Theodosius rebelles suos, cadebant passim illi. Quid *Pacato.* tunc? Ait ille: *Illi inutilibus, excisisque membris, reliqua sui parte fugiebant, hi dolorem vulnerum sequebantur, isti mortes, recentes in syluas, & flumina deferebant. Illic postremum spiritum in admiratione nominis tui, & sui ducis detestatione fundebant.* Equidẽ extrema tribulatio ducebat miseros ad salutaris principis nomen aucupandum, & nomen perduelis ducis sui detestandum. quod nobis quotidie contingit. Dũ enim floremus in vita, quàm suauia sunt nobis amicorum nomina, & nomina voluptatũ, ac deliciarum: vbi autem ad pericula veni tur, in extremisque tribulationibus versamur. Tunc vel extremum spiritũ agimus in detestatione nominis creati, & in admiratione nominis diuini, ad quod vnũ euolamus. Et quanto id lucro facimus! Aie-

Psal. 109. bat Psal. 109. *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Iudicauit in nationibus implenit ruinas.* Et quorum ruinas sic implet dominus, vt minime amplius ruinæ videantur? Accipite D. Augustinum fan-

D. Aug. tem: *Modo sic iudicat gentes, vt repleat ruinas, nam quando in fine iudicauerit, damnauit ruinas. Replenit modo ruinas. Quas ruinas? Quisquis à nomine eius timuerit, cadet: cum ceciderit, euertetur, quod erat, vt ædificetur, quod non erat.* Expende illud: *Quisquis à nomine eius timuerit, cadet, &c.* quippe vbi quis diuini nominis cum reuerentia, & timore recordatus fuerit, ad Dei pedes cadit, ibique prouoluitur, sed casus iste, vt Dei nomine caulatur, sic mille augmentis repletur diuinarum gratiarum.

2. *Reg.* 15. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & reliquit rex decē mulieres concubinas ad custodiendam domum. Egressusque rex, & omnis Israel pedibus suis, stetit procul à domo, & vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones cerethi, & phelethi, & omnes Gethæi, &c.

§. V.

Vni Deo fidat, qui saluari amat.

SVppetebat regi potentissimo equitatus, quo velocius fugere posset, at maluit pedes fugere, dum ait: *Egressus est ergo Dauid rex, & vniuersa domus eius pedibus suis, &c.* Et cur maluit pedibus suis, quam equo sumpto fugere, nisi vt ostenderet, non alium, quam Deum habere protectorem in fuga? Sic ipse clamabat Psal. 19. *Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocauimus.* Circa quæ aiebat Euseb. in cat. Græca: *Hostes tui fidentes equis & curribus victi, non secus ac Pharao in rubro mari demersi concident. Nos vero nomine Dei nostri armati tecum precibus militantes sublenabimur, erigemur:* Expende: *nos autem nomine Dei nostri armati;* quippe, qui Dei nomine armantur; certius ebadent, quam qui in equorum fidunt pernicitate, & fortitudine. Vnius Dei nomini si fidas, omnibus armis appares munitior. Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiū.* Vbi notet posuit: *Mille clypei;* putat Georgius Venetus in sua Armonia, ponidebere: *vnus clypeus.* Sed qualiter vnus clypeus potest dici omnis armatura fortium? Forte in clypæis Hebræi antiqui inscriptum ferebant Dei nomen, vt aliæ nationes in eis scribebant ducum suorū nomina. Ait Quintil. declam. 3. *Vides munitū gladio latus, loricā ferro asperā, clausam galeā faciem, & ad terrorē belli cristas minantes, inscriptū in scuto Cæsaris nomē.* Quod si Dei nomen inscriptū in scuto sit, nō miter, si vnū scutum pro omnia armatura sufficiat pugnantibus. Equidem in vno Dei nomine vel ocius ad salutem, quam in curribus, quā in equis euolatur. Quo spectans Psal. 32. ait: *Non saluatur rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem.* Et plures inuenies ab equis præcipitatos, qui viuerēt, si vni Deo sese tradissent. Pro quo ait D. Basil. ibi: *Electus est, & exclusus ab vsu sanctorum equus. Sed neque Israel in obeundo bello, videtur vsus equestri potentia. Nec sanctorum aliquis priuatim equo vti pulchrum existimauit. Pharaoni equestri vsus exercitu, & Senacherib superbus equorum multitudine narrantur. Quam obrem Pharaonis equum, & ascensorem Deus deiecit in mare, & Senacherib milites dormierunt, qui ascenderūt equos.* Sic perierunt, qui magis in equis, quam in Deo confidebant, vnde sanctilōge ab hac inani confidentia facti, eo se tutiores credebant, quo sub vno Deo erant minori creaturarum fauore leuati: Iob cap. 1. dicebat nuntius malus: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues puerosque consumpsit.* Quid inde Iobo in tanta rerum spoliatione accidit? Ait D. Chrysost hom. 3. in Iob: *Nudatus est ouibus, & ipse, quis erat à Deo custodita.* Vt bonorum substantia appareat nudatus, securius à Deo protegebatur.

Psal. 19. — Græca. — Cant. 4. — Quintil. — Psal. 32. — Basil. — Iob. c. 1. — D. Chrys.

§. VI.

Humilitas incessus & commēdant, & fortunat principes.

NOn crediderim defuisse in Regia Dauidis & currus, & lectticas, sellasve, quibus & rex, & reginæ saltem ire possent; & velocius irent. Verum maluit rex, vt omnes pedibus suis viam arriperent. Dicit enim: *Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius pedibus suis.* Non enim in illa calamitate parum commendabilem reddebat regiam familiam, quod sic communia, & confusa cum populatibus vellet esse tantorum principum vestigia. Plinius in Paneg. Traiani sic cōmendat hunc principem: *Manet Imperatori, quæ prior hu manitas. Incedebas pedibus? Incedis. Antete Principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu vsum pedum amiserant. Illos ergo humeri cerniceſque seruorū supra ora nostra, te fama, te gloria, te pietas ciuium super ipsos Principes vehunt. Te adsyderat tollit humus, ita cōmunia, & confusa Principes vestigia.* Sic prin

Plinius.

princeps commendabatur, quod rhedis, quod lecticis, quod curribus, & æquis renuntiasset, & pedibus inter suos ambulat. Ex quo etiam Dei sponsam credide-
Cant. 7. rim commendandam illis verbis cant. 7. *Quam pulchri gressus tui ô filia principis in calceamentis!* Hoc enim humilitatis insigne maxime filiam principis extollebat, quod non in rhedis, nec in curribus, sed in solis calceamentis incedens sui admiration em faceret. Et quidem humilis incessus nunquam non est in principibus commendabilis, imo, & fortunatus. Et quis gressus humilior, quã gressus nostri principis Christi Iesu? Is dum pompatice Hierosolymam appropinquat, asino vectus ferebatur, id quod summam gradiendi commendabat humilitatem. Non enim difficile inueniasprincipem, qui pedibus incedat, at qui portetur asino solus inuenietur
Matt. 21 Christus Iesus princeps maximus. Ait Matth. cap. 21. Dicite filiæ Siõ: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Et cur in tam vili, & abiecto incedendi modo se se ostenditrex omnium? Nonne quafacilitata perijt à rustico asellum, posità nobili aliquo lecticam petere? Cur ergo amauit magistam viliter incedere? Non me contineo, quin hucreferam rem à Plutarcho narratam. Is in vita Antonij cum Cæsarem Octauianum pingeret infinita classe ad portum accedentem ait: *Cæsari memo*
Plutarc. *rant, tenebris adhuc, cum egressus tabernaculo esset, in orbem circum euntem ad Instrandam classem, hominem quendam, qui agebat asinum occurrisse: Nomen quærenti, cum eum cognosceret, respondisse hominem: Fortunato mihi nomen est, asino Victori.* Hoc fælix omen datum fuit Cæsari Octauio, quo eius victoriæ, & gloriæ significabantur. Nec miror, quod Imperaturis hominibus dentur victoriarum auspicia, ab homine pedestri, & asino; quando omnium creaturarum princeps similem sibi ingressum ad Hierosolymitanos ciues parabat. Nequis de vili adeo, & abiecto incessu principibus non augeretur & victorias, & fælicitates.

(?)

§. VII.

Illud in calamitatibus, & difficultatibus præstantissimum, quod nulli officio debito non respondeas.

MIratis Dauidem fugientem? Sed nota, qualiter fugiat. Primo: *Egressus est pedibus suis*, sic Israelitæ ad bellũ proficiscebantur, vt putat D. Basil. in Psal. 32. & cum illo noster Lorinus. Deinde: D. Basil. *Stetit procul à domo, & vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, &c.* Cum primum extra vrbem locum aptum nactus est, constitit, vt suum omnibus locum bonus Imperator assignaret, & ordinate tanquam præliaturi procederent. Sic cedens, vt nequid optimi Imperatoris muneri, & militari ordine detraheret. Isaiæ 10. de Senacherib ait: *Erit terro*
Isaiæ 10. *re profugus.* Septuag. legunt: *Erit fugiens, quasi fugiens.* Erat enim huic fuga, quæ omniex parte ostenderet fugitiuũ, quæ infamis fuga erat. Dauid autẽ sic fugiebat, vt nihil optimi Imperatoris subtraheret muneri. Fugiebat, non quasi fugiẽs sed quasi Imperator cũ hoste præliaturus. Quid præstãtius? Sane nõ potest nõesse gloriosum homini, quod nulla difficultate adducatur, vt à suscepti muneris deficat integritate. Ioan. cap. 6. ad satiandã populatẽ multitudinem dicebat Andræas: *Est puer hic, qui*
Ioann. *habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces.* In quibus quinque panes ordacei credunturresponderemultitudini populari, duo autem pisces duabus potestatibus, nimirũ regali, & sacerdotali, quæ multitudinem condunt, & saporant, vt pisces panes. Et cur regios homines pisci bus assimulamus? Ait D. August. lib. Octog. trum quæst.
D. Aug. 61. *Duo autem pisces, qui saporem suauem panidabant, duas illas personas videntur significare, quibus populus ille regebatur, vt per illas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet, & Sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa vnctio pertinebat. Quarum officiũ erat procellis, ac fluctibus popularibus nãquã fãgi, aut corrũpi, & violentas turbarum cõtradictiones tãquã aduersantes vndas sæpe abrũpere, inter dũ eius custodita sua integritate cedere.* Pisces nullis procellis franguntur, quin sepæ aduersantes vndas natatu proscindunt, quod si maiores sint, quã proscindi queant, sic cedunt, vt in nullo fracti

appa-

appa-rent. Sic principes nobiliſsimi, & duces præſtantiſsimi nullis popularibus procellis frangũtur; eis ſæpe inuicti obſiſtunt, quod ſi cedendum eſt parumper, quomodo cedunt? Pulchre ait Aug. *Cuſtodita ſua integritate cedãt*; nihil de integritate muneris patiuntur imminui, ſed ſic ſegerũt, quaſi omnia integra ſint illis. Quod in militibus ſuis extollebat Sapiens cap. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit eos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Quæ ſic leguntur à D. Epiphan. lib. 2. contra Hereſ. tom. 1. *Velut aurum in fornace probauit ipſos, & velut integram fructificationẽ boni odoris ſuſcepit ipſos.* Expende illud: *Integram fructificationẽ boni odoris*; inde enim fiunt acceptabiles Chriſti milites, quod mediis flammis perſecutionum ſic generant, vt integram fructificationem boni odoris, hoc eſt, integrã famam boni, & ſancti nominis adimpleant, in nullo deſtituentes, quod integritati muneris ſui officiat. Quo nihil præſtantius, aut in politica, aut in ſpirituali milicia.

Augu. — Sap. c. 3. — D. Ephin.

§. VIII.

Ordo in omnibus auſpicatus.

ADhuc inſto illis verbis: *Stetit procul à domo, & vniuerſi ſerui eius ambulabãt iuxta eum, & legiones Cerethi, &c.* Quibus optimi Imperatoris, vt diximus, & noſter Salianus approbat, implebatur munus, in ordinandis, & diſponendis legionibus militaribus; ne vel cedentes non ſint in militari ordine, & diſciplina. Et quidem ordo nũquam non auſpicatus hominibus. Vt de Theodoſij exercitu dicat Pacatus in eius Paneg. *Ecce lux tandem, & omnis campus horrebat, diuiſi in cornua equites, leues ante ſigna velites, diſpoſitæ manipulatim coortes, & gradu pleno ferentes agmina quadratæ legiones, vniuerſa late, qua viſus agi poterat, occuparant. Non dum ſe virtus experiebatur, iam diſciplina vincebat.* Ante congreſſum ipſe coortium ordo, & diſciplina victoriam auſpicabatur. Cant. 6. dicebat: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Septuag. legunt: *Pauor, vt ordinata.* Niſſenus ponit: *ſtupor, tanquam inſtructæ acies*: quaſi pulchritudinem, & fælicitatem ſponſæ in eo ponat, quod ordo eius aſſimiletur ordinatis caſtris. Et quę ſunt illa caſtra, quorum ordini aſſimilatur, ordo ſic in Eccleſia auſpicatus? Ait Niſſen. hom. 15. in Cant. *Hæ ſunt illa inſtructæ copiæ, vbi poteſtates ſemper dominantur, perpetuò dominatus rerũ potiuntur; ſolide fundati ſunt throni: imperia nullam inſeruitutem rediguntur; volatus Seraphin nonquieſcit, & ſtatio nõ progreditur; Cherubim ſuſtinere elenatum thronũ non ceſſant, miniſtratores opus facere, & ſermonem audire non deſinunt. Idcirco anima quæ ad illarum imitationem ordine, decenterque facit omnia, talem ſui admirationem excitat, qualem ordinatæ illæ copiæ merentur.* Vt cæleſtes copiæ ordine ſuo imperturbato admirationem faciunt, & ſtuporẽ, imo, & pauorem hoſtibus; ſic & quęuis anima ſub ordinis ſui integritate ſe inexpugnabilem oſtendit hoſtibus.

Caut. 6. — Niſſen.

2. *Reg.* 15. dixitque rex ad Ethai Gethæum: cur venis nobiſcum? Reuertere, & habita cũ rege, quia peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo. Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi? Ego autẽ vadam, quo iturus ſum, reuertere, &c.

§. IX.

Tenelli in virtute non ſunt magnis laboribus exercendi.

VBi Dauid ſuas ordinat legiones, Ethai Gethæum inuenit, qui nuper Iſraelis religionẽ amplexatus fideliſsime Dauidẽ ſequebatur. Hunc Dauid multis perſuadet, vt Hieroſolymis quieſcat, ne recentem fidẽ exerceat laboribus tantis. *Reuertere*, ait, *& habita cum rege, quia peregrinus es, & egreſſus de loco tuo. Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi?* Sic bonus curabat recentẽ Proſelyti fidẽ auertere à ſuſcipiendis periculis, ne in illis frangatur. Quam prudentiam docebat Iacob Gen. 33. locutus cum Eſau: *Naſti domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas ſi plus in ambulãdo fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.* Sic docebat tenellos ab inſuetis laboribus liberandos. Ex quo ſic Lyppomanus philoſophatur in cat. *Diſcimus hic imbecilles laboribus non onerandos, ne irrationale obſequium tentemus, ne vno die laborando*

Gene. 33 — Lypoman.

rande exhamisti, posteris cessare cogantur. Nũquam non habenda est ratio tenerorum, ne adnimis laboriosa ferantur, & tædium laborum capiant. Sic Exod. 13. *Cum emisset Pharao populum, non eos duxit dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, &c.* Breuior via erat Israelitis per Philisthinorum terram; sed multa ibi bella excitarentur, passim pugnandum erant; quod præcauens Deus noluit recenter ab Ægypto eductus, illac deducere, ne statim difficiliora experiri cogerentur. Quo spectans D. Greg. lib. 24. Moral. cap. 13. ait: *Ex Ægypto itaque exeuntibus, è vicino bella subtrahuntur: quia delinquentibus sæculum quadam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine, atque inchoatione turbati, ad hoc tyrannidis redeant, quod euaserunt. Vnde Petrus prius in montem ducitur, prius claritatem transfigurationis contemplatur, & tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur.* Non equidem sunt tenellis proponenda difficilia; sed eorum teneritudini parcendum, vsque dum conualescentes possint quæcumque dura subire. Adhæc aiebat Cant. 8. *Soror nostra parvula est, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ, in die, quando alloquenda est?* Non immerito Rupert. putat hæc dici de primitiua Ecclesia, vbi adhuc tenella erat in fide, & recens conuersa; contra quam tormenta, & eculei parabantur, vt per tormenta interrogaretur de fide sua. Tunc enim quasi solicitus Deus, in sua prouidẽtia mediũ quærebat quo Ecclesia adolesceret. Eius enim erãt illa verba: *Quid faciemus sorori nostræ?* Et quid sorori paruulæ, & delicatæ faciendũ erat, quando tormentorum interrogationes parabantur? An sinenda erat, vt in paruitate sua, iret in tormenta? Mirarer, si sic sineretur; imorẽ pulchre tractans Guilliel. Abb. apud Delrium ait: *Non dum idonea est soror nostra, vt ei magna faciamus. Paruula est, atque impar acrioribus tentationibus sufferendis: fidelis autem ego, qui non permitto eam tentari supra id, quod potest: Interim ergo dispensatorie compatiar infirmitati eius, vt scilicet acrius non interrogetur, donec proficiendo grandescat.* Sic teneritudini, & infirmitati tyronum in virtute parcendum.

Exod. 13.

D. Greg.

Cant. 8.

Guilliel.

§. X.

Sæpissime in alienis, & contrarijs maior fides inuenitur, quam in proprijs.

MIrare Ethai Gethæi fidem in Dauidem, quippe: *Respondit Ethai regi: Viuit dominus, & viuit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Hæc dicebat Ethai natione Gethæus, alienigena ex alienigenis, quando Dauidem persequebatur proprius filius. Eu quoties in alienis, & contrarijs maior fides, quam in proprijs inuenitur! De centurione Romano locutus Lucas cap. 7. ait: *Misit ad Iesum Centurio amicos dicens: Domine noli vexari. Non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres. propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt veniẽ ad te, sed dic verbo, & sanabitur puer meus, &c.* Per amicos Iudæos hæc primo dixit Centurio Iesu; prouidit enim Deus vt hæc per Iudæos dicerentur, vt cogerentur Iudæi testes esse Centurionis fidei. Quod notans dicebat D. Chrysol. ser. 102. *Videtis, quia Christus ducebat magis Iudæos, vt audirent esse penes Centurionem diuinitatis reuerentiam, penes Gentilem legis cultum, in frigore pagano Christianum calorem, in terreno pectore cælestem secretum, & notitiam dominationis supernæ in tota sæculi seruitute.* Quid pulchrius? Sane non semel alienigenæ, & aduersarij vincunt in fide domesticos fidei. Dicebat Iob cap. 34. *Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formido losa laudatio.* Quæ verba sic transfert D. August. iuxta Septuag. in Psal. 47. *Ab Aquilone nubes coloris aurei, in his est magna gloria, & honor omnipotentis.* Sane hoc ad magnam Dei gloriam cedit, quod Aquilo plaga nebulosa, & obscura aureas emittat nubes, quæ colore, & pulchritudine vincant orientales. Ab oriente enim nubes lucidæ, & aureæ exsurgunt, ab Aquilone, & borea nunquam non nisi nigre nubes, tristem tempestatem minantes. Verum vt ibi ait Nicetas: *Deo imperio Boreas nitidas, & fulgorem auri imitantes nubes adducit.* Vt ex qua parte posses timere tempestates, inde tranquillum capias. Vt merito dicat Psal. 47. *Latera Aquilonis ciuitas regis magni.* Vbi August. *Ecce gentes latera Aquilonis, ad-*

D. Chrys.

Iob c. 34.

D. Aug.

Nicetas.

Psal. 47.

iunctæ

iuncta sunt latera Aquilonis ciuitati regis magni. Quando Sionis latera ab hac ciuitate, & rege separabantur, tunc Aquilonis latera sic adiungebatur regi, & ciuitati diuinæ, vt inde viderentur inseparabiles.

2. *Reg.* 15. Et transiuit Ethai Getheus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. Omnesque flebãt voce magna, & vniuersus populus transibat: rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ, quæ respicit ad desertum. Venit autem & Sadoc sacerdos & vniuersi Læuitæ cum eo portantes arcam, &c.

§. XI.

Miserum est, quod eo rediga-ris, vt necessum sit vitare pericula.

MIrabar flentes fortissimos duces, & milites Israel, quando ait: *Omnesque flebant voce magna, & c.* Validissimæ legiones Cerethi Phelethi insuper sexcenti viri Gethęorũ validissimi, in hoc egressu ab Ierosolymis magna voce, magnoq; eiulatu flebant. Sed cur lachrymæ in fortissimis viris, maxime eo tẽpore, quo necdum hostem viderant? Nonne illis liberum fuit hostem vitare, & ad tutiora se recipere, inde cõfirmati securius in bellũ ire? Cur ergo flent, quando & hostem vitant, & se se asserunt in tuto? Flent equidẽ & nõ ignauiter, sed vt etiam fortes decet, quando & miserum est securos, & quietos viros eo redigi, vt teneantur vitare hostes, effugere pericula. Quidam filius captum apyratis patrem senem anxius quærebat, vt se pro patre misere traderet seruituti. De quo sapienter locutus Quintilian. Declam. 6. ait. *Nauigat ergo per horridos fluctus, & gementia littora, & spumantes scopulos, & quacumque miser relatus est, inauspicatum metiens iter, prorsus ominose retentus, per uersis etiam votis, qui optaret alligari à pyratis, quos vitare quoque miserum est.* Expende illud: *Quos vitare quoque miserũ est*; & quibus sapiens philosophus non censet à miseria deflenda alienum, quod cogaris vitare pericula. Nunquam enim in malis nõ recensetur vel ipsa euasio, quæ pericula vitat. Iob c. 1. *Nũtius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, &c.* Quando omnia ablata narrantur, & interempti pastores omnes, ad quid addit illud: *Euasi ego?* Nonne satis apparebat, quod euasisset, quando in presentiarũ erat? Cur ergo voluit tantis malis etiam addere euasionem suam, nisi hæc in parte, & numero calamitatis extitisset? Ait D. Chrysost. in cat. Græca: *Cum rerum amissione cedes miscentur, vt maior hostium immanitas videatur: mira enim crudelitas, atque inhumanitas est, duplex hæc calamitas abductionis, & cedis. Nam eius, cuius vitæ pepercerunt, seruata salus, malorum extitit additamẽtum.* Merito inter mala numerata ponet suam ipsius euasionem, quia miserum fuit cogi vitare tales prædones. Ex quo non adducor, vt credam Mariam Deiparam legi alicui peccati obnoxiam fuisse, quam tamen euasit, tantum enim malum vel vitare, miserum illi fuisset. Et non feram Mariam vnquam putari miseram, quæ omniũ miseriarum expultrix est, & in perpetua fælicitate floruit.

Quintilia.

Iob.

D. Chrys.

§. XII.

Lacrymæ non infirmitatem; sed virtutum aduenturum fructum ostendunt.

VIde legiones fortissimorum militum lugentes, ait enim: *Omnesque flebant voce magna.* Quid amplius diceretur de mulierculis? Nonne lachrymæ istæ effeminatorum animorum erant? Absit, imo vt fortissimorum virorum lachrymæ erãt, sic illis non infirmitas, sed virtus appropinquantis iam fructus causa ostenditur. Antiquitus Gen. 2. *Plantauerat dominus paradisum voluptatis.* Matth. autem 21. *Plantauit vineam, &c.* Nõ vt Achab plantatam vineam in hortum olerum voluit cõuertere, 3. Reg. 21. Sed magis placuit hortum conuertere in vineam. Et qui prius hortum fecerat, illo perdito amauit iam nõ hortum, sed vineam condere. Et cur post hortum, seu paradisum perditum placuit

Gen. 2.

magis Deo vineam conferere? Habet hoc vinea præcipuum, quod in palmitum putatione, vbi maior virtus colligitur, tunc in lachrymas eat, quæ virtutem conceptam annuntiant, & appropinquantis fructus indicem præbent. Ait ad hæc D. Zeno in
D. Zeno. Psal. 79. lib. 2. ser. 18. *Tunc solemniter plorans clementer imbre suo rorat, conceptaque musti felicibus lachrymis fluenta denuntiat.* Sunt equidem in vinea Dei lachrymæ nõ effœminatos animos ostendentes, sed quæ virtutem annuntient, & conceptos iam in virtute fructus manifestent. Ne miremur, quod adeo felicer lachrymæ velin fortissimis spectentur. Ezechiel primò roboratus ostenditur à Dei spiritu, & cum iam maximè roboratus erat, datur illi liber
Ezech. edendus. Et qui liber? Ait ipse cap. 2. *Liber scriptus intus, & foris, & scriptæ erãt in eo lamentiones, carmen, & væ.* Etribus scriptis duo, ad luctum pertinent, vnum ad lætitiam; vt ostendat, quam proprium sit maximorum virorum magis flere, vt immarcescibiles fructus teneant. Pro quo ait D.
Ambr. Amb. lib. 2. de Penit. cap. 6. *Cur erubescis tu flere, cum Deus etiam prophetæ iusserit flere pro populo? Denique & Ezechiel iussus est flere Ierusalem, & accepit librum, in cuius capite scripta erant, lamentatio, & melos, & væ, duo tristitia, & vnum delectabile; quoniam ille saluus erit in futuro, qui hoc in sæculo plus fleuerit.* Plane non ab infirmis, sed & à maximis prophetis exigitur fletus, qui enim magnorum plus fleuerit, maiorem ostendet in sæculis futuris fructum segetem.

§. XIII.

Cum Iesu patienti celerior salus venit.

CVm Dauid adhuc transiret torrentẽ Cedron, iam præcedens populus Oliuæ viam pertingebat; sic enim dicit textus: *Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam Oliuæ.* Simulque à Dauidis fugientis exercitu tenebatur & Torrens Cedron, & via oliuarum; in torrente enim Cedron Iesu passio inceptanda erat, post quam illum transiuit dominus torrentem, capit pauere, & tædere. In monte autem oliuarum finiti vniuersi eius labores fuerunt in gloria ascendentis in cælum. Ergo cum Dauid simul & torrentem Cedron trãseat, & viam oliuarum teneat, ostendebatur; quam celer initio laborum eius finis, & coronis ventura erat. Nec minor, nam qui Iesum in eadem via passionis sequitur, citissime ad salutem peruenit. Crucifixus latro memoriã sui à Iesu petebat, cum perueniret in regnum, cui statim respondit Ie
Luc. 23. sus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur hodie? Cur non magis dilatas furi regni ingressum? In eadem crucis, & passionis pæna erat. Rem pulchre expendens
D. Aug. D. Augustin. in Psal. 39. ait: *Salutem suam lõg& futuram sperabat latro, & post longum tẽpus accipere contentus erat. In longum sperabat, dies non est dilatus. Ille dixit memento mei, cum veneris in regnum tuum. Ille respondit Hodie mecum in ligno crucis, hodie mecũ in ligno salutis. Paradisus habet ligna felicia.* Expende pulchra illa. *Hodie mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno salutis*; quippe non differtur salus ei, qui eamdem cum Iesu viam passionis tenet. Quem citissime illi salus obuenit. Apo-
Apoc. 1. cal. 1. *Conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea. Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba.* Sicibi Iesu apparens longam, & profundam senectutem repræsentabat in capite cano, vt notat Rupert! Verũ Æs-
Æsdras. dras lib. 4. cap. 2. ait: *Ego Æsdras vidi in mõte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabat dominũ. Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorũ capitibus imponebat coronas.* Ioanni senex apparebat, & idem Æsdræ iuuenis apparebat. Cur ita? Ioannis ostendebatur reprehensurus aliquos episcopos Ecclesiarum Asiæ; & ideo ibi senex venit, vt ostendat se ad castigationẽ vix procedere nisi post longissimi temporis expectationem, quæ sufficeret ad senectutẽ faciendam. Æsdræ autem ostendebatur coronans patientiam secum laborantium, & ideo iuuenis ostenditur, vt credatur breuissimum tempus interesse inter labores eorum, qui cum Iesu patiuntur, & præmium. Me in hanc cogitationem coniecit D. Aug. in Psal. 47. vbi
D. Aug. reddens rationẽ cur paruuli innocẽtes per inissi sunt occidi, ait: *Quantũ antẽ ad Christũ, etiã parui proferuntur paruulos corona uit.* Expẽde illa: *Etiã parui, &c.* Nõ enim expectauit adolescere, & minus senescere; sed etiam passio, & paruus iam coronas porrigebat pro se patientibus. Nec aberraverit, qui credat in iuuenili flore descendisse Iesum ad suæ passionis prælium, nec

id

id a Isenium distulisse, vt acceleraret eorum nashis, qui pro illo pasi fuerant.

§. XIIII.

Cultus diuini cura regnorum firmitudo est.

NOn æstimo, quod ad partem Dauidis venerint legiones Cerethi, & Phelethi; nec quod illi adhæreant sexcenti validissimi Gethæi cum duce suo Ethai, & alijs validissimis pugnatorum. Illud maximi æstimo, quod ad illum venerit quidquid ad cultum religionis pertinebat. Ait enim: *Venit autem, & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo portantes arcã, &c.* Et non saluabitur rex, cui totius religionis cultus sic adhæret? Crediderim in hoc certissimam regni confirmandi spem fundatam esse. De filijs Heli locutus textus. 1. Reg. 2. sic finit: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram domino, quia detrahebant homines sacrificio domini. Samuel autem ministrabat ante faciem domini, &c.* 1. *Reg.* 2. Sacrilegijs filiorum Heli sacerdotis adiungitur Samuel ministrans domino. Et quid ministerium pueri Samuelis faciet inter tot sacrilegia sacerdotum, qui diuinum cultum, & sacrificia minuebant? Sapienter cum diuini cultus prophanatoribus, proponitur puerulus Samuel eiusdẽ diuini cultus studiosus, vt quando ex illis imminebat extrema ruina: in hoc puerulo diuini cultus studioso tota niteretur spes restitutionis. Ait Rup. lib. 1. ca. 6. *Samuel* *Samuel.* *autẽ inquit, ministrabat antefaciem domini puer. Ac si aperte dicat Sacerdotibus viris cõtẽptibile sacrificiũ domini redeuntibus, reliquus erat vnus puer: de quo tanquam paxillo modico tota penderet restitutionis spes, in quo dominus iniuriam patiens aliquas sui honoris reliquias appenderet.* Expende illa: *De quo tota penderet restitutionis spes*: Labentes reipublicæ status restitutio & confirmatio tota nitebatur in vno puerulo tenente quantum erat ex se diuinum cultum, ne laberetur. Quo etiam spectans Aquisgranense Concil. sub Pipino habitum lib. 2. cap. 10. ait: *Qualiter Dei electus* *Aquisgr.* *propheta Samuel incultibus sacris, & in altaribus erigẽdis: Deo placuerit, ipsius libri historiæ legentibus aperte demonstrat. Vnde colligi datur quod quanquam cultus diuinus impugnatores habeat, nunquam tamen, domino gubernante, perpetuam desolationem habebit: quoniam adest, & aderit cultus suis fautoribus, & administratoribus talis, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Expende illa: *Adest, & aderit cultus suis fautoribus*, qui enim veræ religionis cultum fouet, nunquam non experietur sibi Deum fauentem, ne pereat. De hoc sæpius dixi & in præsenti, & in alijs tomis, & infra amplius dicitur.

2. *Reg.* 15. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem, ò videns reuertere in ciuitatem in pace; & Achimeas filius tuus, & Ionatha filius Abiathar duo filij vestri sint vobiscum. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo à vobis, indicans mihi. Reportauerunt ergo Sadoc, & Abiathar arcam Dei in Ierusalem; & manserunt ibi. Porro Dauid ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, &c.

§. XV.

Non tam corpore, quam corde Deo propinquus places.

QVi adeo apud se arcam Dei Hierosolymis habere exoptauit, modo in artissima difficultate constitutus à se remittit arcam. Ait enim: *Dixit rex ad Sadoc sacerdotem, ouidens reuertere in ciuitatem, &c.* Cur non magis apud te retines & sacerdotes, & arcam præcipue temporibus difficilimis? Deferbuit ne illa antiqua deuotio circa Dei arcam? Absit, sed nunc eo ostendebatur ardentior, quo non alligabatur loco, aut corporali præsentiæ, sed magis illam corde amabat; suspicere, quam oculis. Dicebat Iesus Samaritanæ Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu,* *Ioan.* *& veritate.* Et merito ille creditur verus adorator, qui tam corporalibus hæret signis, quàm spirituali affectu in sacra rapitur. Dicebat namque Orig. ibi. *Qui totus* *Origen.* *in figuris, corporeisque rebus defixus est, quas cum assequi magnopere videtur, tam in figura, & non in veritate Deum veneratur, ob eã causam verus adorator, & cultor dei non potest.* Expende illa: *Qui totus, &c.* quippè à ratione

tione vere cultoris eijcitur ille, qui totus adijcitur corporalibus signis, & præsentijs sacrorum, nec magis curat de spirituali, & cordiali illorum veneratione. Qui enim scit â corporalibus abesse, & spiritu, corde ve esse proximum, ille, procul dubio verus adorator, & cultor est. Inde docebat etiam dominus Samaritanæ ibidem: *Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est.* In cultu & adoratione prætulit Iudæos Samaritis. An quia apud Iudæos erat materiale templum, & arca? Accipite D. Thomam incat. fantem ex Chrysost. *Reuerentiores Iudæos iudicauit, non â loco, sed â mente.* Non quod loco propinquiores essent Iudæi & templo, & sanctuario, ideo præferuntur Samaritis, sed quod mente, & spiritu veræ fidei propinquiores erant. Ex corde enim & spiritu magis censendus est, qui Deum reueretur. Luc. cap. 7. *Centurio misit ad Iesum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & salvaret seruum eius. Ac illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum solicite dicentes ei: Quia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset â domo, misit ad eũ centurio amicos dicens: Domine noli vexari, non enim sum dignus, &c.* Ecce tibi omnia dicitur per internuntios egisse Centurio, nusquam ostenditur à Luca ipse per se ad Iesum accessisse. Matth. autem cap. 8. dicit: *Accessi ad eum Centurio rogans eum, & dicens: domine puer meus, &c.* Matthæus dicit Centurionem accessisse, Lucas ait non accessisse, sed nũtios misisse, qui pro illo accesserunt. Quid ergo dissensit à Luca Matthæus? Absit, sed Matthæus fortè non egit in primis de corporali accessu, sed de spirituali, quo Centurio proprior Iudæis accesserat Christo. Pro quo dicebat D. August. lib. 33. contra Faustum. cap. 8. *Centurio ille ad Christum magis accesserat, cuius fidem ita laudauit, quam illi ipsi, per quos verba sua misit. Accedant ad Iesum non carne, sed corde, non corporis præsentia, sed fidei potentia, sicut ille Centurio.* Hic præstantior accessus est ad Deum, qui non corpore fit, sed virtute spiritus.

D. Thom. Luc. c. 7. Matth. August.

(?)

§. XVI.

Peccata magnorum etiam virorum lachrymas extorquent.

QVis non miretur bellicosissimũ principem in calamitate deiectionis suę flentem? Dicit namque: *Porro Dauid ascendebat clivum olivarum scandens, & flens, &c.* Multi duces, & principes coguntur sæpe hostibus cædere; & nullus legitur tunc vacasse fletibus. Cur solus Dauid cum exercitu suo fleat. Non calamitatis vis, non exilium; sed rebellis filij, subditorum ve scelera lachrymas à bellicosissimo duce extorquere potuerunt. Ait ipse apud D. Chrysost. in Psal. 3. *Post Absalonem meus contra me armatur exercitus. Oues meæ lupi factisunt & leones agni, & canes rabidi perciti agnelli, & tauri corrupetes arietes; non propter me ipsum afficior tristitia, sed illorum doleo exitium.* Et facile credam in tanto duce lachrymas non defonte propriæ calamitatis manasse; sed de perfidiæ subditorũ vena procedere. Ioan. 11. post mortem Lazari narratam, vbi sorores eius ad Iesum veniunt ait textus: *Iesus ergo vt vidit eam plorantem & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: vbi posuistis eum? Dicũt ei, domine veni, & vide. Et lachrymatus est Iesus.* Multi sciuntur parentes dilectissimorum funera filiorum spectasse siccis oculis; & Iesus Lazari mortem, sororum orbitatem lachrymis, & fremitu fuit prosecutus. Sic domine te quatit temporalis hęc calamitas, quæ etiam minus robusta pectora non solet attingere? Crediderim Iesu lachrymas non extortas à temporali illa calamitate, sed ab animorum spectantium duritia. Dicebat D. Epiphan. in Acorato: *Volebat ostendere, quod hæc omnia sciebat, & non dum quisquam perfecte ipsi credebat, quo declararet suæ erga nos indulgentiæ insignem benignitatem. Oportebat illas rẽ dicere, Quatriduanus est, iam olet: neq; abiise, ac demonstrare, sed dicere, omnia nosti, & si voles, vinet. Quapropter etiam lachrymatus est ob hominum obstinatam duritiem.* Non temporalis calamitas â tanto principe lachrymas extorquet, sed non credentium duricies, & spiritualis ruina.

Ioan. 11. D. Chrys. D. Epiph.

(?)

§. XVII.

Magni animi proprium est, quod ex Dei timore nihil humile non faciat.

CONueniant huc, qui viderunt illum cantatissimum Dauidem in funda & lapide audentem contra Philistæum, & passim de hostibus triumphantem; & modo videant ipsum vel rebellium sonitu perterritum, fugitiuum, lachrymantem. Quippe ait: *Porro Dauid ascēdebat cliuum montis oliuarum scandens, & flens nudis pedibus incedens, & operto capite, &c.* An à magnitudine illa animi degenerauit Dauid in hos deiectissimi hominis gestus? An fuga, & lachrymæ, & luctus, & pedum nudatio hominem iam infirmum, & anguſti pectoris ostendunt? Absit, imo crediderim nusquam adeo magnanimum, & virilem ostensum fuisse Dauidem, quam in hac fuga, in his lachrymis, in hac pedum nuditate. Fugiebat enim, lachrymabatur, nudis pedibus incedebat, non quia perterritus fugiebat à facie rebellium; sed quia perterritus fugiebat à facie Dei irati. A timore autem Dei venire in lachrymas, in fugas, in nuditatem confessionis, non infirmitatis est passio, sed magnanimitatis robur. Ait Psal. 103. *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* Ecce tibi dicuntur montes ascendere, & ita ascēdere, vt minime terram operiāt. Et qui sunt isti montes, qui ascendunt? Accipite Arnobium ibi pulchre dicentem: *Qui tamen isti sunt montes, diligenter ausculta. Isti sunt, qui ab increpatione Dei fugiunt. Fugiunt vtique facta, quæ increpantur à Deo, & à voce tonitrui eius formidabunt, timent comminantem incendium sempiternum. Ascendunt montes cogitantes regna cælorum, descendunt montes cogitantes terrenas actiones suas, vt in locum quem fundauit dominus dirigant, & non trāsgredientur, vt operiant terram, sicut operuit terram Adam. Ex folys siculneæ operuit terram, & abscondit se.* Ecce tibi, non vilis pulueris, quem proiicit ventus à facie terræ, sed magni montes censentur, qui fugiunt ab increpatione Dei, quia voce eius motuentes descendunt ad cogitandas terrenas suas actiones, quas minime ascendāt, nec operiunt, sed prorsus nudant, & confessione manifestant. Hoc equidem non de pusillitate procedit, sed de ea animi magnitudine, quæ par sit celsissimis montibus. Hinc Matth. 27. post explicata prodigia secuta mortem Iesu ait. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ, &c.* Erant autem iuxta crucem mulieres multæ, & centurio Romanus cum suis militibus. Et viso terræmotu, & tenebris, & petrarum confessione non dicuntur fœminæ timuisse, nec clamasse, nec vllum dedisse pœnitentiæ signum. At vero Centurio, & milites dicuntur eo peruenisse timoris, vt manifeste clamarent filium Dei crucifixum, & vt notat Lucas cap. 23. ingenti dolore discederent percutientes pectora sua. Et cur, quæ doloris signa non dicuntur de fœminis; dicuntur tunc expresse de fortissimis centurionibus, de militibus? Crediderim id factum esse, ne luctus & doloris signa, quæ veniunt ex Dei timore, crederentur esse propria animi fœminei, & infirmi; non enim sunt, nisi propria robustissimi pectoris; & quæ conueniant celsissimo animo, & virilissimo.

Psal. 103.


Arnobiū.

Matt. 27

CAPVT XXVIII.

Siba, & Semei cum Dauide.

Textus Historia.



N tot deducto angustias Dauidi duo occurrerunt viri Siba & Semei, ille afflictum muneribus refulcens, hic illum prosequens maledictis. In munerum lenocinijs labauit bonus, imo aliquam passus est iustitiæ ruinam, delinitus enim mali serui officijs in Miphibosethum præcipitem sententiam tulit, qua filium amici Ionathæ, & ob corporalem ægritudinem minime suspectum bonis priuat, quæ omnia præsenti benefactori Sibæ attribuit. Iustior inter maledicta extitit, quam inter officia; nam lapsus propter officiosa munera Sibæ; maledictis Semei petitus sic fortiter segessit, vt nec verbo impudentem, & procacem hominem feriret. Eu regalis pectoris discrimina! Regalem indolem

magis

magis perdunt blanditiæ, quam maledicta.

PARS MORALIS circa textum.

ACCEDANT huc principes, & videant, quam magis cauere debeant ab officiosis seruis, quam ab hostibus; Dauidem officia Sibæ fecerunt iniustum, quem Semei maledicta minime deturbarunt à iustitia.

2. *Reg.* 16. Cumque Dauid transisset paululum montis verticem. apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius, cũ duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharũ & duobus vtribus vini. Et dixit rex Sibæ. Quid sibi volunt hæc? Respondítque Siba, &c.

§. I.

Munera palatinis velut cæleſtes apparitiones ſunt.

NOn otiose dictum illud crediderim nimirum: *Apparuit Siba cum duobus asinis, &c.* quippe apud palatinos hæc est diuina apparitio, si quis videatur afferens munera. Vt enim sancti cælestibus apparitionibus visitãtur, sic aulæ mũdiales non in angelis visis sed inmuneribus oblatis cælitus æstimant apparitiones suas. Iacob filijs suis ituris ad Proregem Ægypti dicebat Gen. 43. *Summite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera.* Quæ prima verba sic ex Hebræo transferunt multi: *Summite de cantatione terræ, &c.* & præter quam quod munera oblata suauissimi cantus sunt omnibus principibus: ego diuinũ aliud meditor in verbis illis. Solent enim in theatris apparitiones cælestes ostendi, & repræsentari populis, quæ dum fiunt, suauissima interea musicæ armonia auditur. His ergo apparitionibus diuinis similia sunt munera apud palatinos, quæ dulcissimo musicæ conceptu comitãte mirum in modum spectantium, audientium ve animos demulcent. Et ne mireris munera velut diuinas apparitiones æstimari à palatinis, accipe illud Genes. 43. vbi dicit: *Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin, descenderunque in Ægyptum, & steterũt coram Ioseph. Quos cum ille vidisset, & Beniamin simul, præcepit dispensatori domus suæ dicens, introduc viros domum, & occide victimas, &c.* Expẽde illud: *Et occide victimas*; victimæ autem solis rebus diuinis occidũtur. Cur ergo ad solum virorum notorum conspectum princeps iubeat victimas occidi? Quid illic apparuit diuinum? Ait textus in principio. *Tulerunt ergo viri illi munera*: quando ergo viri afferentes munera in aula apparent, non mirer, quod putetur ibi apparitio diuina, cui manctentur victimæ. Sola equidem solent diuina putari à principibus mundialibus, quæ illis muneris præstant aliquid. Clades in Israelem vẽturas annuntians Oseas cap. 10. ait: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* Nominatim ponit vaccas Bethauẽ ad distinctionem intelligendam à vaccis communibus, quæ viuabant, & vitulos lactabant. Bethauen autem non erãt vere vaccæ, sed quædam aureæ similitudines vacarum. Indeque magis pungebantur Samaritæ, quod non adorarent vaccas viuas, & fruetuosas, sed inanes, & infructiferas. Et qui Samaritanorũ adorabant illas vaccas steriles? An Samariæ principes? Minime id dicit, sed ait, *habitatores Samariæ*, nimirũ homines populares. Principes enim mundiales communiter non adorant, nec credunt Deitatem, nisi quæ illis præstat aliquid. Ad hæc ait Rup. ibi. *Pulchre igitur, & vehementer redarguit nimis depressam hominum stultitiam, dicendo, vaccas Bethauen, ideſt, vaccas non saltem viuentes, & lactis alimoniam præstantes, sed inanimatas vaccarum similitudines coluerunt. Notandum & hoc, quia non dixit, coluerunt reges Samariæ, sed coluerunt habitatores Samariæ.* Vbi diuinæ habebantur vaccæ nihil præstantes, error ille merito non tribuitur principibus mundialibus, sed stultissimis popularibus.

Gen. 43.

Oseas c. 10

Rupert.

(?)

§. 2.

§. II.

Optimo principi gratiores sunt personæ subditorum, quam bona eorum.

ILlud notandum venit, quod ait: *Apparuit Siba: cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, &c.* Afferebat Siba Regi non paruum commeatus subsidium, & nihilominus ante dicitur coram rege ipparuisse Siba, quam apparerent munera. Aliter Gen. 32. cum enim Iacob timeret venire in conspectum Esau, munera præmittebat, quæ illi obuiam irent. Dicebat namque: *Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitam propitiabitur mihi, præcesserunt itaque munera ante eum, &c.* Sic Iacobi munera offerēda Esau præcedebant, vt prius occurrerēt Esau, quam ipse Iacob. Et quando Iacob sic procurauit, vt munera sua ante se irent Ad Esau; cur similiter Siba, non curauit, vt munera sua ante se irent ad Dauidem? Cur ibi prius apparuit Siba, quam munera, & hic prius apparuerunt munera, quam Iacob? Agebat Iacob cum Esau, qui vt longe à bono principe aberat, sic magis attendebat ad substantias hominū, quam ad homines ipsos, & ideo illi in primis præmittuntur munera, quæ hominem demulceant. Siba autem agebat cum Dauide optimo principum, cui non tam bona, quam personæ erant gratæ, & sic in primis illi apparuit Siba. Nulla res charior apud optimum principem, quam persona subdita. Cantatissimum illum prodigum filium redeuntem, Luc. 15. *Vidit pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrēs cecidit super collum eius, &c.* Quem diuitem dimiserat, nudum vidit redire, & nō quærit de substantia sublata. Cur bone non attendis ad nuditatem venientis? Cur non rationem exposcis partis acceptæ? Bonus parens, non aliud attendit nisi personam filij, hæc dum incōlumis redeat; cætera nihili æstimat. Vt dicat Ruritius lib. 1 epist. 2. *Non ex probantur facinora, non egestas, sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit patri facultas reditus, quam rerum fuerit facultas.* Optimo patri, & principi præ omnibus bonis est persona filij, & subditi. Hinc diuinissimo Deo omnium principi maxime displicuerunt Caini munera. Ait enim Gen. 4. ixta Septuag. *Nonne si recte offeras, non recte diuidas, peccasti?* Optima videbantur munera à Caino oblata, sed quia in eorum diuisione errauit, minime placuit. Et in quo errauit in diuisione? Offerabat bona sua, sed non offerebat personam suā. Optimus autem princeps honori suo ducit non sibi complacere in bonis subditorū, sed in personis. Ait Stephanus Episcop. Eduēs. lib. de Sacram. altaris, cap. 17. *Etsi munera, quæ debebat Deo, reddendo recte obtulit, male diuisit, quia se sibi retinuit.* Id quod videtur desumptum ex D. Augustin. lib. 15. de ciuit. cap. 7. vbi ait: *Datur intelligi propterea Deum non respexisse in munera Caini, quia hoc ipse male diuidebat, Dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum.* Et quando personam suam minime suo principi Deo dabat, non poterat placere etiam si omnia mundi bona daret. Bonus enim princeps non in bonis sed in personis subditorum sibi placet. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 16. §. 14.

Gen. 23.

Luc. 15.

Ruritius.

Genes. 4.

Stephan.

D. Aug.

2. *Reg.* 16. Et ait rex, vbi est filius domini tui? Respondit que Siba regi: Remansit in Ierusalem dicens; Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. Et ait rex Sibæ; Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth, &c.

§. III.

Principes nimis credulis sunt eorum, quæ possunt suo aduersari imperio.

NActus occasionem Siba, vt suspectū faceret dominum suum regi, affectati regni eum accusat, & ad primū accusationis verbum, nulla probatione proposita, sententiā a rege extorquet. Ait enim rex: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Hoccine est principum ingeniū incredendis ijs, qui eorum videntur aduersari imperio. Similem, & si duriorem rem habes apud Egesipp. lib. 1. cap. 6. Post victoriam partam de hostibus Antigonus, vt erat armatus venit ad fratrem, Aristobolum regem: quid tunc? *Continuo regem adeunt improbissimi homines, & inuidiam excitant, quod pompam armatorum celebrationē, quam*

Egesipp.

quam priuatis mox est, direuerit, ostentui vulgo futuram, ne quis conatibus eius obuiare auderet. Tanto apparatu non aliud nisi necem regis, & vsurpandi imperij potentiam affectatã. Haud difficile æger animus inualido corpore impulsus est, vt credibile duceret, quod pro vero asserebatur. Itaque prius quam sibi probaret tentamẽtum aliquod flagitij parricidalis, stipatores suos cum armis iubet in hypogeo loco ariobscuro, qui aduenientem Antigonum dolo necarent. Sic rex friuolis impiorum verbis persuasus in sibi dilectum fratrẽ exarsit, vt nec impositi sceleris vmbra visa, illum necarit. Nihil enim tam improbabile est, quod non credant principes, si aduersus suum regnum faciat. Matth. 2. peregrini homines clamabant Ierosolymis: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiẽs autem Herodes rex turbatus est.* Et cur rex tam cito turbaris? Pontifices Iudæorum tacent, nec vllam expectati regis mentionem faciunt. Qui eius ortum clamant externi sunt, peregrini sunt, res Iudæorum minime norunt. Cur exteris ignorantibus credas, quod sapientissimi domestici negabunt? Erat negotiũ prorsus eius regno cõtrarium, & ideo vel leuissimis crederet argumẽtis, vt illud verum putaret. Aiebat sapienter Imperfectus ibi: *Rex quidquid aduersus regnum suũ putaueris, totum verum æstimat.* Nunquam principes dubitãt de veritate eorum, quæ sibi possint contrariari, vt in vindictam eorum præcipites ferantur.

Matth. 2.

Imperfe.

§. IIII.

Difficilimis temporibus, non mirum est, si vel oculatissimo culpa obrepat.

PRæceps, & ingrata in amicum Ionatham fuit hæc Dauidis sententia, qua dixit: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Cur rex non maiorem probationem expectas, vt amici filium damnes? Quomodo tam prima munera potuerunt oculatissimum regem obcæcare, & in tam præcipitem sententiam trahere? Erat æquidem tunc rex calamitate præssus, adeo vt nudis pedibus & totus flens iter ageret. Quid mirum si in tam difficilimis temporibus errore aliquo capiatur? Aristobulus Iudærum rex habebat Antigonum fratrẽ sibi dilectissimum, qui post victoriam ab hostibus partam lætus veniebat reuisurus fratrem. Erat Aristobulus æger in lecto tunc temporis, accedebat Antigonus armatus, vt veniebat à bello: qua occasione improbissimi homines non dubitarunt suggerere regi ea, quæ fratrem suspectum facerent. Et fieri potuit; vt frater malum crederet de fratre charissimo? Ait Egesippus lib. 1. cap. 6. *Haud difficile æger animus inualido corpore impulsus est, vt credibile duceret, quod pro vero asserebatur, maxime cum pompa excitaret inuidiam, ægritudo metum adderet, &c.* Hæc cum alijs dedi supra; sed modo veniunt expendẽda in particulari; vbi enim molestiæ, & ægritudines, & difficultates animum hominis quatiunt, non mirum est, si ab errore aliquo etiam in amantissimos rapiatur. Quo refero Petrum vehementissimum Iesu amatorem, qui tamen passionis tempore Matth. 26. *Cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem.* Quantum hoc nefas Petri, quod magistrum adeo dilectum neget? Quis illum non vehementer damnet? Sed si tempus difficile spectes, quo Petrus Iesum negauit, non adeo illum accusabis. Ait D. Chrysost. or. in Apostolos habitum. 6. *Non sane magnopere accusandus Petrus videtur. Nam quo tempore sol ipse fugiebat, cælum latebras quærebat, concutiebatur terra, petræ scindebantur, quippe, quæ creatoris iniuriam ferre non poterant, tunc Petrus defecit, tũc Petrus negauit.* Inter tot temporis difficultates, vbi pene tota mũdi fabrica lababat, non mirandum, quod vel Petrus iret in aliquem lapsum.

Egesip.

Matt. 26

Chrisost.

§. V.

A solo Deo orta commotio ordinem rebus seruat, ne pes ad caput, nec caput eat ad pedes.

EXpende calumniam affictam à Siba contra Miphiloseth: *Remansit in Ierusalem dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.* Quam calumniam ineptissimam putat noster Salianus, considerans Miphibosethum hominem elũbem, & vtroque pede claudum, in quo suspitio regni venturi omnes aditus haberet occlusos. Quis in tali spem regni crederet,

ret posse foueri? Plane nullus id crederet, si regna, & dignitates ratione, & Deo mouente semper venirent. At cum hæc sæpe veniant mortalium affectibus, & cõsilijs, cur vel ineptissimi non sperent ad se posse regna venire? Ideo vt spes regni in Miphiboseth crederetur esse, prudenter affinxit Siba dixisse: *Hodie restituet mihi domus Israel regnum*; expende illud: *Restituet domus Israel*, nõ Deus, sed domus Israel dicebatur restituturа regnũ, vt sic regnandi spes fieret inepto. Quãdo enim nõ diuinis, sed popularibus affectibus res videbatur fieri, non erat, cur vel omnium ineptissimus non speraret sibi regnum. Vnus enim est Deus, qui scit in ordine suo quemquã sic continere, ne alium affectet. Rem pulchro exemplo ostendit dominus Ezech. cap. 37. vbi sic: Facta est super me manus domini, & eduxit me in spiritu domini, & *Ezechiel.* *dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus*. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem cãpi, siccaque vehementer. Et dixit ad me, Fili hominis putas ne viuent ossa ista. Et dixi, domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me, Vaticinare de ossibus istis; & dices eis; ossa arida audite verbum domini: Hæc dicit dominus Deus ossibus his, Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes & super extendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & viuetis, & scietis, quia ego dominus. Et prophetaui, sicut præceperat mihi: *Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, vnum quodque ad iũcturam suam, &c.* Sic ibi, quibus ostendebatur status populi Israelitici, quem sine Deo habebat, & quem habiturus erat per Deum. Status sine Deo erat ille, qui in multitudine ossium confusse in agno existentium visebatur, ibi enim sic permixta, & confusa erasit omnia, vt nullum os suum locum teneret, sed ossa capitis, & pedum essent simul. Quid tunc? Prophetauit Ezechiel de mandato domini; & *Ezech.* *accesserunt ossa ad ossa, vnum quodquod ad iunctturam suam.* Quid magis præter opinionem? Commotio vehemens fit, & inter illam vehementem cõmotionem sic quodcumque os pergit ad iuncturam suam, vt os pedis minime ad caput pergat, nec os capitis ad pedes descendat, sed omnia constituantur in ordine suo. Quæ commotio tam firmum ordinem ossibus præscribat, vt nullum supra suum locum ascendat, nec descendat infra illum? Sola id præstat, quæ à Dei potente manu commotio fit. Accipite D. Epiphanium in Acorato fantem: *Admiranda erat Dei potẽtia, quod nondũ immissis animis, sed siccis existentibus ossibus, non solum vim motus habebant ob Dei efficaciam, sed & intelligentia repleta sunt ossa, & cognitione non vulgari. Non enim pedum ossa per oblivionem ad caput accedebant, neque colli virticula circa talorum iuncturam errantes locum quærebant, sed singula ossa, & mouebantur, & vadebant, & ad suam iuncturam accedebat.* Expende tanti ordinis seruati rationem, nimirum ait: *Admiranda erat Dei potentia*; insuper & illud addit *intelligentia repleta sunt ossa, & cognitione non vulgari*: quippe nihil vulgare, & populare ibi inueniebatur, sed Dei erat tota illa commotio. Vbi enim vulgari, & populari cognitione, & affectu proceditur, siue per obliuionem, siue per inaduertentiam; siue per affectum passim pedes in loco capitis constituuntur, & capita in loco pedum. Vbi autem Deus regit, omnia suum locum seruant; & videbis in commotione omnium officiorum Reipublicæ, nullum pedem in capite apparere. Id enim cauet spiritus Dei etiam maximis commotionibus medijs. *Epiphan.*

2. *Reg.* 16. Venit ergo rex Dauid vsque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul nomine Semei, filius Gera procedebatque egrediens, & maledicebat. Mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos regis Dauid, omnis autem populus, & vniuersi bellatores, â dextro, & â sinistro regis latere incedebant. Ita autem loquebatur Semei: Egredere, egredere vir sanguinum, &c.

§. VI.

Flagellum culpæ adiunctum salutare.

COniunge casus Dauidis, primum illi Siba cum muneribus occurrit, modo Semei cum maledictis; ait enim: *Ecce egrediebatur, inde vir de cognatione domus Saul nomine Semei filius Gori, procedebatque egrediēs, & maledicebat, &c.* Quem Siba benedictione, immediate post Semei maledictione prosequebatur. Et cur domine muneribus Sibæ adiungis Semei maledicta? Extorserant munera Sibæ iniquam sententiam à Dauide; ideo illi statim ab amatore Deo maledictorum flagellum paratur, vt saluti eius facilior pateat aditus. Quo spectans Psal. 98. clamat: *Deus tu propitius fuisti illis, & vindicans in omnes affectiones eorum.* Componeilla: *propitius, & vindicans*; si propitius, quomodo vindicans? Equidem illa est magna Dei propitiatio, quod vindicta temporalis peccatū sequatur. Ait D. Aug. ibi: *Vindicat in omnes affectiones, quia propitius est nobis. Nam si non vindicet, & deserat, perimus.* Est equidē non obscura via ad salutem, si Deus temporaliter nostra peccata castiget. Vnde clamabat Hierem. cap. 12. *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Ecce tibi vt sanctitas occisioni adiungitur, qui enim à Deo percutiebātur, mactabantur, inde sanctificabantur. Circa quæ ait Orig. hom. 8. *Tormenta sanctificationem vocat eorum, quitorquentur. Sā ctifica quippe eos, ait, in die interfectionis eorum, id est, per hoc, quod interficies eos sanctificabis eos. Quem enim diligit dominus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* A Deo simul veniunt & percussio, & sanctificatio; & de diuina percussione nostra resultat sanctificatio, qua peccatis abluimur, & in salutem præparamur. Quo spectans Psal. 65. aiebat: *Venite, & videte opera domini, terribilis in consilijs super filios hominum.* Vbi in rem nostram possuit Symacus: *Terribilibus, enim admirabilibusque artibus pro omnium salute vsus est.* Expende illud: *Terribilibus artibus, &c.* quid enim terribilius ad salutem, quam percussio, quam sectio, quam mactatio? Tunc sane chyrurgus se tremendum ostendit, cum ferrum stringit, vt membrum secet; cum ignē adhibet, vt vulnus adurat. Quæ autem in chirurgis terribilior est ars; hac vtitur etiā Deus, percutiens, secans, mactans, vt nos ad salutem impellat. Peccauit populos Israelis in vitulo aureo erigendo, & tādem Deus Moysi precibus constrictus ait Exod. 32. *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Percussit ergo dominus populum, &c.* Quanta hæc ira Dei, quæ precibus Moysi non flectitur, vt omnino parcat populo? Cur post tot preces serui tui domine, adhuc instas vltioni? An quia penitus odisti populum? Absit, imo quia adhuc in salutem illum amabat, ideo illum magis castigare volebat, & hac terribili arte vtebatur. Augustin. quæst. 49. in Exod. ait: *Nec tamen etiā Moyse intercedente, sine flagello disciplinæ populum dereliquit. Nescio quo enim modo, vt sic eos diligeret ipse Moyses, Deus illos occultius diligebat, qui manifesta voce terrebat.* Non equidem terror ille vindictæ in populū manabat ab odio, sed ab intimissimo Dei amore; qui per illum viam salutis parabat peccatoribus. De perdendis autem impijs illud dicebatur Psal. 143. *Non est ruina macerie, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.* Symachus autem legit: *Neque percussio, neque funeris elatio, neque luctus in plateis eorum.* Sic deplorati homines nihil plorandum vident in suis facinoribus.

Exod. 32

August.

Psal. 143.

§. VII.

Contumeliarum certamen durissimum viro ingenuo.

ECce tibi quo deiectus est à domino Dauid; nimirum, vnus homuntio *mittebat lapides contra Dauid, & cōtra vniuersos seruos Dauid:: Ita autem loquebatur Semei. Egredere vir sanguinum, &c.* Non gladium exerebat, sed linguam acuebat vilis homuntio, quo maxime Dauidis animus transfigebatur. Crediderim namque nullum durius certamen posse excogitari aduersus hominem ingenuum, quam certamen, quo quis contumelijs petitur. Isaias cap. 7. dicit: *Adducet dominus super te, & super populum tuum, & super domum patris tui dies, qui non venerunt à diebus separationis Ephraim, à Iuda cum Rege Assiriorum. Et erit in die illa sibilabit dominus muscæ, quæ est in extremo fluminū Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, & venient, &c.* Minatur dominus populo suo illā calamitatē, & miseriā, quæ lōge maior sit omnibus antiquis calamita-

Isai. 6. 7.

mitatibus, quãdo veniãt Ægyptij, & Assyrij, vt Israelitas affligãt, & percuntiãt. De quorũ tamen aductu ait: *Sibilabit dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminũ Ægypti.* Sic muſcæ comparat Ægyptios adducendos, vt Israelitas in extremam calamitatem deducant. Cur non magis eos leonibus, ſerpentibus ve ignitis comparat? Nonne leo muſcâ terribilior? Quid poteſt in muſcâ cogitari, à quo tanta calamitas timeri poſſet? Ait D. Cyril. Alex. orat. 5. *Muſcis quidem confert Ægyptios tum propter multitudinem, tum ob vocem abſonam, nec ita bene ſonoram.* Solet equidem in hoſtibus illud â minante notari, quod maiorem valeat efficere terrorem, quod calamitatis denuntiatæ fidem faciat certiorem. Dominus autem dum Ægyptios oſtendit venturos ad inferendam extremam calamitatẽ populo ſuo, illos muſcæ comparat, illud ſolum in illis notat muſcis ſimile, nimirum inconcinnã, & abſonam vocem: quaſi à nullo veniat grauior calamitas ingenuis viris, quam ab abſonis, & contumelioſis vocibus. Quo adduco dicta tom. 4 in Euang. lib. 18. ca. 8. §. 36. & tom. 2. in veter. teſtam. lib. 5. cap. 25. §. 8.

D. Cyril.

§. VIII.

Vel infirmiſsimus audet in eũ, qui à Deo deſeritur.

ILlud valde mirandum, quod dicit: *Semei filius Gera procedebãt egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuerſos ſeruos regis Dauid: omnis autem populus, & vniuerſi bellatores à dextro, & à ſiniſtro regis latere incedebant.* Ecce tibi cum rex in genti bellatorum turba circumſeptus incederet, vnus homuntio Semei audet in regem, & in bellatores eius maledicta congerere. Quanta hæc inſania hominis? Cur non magis vereatur militum furorem? Vnde vni tanta potuit audacia accidere, qua audeat in exercitum validiſsimum eſſe contumelioſum? Non miror, quia cum Dauid pauliſper eſſet à Deo derelictus, & quaſi à facie eius proiectus; infirmiſsimus quiſque poteſt in eum audere, etiam ſi valido appareat circũdatus exercitu. Illud verum dicebat primus homicida Cain Gene. 4. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & a facie tua abſcondar, omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Expende illud: *Omnis*: nullum enim iam non extimeſcit infælix, vel hominem, vel animal, vel inſectam: Sed quid Caim ſi te Lepus, aut muſca inueniat? An lepus aut muſca occidet te? Ipſe ait, omnis, qui inuenerit me, occidet me, nullum excipit, quaſi poſsit occidi à lepore, vel à muſca, ex quo à Deo derelictus fuerit. Quo ſpectans Iob cap. 20. de impio dicebat: *Omnis dolor irruet ſuper eum*: quæ ſic vertuntur ex hæbræo: *Omnis manus laborantis veniet ſuper eum*: quaſi non ſit manus adeo inualida, & ægra, que non poſsit facere impetum aduerſus eum, qui reiectus à Deo eſt, & manere illi ſuperior. Hinc Pſal. 104. enpendens, qui vocati fuerint à Deo aduerſus Ægyptios ait: *Dixit, & venit cynomia, & cyniphes in omnibus finibus eorum.* Et muſcas, & cynifes opponit fortitudini Ægyptiorum, & ſatis ſapienter, quia vel muſca ſufficit in eos, qui reiecti ſunt à domino. Ex quo pulchre aiebat Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 34. *Grande ſpectaculum Deus vniuerſo orbi præſtitit, cum ſuperbiam Ægyptiorum non de leonibus, & vrſis, ſed de ranis domuit, & muſcis. Dixit, inquit pſalmiſta, & venit cynomyia, id eſt, canina muſca, dignam illis fecit cõtumeliam: Ergo potens, & magnus Pharao rex Ægypti à muſcis pene victus eſt.* Sic infirmiſsimus quiſque audet, & prævalet ei, quem Deus rejcit.

Gen. 4.

Iob. c. 20

Pſal. 104

Exod. 34.

§. IX.

Non parua miſerorum pœna eſt, quod plauſu, & inſultatione hoſtis in ruinam eant.

NE quid miſerorũ pœnæ Dauidi deficeret, illi eiecto â propria ſede additur Semei, qui vocibus inſanis in deiectũ inſultet. Dicit nãq; *Ita antẽ loquebatur Semei: Exredere vir ſanguinũ, &c.* Sic vocibus, & inſultationibus victoris miſeros inſectãtur deuictos. Sic etiã Deus perſequitur afflictos peccatores ſuos. Ait Iob cap. 27. *Stringet ſuper eũ manu ſua, & ſibilauit ſuper illũ inuẽs locũ eius.* Septuag. legũt: *Plaudet autem manibus ſuis ſuper eum, & exſibilabit eũ de loco ſuo.* Sibilis, & vocibus, & manũ cõploſione victores ſolẽt inſultare in deuictos, & ſimiliter Deus agit cum peccatoribus; & eos à ſede, & loco ſuo deturbat, & ſibilis maxime affligit. Vt dicat Nicetas in cat. Græca: *Deum quaſi hoſtem, qui aduerſarios perſequatur, inducit; impium autem quaſi fuga ſibi conſulentem; & illum*

Iob. c. 27.

Nicetas

illum quidem quasi victorem, & ob victoriam gestientem, ac manibus plaudentẽ, atque â suo loco, id est, â pristina felicitate; consuetudine, ac sede ipsum abstrahentem:: Atque ea, quæ vociferantes in prælijs solent, in illo fiunt; manuum, in quam, complausus, & sibilus, ac veteris domicilij commutatio, atque migratio. Expende ab illis: *Ea qua vociferantes in prælijs solent, in illo fiunt*: quippe nihil acerbitatis, nihil doloris aduersus deuictos faciũt victores, eos persequentes misilibus, vocibus, sibilis, cogentes miseros à proprijs migrare; quod Deus non soleat facere aduersus peccatores. Aduersus quos & manuum complausus, & sibilus, & migratio decernitur â proprio domicilio. Quo forsam spectat illa Psal. 51. *Propterea Deus destruet te, in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iusti, & timebunt; & super eum ridebunt, &c.* Ecce tibi & irrisio, & sibilus, & migratio à proprio tabernaculo decernitur in peccatorem, nequid illi defitiat eorum, quæ fiunt his, qui misere vincuntur. Accinit Ierem. cap. 25. inquiens: *Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum; celeusma quasi calcantiũ concinetur aduersus omnes habitatores terræ.* Celeusma est cantus, quo se vinitores adhortantur ad calcandas vuas. Et sumitur communiter, pro vocibus, & sibilis, quibus victores in victos exsultant. Hinc Deus non acies, non gladios, sed celeusma minatur peccatoribus terræ, vincit enim omnem calamitatem, quod te vocibus, & sibilis, & irrisionibus hostium opprimi videas, & cogaris à tuis exire.

Psal. 51.

Ier. c. 25.

2. Reg. 16. Dimitte eum, vt maledicat: dominus enim præcepit eum, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et ait rex Abisai, & vniuersis seruis suis, Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo quærit animam meã, quanto magis hic filius Iemini? Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum domini, si forte respiciat dominus afflictionẽ meam, &c.

§. X.

Blanditiarum laquei difficilius superantur ab afflicto.

IN eadem afflictionis via erat Dauid, cum accusatus fuit apud illum per Sibam Miphiboseth, & cum accusabatur Semei per Abisai. Illius incerta erat culpa, huius culpa erat conspicua; & nilominus Miphiboseth um inauditum damnat; Semei parcit conuicto dicens: *Dimitte eum, vt maledicat.* Et cur qui minime adducitur ab Abisai, vt puniat reum conuictum, adduci potuit â Siba, vt immerentẽ puniret. Præmiserat Siba munerum blãditias, & adulantium verborum fomenta, quæ sic capiunt præcipue animum afflictum, vt raro earum laqueos effugiat. Æsther regina cap. 14. Sic orabat ad Deum: *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Nonne mirum est, quod fœmina non capiatur regio cultu? Nonne mirum, quod non afficiant fœminam, & rapiant illam gemmæ, diademata, & preciosi ornatus? Sed accipe mirabilius aliud; quod nimirum omnia hæc blanditiarum fomenta venerunt ad Æstherem, cum illa captiua, & in seruitutis afflictione erat, & nilominus â captiuitate in regias delicias, & plausus assumpta non labauit. Quãtum hoc? Ait Ruper. lib. 8. de Victor. Verbi Dei cap. 15. *Ipsa dicit: Tu scis domine necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ. Veraciter eximiũ temperantiæ documentum hic apparet, quia magnam humilitatem sermo iste redolet. Item dicit: Nosti, quod oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum. Et hic profecto magnum temperantiæ decus est, quia mulier facta in captiuitate regina, quod animo casta sit, Deum testem habeat.* Expende illud: *Quia mulier facta in captiuitate regina, &c.* quippe hoc magnum, & rarum est, quod deliciæ regiæ inuadentes fœminam existentem in afflictione captiuitatis, illam in nullo faciant exorbitare. Deliciæ enim & blanditiæ exhibitæ afflictis animis maiorem vim habent, vt illos corrumpi faciãt. Iob vna die vidit omnium bonorum iacturam, filiorum interfectionem; altera omnium morborum per-

Æsther.

Rupert.

sensit

sensit aculeos, & inter hæc, hoc solum pla-
cap. 2. cidissimum verbum extorquetur ab illo cap. 2. *Si bona recipimus de manu domini, mala quare non suscipiamus?* Inerea adstãt amici, qui venerant, vt consolarẽtur eum,
cap. 3. ad quorum conspectum cap. 3. *aperuit os suum, & maledixit diei suæ, & locutus est. Pereas dies, in qua natus sum.* Quando mortem filiorum videt, quando morbis affligitur, nil durum loquitur, vbi amicos consolatores videt, maledictis ferit diem natiuitatis suæ. Et cur qui non fecit durum verbũ ad mortem filiorum visam, hoc facit ad conspectum amicorum? Conspecti amici blanditias quasdam & lenocinia afflicto facie bant, & ab illo amara illa maledicta in diẽ
Seueran. natiuitatis extorquebãt. Ait Seuerianus in caten. Græca: *Quandiu cum vxore solus erat, aspernantem illam erudiebat, nec imerim vllam precatus est sibi mortem, veritus ne eare apud Deum offenderet. In aduentu autem amicorum, cum eorum cerneret animos in ipsius calamitatibus recidisse, nouo exercetur bello.* Quippe amicorum conspectorum lenocinia in acrius certamen impullerunt afflictum, vt licet sanctè, tamen in amarissima verba prorumperet aduersus natiuitatis suæ diem. Solent enim blanditiæ afflictis exhibitæ illos ad inusitatos effectus deducere.

§. XI.

Maledicta, & opprobia ipsum proferentem perdunt.

VOlentibus impudentem maledicum interficere ait Dauid: *Dimittite eum, vt maledicat.* Et sapienter maledicus dimittitur sibi ipsi, vt qui à suis ipse maledictis citius in ruinam ibit. Aiebat Psal. 58. *Dispergе illos in virtute tua; & depone eos protector meus Domine. Delictum oris eorum, sermonem labiorum suorum.* Quæ in
Simæcus. rem præsentem sic transfert Symachus: *Transfer ipsos in virtute tua, & dissipa ipsos protector noster domine peccato oris eorũ, & verbo labiorum ipsorum.* Expende, quo gladio, quo veneno occidi petat maledicos suos, nimirum *peccato oris eorum, & verbo labiorum ipsorum*; vni enim si permittãtur linguæ suæ, funditus dissipabuntur. Crede mihi nulli lethalior est maledica lingua, quam proprio domino suo. Quo spe-
Psal. 26. ctans Psal. 26. ait: *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi*; quippe maledici mendacia, & mala nulli citius nocent, quam maledico ipsi. Vt dicat ibi D. Epanus Florus:

Nam me falsiloqui cinxerunt vndiq; testes
Nil tamen insontẽ mendacia vana nocebũt
Sed mendax propriæ portabit lingua reatũs.

Hoc vno eget maledicus mendax, vt sibi relinquatur, ipse ipse portabit pœnã mẽdacij sui, ipse experietur in se alijs procuratam ruinam. Dan. 13. iniqui iudices coram omni populo nitebantur infamare Susannam dicentes: *Venit ad eam adolescens,* Dan. 13.
qui erat absconditus, & concubuit cum ea. Porro nos cum essemus in angulo pomarij videntes iniquitatem, &c. Sic affictis criminibus curabãt improbi pudicã opprimere, quid
D. Zeno. tunc? Ait D. Zeno lib. 1. ser. 7. de Pudicitia: *Instãt illi ex amatoribus accusatores effecti, crimenque artificiose dum exaggerat, eum in deiam priores se ipsi condemnant.* Itaque lingua sua, qua nitebantur pudicam infamare, & perdere, se ipsos damnabant, & iam iam ferebantur ad pœnam.

§. XII.

Mala quæ à Deo nosci untur venire, tolerabiliora inde sunt.

IDeo Dauid patienter tolerat maledicta Semei, quia cogitat à Deo in se saltem permissiue venire iaculata. Ait enim *Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit eum, vt malediceret Dauid.* Vtinam, & nos in malis nostris attenderemus ad diuinam manum, à qua permittuntur venire, aut iaculantur; fallar nisi inde, & facilliora, nobis viderentur, & minus acria. Iob cap. 1. *Nuntius venit ad Iob dicẽs:* Iob. 1.
Boues arabant, & asinæ pascebãtur iuxta eos; & irruerunt Sabæi, tulerunq; omnia, & pueros percusserunt gladio, euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit, ignis Dei cecidit de cælo, & tactas aues pueroſque consumpsit, &c. Et cur ignis Dei dicitur cecidisse è cælo, vt ones consummeret? Cur non magis ignis malus dicitur è monte aliquo erupisse, vt ab Ethna solet, aut Besubio? Cur necessum fuit Sathanæ ad ignem Dei è cælo descendentem recurrisse? Gratus illi fuisset ignẽ vomere ab inferis, sed cogebatur ignẽ à Deo venisse ostendere, vt inter mala aliquod leuamen iusto porrigeret, dum notaret à Deo venire mala illa. Dicit D. Chrysost. D. Cyrill.
ser. de Iob & Abrah. *Quod omes absumpta*

fuerant igne, non perfunctorie cogitabat, sed manifeste agnoscebat eum, qui hæc permittebat. Nō enim potestatem habuissent dæmones, nisi permissum eis fuisset à Deo. Argumentum autem, quod superne eis concessum esset, erat, quod ignis descendebat. Vnde enim missus? è cælis. Igitur propter diuinam permissionem tolerabiliora erant. Hoc certum in omnibus malis, quod *propter diuinam permissionē tolerabiliora erant*; quis enim non toleret malum, quod à diuina manu descendit? Hinc non parua ostenditur misericordia Dei, quod ipse perse peccatores castigare velit, quasi inde supplicium leuamentum nō parum ferat. Gen. 4. post interfectū Abelem à Caino; *Ait dominus ad Cain, vbi est Abel frater tuus?* Et post pauca: *Nūc igitur maledictus eris super terram, &c.* Sic ipse dominus in iudicium vocat parricidam, & ipse per se maledicto percutit. Et cur non magis id remittit parentibus eius, qui iudicent, & paniant reum? Crediderim id venisse ex Dei misericordia faciente inde tolerabiliorem pœnam. Vt cantet Claudius Marius lib. 2. in Gen.

Gen. 4.

Quod teste Caino
Accipimus, quem tunc fraterna cæde modentem
Non indignum habuit (tanta est clementia) sese, Correctore Deus.

Expende illud: *tanta est clementia*: quippe ad Dei clementiam pertinebat, quod ipse Deus per se castigaret nocentem, quando flagella à tali manu venientia tolerabiliora essent.

§. XIII.

Nil antiquius afflictione, vt trahat salutem ex Deo.

DIcebat Dauid non dubitans, sed sperans: *Si forte respiciat dominus afflictionem meam, &c.* & quidem nunquam non efficacissima est afflictio, vt trahat salutem ex Deo. Exod. 3. dicebat dominus: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiē eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorē eius descendi, vt liberem eum, &c.* Quod notans D. Irinæus lib. 4. cap. 26. ait: *Ipse est qui dicit: Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto, & descendi, vt eruam eos, ab initio assuetus Verbū Dei ascendere, & descendere propter salutem eorum, qui male haberent.* Hoc fuit Deo in primis, & antiquissimum, vt afflictis assisteret in salutem eorum. Adeo vt non immerito credantur afflictiones tritissimæ esse viæ ad negotiandā ex Deo commoda. Exod. 2. de matre Moysi dicit: *Sumpsit fiscellā scirpeam, & linuit eam vitumine, ac pice, posuitque in ea infantem, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Quæ maior afflictio & matri, & puero? Sed magnorum extitit seminarium eō modorum. Accipite D. Chrisost. hom. 54. *Iussit Pharao in flumen proijci pueros: nisi proiecti fuissent pueri, non fuisset seruatus Moyses, non in aula educatus fuisset. Quando seruabatur, honorabatur, quando expositus est, tūc factus est in honore. Minatur est ei Iudæus dicens, Nunquid me occidere tu vis? Et hoc illi profuit, ita vt ipse videret visionem rubi, ac sucure vineret. Et in omnibus Iudæorum in fidys idem fit. Tunc clarior prodidit, &c.* Ecce tibi, vt ad nullum commodum venerit Moyses, nisi prius ad illud viam sterneret afflictio, quæ efficacissima est, vt homines in bonū deducat. Cauebat lex Exod. 12. circa esum agni: *Et edent carnes nocte illa assas igne.* Cur assas igne, & non coctas aqua? Ait in rem præsentem D. Greg. PP. hom. 22. in Euāg. *Carnes igne assandæ sunt, quia nimirū dissoluit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas vero ignis sine aqua excoquit, roborat. Carnes itaque agni nostri ignis excogit, quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit.* Sic igneæ tribulationes roborem addebant, vt in gloriam resurrectionis iretur. Psal 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Vbi quid simile sulpicatur idem Greg. fatus: *Quid est testa ante ignē nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, vt solidetur. Virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit: quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis creuit.* Solent quidem tribulationes viam ad bonum sternere.

Exod. 2.

D. Chrys.

Exod. 12.

D. Greg.

Psal. 21.

D. Greg.

§. XIIII.

Quælibet particula tribulationis in numero est, & pretio apud Deum.

MVltæ tribulationes fuerant Dauidi à principio, & nil minus vni præsenti fidens ait: *Reddat mihi dominus bonum pro maledictione hac, die hodierna.* Et cur non magis ait, pro omnibus suis laboribus in communi? Cur maluit singulariter vni præsenti tribulationi fidere? Non

omnia

omnibus in communi tribulationibus, sed huic vni præsenti in particulari fidit, sciens quam libet tribulationum particulam apud Deum in numero, & pretio esse. Cant. 1. ait sponsa: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Tempus quietis quærens non de hora interrogat, sed latius tempus summit, meridiem vocans. Verum Euangelistæ agentes de crucis dominicæ tempore, quod meridiei fuit, non dicunt meridiem, sed horam particulariter designant. Ait enim Matth. 27. *Ab hora autem sexta tenebræ factæ sunt*; Marcus autem dicit: *Cum autem esset facta quasi hora sexta, &c.* Et quando sponsa non horam in particulari, sed meridiem signabat; cur Euangelistæ non etiam dicunt tragædiam illam factam meridie; sed maluerunt horam in particulari signare? Illa agebat de tempore quietis, & ideo late illud summit; hi agebant de tempore tribulationis, & passionis, quod non in communi, sed per horas, & momenta particulariter describunt, scientes quodlibet tribulationis momentum esse apud Deum in pretio, & numero. Ait Origen. hom. 2. in Cant. *Volebat sponsa discere, vbi pasceret sponsus, & vbi haberetur cubile, & ideo meridiem nominat. Euangelistæ vero in his, quæ narrabant, non meridianum tempus, sed horæ sextæ numerum requirebant ad enarrandum scilicet sacrificiū hostiæ eius, &c.* Expende ab illis: *Horæ sextæ numerum requirebant, &c.* quippe cum hora sexta, & meridies ad idem tempus pertinerent; quæ de quiete, & gaudio tractabat communi vocabulo temporis contenta est dicens meridiem, nō enim in gaudijs magni æstimantur singula temporis momēta. At qui non de gaudijs, sed de tribulatione crucis agebant, prætermisso communi vocabulo meridiei, *sextæ horæ numerum requirebant*, vt qui scirent, quanti essent apud Deum singula tribulationis momenta. Nunquā enim non sunt Deo eranthlatæ tribulationes in magno pretio! Vt dicat D. Aug. hom. 2. in Psal. 13. *Vere magnus dominus, & magna misericordia eius, vere, qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est.* Sic passiones æstimabantur à Deo, quod inde miserationis eius magnitudo expendatur, quod dederit nobis corpus, in quo tanta fuerit perpessus.

Cantic. 1.

Matt. 27 Marcus.

Orig.

Augusti.

(?)

CAPVT XXIX.

Dauid luget Absalonem.

Textus Historia.

TO Absalonis deuenit impietas, vt non dubitaret, cum patris exercitu pugnare pro obtinendo imperio. Accepit tamen impietatis mercedem, dum ab arbore pendens tribus transfossus lāceis mundo ostendit, qualem facinorum fructum scelerati metent. Id renuntiare parenti duo nūtij contendunt; sed qui sperabant victoriæ gaudijs implere regem, ingentem illi attulerunt luctus segetem. Plorabat bonus rebellis filij interitum; & merito; qui enim siccam faciem de filiorum funeribus referens seruat, crudelitatis arguitur, certo teste.

PARS MORALIS circa literam.

TEMPESTIVE satis lachrymarum Dauidis nimbi deueniunt, quorum humore vegetatus languens stylus reuirescit.

2. *Reg.* 18. Achimaas autem filius Sadoc ait; curram, & nuntiabo regi, quia iudicium fecerit ei dominus de manu inimicorū eius. Ad quem Ioab dixit. Non eris nuntius in hac die; sed nuntiabis in alia; hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus. Et ait Ioab Chusi, Vade, & nuntia regi, quæ vidisti. Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit. Rursus autem Achimaas, &c.

§. I.

Non est bonæ indolis mala nuntiare.

MErito Ioab detinet Achimaam filiũ Sadoci, ne nuntiet regi victoriam, qua peremptus erat Absalon; iubet que id nuntiari à plebeio, & ignoto milite. Dicit enim: *Non eris nuntius in hac die: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis mortuus est. Et ait Ioab Chusi: vade, & nuntia regi, &c.* In eo quod Achimaas detinetur, & mittitur Chusi, plane ostenditur Chusi iste esse plebeius aliquis, & gregalis miles, vt placet Lyrano, imo Caietanus putat illum fuisse seruum. Non enim ingenuæ, præstantis ve naturæ est mala nuntiare.

Iob. 1. Iob. 1. *Nuntius venit ad Iob, qui diceret, boues arabant, & asinæ pascebant iuxta illos; & irruerunt Sabæi, &c.* Circa quæ sapienter ait Olympiodorus in cat. Græca: *Non humanitate aduersary seruatus est is qui hæc nuntiaret, sed vt tristium verum dum taxat, nuntius existeret; fortasse etiam agrestis, & ferus aliquis homo erat, qui nuntios huiusmodi præferebat, aut etiam ipse damõ.* Quippe qui promptus, & expeditus est ad tristia nuntianda, aut ipse diabolus est, aut ferus, & agrestis homo, aut vilis aliquis seruus. Malachias cap. 3. *Ecce ego mitto angelum meũ, & præparauit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quẽ vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Duo angeli, siue duo nuntij mittuntur; alter dicitur angelus siue nuntius, nullo alio addito; alter dicitur angelus testamenti, cuius testamenti supra cap. 2. meminerat iuxta sententiam. D. Aug. lib. 18. de ciuit. cap. 35. vbi Septuag. legũt *Testamentum meum erat cum eo vitæ, & pacis*; quasi notanter in præsenti dicatur angelus, siue nuntius illius testamenti vitæ, & pacis. Sed cur secundus minime memoratur sine addito illo, quod sit nuntius testamenti vitæ, & pacis? Secundus hic nuntius erat natura dominus, vt innuunt verba illa, veniet ad templum suum dominator, angelus testamenti; dominantis autẽ, præstantisq; naturæ est sola nũtiare, quæ ad pacem faciant, & vitam. Primus autem nuntius creditur naturæ fuisse seruilis, vt pote mera creatura, seruilis autem conditio & hoc habet, vt nuntiet tristia. Ait Hugo Victor. lib. 1. Miscell. tit. 110.

Olymp.

Malach.

D. Aug.

Duos nuntios misit Deus in hunc mundum, seruum, & filium. Prius seruum, vt comminaretur, post ea filium, vt consolaretur. Servus attulit timorem, filius amorem. Servus nuntiauit, quod timeremus: filius reuelauit, quod amaremus. Vbi tristia plena timoris, & luctus erant nutianda, non ingenua, sed seruilis natura mittebatur, cuius est mala promptissime denuntiare. Vbi autem bona, & læta prædicanda erant; ad hæc ipsissimus Dei filius venit descendens à sedibus regalibus. Hinc in præsenti dũ Achimaas instanter facultatem postularet nuntiandi regi victoriam, ait Ioab: *Quid vis currere fili mi? Veni huc, non eris boni nuntij hodie.* Filium vocat, vt ostendat, quã lõge ab illo debet esse nuntium, quod adeo regi futurum erat triste. Talia enim nuntia non filialis, & ingenuæ, sed sordidæ, & seruilis naturæ sunt.

Hug. V.

Ioab.

2. *Reg.* 18. Speculator autem, contemplor, ait cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc, & ait rex: vir bonus est, & nuntium portans bonum venit. clamans autem Achimaas dixit ad regem, Salue rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram ait: Benedictus dominus Deus tuus, qui concluſit homines, qui leuauerunt manus suas contra meum regem. Et ait rex, est ne pax puero Absalon? Dixitque Achimaas, &c.

§. II.

Ille es, quam te continuo ostendis. Nullus, si varias.

ASseueranter aiebat Dauid de Achimaa: *Vir bonus est, & nuntium portans bonum venit.* Vnde tam certo asserit Dauid Achimaam boni nuntium esse? Ait Abbul. quæst. 23. *Achimaas erat cursor velocissimus, & consueuerat semper regi nuntiare bona, propter quod acceptus erat apud regẽ; & ait Dauid: vir bonus est, & nuntiũ portans bonum venit.* Et merito, qui continuo bona nuntiabat, & nunc creditur boni nuntius

esse

esse, ille enim veraciter quisque est, quem se continuo ostendit. Isaias cap. 43. si parua magnis sunt componēda dicebat Deus: *Vos testes mei, dicit dominus, & seruus meus* Isai. c. 43 *quē eligi, vt sciatis, & credatis, quia ego ipse sum, ante me non est formatus Deus, & post me nō erit. Ego sum, ego sū dominus, & nō est absq; me saluator. Ego annuntiaui, & saluaui, & c.* Quæ verba ponderans D. Irinæus lib. 4. Irineus. c. 10. ait: *Ego testis dicit Dominus Deus, & puer, quē elegi, vt cognoscatis, quia ego sum, & ante me nō fuit alius Deus, & post me nō erit. Ego sum Deus, & ante me non est saluator, annūtiaui, & saluaui. Et iterū: Ego sum Deus primus, & super ventura ego sum; neque enim varie, neque glorians dicit hæc, sed quoniam impossibile erat sine Deo discere Deum, per Verbum suum docet homines scire Deum.* Expende illa: *Neque enim varie, & c.* quippe; quia constans, & continuus erat in ostensione diuinitatis absque vlla variationē, patenter ostenditur Deus, & Deus debet ab omnibus credi. Quid enim tam certū est, quā illud, quod continuo, & inuariabiliter ostenditur? Plane quod continuatio ostensionis affirmat, sola varietas negat. Gen. Gen. 16. 16. de Agar fugiente dominam locutus textus ait: *Cum inuenisset eam Angelus domini iuxta fontem, & c.* qui angelus â multis creditur fuisse ipse Deus, qui sub Angeli specie apparebat, vt alijs apparuit sub vi- Gen. 18. ri specie. Dicit nim Gen. 18. de Abraham: *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum quos cum vidisset, cucurrit de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, & c.* Vnum adorauit, quem credebat Deum, etiam si in forma hominis esset. Et cur Deus sic se varie ostendebat, nimirum Agari sub specie Angeli, & Abrahamo sub hominis specie? Vt crederetur nec An- D. Hilar. gelus, nec homo esse. Ait D. Hilar. lib. 10 de Trinit. *Angelus ad Agar loquitur, homo ad Abraham venit. Certe, qui ante Angelus, nūc etiam homo est, ne naturalem hanc esse Dei speciem diuersitas huius ipsius creationis patefieret intelligi.* Plane in illa varietate apparendi, modo vt Angelus, modo vt homo, clare ostendebatur nec angelus, nec homo esse. Vt amemus assiduitatem in bono aliquo habere, qui ad illud volumus pertinere, & de illo censeri. Si enim modo ad hoc, modo ad illud euolamus, Apoc. 5. nulli erimus. Dicebat Apocal. 5. *Vicit leo de Tribu Iuda*, & cap. 14. *Agnus* Dan. 2. *stabat supra montem, & c.* Dan. 2. *Abscisus est lapis sine manibus.* Sic Iesus iam sub leonis forma, iam sub agni; siue vituli, siue lapidis specie prædicabatur venturus. Et cur tam varijs signis ostendebatur? Ne crederetur agnus, aut leo, aut vitulus esse. D. Aug. Ait D. Aug. in Psal. 90. *Ideo, & leo, & agnus, & lapis, & vitulus, & sic huiusmodi, quia nec lapis, nec leo; nec agnus, nec vitulus, sed saluator omnium Iesus Christus.* Non continuo agnus, aut leo, aut vitulus ostenditur, nisi qui talis est; qui leonem modo induit, modo vitulum, ideo facit, quia nec leo, nec vitulus est. Sic qui in nullo bono assuescit, sed modo hoc, modo illud affectat, nullius boni est.

2. *Reg.* 18. Apparuit Chusi, & veniens ait: Bonum âpporto nuntium domine mi rex: iudicauit enim pro te dominus hodie de manu omnium, qui surrexerunt contra te. Dixit autem rex ad Chusi; est ne pax puero Absalō? Cui respondit Chusi; Fiant, inquit, sicut puer inimici domini mei regis, &c.

§. III.

Veritas non à magnis, sed à paruis.

DVo nuntij veneruntad Dauid, alter Achimaas filius Sadoc sacerdotis magni, alter Chusi miles gregarius, & seruilis conditionis, vt supra dixi. Ab vtroque quærit Dauid de salute pueri Absalonis; Achimaas manifeste mētitur regi dicens: *Vidi tumultum magnum cum mitteret Ioab me seruum tuū & nescio aliud.* Chusi ingenue fatetur viritatem aiens: *Fiat sicut puer inimici domini mei regis, & c.* Non in Achimaa, sed in Chusi; non in potenti, & claro viro, sed in homine gregario inuē ta est à Dauide veritas. Et credant Reges, qui amant scire veritates, illas defæcatius, & certius venire per populares homines, quam per potentes, & claros viros. Horū enim ingenium sic explicabat Isaias cap. Isa. c. 28. 28. *Audite verbum domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est Ierusalem. Dixisti enim percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Ecce tibi quibus fulcris nitantur viri potentes, vr-

bium

bium dominatores aduersus omnia mala; nimirum *posuimus mendacium spem nostrã, & mendacio protecti sumus.* Mendacium est proscuto vitis magnis, quo se ipsi protegunt, vt credamus illud simplicibus, & *Psal. 70.* paruulis dictũ Psal. 90. *Scuto circumdabit te veritas tua.* vt enim paruuli, & simplices veritate, vt scuto muniuntur, sic mendacijs potentes, & diuites. Propterea inter hos diuidens Spiritus diuinus Prouerb. *Prob. 19.* 19. ait: *Melior est pauper, quam vir mendax.* Vbi Septuag. *Melior est pauper iustus, quã mendax dines.* Sic enim partitur, vt sanctitatem, & veritatem pauperi attribuat, mẽdacia diuiti. Hinc est, quod ad veritatem Euangelij publicandam pauperes piscato *Matt. 4.* res Deus elegit dicens Matt. 4. *Venite post me faciam vos piscatores hominum.* Cur non magis primarios homines, potentes viros elegi, sed pauperes maluit? Ait ipse apud *D. Basil.* D. Basil. Sel. ora. 30. *Vos ego comperio fidos miraculorum meorum custodes.* Non tanta fides inter pontentias sæculi, quanta inter pauperes inueniebatur, cui cõmitti secure posset veritatis diuinæ testificatio. Quin imo sæculi potentes notabat Paul. ad Roman. 1. *Qui commutauerunt veritatem Dei* *Paulus.* *in mendacium.* Nacti enim potentes sæculi defæcatam Dei veritatem, vt suis cupiditatibus inseruirent, illam obscurarunt falsitate, introducentes Idolorum mẽdacia. Et quando sæcularis potestas in mendacia non procliuior? Exod cap. 28. post quam aureus summus Sacerdos componitur, ad- *Exod. 28.* dit textus: *Pones autem & in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram domino.* Sic in Aaronis rationali inscriptam veritatem superponi iubet. At Psal. 84. idem *Psal. 84.* Dei spiritus dicebat: *Veritas de terra orta est.* Itaque in Aarone veritas superponitur, in terra autẽ orta veritas dicitur. Nec miror; inter tot aurea, & Aaronis purpuras aduentitia est veritas, & quasi extranea ibi inuenitur. Inter humiles, & solo æquatos homines ibi sedem suam, & natiuitatis locum veritas constituit. Vt merito Verbum diuinum Bethleem natum dicatur primo reuelatum pastoribus Luc. cap. 2. *Et venerunt festinantes, & inuenerunt* *Luc. c. 2.* *Mariam & Ioseph, & infantem, &c.* Circa quæ ait D. Amb. *Non mediocre fidei tibi hoc* *D. Amb.* *videatur exemplum, quod vilis sit persona pastorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem dominus simplicem requisiuit, qua phalerare audita, & fucare nesciret.* Quo persona vilior, & à fuco, & assentatione remotior, & ad veritatem purior, & sincerior.

§. IIII.

Quo nobilior persona, in cultu, & officijs exhibendis famulantior.

EXpende illa: *Et apparuit Chusi, & veniens ait: Bonum apporto nuntium domine mi rex: iudicauit enim pro te, &c.* Et supra agens de altero nuntio nempe Achimaas, aiebat: *Achimaas dixit ad regem: Salue rex. Et adorans regem pronus in terrã ait: Benedictus, &c.* Ecce tibi de Achimaa dicitur, quod regem saluraret, & adoraret pronus in terram, de Chusi nihil horum dicitur. Et cur Achimaas salutat, & pronus in terram adorat, Chusai nil horũ facit? Erat Chusi, vt dixi gregarius quidam miles, Achimaas erat nobilis vir sacerdotis magni Sadoc filius, & quo nobilior quis, eo attentior in venitur, in cultu, & reuerentia, & officijs præstandis. De pastoribus *Luc. c. 2.* ait Luc. cap. 2 *Venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positũ in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, &c.* Verum de magis ait Matth. 2. *Matth. 2.* *Intrantes domum inuenerunt, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum, &c.* Ecce tibi pastores vident puerum, & Mariam, nec dicuntur procidisse, nec adorasse; Magi autem, qui & principes, & sapientes erant, & procidunt, & adorant. Quod notãs D. August. ser. 64. de diuers. *D. Aug.* ait. *Vtriquesanctanquam initia duorum parietum de diuerso venientium, circunciſionis, & præputij ad angularem lapidem concurrerunt; vt esset pax eorum facies vtraque vnum. verum illi Deum ex eo, quod Christum viderant, laudauerunt; isti autem vt sum Christum etiam adorauerunt.* Multi fuerunt pastores in laudando Deo, at principes isti longe attentiores inuenti sunt in culeu, & reuerentia exhibenda; in hoc enim semper nobilitas excellit. Dicebat etiam Luc. cap. *Luc. c. 5.* 5. *Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei.* Sed nobilis Centurio Matth. 8. accedentem ad se Iesũ detinebat dicens: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, &c.* Turbæ irruunt in Iesum; nobilis autem homo & si cupidissimus vidẽdi Iesum, tamen magis studebat reuerentiæ exhibendæ. Vt de illo dicat D. Aug.

vbi

vbi supra. *Ex gentibus erat ille centurio, qui cum dominum toto pectore suscepisset, se tamē dixit indignum, vt in domum eius intraret, nec ab eo agrum suum voluit videri. Sic interius præsentem corde retinebat, cuius à suo tecto præsentiam honorifice reuocabat.* Expende illud: *Honorifice reuocabat*: Sic nobilis homo nec in necessitate obliuiscebatur honorifici officij exhibendi.

§. V.

Officiosuli nimis suspecti sint fallaciæ.

SIne salutatione, sine adoratione introducitur Chusi, nimirum: *Apparuit Chusi, & veniens ait: Bonum apportunatum, &c.* Verum Achimaas veniens, *dixit ad regem: Saluet rex, & adorans regē pronus in terram, &c.* Et quid inde? Plane Chusi sine salutatione, sine adoratione introductus veritatem dicit regi; Achimaas inter tot salutationis, & adorationis officia regi mentitur. O vtinam hoc aduerterent vniuersi principes, & sibi falsitatis suspectos haberent omnes hos officiosulos, qui in aulis nidificant. Nota est historia Ioas, vt per Sacerdotem Ioiadam fuit morti ereptus, vt in templo nutritus, vt in regno constitutus. Et ait text. 4. Reg. 12. *Fecitque Ioas rectum coram domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos.* Nec inter tot magnalia regi facta auditur Ioiadas illum salutasse, nec adorasse, nec vllum istorum officiosum obsequiolum præstitisse. Quid tunc? Ait Paral. 24. *Postquam autem obyt Ioiadas ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regē, qui delinitus obsequijs eorum acquieuit eis. Et derelinquerunt templum domini, &c.* Ecce tibi vbi aditum ad regem inuenerunt isti officiosuli adoratores, & falsitas præualuit, & idolorum mendacia fuerunt introducta. Caueant istas pestes principes! Matth. 22. *Mittunt ei discipulos suos cū Herodianis dicentes: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ?* Qui magis officiosi in verbis, & obsequijs quam isti Herodiani palatini? Et nihilominus inter illa officia acriter à Iesu repelluntur, vt qui ibi fallacias latentes videat. Ait D. Cyril. Alex. lib. 2. in Isaiam tom. 1. *Obserua igitur, quo pacto redarguat palpantes, & blandientes repellat. Qui enim blādè volunt loqui, neque boni sunt, hos acerbissimis reprehensionibus conuertit sæpe, vt vitam veliat insinuare moderatius.* Bonus princeps in nullos attentior, quam in palpatores istos officiosos, qui obsequijs, blandisque sermonibus falsitates mille passim obtegunt. Et quando non acrius Iesus in officiosulos istos palpatores? Luc. 4. *Erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens, Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio te, qui sis, Sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus dicens: Obmutesce.* Quis obseruantior Iesu, quam iste? Et tamen illū Iesus increpat, & iubet obmutescere. Matth. 16. prædicabat Petrus Iesum filiū Dei, & ideo caput constituitur Ecclesiæ. Et cur Petrus bene, ille homo male audit à Iesu propter simile prædicationis obsequium? Ait pulchre D. August. apud Algerum lib. 3. de Sacram. cap. 13. *Tu es Christus filius Dei viui. Hoc dixit Petrus, & audiuit: Beatus es Simon Bariona. Hoc dixerūt & dæmones, & audierunt, obmutescite. Vna vox est; sed dominus interrogat radicem, non florem.* Quid pulchrius in rem præsentem? Bonus princeps non debet attendere ad flores verborum, aut obsequiorum, sed ad radicem. Quid si obsequia, si verba sint officiosissima, floridissima; si in radice sunt immunditiæ, fallaciæ? Habeat hoc princeps, vt radices obsequiorum perspiciat, non flores, & fallar, nisi inter officiorum flores, non inueniat eas falsitatum immunditiàs, quas vehementer oderit.

D. Cyril.

Luc. 4.

D. Aug.

4. Reg. 12

Paral. 24

Matt. 22

2. *Reg.* 18. Contristatus itaque rex ascendit cænaculum portæ, & fleuit. Et sic loquebatur vadēs, Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Absalon fili mi, fili mi Absalon, &c.

§. VI.

Damnatio aterna filiorum dulcissima parentibus.

QVi olim filij paruuli mortem siccis oculis aspiciebat, modo largo lachry-

marum

morum fonte occisum Absalonem prosequitur. *Contristatus itaque, ait, rex ascendit cœnaculum portæ, flevit, &c.* Nec miror, in hoc enim filio non solum mortem spectabat temporalem, sed magis spectabat æternam, vt qui intentato parricidio decesserat. Et cui parenti non luctum afferat & dolorem ingentem perditio filiorum æterna? Aiebat D. Alcimus lib. ad Sororem:

Omnibus id verbo gravius, si fonte lavacri
Diuini experiem, teneru mors invida natu
Præripiat, sua à generatum sorte gehennæ.
Qui moxv mutus cesserit filius esse
Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt
Quæ flammis tantum genuerunt pignora matres.

Plane nulli non parenti grauissimum est, quod filius æternum pereat; & quod eo ipso die, quo filius desinit esse hominis, fiat filius gehennæ. Maledicens dominus mulieri dixit Gen. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* In multiplicatione conceptuum ponit multiplicationem ærumnarum. Et quis non magis crederet multiplicationem conceptuum pertinere ad multiplicationem gaudiorum? Dicit Ioann. 16. *Cum autem peperit puerum,* Ioan. 16. *iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Ecce tibi hominum natiuitas ad gaudium matris pertinet. Quomodo ergo horum multiplicatio non ad gaudium magis, quam ad ærumnas pertinet? Illa est ærumnosa parentibus filiorum multiplicatio, quæ supra numerum electorum est, & constat reprobis nascituris. Est enim à magna Dei ira profectum, quod patri filius nascatur, qui in æternam iturus sit ruinam. Ait Ruper. lib. 3 in Genes. cap. 22. *Hæc multiplicatio non benedictionis, sed damnationis est, non gratiæ, sed iræ,* Rupertus. *non clementiæ, sed vindictæ. Vnde non ait tantum: multiplicabo conceptus tuos, sed multiplicabo, inquit, ærumnas tuas, & conceptus tuos. Quanta putas hæc ira, quanta est vindicta concipi, vel ita sciri homines, qui ad vitam æternam non pertinent, quibus proinde melius erat, si nati non fuissent?* Et statim subdes rationem ait. *Nempe, si incorrupta natura nostra terra permansisset, solas bonas arbores, solos bonos germinasset homines, & nullum agrestium lignorum, quæ ad hoc nata sunt, vt in ignem mittantur, succi eius abundantia produxisset. Hæc forsitan terribilis nimis, & timenda magis, quam disputanda diuini iudicij severitas est.* Terribilis equidem est Dei seueritas in parentes acerbissimum illis dolorem afferens, per hoc quod videant filios à se ortos flammis esse deputatos æternis.

§. VII.

Conscientia propriorum peccatorum nos facit misericordes in alios.

LVgebat Dauid rebellem, & perniciosissimum filium, à quo ipse quærebatur ad mortem; Ingebat, inquã, clamans, & dicens *Absalon fili mi, fili mi Absalon, &c.* Et vnde tam pius, & iustus homo; tam tener sit, & misericors in tyrannum truculentissimum, vt eius doleat vicem, & lugens vocet filium? Habebat bonus ob oculos propria crimina, quæ tantæ cladi occasionem dederant, & inde nõ poterat non misereſcere etiam truculentissimi. Ait Cartus. *Ista fuit causa tanti doloris* Cartus. *in rege deuoto, spirituali: quoniam sciuit se ac sua peccata fuisse occasionem, &c.* Quando sua peccata probe sciebat, mirum in modũ afficiebatur erga peccatorem filium, & dolebat illum castigatum à Deo. Et vix priorum peccatorum conscientia potest non nos in misericordiam, & compassionem aliorum adducere. Supra 2. Reg. 12. vbi Dauid audit à Nathano propositam parabolam diuitis, qui ouem pauperis iugulauit, vt ciberet hospitem suum, valde iratus fuit. Ait enim text. *Iratus autem in* 2. Reg. 12 *indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathã: Viuit Dominus, quoniã filius mortis est vir, qui fecit hoc.* In raptorem vnius ouiculæ sic Dauid irascitur, vt illum morte damner; & in raptorem totius regni sic afficiatur, vt vellet mori pro illo? Vnde ibi tã serenus, qui tũ blandus modo? Ait D. Aug. in Psal. 50. *Morte ligni diuitè di-* D. Aug. *xit, & ouem reddendam in quadruplum seueriss. me, atque iustissime. Sed peccatum eius nõ dum erat coram eo, post dorsum erat, quod fecerat. Suam iniquitatem nondum agnoscebat, & ideo alienam non ignoscebat.* Ideo tunc durus in alios, quia non dum se peccatorem agnoscebat, vbi autẽ peccata propria posita sunt ob oculos eius, illorum conscientia non potuit hominem misericordem, & blandum in alios nõ reddere. Matth. 9. Iesus meus: *Vidit hominem sedentem in telo-* Matth. 9. *nio Matth. cũ nomine. Et ait illi: Sequere me.* Non e cathedra Moysi, sed à peccatorem telonio vocabit hominem, quem faceret magistrum orbis. Cur domine ad tantum magisterium eleuas homines peccatores? Ait D. Basil. Sel. orat. 28. *Vt offensionis sui in-*

iuu-

dine magistros reddat ignoscentiores. Sic valet conscientia propriorum peccatorum ad ingenerandam animis in alios misericordiam; vt ad veniam præstandam alijs, eligantur illi, qui ob oculos possent habere peccata propria. Ioan. 2. *Petre amas me? Pasce oues meas.* Petro commitis oues tuas domine, qui ab vna ancillula coniectus est in errorem? Ad hæc D. Basil. Sel. vbi supra: *Pasce oues meas. Infirmitatem tuam sensisti? Agnouisti, quo tua deuoluta sit iactantia? Veniam concede, quæ te scis eguisse. Ne depreciaberis pœnitentiæ pharmacum, cuius turobur admiratus es.* Sic ibi.

Ioan. 2.

D. Basil.

§. VIII.

Pulchritudo marcescens in ruina dolentium accuit stimulos.

NVnquam tantus Dauid in fletu fuisse scribitur, vt modo, vbi *loquebatur vadens fili mi Absalon, fili mi Absalon, &c.* Et Ammon primogenitus eius, & sororis suæ strupator interfectus interijt, quem non sic Dauid fuit lamentatus. Cur ergo qui pro interempto Ammone & primogenito, & peccatore, non adeo fleuit, modo in morte Absalonis, sic laxat habenas lachrimis? Ait Carthus. *Ista itaque fuit causa tanti doloris in rege deuoto, spirituali, contemplatiuoque viro, quia perpendit, quam periculosissime obuerit filius suus vir speciosissimus.* Erant Ammon, & Absalon filij Dauid, vterque amabatur à patre: vterque peccator, & vterque sine pœnitentiæ nota interficitur, plus tamen lugetur Absalon, quia speciosissimus iuuenis in tantam ruinam coniectus doloris stimulos plus acuebat in patre. Nunquam enim marcescens pulchritudo in ruina dolores spectantium non acuit. Zacharias cap. 12. *In die illa magnus erit planctus in Hierusalem sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.* Quæ verba sic ponuntur apud Delrium in Adagial. *Sicut planctus mali granati, quod in campo succiditur.* Et Theodor. ait: *Sicut planctus mali punicæ in campo succisæ.* Sic propheta exaggerabat magnitudinem planctus imminentis, quod fieret simile planctui ab agricolis facto in succisione, & perditione mali granati, seu mali punicæ. Vt enim poma mali punicæ ob purpureos prominentes granos, & coronas superpositas in pulchritudine vincunt cæteros fructus, sic in earum ruina maior dolor accrescit spectãti. Ait D. Cyril. ibi: *Est hoc genus arboris bellissimum, atque à radice in crebros, teretos, ac patulos diffusum ramos exurgit; ipsis quoque fructibus decoratum, in primis est admirabile. Gratissima enim res malum punicum, naturali pulchritudine eximium, à ramo dependens, & cum granis intus rubentem habent corticem. Grauissimum autem, & molestissimum simul cum fructibus arborem amputari.* Equidem pulchritudo, & speciositas plantæ acerbiorem dolorem in sui ruina spectatoribus facit. Pro quo satis, ne pluribus additis fiant prophanus.

Carthus.

Zachar.

Delrium.

Theodos.

D. Cyrill.

CAPVT XXX.

Dauid reducitur in Regnũ.

Textus Historia.

DAVIDIS luctus adeo triumphantium militum animos turbauerat, vt minime in eius conspectum venirent, nisi rex Ioabi verbis, audacioribus quidem, sed à fideli corde profectis persuasus hilari vultu inuitaret accessuros. Quiergo lugentem cauerant, hilarem conueniunt, triumphosque lætissimos agunt coram illo. Post quæ Dauid rebellium metum sopire studens mittit ad Sadoc, & Abiatharem sacerdotes, qui tribum Iuda alloquantur, & Amasam regis ex sorore nepotem, militares principatus spe certa in eius obsequium alliciant. Videres vniuersam tribum Iuda ad Dauidem confluere, qui eos lætus expectabat iuxta Iordanis ripas. Inter eos accurrit Semei, qui pro iniurijs âse Dauidi illatis supplex veniam obtinuit, ne tam læto tempore in mortem iret. Adfuit, & Miphiboseth, seruumque aduentum dum ostendit fuisse serui Sibæ maliciæ; ereptorum sibi bonorum Dauidis sententia partem dimidiam, & regis gratiam retinuit. Vellet Dauid Bercellai Galatidem secum in aula retinere;

at sapiens senex quietem preponens aulicis tumultibus à rege impetrat facultatẽ manendi domi suæ, in filiumque suũ Chamaas omnes regios fauores libentius transmittit. Non longe venerat ab Ierosolimis rex, cum accedunt effusæ Israeliticæ tribus acriter mordentes tribum Iuda, quod ipsa sola tentasset Dauidem in pristinum solium restituere. Hinc cepta aeris disputatio fuit inter Israelem, & Iudam; quisq; sibi regẽ propriorem asserens. Israel propter latius regni spacium, propter sanguinis coniunctionem Iuda.

PARS MORALIS circa textum.

QVIS non amet iustorum ruinas potius, quam impiorum fælicitates? Ecce vobis Absalon ille rex acclamatus ab omni Israel latet sepultus; & Dauid ille electus in regnum sufficitur.

2. *Reg.* 19. Ingressus autem Ioab ad regem in domum dixit: Confudisti hodie vultum omniũ seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, & animã filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum:: Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas deducibus tuis, & vere cognoui modo, quia si Absalon viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. Nunc igitur surge, & procede, &c.

§. I.

Officia exhibita hosti magis tibi amicos arctabunt.

DAuidem pro rebelli filio plorantem sic mordit insciția carnalis in Ioab: *Confudisti vultum omnium seruorum tuorum:: odio habes diligẽtes te:: si omnes nos occubuissemus, placeret tibi:: non curas de ducibus tuis:: quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum.* Sic argumentabatur carnalis insciția, quasi omnia hæc iam cernerentur eminere mala ex eo, quod Dauid pro rebelli, & infenso filio in bello occiso ploraret. Sapientius equidem dicerent, si ex officio Dauidis etiã hosti præstito colligeret, quam sibi seruos, & amicos magis deuinceret, & astringeret. Exultabat Dauid aliquando cum paucis sotijs coactus exilia pati à Saule sibi hoste infensissimo; & volente Deo dum in spelunca latet, & nactus fuit hostem inermem. Hinc sotiorum voces hortabantur, vt hostem percuteret seque, & suos vno ictu à tantis periculis liberaret. Quid tunc Dauid? Ait 1. Reg. 24. *Propitius sit mihi dominus, ne faciam hãc rem.* Sic maluit hosti officiosum esse, quã se, suosque à periculis liberare. An ideo sotios offendit? An ideo in sotiorum odium incurrit? An ideo illos à se fugauit? An ostendit de sotijs curam non habere? Imo inde illos magis deuinxit, & sibi arctauit. Accipite D. Chrysostomum hom. 2. de Dauide, & Saule fantem: *Quo modo milites deinceps illum obseruasse consentaneum est, quanta erga illum beneuolentia fuisse affectos? Nam si mille habuissent vitas, an non prompte impendissent pro suo duce, iam ex reuerentia, quam hosti præstitit perspectum habentes, quam beneuolum animum gereret erga suos?* Ecce tibi sapientum hominum sapientissima argumentatio; ex reuerentia enim à suo duce exhibita hosti perspectum habebant eum in suos clementiorem, & beneuolentiorem futurum, & inde illũ arctius amabant, & pro illo plura faciebant. Et hoc cũ quanto Danidis lucro? Pergit ibi Chrysost. *Cæterum qui mitis, ac mansuetus est in eos, à quibus molestia affectus est, multo magis erit erga beneuolos eum affectum gessurus; quæ profectores fuit illi maximum securitatis pignus. At non in ipsum modo beneuolentiores erant, verum etiam aduersus hostes promptiores, quod scirent se Deum habere propugnatorem. Idcirco postea Dauid non tum vt homini, sed vt Angelo parebant.* Ex eo, quod mitem, & officiosum exhibuerit hosti, tam longe abfuit, quod offenderet suos, quin potius nunquam apud illos securius vixit, nec maiori cum honore, vt qui sapienter credebant erga suos potiorẽ, qui adeo bonus erat erga hostes. Accinit Chrisost. D. Amb. lib. 2. officior. c. 17. de Dauide aiẽs: *Fortis in bello, mãsuetus in imperio, patiẽs in cõuitio, ferre magis promptus, quam ve-*

1. *Re.* 24.

D. Chrys.

Chrysost.

D. Amb.

ferre

ferre iniurias. Ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum peteretur. Crede mihi, non odium apud suos, sed amorem accendit, qui bonus noluit esse etiã erga hostes. Abnerem hostibus Israelis exercitus ducem Dauid occisum in aula sua fleuit: 2. Reg. 3. *Leuauit rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner.* Quid inde? offendit exercitum planctus regis pro duce hostium. Imo ait Theodor. quæst. 13. *Rex quidem dolore motus luxit, & est lamentatus, lamentatio autem auxit populi beneuolentiã.* Sic officia exhibita hosti capiunt affectũ omnium amicorum.

2. Reg 3.

Theodor.

§. II.

Officiosus in hostem, officiosior censendus est in amicos.

STulta est etiam illa Ioabi illatio, quã dicit: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Sapientius enim eliceret; diliges odientes te, amplius diliges diligẽtes te. Qui enim in odientes officiosus creditur, inde officiosior in amicos credendus est. Dicit 2. Reg. 1. *Planxit autem Dauid planctum huiusce modi super Saul, & super Ionatham filium eius, &c.* Vbi autem in primis exprimitur Dauidis planctus super Saul; sapienter colligit D. Chrysost. maiorem fuisse planctum eius super Ionatam. Quippe ait lib. 3. de Prouid. Dei. *Quia enim patrem illius insidiatorem suum, atque inimicum, qui millies illius mortem concupierat, ita fleuit, & lachrymatus est: quid passus existimetur, cum illum, qui sibi in illis periculis semper adstiterat, ac sæpissime patris insidijs eripuerat, ante vitã defecisse cognosceret, quam illi acceptorum beneficiorum vicem reddere valeret?* Equidem qui tantus in odiosi luctu, multo maior in amici luctu erat crecendus. Non enim in amicos durus est, qui in hostes est lenis. Dicebat Iesus Luc. cap. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Ecce tibi ex Iesu proponitur bonus pastor habens centum oues, qui relictis nonaginta nouem, vnius perditæ rationẽ habet, pro illa laborat acquirenda. Sed cum dicitur reliquas reliquisse, vt pro vna laboraret, credendum est reliquas reliquisse perdendas? Absit, imo eo ipso, quo pro vna illa perdita laborabat, debet credi in cæterarum lucrum id fieri. Ait D. Cyril. in cat. D. Thomæ: *Nunquid autem sæuiens in reliquas, motus est pietate vnius? Nequaquam. Sunt enim illæ in tuto, circumsepiente illas potentissima dextera: sed magis oportebat misereri pereũtis, ne imperfecta videretur residua multitudo.* Equidem non vna rebellis, & perdita quæritur in damnum cæterarum, quæ numquam excesserant. Quin imo in cura perditæ illius, ostendebantur, quam tutæ essent, & protectæ cæteræ, quarum etiã in illa perdita quærebatur perfectio.

2. Reg. 1.

D. Chrys.

Luc. c. 5.

D. Chrys.

§. III.

Vbi Deus non est, non itur anxie ad vnum sine periculo alios perdendi.

SEd nolo præterire prudentiam etiam verborum Ioab in illis verbis: *Confudisti vultum omnium seruorum tuorum:: non curas de ducibus tuis::: Si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum.* Quando Dauid totus erat in lugendo Absalone, sapienter hæc damna suspicabatur Ioab, quod Dauid cæteros omnes & confunderet, & perderet. Et merito. Dei enim est solius, non hominis ad vnum anxie ire, quin reliquos perdat. Ait Iesus Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Pastor dicitur reliquisse nonaginta nouem oues in deserto, & ad vnam perditam curriisse. Et quis pastor hæc faceret prudenter? Non nedum ad vnam curritur, reliquæ omnes derelictæ expositæ manerent periculis, luporum incursibus? Qui ergo fieri possit, vt sit prudentia, quod pro vna cuicula erratica curanda, cæteræ relinquantur? Sane hoc ab homine minime potest fieri; sed à Deo; cuius solius est, dum vnam paruulam curat, omnes reliquas simul in officio conseruare, & continere. Pulchre ad hæc ait D. Chrysol. serm. 168. *Hæc parabola plus diuinæ pietatis, quam consuetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatem. Magna reliquere, amare minora, Dei potestatis est, non cupiditatis humanæ, quia Deus, & quæ non sunt, facit esse; & perdita sic sequitur, vt teneat, quæ reli-*

Luc. 15.

D. Chrys.

quit; & amissa sic inuenit, vt quæ seruata sunt, non amittat. Ergo nec terrenus pastor iste est, sed cælestis. Equidem terreni pastores periculose relictis alijs vni ouiculæ curandę attẽdunt, nequit enim fieri, vt limitata potestas se totam vni dedat sine confusione, & perspicuo damno aliorum. Id solum potest præstare Deus, cuius potestatis infinitæ est, quod sic totus vni, vel infimo attendat, vt simul omnes suorum bonorũ suauitate repleat. Dicebat aliquando vna anima Cant. 2. *Dilectus meus mihi*; quasi dilectus vni illi attenderet ouiculæ. Et inde illi tanta fuit fidutia, vt crederet ad se vnã tantum posse dilectum rapi, quasi relictis alijs? Rem examinans D. Bern. ser. 69. in Cant fatur. *Fidentem sanctam animam facit duplex quædam ratio. Primo quidem, quod hæ beat in natura simplicissima sponsi diuinitas quasi vnum respicere plurimos, & quasi multos vnum, Neque ad multitudinẽ mulier erit, neque ad paucitatem rarus, neque ad diuersitatem diuisus, neque restrictus ad vnum. Sic sane vni intentus, vt non detentus.* Expende in primis hæc vltima, nimirum: *Sic sane vni intentus, vt non detentus*, vt quasi possit totus ferri ad vnũ, quin cæteros confundat, & vacuos, & perditioni obnoxios relinquat. Et vnde hoc? Expende illam rationẽ tantæ rei originem: *Quod habeat in natura simplicissima spõsi diuiditas, &c.* Plane quia non homo merus, sed Deus est, inde habet sic ferri ad vnũ, vt non detineatur in vno, sed simul omnibus prospiciat. Homo enim nequit ad vnum ferri, quin simul alios exponat perditioni, & deserat.

Cant. 2.

D. Bern.

§. IIII.

Magna calamitatis est dolere non permitti in malis.

TAndem aiebat Ioab: *Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi per dominum, quod si non exieris ne vnus quidem remansurus sit tecum.* His persuadebatur Dauid a Ioab, imo cogebatur surgere â luctu pro filio suscepto; quæ, vt bene notat Salianus, non excudiebant regi tristitiam, sed vehementer augebant, qui nec liberum quidem sibi fletum à subdito, à quo tam grauiter esset offensus, permitti videret. Et quidem grauissimum est, quod tibi nec calamitatem acceptam flere permittatur. Ex quo D. Hier. exaggerabat Iudæorum miseriam. Ait enim in 1. cap. Sophoniæ: *Legamus Iosephum, & prophetiam Sophoniæ illius cernimus historiam: & hoc non tantum de captiuitate dicendum est, sed vsque ad præsentem diem perfidi coloni post interfectionem seruorum, & ad extremum filij Dei; excepto planctu prohibentur ingredi Ierusalem, & vt ruinam eis flere liceat ciuitatis suæ, pretio redimunt, vt qui quondam emerant sanguinem Christi; emant lachrymas suas. Et ne fletus quidem eis gratuitus sit.* Hæc miseriarum temporalium vltima, quod non tibi permittatur flere calamitatem tuam.

D. Hier.

2. *Reg.* 19. Surrexit ergo rex, & sedit in porta, & omni populo nuntiatum est, quod Sederet rex in porta, venitque vniuersa multitudo coram rege. Israel autem fugit in tabernacula sua. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel dicens: Rex liberauit nos, &c.

§. V.

Sub oculis principis iusti remuneratoris audentiores ad omnia fiunt milites. Vbi de Christiano duello.

VEnienti exercitui se ostendit Dauid sedens in porta, dicit namque: *Surrexit ergo rex, & sedit in porta, & omni populo nuntiatum est, quod sederet rex in porta, venitque vniuersa multitudo coram rege.* Cũ audis regẽ in porta sedisse, intellige in aula portæ adiũcta, in qua iudicia exerceri solebãt, vt notat noster Salianus ibi. Et merito rex se se ostendit militibus suis sedentem in loco iudicij, nullo enim magis roborantur milites, & audientiores fiunt, quam si sub eius principis oculis sint, qui sedeat in loco iudicij, iuste remuneraturus eorum facinora. Quid non audeat miles principis sui conspiciens solium in corruptum? Micheas visis erat homuntio, & adductus coram Achabo infensissimo

3. Reg. 22. mo sibi rege. 3. Reg. 22. ait illi. *Audi sermonem domini: vidi dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæleste assistentem ei à dextris, & à sinistris: & ait dominus. Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad, &c.* Sic Michæas audet infensum sibi regem magis exacerbare, & eius deceptionē, & cladem reuelans. Cur non magis ità tanti hostis veretur? Ipse ait: *Vidi dominum sedentem super solium suum:* vbi ob oculos habuit omnium principem Deum sedentem in loco iudicij, sic audet, vt eius causa nullos velit hostes vereri. Ait Hugo Victor. Institut. Monast. lib. 4. de vanit. mūdi: *Michæas dominum vidit in solio suo, & regem impium constanter arguens, non timuit in comminationibus suis.* Quid timeat miles videns solium principis iustissime remuneraturi? Isaias cap. 7. *Vidi dominum sedentem super solium sedentem, & elevatum, & ea::: Et audiui vocem domini dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis. Et dixi: Ecce ego, mitte me.* Isaias non refugit mitti à Deo aduersus quascumque ferocissimas gentes. Hieremias autem cū mitteretur, refugiens suam paruitatem prætendebat clamans c. 1. *Puer ego sum.* Vnde Isaias Hieremia audentior? Vidi inquit, dominum sedentem super solium; conspectus iustissimi solij principis sui faciebat hominem in quaslibet difficultates audere. Hugo Victor. vbi supra: *Isaias Propheta videns & ipse verbum excelsi ventura prædixit; & consolatus est Ierusalem in tempore angustiæ.* Nulla nō voratur difficultas à milite, qui principem suum in iustitiæ solio sedere videt. Hinc Paulus pugnaturus cum principibus sæculi, imo cum tenebrarum principibus aiebat. 1. ad Corinth. cap. 4. *Spectaculum facti sumus Deo, angelis, &c.* quasi inde se muniat, quod sit suboculis Dei omnium iudicis. Quo spectans D. Cyprian. sic monebat athletas Christi epist. 56. Ad agonē sęcularem exercetur homines & parantur; & magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo, & imperatore præsente contigerit coronari. Ecce ager sublimis, & magnus, & coronæ cælestis præmio gloriosus; vt spectet nos certātes Deus, & super eos, quos filios facere dignatus est, oculos pandens certaminis nostri spectaculo perfruitur. *Prælantes nos spectat Deus, spectāt Angelicus, spectat Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta fælicitas præsente Deo congredi, & Christo iudice coronari?* Planè vbi Christus integerrimus iudex ostenditur, gloriosissimum est, ibi coronas spectare; pro quibus nulli parcatur certamini.

3. Reg. 22. Hug. Vi. Isai. c. 7. Hieren. Hug. Vi. 1. ad Cho. D. Cyp.

§. VI.

Humiliatio illata homini efficacissima est, vt illum ducat in pœnitentiam.

PErcussi Israelitæ, & prostrati ab exercitu Dauidis, vide in quales voces pœnitentiæ prorumpant. *Omnis autē populus certabat in cunctis tribubus Israel dicēs: Rex liberauit nos de manu inimicorū nostrorum; ipse saluauit nos de manu Philisthinorum: & nunc fugit de terra propter Absalon; Absalon autem quem vnximus super nos mortuus est in bello, vsque quo siletis, & non reducitis regem?* Hæc erat vox populi deuicti, atque humiliati, qua facinoris sui emēdationem quærebat in restituendo Dauide ad solium regni. Et quidē efficacissima est humiliatio, & deiectio homini accidēs, vt illum reducat in sanam mentē. Ducibus suis euntibus in prælium aduersus absalonem præcipiebat Dauid. 2. Reg. 18 *Seruate mihi puerum Absalonē*: & postquā nouit occisum multis lachrymis, & gemitibus mortē eius prosecutus est. An quia gauderet, si Absalon vinceret? Absit, minime enim gauderet, quod vinceret Absalon, sed vellet, vt victus, & humiliatus viueret; sciens quantum momēti haberet humiliatio illa vt perditum iuuenem ad sanā mentem reduceret. Ait D. Augustin. lib. 22. contra Faustum, cap. 66. *Cum innocentem puerum mortuum Dauid non luxerit; idem iuuenem filium parricidali furore præcipitē, qui & paternum cubile stupri non furtis maculauerat, & contra patrem scelestum bellum gerebat, & vellet conseruatum, & fleret occisum; animæ scilicet tantis criminibus inuolutæ sempiternas prauidens pœnas, quibus euadendis ēt per pœnitentiam corrigendum viuere cupiebat humiliatum.* Expende hæc: *Eum per pœnitētiam corrigendum viuere cupiebat humiliatū*: quippe vel insolentissimus sapit, aliquo malo deiectus, & humiliatus. Vt dicat Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Et nemo nescit, quām ex vexatione, & humiliatione intellectus acuatur.

2. Reg. 18. D. Aug. Psal. 118.

2. *Reg.* 19. Rex vero Dauid misit ad Sadoc, & Abiathar sacerdotes dicens: Loquimini ad maiores natu Iuda dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendũ regem in domum suam (sermo autem omnis Israel peruenerat at regem in domo eius,) quia dixerat rex: Hæc dicetis ad populũ Iuda: Fratres mei vos, os meũ, & caro mea vos, quare nouissimi reducitis regem? Et Amasæ dicite, Nonne os meum, & caro mea es tu? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat si non magister militiæ fueris, &c.

§. VII.

Cognatio naturæ potior est è re nostra.

NVnquã non debẽt cognati primi accurrere suis, in quorum lucris necessum est, vt potiores sint. Quo spectans Dauid tribũ Iuda blande sollicitat, vt sibi in regnum reuertenti accurrat. Ait enim: *Hæc dicetis ad populum Iuda: Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos quare nouissimi reducitis regẽ? Et Amasæ dicẽtis; Nõne os meũ, & caro mea tu?* Quippe qui fratres erant, & cognati Dauidis primas debebant sibi præripere in eo deducẽdo ad regnũ, quando nihil magis è re nostra est, quã cognati fælicitas. Matth. 14. venit ad discipulos suos Iesus *ambulans super mare.* Et Ioann. 11. euocante Iesu Lazarũ à sepulchro; *statim prodyt qui fuerat mortuus.* Quid tũc? Ait Reginus Episcop. Cypri. hom. habita in Concil. Ephesino to. 6. c. 8. *Etenim mare dominũ suũ agnoscens dorsa, siccaque fluctus suos illi substrauit: mors insueta lege, Lazarũ consanguineis suis restituit.* Et mare, & sepulchrũ Iesu paruerunt, illud fluctus suos, vt super illos ambularet; sepulchrũ reddens Lazarũ, qui à Iesu postulabatur. Et nihilominus solum mare dicitur seruijsse Iesu, sepulchrũ consanguineis Lazari. Et cur eõs consanguineis Lazari exprimitur sepulchrũ seruijsse; nisi quia in suorũ fælicitate potiores solẽt censeri hic cognatis? Aiebat Can. 2. *Vox dilecti mei: Ecce iste venit saliẽs in mõtibus, &c.* Septuag. posuerũt: *Vox fraterni mei.* S. Ambr. autẽ legit: *Vox consobrini mei.* Aduenientis enim Dei vox cognationem naturæ sonabat. Et cur Deus aduenies in natura se se ostendebat cognatũ, nisi vt iã ostenderet, quotũ præcipue interesset Deũ ad nos aductasse? Ait D. Ambr. ser. 6. in Psal. 118. *Dicit: Vox cõsobrini mei, annuntians quẽ nuntiari sibi ante quærebat, quẽ cupiebat ab allys suscitari, sua prece resuscitatũ à patre venire iã credẽs, lata dicit: Vox consobrini mei. Bene addidit, consobrini mei, vt non aliæ, sed consobrina sola sibi eius vendicaret aduentũ.* Sic aduenientem Deũ consobrinũ vocat, vt inde ostẽdat ad se magis eius aduentũ spectare. Solet enim in bonis participandis potior esse naturæ cognatio. Luc. 15. de diuino pastore locutus ait: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: si perdideret vnam ex illis, nõne dimittit nonaginta nouẽ in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eã.* Is erat diuinissimus pastor, qui vnã perditã ouiculam sic amabat, vt pro illa difficilimas vias ambularit. Sed idẽ hic diuinus pastor requisitus à Chananæa, pro ouicula, quæ à lupis infernorũ discerpebatur, respondit Mat. 7. *Non est bonũ sumere panẽ filiorũ, & dare canibus.* Et mirabar huius diuini pastoris œconomiã, quod tã blandus fuerit erga perditã ouiculã, & tã durus erga periclinã tẽ canẽ. Plane sapienti pastori strenuus canis charior est, quã vna ouicula; & facilius permittet vnam ouiculã perdi, quã vnum strenuũ canẽ. Cur hic diuin⁹ pastor ita durus apparuit in canẽ, quando in vnam ouiculã erat adeo blandus? Ait Author Anonymus in cat. Græca D. Lucæ: *Igitur pastor ille, qui in humeros suos inuentam ouẽ suscepit, & per illam nobis illuxit, & ouis simul est, & pastor. In re assumpta quidẽ ouis, pastor vero in assumente.* Expẽde illa: *Et ouis simul est, & pastor*, ne mireris, quod magis ad cognatã naturã afficiatur. Cæteri pastores diuersę naturę ab ouib⁹ sũt, & inde est, quod possint affici magis ad canes, quãdo isti pretiosiores sunt. At hic diuinus pastor ejusdẽ erat naturę cum oue perdita, est enim talis pastor, qui ouis simul sit, & ideo nũquã non apud illũ potior est ouis, quã canis, prævalẽs naturæ cognatio. Hinc Isaiæ 53. *Tanquam ouis ad occisionẽ ductus est.* Circa quæ D. Basil. Sel. orat. 26. *Pastor pro ouibus tanquam ouis iugulum præbet.* Quia nõ pastorem tantum, sed & ouem agit, vel vitæ pretio eruit ouium sanitatem. Sic enim prævalet naturæ cognatio. Hinc nato hoc diuinissimo pastore Angeli cantant Luc. 2. *Glo-*

Matt. 14.
Ioan. 11.
Cypriian.
Psal. 81.
Cant. 2.
D. Amb.
Luc. 15.
Mare. 7.
D. Lucæ.
Isaia 53.

Luc. 2. 2. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* Nihil sibi in illa natiuitate præsumunt Angeli, omnia & Deo, & hominibus cedunt, quando & Deum, & hominē noscebant recens nati in natura cognatos.

§. VIII.

Promximi reuertentis adgratiam error pristinus non memorandus. Vbi de pœnitenti.

OMnia facit Dauid, vt tribus Iuda ferat primas in reductione sua ad regnū; quo spectant illa: *Cur venitis nouissime ad reducendum regem?* Sunt Verba volentis, vt ipsi veniant primi, & tanti triūphi ferant primas: quasi nunquam rebelles extitissent. Sic bonus ad se venientibus consulit, præstini erroris oblitus, quasi non fuisset. Sic pater ille cælestis Luc. 15 reuertenti filio nulla obijcit crimina,
Luc. 15. quin potius ad seruos clamat: *Cito proferte stolam primam, & induite illum.* Cur nominatim petitur stola prima, quæ illum induat? Sufficisset equidē quæuis alia; cur maluit offerre primā? quasi semper in primis fuisset ille filius, & nullum erroré cōmisisset. Ait D. Ennudi⁹ in Eucharistico
D. Eunu. de vita sua: *Ad Stolam candidam, ad annulum preciosum, ad dignitatis illæ paternæ possessionis, quasi semper seruasset iussa, reuocauit.* Sic redeuntem æstimat bonus, quasi nunquam abijsset; & prorsus omnes pristinos errores obliuiscitur. Prouerb. 30. ait spiri-
Prob. 30. tus diuinus: *Talis est, & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.* Quibus verbis abutitur D. Amb. vt ostendat commodum eorum, qui conuersi ad Christum, eius lauacro fruuntur, quo sic albicant, quasi nunquam fuerint spurei. Ait enim ser. 1. de Samaritana:
D. Amb. *De hac igitur diuisse prophetam puto: Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis quæ cum se abluerit, nihil se dicit fecisse prauum. De hac plane dictum est, quæ postea quā est fonte abluta salutaris, delictorum vitia nō meminit, virtutem prædicationis assumit.* Sic pristina delicta absoluentur in eo, qui accedit ad lauacrum Christi. Imo, & pergit Sanctus idē: *Nihil se dicit fecisse prauitatis, dū sit nūtia veritatis, & obliuione abnegat impudicitiā, dū deuotione prædicat castitatem. Hæc enim virtus Christi est Domini, vt quāuis peccator, qui eius vada salutaris, denuo in virginē reparatus, non meminerit, ante quod fecit, & rediuiua natiuitate infantiæ innocentiā præferat, inuentutis scelera non agnoscat, sitque virgo fidei Christi, qui fuerat adulter corruptionis peccati.* Quid gratius peccatori, cuius raditus ad Christum, sic potest radere omnia pristini reatus vestigia, quasi nulla vnquam fuerit culpa?

2. *Reg.* 19. Omnis Iuda venit vsque in Galgala, vt occurreret Regi, & traduceret eum Iordanem. Festinauit autem Semei filius Gera filij gemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum regis Dauid cū mille viris de Beniamin, & Siba puer, &c. Semei autem filius Gera prostratus coram rege cum iā transisset Iordanem, dixit ad eū: Ne reputes, &c.

§. IX.

De sanctorum patrocinio speret veniam peccator.

QVi in Dauidem contumeliosus fuerat Semei, non audet ad illum solus accedere, sed inter Dauidis contribules se ingerit. Ait enim text. *Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum regis.* Sapienter quidem se viris Iuda associat, vt de eorum consortio, & patrocinio possit negotiari veniam ex rege. Nunquā enim patrocinium bonorum non vtile est etiam perduelli vt in gratiam principis redeat. Fratricida ille Absalon diu post facinus exularat, donec Ioab pro illo locutus est ad regem; & tunc ait text. 1. Reg. 14. *Surrexit ergo Ioab, & abijt in Gessur, & adduxit Absalon in Ierusalem.* Ecce tibi fratricida Absalon non solus sed cum Ioab audet venire in conspectum regis offensi. Ex quo monebat Bachiar. epist. de recipiendis lapsis: *Absalon, qui fratrem occiderat, per amicorum suffragia Regis veniam promeretur. Ita vt etiam osculum pacis, & præsentiam vultus Christi non desperet exposcere. Et tu ergo quare, quos amicos Dauid*

esse

esse nosti, qui quondam pater tuus, quando non peccaueras, fuit: humilis esto, vt quod à te non poteris, per illorum suffragia merearis. Fallar si pereat peccator, cui summi regis amici, & cognati fauent. Ne homo desperet in suis criminibus, sed Dei amicos adeat, illis adhæreat, sæpe enim quod non valent merita nostra, obtinemus à Deo amicorum eius suffragijs. Hinc monebat dominus Elipha Themanitem Iob cap. 42. iãs: *Iob c. 42.* *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniã non estis locuti corã me rectũ sicut seruus meus Iob. Summite ergo vobis septem thauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis, &c.* Non solum monentur, vt resipiscant, vt sacrificia magna pro delictis suis offerant; sed insupermittũtur ad Iob, nisi enim de tanti serui Dei patrocinio in eius gratiam venire non possent. Vt dicat Chrysost. Chrysost. in cat. Græca: *Illud etiam docet, haud illa satis futura sacrificia ad expiationẽ, nisi Iobi quoque merita accessissent.* Credat mihi peccator, & se sanctis adiungat, si velit veniam apud Deum negotiari. Ad prædicationem Ionæ cap. 3. *Ionæ c. 3.* *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem.* Ecce tibi adulti homines vbi Deum amant placare, se se in luctu, & saccis adiũgunt paruulis, & infantibus. Vt quid se in pœnitentia adiungunt paruulis? Pulchre ait D. Ambr. ser. 40. de Niniuit. *In tali de* Ambr. *uotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa paruulis quoque substantiam denegare. Non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parulorum innocentia deploraret.* Sic de patrocinio, & consortio innocentum audebant peccatores Niniuitæ veniam à summo rege impetrare.

§. X.

Summa deplorati hominis miseria est, quod in salutem omnibus facta noliti ipse venire.

MIrabar Semei in Dauidem contumeliosissimũ hominẽ ausum fuisse venire in conspectum triumphantis de hostibus Dauidis, Ait enim: *Festinauit autem Semei filius Gera: & descendit cũ viris Iuda in occursum regis, &c.* Et cur homo adeo iniurius Dauidi non magis fugit ad aduentũ eius? Qua spe audet in eius conspectũ venire, quẽ paulo ante tantis prosecutus fuerat iniurijs? Sciebat Semei & tribũ Iudæ rebellẽ fuisse Dauidi, & Amasam ducẽ Absalonis, & vniuersum Israelẽ coniurasse in Dauidẽ. In super sciebat his omnibus rebellibus, & perduellis Absalonis fautoribus veniã esse oblatam à Dauide; quo ipse animatus illis se adiungit; miserrimum omnium malorũ putans, si in tantam gratiã omnibus facta, ipse non curaret venire. Quid sapientius? Quid certius. Equidẽ miseriã omnem superat, quod cũ fontes gratiarũ omnibus aperiuntur, tu solus noliseas habere, sed magis tibi fontes obstrudas. Actor. 7. clamãs Stephanus ait: *Ecce video cælos apertos, & filiũ hominis stantẽ à dextris virtutis Dei. Exclamantes autẽ voce magna continuerunt aures suas & impetũ fecerunt, &c.* Ecce tibi cæli aperti dicebantur, qui gratias super vniuersos mitterent; & cũ sic cæli aperti dicerẽtur, Iudæi claudebant aures suas, nequid perciperẽt de verbo vitæ. Quid miserius? Plane inde illos traducit D. Aug. ser. 99. de diuersis aiens: *Cũ cæ* Aug. *lii ianuæ aperiretur, ipsas Iudæi ianuas claudebant.* In nullo magis deplorati, in nullo magis miseri, quã quod apertis gratiarum fontibus, ipsi mallent hærere suæ perfidiæ. Dominicã resurrectionem referens Matt. cap. 28. ait: *Ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidẽ, & sedebat super eũ: Præ timore autẽ eius exterriti sunt custodes.* Ad triumphu Christi, ad Angeli aduẽtũ, vbi vel sepulcra vitã halant, ingens timor miseros custodes tenet. Quantũ hoc malũ? Ait Pascasius, ibi: *Ministri perfidiæ,* Pascas. *& executores mortis alienæ, nequeant sæpe ferre cælestia visu; neque fiducia summere de supernis. O quam miseri sunt, quos tunc perculit timor mortis, quando securitas credentibus redditæ est vitæ.* Et merito inter vltimas miserias hæc poni debet, quod eo ipso tempore, quo omnibus securitas vitæ affulget, tu non cures exire à timoris tenebris. Qui talis est, fallar, si vllum vitæ habeat sensum. Vnde de istis custodibus aiebat Matth. 28. *Exterriti sunt custodes, & facti* Matt. 28 *sunt velut mortui.* Quæ sic expendit Paschas. supra: *Merito quia mortem seruabant, ministri mortis, ne viuere vita, percussit, & prostrauit Angeli aduentus, ac facti sunt velut mortui? Quid nisi essent plusquam mortui, debuisset esse suscitare admitam resurrectio Christi, & visto angelica oculos eorum illum*

illuminare, vt crederent resurgentem. Equidem plusquam mortui sunt, qui medij intãtarum largitionum fontes, nullum vitæ sensum accipiunt.

§. XI.

Humilitas rogantis nihil non extorquet.

QVid non extorqueret ex pijssimo rege Semei? Dicitur namque de illo: *Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum iam trasisset Iordanem, dixit ad eum: Ne reputes, &c.* Sic humi deijcitur Semei coram Dauide, ne miremur, quod trahat veniam. Non aliter Luc. 18. *Publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Propitius esto mihi peccatori.* Et quid inde? Ait D. Bern. ser. de quatuor modis orandi: *Vim faciebat regno cælorum publicanus, ille, qui dum non audereret oculos in cælum leuare, ipsum cælum ad se potuit inclinare.* In terram oculi derecti cælum ad se traxerunt, ne credatur esse res, quam non posset humilitas extorquere. Moysi requirenti diuinum nomen respondit Deus Exod. 3. *Ego sum, qui sum. Ait, sic dices ad filios Israel, Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysem, Hæc dices filis Israel, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, &c.* Ecce tibi vnum Dei nomen sibi Moyses reuelari petebat, & duo illi reuelata sunt nomina, alterum illud, *Qui est*; alterum hoc: *Deus Abrahã, &c.* Et vnde tantus Moyses, qui duo Dei nomina sibi reuelari obtineat? Ait Rupert. ibi: *Ad vnam percunctationem duo reddidit, quia fortis erat inquisitor, qui pulsabat; fortis, inquam, vera fortitudine, quæ est virtus humilitatis, quæ & vsu, & exercicitio diuina collocutionis, in tantum robur excreuit, vt fortem, & iterum Deum post modum tenere posset, stans in conspectu eius, in confractione cordis.* Quid pulchrius? Totam vim impetrandi in humilitate, & confractione cordis ponit.

§. XII.

Regius animus ad misericordiam promptior.

ABisai iterum in Semei iratus hominẽ percutere mauula. Cui Dauid: *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Cur efficimini mihi hodie in Sathan? Ergo ne hodie interficietur vir in Israel? An ignoro hodie me factum regem in Israel? Et ait rex Semei, non morieris.* Ecce tibi quam longe erat regius animus ab animis priuatorum; priuati homines mortem decernebãt Semei. Dauid autem vbi se regem factum agnouit, eo ipso putabat teneri misericordiã facere. Inuenio de rege Agripa rem similem à Iosepho dictã. Ait enim lib. 19. cap. 7. Quidã Hyerosolymita legis peritus euocata cõcione per regis absentiam agentis tũc Cesareæ, criminabatur illum, vt impurũ, & arcendũ templi aditu, quod non nisi dignis pateat. Id vbi Præfectus Vrbis regi significauit per literas, confestim auersiatus hominẽ, assidere sibi eũ iussit. Moxque sedata voce, & placide, Dic mihi, inquit, quid tibi nõ probatur, ex his quæ facimus. Quicũ nihil haberet, quod diceret, præcatus est veniã. *Iunc rex citius, quam quisquã opinaretur, reconciliatus est, clementiam magis, quã iram decere regis existimans, & leuitatẽ animi, magis quam celsitudinem.* Sic bonus parcens iniuriatori ostendit, quid sit proprium animi regij. Hinc latroni quam cito dicebat Iesus Luc. 23. *Hodie mecũ eris in paradiso.* Circa quæ ait D. Cyril. Hierosolym. ibi in cat. Græca ex Catech. 13. *Ideo iuste audit: Confide. Non quod opera tua digna sunt confidentia, sed quia Rex adest, qui gratiam confert.* Expende illa: *Rex adest, qui gratiam cõfert:* Regalis enim animi proprium est gratiã conferre vel indignissimis.

2. *Reg.* 19. Miphiboseth quoq; filius Saul descẽdit in occursum regis illotis pedibus, & in tota barba: vestesque suas nõ lauerat à die, qua egressus fuerat rex vsque ad diẽ reuersionis eius in pace. Cũq; Ierusalẽ occurrisset regi, dixit ei rex, Quare nõ venisti mecũ Miphiboseth? Et respondens ait: domine mi rex seruus meus contempsit me, &c.

§. XIII.

Sordida, incultaque vestes validissimæ aduersus principes tenebrarum.

VNus Miphiboseth sciuit, quibus armis pro Dauide staret; de illo namque dicitur: *Descendit in occursum regis illotis pedibus, & intonsa barba, vestesque suas nō lauerat â die, qua egressus fuerat Dauid rex, vsque ad diem reuersionis eius.* Equidem alij ærea cin&i lorica venerant Dauidem propugnaturi in hasta, & gladio; Miphiboseth æreis armis ineptus, ad vestes sordidas, cultusq; corporis cōfugit, quæ, vt non solū contra Absalon, sed contra cōmissum Diuidis peccatum pugnabatur, validissima, & ad victoriam efficacissima arma censebātur. Zachar. 3. *Ostendit mihi dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo domini; & Satan stabat a dextris eius, vt aduersareturei: : : Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, &c.* Ecce tibi bellū atrox, hinc Iesus sacerdos, illinc Satanas: & Iesus sordidis vestitus aderat. Cur non magis ferream loricam, aheneum scutum ostendit, ancipitem bibrat gladium? Fallar, si insordidis vestibus validiora non sint arma aduersus diabolum. Aiebat D. Bern. ser. 4. de Nat. Christi: *Agnosco, agnosco Iesum Sacerdotem magnum sordidis opertum vestibus dum altercaretur cum diabolo. Vbi vero exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc plane mutauit vestem, decorem induit.* Dum prælium erat, dū exeundum erat in certamine sordidas vestes habebat, quibus tamdiu vsus est, quādiu bellū durauit, nec alijs indiguit armis, quando hæc omnes potestates contrarias debellabant. Iudith cap. 10. pugnatura cū Holopherne exuit vestes sordidas, & luctuosas, quibus in viduitate erat, *& imposuit mitrā super caput suum, & induit se vestimentis iucūditatis suæ, &c.* Et post deiectū Holofernem, statim ad luctus domū, & vestes rediuit dicente textu cap. 16. *Mānsit autem in domo viri sui, &c.* Et quando in pretiosis vestibus præliatura processi, cur post victoriā ad vestes sordidas confugit? Cur non potius mansit in illis, in quibus pugnauit? Plane ad sordidas post victoriā redijt, vt quæ sciret, non à preciosis, sed à sordidis vestibus victoriā veniisse. Illarū sordentiū vestiū virtus fuit, quæ debellauit inimicū. Quo spectās D. Hieron. epist. ad Fur. ait: *Vincit virosfamina, & castitas truncat libidinē, habituq; repente mutato adultrices sordes redit, omnibus sæculi cultibus mundiores.* Expēde illud: *Ad victrices sordes redit*: quippe nō prætiosę assumptę vestes, sed quæ sordidæ antē induebātur, hæ debellarunt hostē, & victoriā valuerunt acquirere. Vnde valde notandum est habitus, subquo noster princeps Iesus cū aereis potestatibus conflixit. Dicit namque Ioan. 19. *Plectentes coronā de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eū.* Vestē accipit purpureā, sed quæ vetus, & sordida in angulo domus iaceret, quæ non honorē faceret sed ludibriū. Et quid illa veste factū est? Ait D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 251. *Ludubrio vestis de terreno imperio tāquā aere ludicra triūphauit: verū domino imposita robur, ac vires contraxit, atque ad imperiū à successione liberum progressa est.* Sic Sordida illa vestis omnia superabat. Quā quia pauci amāt, ideo pauci victores euadunt. Angelus pastoribus clamabat Luc. 2. *Natus est vobis hodie saluator, qui est Christus domini in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutam.* Ecce vobis triūphatoris ducis signū ponitur in vilibus pannis, quibus inuoluebatur. Quod notans D. Ber. hom. 4. de Nat, ait: *Neque enim sine certa ratione mysterij pannis saluator obuoluitur, & ponitur in præsepio, quando id manifestè in signum nobis cōmendatur ab Angelo, Hoc, inquit, vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum. In signum positi sunt panni tui domine Iesu, sed in signum cui à multis vsque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, sed nō multi electi, & ideo nec signati.* Vtinam multi sub his panorum vilium signis militarēt, & â nobili Iesu imperatore ducerentur in palmam.

Zachar.

D. Bern.

Iudith.

D. Hier.

Ioan. 19.

Pelus.

Luc. 2.

D. Ber.

§. XIIII.

Pro Christi conuiuio quodlibet terrenarum rerum dispendium vorandum.

VT serui iniquam accusationem, & bonorum suorū iacturam sustineat bonus Miphiboseth, hoc sibi ob oculos ponebat, quod Dauidis conuiua fuerit factus. Ait enim: *Accusauit me seruus tuum adte*

ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, sicut Angelus Dei es, fac, quod placitum est tibi. Neque enim fuit domus patris mei nisi mortis obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iustæ querelæ? Vbi se mensæ regiæ conuiuam factum meminit, facile sustinet, quod etiã bonis omnibus alijs priuetur. Vtinam sic Christiani ad diuinissimum cõuiuium afficiamur, cuius facti participes, quod libet bonorũ dispendium temporalium subeamus. Dicebat Dominus Abrahæ Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi:* Et quæ terra tanto erat exilio comparanda? Si terra propria relinquẽda erat, si cognatio, & paterni fauores renuntiandi, cur pro tantorum bonorum dispendio sola illa terra mandatur? In qua terra poterit homo tot bona inuenire, quot cogitur relinquere in domo paterna, in propria patria? Cum audio pro relicta cognatione terram optimi, statim suspicor terrã illam lacte, & melle manãtẽ de qua Exod. 3. & cuius deliciæ in solo Christi conuiuio apparẽt. Et sane hoc solum conuiuiũ tantum est, quod merito debeat omnium bonorum dispendio compari. Pro quo ait Imperfect. hom. 41. in Matth. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam tibi demonstrabo. Quam terram? Terram Orientalem fluentẽ mel, & lac. Quod verum non est de terra illa Iudææ, quoniam illa terra nũquam fluxit lacte, & melle, sed terram rationalẽ, quam Christus suscepit: Non solum autem Iudæi, sed nullus homo potest lac, & mel manducare Christi, nisi cognationem, & terram suam reliquerit.* Sustinendum est dispendium bonorum temporalium, si velis Christi domini participare mensam. Felicissimi illi Magi, qui primi ex gentibus ad Christi pauulum inuitati sunt, Matt. 2. *Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius. & c.* Sed tanti pauuli inuentionem & patriæ ab negatione, & longi itineris labore comparauerunt. Vt dicat D. Chrysost. hom. 7. in Matth. *Et Magi nisi procul regionem propriam reliquissent, nequaquam vtique Christũ videre potuissent. Recedamus igitur à terrenis negotijs, atque curis. Etenim Magi illi cum adhuc morarentur in Perside stellam videre tantummodo: quia vero à Perside recesserunt, solem ipsum aspexere iustitiæ.* Ab negatione patriæ, paternæque domus Sole Christo frui potuerunt.

Genes. 12

Imperfec.

Matt. 2.

D. Chrys.

§. XV.

Mundialium potentum est in eos, sæuire in quos facilius possunt.

QVi in Semei, & in multis alijs adeo blandus extitit, in vnum Miphibosethum innocentem nimis fuit seuerus. Dicit enim illi Dauid: *Quid vltra loqueris? Fixum est, quod locutus sum: tu & Siba dividite possessiones.* Fuerat Semei Dauidi cõtumelios us, Amasa cõtrarius, Israelitæ rebelles, Siba falsus delator; vnus Miphibosethus fidelis extitit, & quãdo Dauid omnibus illis parcit, in vnum Miphibosethum, quem iam innocentem nouerat, seuerus est, eum priuans medietate bonorum. Et cur, qui in illos blandus, in hunc adeo fuit crudelis? Erat Miphibosethus infirmior omnibus, vt pote claudus, & inutilis: & hoc est potentium mundialium ingenium, quod in illos sæuiãt, in quos facilius possunt. Sic dicebat Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 14. mundi potentes traducẽs: *Quotquot enim in eorum gratiam plurimos labores exhauriunt, eos primum euehunt, deinde iam honoratos per inuidiam non solum dignitatibus priuant, sed per calumniam etiam sæpe opprimunt, non considerantes quam merito, tantumque temerarijs delationibus absque vlla probatione fidem adhibentes; & sæuiunt non in quos oportet, sed in quos ipsis sæuire est facile.* Quid horum defuit in hoc Dauidis facinore contra Miphibosethi? Ob memoriam acceptorum beneficiorum à Ionatha illum Dauid euexit, bonis cumulauit; sed modo temerarijs delationibus serui, absq; vlla probatione factis fidem habens bonis eum spoliat, & noscens eius innocentiam in spoliatione perseuerat, sæuiens non in quem oportebat, sed in quem illi sæuire facile erat, nimirum inclaudum, & despectum. Sic apud Dauidem & falsarij, & nocẽtissimi habuerunt in hoc tempore veniam, vnus miphibosethus seueritatem fuit expertus.

Ioseph.

§. XVI.

Non qui Christum perdunt, sed qui Christum habent, omnia in illo habent.

PVlchra est illa sententia miphibosethi dicentis ad Dauidem: *Etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est dominus meus rex pacifice in domum suum.* Sic se ostendit renuntiare omnibus bonis, dum habeat incolumem regem: quasi in regis incolumitate sola sibi omnia sufficientia manere credat. Quem affectum Miphibosetho inuideo erga meũ diuinissimum Iesum regem, vt dum illum mihi in columẽ seruent, facile omnibus alijs bonis renuntiem. Quod bonum in solo Iesu non habeant? Dicebant Iudæi Ioann. 11. *Si hunc dimittimus sic, venient Romani, tollent locum nostrum, & gentem.* Putabant necessum esse Iesum perdi, ne bona temporalia perderentur, sed ea omnia perdita hodie lugent, quia vnum Iesum perdiderunt, in quo solo omnia habentur. Pro quo ait D. Augustin. in Psalm. 53. *O stultitia, & imprudentia! Timuisti perdere terram; & perdidisti cælum; timuisti, ne venirent Romani, & tollerent tibi locum, & gentem, nunquid tollerent Deum? Quid ergo restat? Quid nisi, vt iam fatearis, quia tenere voluisti, & tenendo male amisisti? Perdidisti enim locum, & gentem occidendo Christũ; perdidisti & locum, & gentem, & Christum.* Omnia sane perdiderunt, qui Christum perdiderunt, cum quo solo superstite, & incolumi omnia tenerent. Is est enim Deus meus, qui si habeatur, nihil restet ab alio petendum. Hinc pro nobis natus, statim maturo tempore circumciditur, dicente D. Luc. 2. *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, &c.* Dabatur pueris circumcisio ad tollendum peccatum originale; diuinissimus autem puer, vt omnis peccati erat expers, sic non egebat circuncisione. Cur ergo circumcisionem sustinere maluit? Promissus erat mundo Christus, qui legem adimpleret tanquam principium, finis legis, in quo nobis omnia bona darentur, Ideo circuncidi maluit Iesus, vt in adimpletione legis verus Christus domini obstenderetur, & sic omnia in se haberò, & cum adesse velit, nil ab alio salutare requiremus. Ait D. Zeno serm. de Circumcis. Cur ipse quoque signaculum carnis accepit, si ei necessarium non fuit? Huius propositionis quæ sit ratio accipite. *Igitur qui venerat hominem viuificare per hominem necesse habuit, ne phantasma putaretur, edicta legis vniuersa complere: non enim aut finis legis, aut verus Christus esse potuisset, si aliquid prætermitteret, quod ab alio salutis hominum præstari potuisset.* Equidem vt omnia implebat legis Iesus, sic in se omnia bona nobis afferre ostendebat, quo verus esse Christus patebat. In solo enim Christo omnia nobis sunt, vt nihil amplius ab alio requirere possemus. Vt dicat Samaritana Ioann. 4. *Scio, quòd venit Messias, qui dicitur Christus. Cum autem ille venerit, annuntiabit nobis omnia.* Sic mulier omnia sibi in Christo ventura sperabat. Hinc post Iesum agnitum ibi. *Reliquit ergo mulier hydriam suam, abijt in ciuitatem, &c.* Sic mulier ex colloquio Iesu reliquit hydriam suam, vt in ciuitatem iret rem annuntiatura. Quo dum peruenio non possum non meminisse Rebeccæ, quæ Gen. 24. veniens ad fontem cum hydria vbi inuenit seruũ Abrahami, cuius camelos inclinatà hydria potauit, & ex eius collo quio docta cognatos suos, abit ad matrẽ. Dicit namq; textus: *Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domũ matris suæ, &c.* Cõpone modo fœminã, & fœminã. Vtraque venit ad fontẽ cum hydria; vtraque cum viro ignoto colloquitur, vtraque post notum virum currit ad ciuitatem. Sed Samaritana sic currit, vt notetur hydriam suam reliquisse, cum ait: reliquit mulier hydriam suam; Rebecca autem minime dicitur reliquisse hydriam. Et cur Rebecca non reliquit hydriam, quod fecit Samaritana? Rebecca nacta fuerat seruulum Abrahæ, & ideo necessarij adhuc officij sui non obliuiscitur, quo prouidebat familiæ suæ aquam ex fonte. Samaritana nacta fuerat verum Christum, & intimo animo potauerat de fontibus saluatoris, quo facile obliuiscitur omne bonum temparale, & hydriam abijcit, sciens sibi omnia in vno Christo abundare. Ait D. Origin. in cap. 4. Ioann. *Hydriam apud eum, qui melior, & præstantior est, deponit cum aquam accepisset qua iam in ea principium aquæ salien-*

Ioan. 11.

D. Aug.

D. Luc. 2

D. Zeno.

Ioann. 4.

Genes. 24.

salientis in vitam extitit. Quomodo enim hac aqua non accepta, benigne Christū ciuibus suis prædicasset, nisi particeps facta esset aquæ perpetuo salutaris? Rebecca autem, quæ etiam hæc meris hydriam sustinebat, ante quam finem dicendi faceret puer Abraham, proficiscebatur, quæ quoniam non eodem modo hauriebat, quo Samaritana, ad fontem descendit, implet quæ hydriam, &c. Ecce tibi, quæ de fontibus saluatoris biberat, non meminit amplius hydriæ suæ, non à fonte creato expectat amplius aquam. Illa sola haurit aquā ex fonte, & hydriam resumit, qui nihil de Christi fonte gustauerat.

§. XVII.

Principes caueant sibi à ministris potentibus.

ANte quam à Miphiboseth discedā, non possum non verba eius ponderare, quibus Sibæ nequitiam erga se explicabat dicens: *Seruus meus contempsit me, &c.* Quibus maxime ostenditur, quo perueniant audaciæ principum famuli, vbi totius rei permittitur illis clauus. Equidem Miphiboseth nepos erat Saulis regis; cui propter corporis infirmitatem datus est illi Siba famulus, penes quem esset tota domus administratio. Is vbi omnia suo nutu vidit gubernari, sic se super ipsum dominum extulit, quasi ipse omnia teneret, & dominum nihili faceret. Sic supra 2. Reg. 3. dit: *Abner filius Ner regebat domum Saul.* Vbi Septuag. legunt: *Abner erat tenens domum Saul.* Isboseth namque Saulis filius, & rex Israelis factus post patrem, sic se commisserat Abnero, vt hic omnia pacis, bellique negotia administraret, & suo nutu regeret. Quid inde? *Abner erat tenens domum Saul*; non ipse seruire regi videbatur, sed & regem, & Regiam tenere, vt cui vellet, daret. Nonne hoc communissimum fuit in magnorum etiam regum famulis? Accipite Paullum Diaconū lib. 6 de gest. Longabar. cap. 1. fantem. *Hoc tempore apud Gallias Francorum regibus à solita fortitudine, & scientia degenerantibus, qui maiores domus regalis erant, administrare regis potentiam cæperunt.* Non magnum hoc videbatur fortasse; accipe maius aliud; dicit enim Eiginnartus Cancellarius Caroli magni apud Cerdam in aduersar. cap. 177. num. 11. *Opes, & potentia regni penes Palatij Præfectos omnino manebant, neque aliud regi relinquebatur, quam myrrata profusaque cæsaries, & precarium vitæ stipendium, paucaque numerositatis obsequium, quod eiis Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat.* Sed & illud maximum omnium est apud Godfridum Viterbiensem par. 16. Chron. vbi ait: *Dum illi Magistri Palatij omnia Reipub. munera obirent, & si quod gerendum esset bellum exercitibus præessent; hi domi inuido, atque inani regum nomine contenti propter desidiam in odio viuebant, tandemque eo progressa res est, vt Childerico rege 18. regnum obtinente, Pepinus magister Palatij, qui regis nomine magna, diuturnaque bella gesserat, Saxones deuicerat, oblatum regij nominis, occupandique regnum facultatem non repudiauerit.* Hæc passi sunt reges Franciæ à famulis, quibus regni clauum commiserant. Et raro Palatini Præfecti fideles sui principibus agnoscebantur. Quo spectans Nazian. orat. 32. ait: *Valete Imperatores, & palatia, atque omnes Imperatoris famuli, & cubicularij: siquidem Imperatori fideles, haud quaquam certum habeo: Deo autem magna ex parte in fidi.* Sic ibi, & qui in fidi sunt Deo, cur fidi principibus suis credantur.

Godfridus.

Nazian.

2. Reg. 3.

Leng. c. 1.

2. *Reg.* 19. Bercellai quoque Galaadites descendēs de Rogelim traduxit regem Iordanem paratus etiam vltra fluuium prosequi eum. Erat autem Bercellai Galaadites senex valde, idest, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi cum moraretur in castris, fuit quippe vir diues nimis. Dixitque rex ad Bercellai, veni mecum, vt requiescas securus mecum in in Ierusalem. Dixitque Bercellai ad regem. Quot sunt dies, &c.

§. VIII.

Bona temporalia gratiùs in eo sunt, qui illa egentibus largitur.

QVAM meritò Bercellai diuitiæ erant, de quo ait textus: *Erat autem Bercellai Galaadites senex valide, id est, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris: fuit quippe vir dives nimis.* Merito diuitijs abundabat senex, qui sic illas egentibus communicabat. Credite mihi, in talibus gratissime hærent bona temporalia, cum vel ê manibus labantur illis, qui duri sunt ad præstandum. Ioan. 4. venit mulier Samaritana haurire aquam, à qua cum Iesus potum peteret, mille illa obiecit difficultates, quorum occasione in largum colloquium venit cum Iesu, post quod agnoscens filium Dei reliquit hydriam, & abijt ad ciuitatem. Sic enim dicit: *Reliquit ergo mulier hydriam suam & abyt, &c.* Sed & Rebecca venit etiam ad fontem haurire aquam; a qua potum petiuit seruus Abrahæ Gen. 24. Illa autem quam promtissime hydriam aquæ plenam petenti inclinauit, quin & camelis eius aqua satiauit. Et post satiatos omnes retulit hydriam plenã aquæ domũ. Samaritana sine hydria auit, hæc cum hydria, Et cur hæc cum hydria? Non miror, quod secũ habeat semper hydriam plenam, quæ illam adeo prompte communicabat; deseret namque Samaritanam hydria, cuius aqua vel Iesu sitienti negabatur. Ait Orig. in cap. 4. Ioan. *Rebecca properans in brachium hydriam sumpsit, eique potum dedit, quod bibere desijt. Quoniam ergo Rebeccæ hydria laude digna erat, ab ea non relinquitur, illa autẽ Samaritanæ relinquitur cum sexta hora esset.* Elabitur equidem è manibus hydria, quæ negatur sitienti; illa autem, quæ prompta cõmunicatur, nescit non esse, & manere cum tam prompto, & laudabili largitore, Matth. 25. *Qui quinque talenta acceperat, operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodet in terram, & abscondit pecunias domini sui.* Vbi autem ratio reddenda fuit, qui talenta sua dederant ad vxuras, illa multiplicata retinent; qui non dederat, sed seruauerat, illi talentum eripitur dicente domino: *Tollite itaque ab eo talentum, &c.* Et cur illis duplicantur talenta, hic autem perdit suum? Ait D. Alcimus lib. ad Sororem.

Ioann. 4.

Orig.

Matt. 25

------- *Pars auget, & altera sumptas*
Imminuit retinens, quas sola eleemosina seruat.

Equidem largitio sola est, quæ auget, & retinet diuitias; qui negat egenti, tandem omnem substantiam amittet. Dictum est Iobo cap. 1. *Ignis de cælo cecidit, & tactas oues puerosque consumpsit.* Et Iob hæc audiẽs tacebat. Cur bone non magis clamas ad Deum? Vides oues illas comburi, quarum lanis vestiebaris, & non ingemiscis? Non ingemiscit, nec clamat, quia pro certo habebat non perituras sibi illas oues, quarũ lanis se induerat, & pauperes. Ait D. Chrysost. hom. 3. in Iob: *Si ego solus indutus essem iuste dolerent, sic autem pauperes induebantur, nun quid poterit Deus pauperes despicere? Noui, quoniam in sacrificium suscepit, reddet centumplum, nõ enim ex iniquitate parta sunt iumenta, neque enim per auaritiam oues acquisiui,* Sapienter non sibi eripiendas putabat oues, quæ simul egentibus vestiendis seruiebant.

D. Chrys.

§. XIX.

Non apud Regias mundiales, sed apud Christum bene habent senes.

SApienter Bercellai senium suum pretẽdit, vt fugiat Dauidis Regiã; ait enim: *Quot sunt dies vitæ meæ, vt ascendam cũ rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie: nunquid vigent sensus mei, ad discernendum suaue, aut amarum? Aut delectare potest seruum tuum cibus, aut potus? Vel audire possum vltra vocem cantorum, & cantatricũ?* Sic bonus senex discurrens per singulas Regiarum delicias, nihil vtilitatis in eis, aut delectationis inuenit. Et merito, senes enim, qui vere senes sunt, in solo Christo inueniunt, quo magis vigere, & vitam protendere possint. Senex ille sanctissimus Luc. 2. vbi ingressus templum vidit infantulũ Iesum in Mariæ vlnis, statim canere cæpit illud: *Nunc dimittis seruum tuum domine, &c.* Senex Bercellai se ineptum dicebat ad audiendam vocem cantorum in Dauidis Regia: Senex autem Simeon & ipse cãtica facit, & illa canit in tẽplo domino. Et vnde senex sic canere potest, quando se-

Luc. 2.

res

nes alij nec possunt audire cantores? Viderat puerulũ Iesum, de cuius halitu inepta senectutem exuit, induitque nouum, & iuuenilem vigorẽ. Ait D. Aug. in Psal. 39. *Simon agnouit infantem in manibus matris, in templo, & dixit. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Agnouit infantem senex, factus in puero puer, innouatus filo.* Sic senissimus homo in Christo innouatur, iuuenilisque annorum vigorem accipit. Dicebat Paul. ad Rom. cap. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est.* Ex quo D. Augustinus colligit omne senium humanum renouatum. Ait enim in Psal. 70. *Vt ait Apostolus, vetus homo noster simul crucifixus est cum illo. Si ibi erat vetus homo noster, senectus ibi erat, quia vetus senectus: tamen quia verum est; Renouabitur sicut aquila iuuentus tua; resurrexit ipse die tertio, promisit resurrectionem finito sæculo.* Ex quo vetusti hominis senium fuit cum Christo in cruce, eum inde halitum hausit, quo vniuersi renouemur, & nouam accipiamus spiritum vitæ. Senissimo Abrahæ promittebatur à Deo filius, cui promissioni senex annuebat, cuius fidem in hoc ponderans Paulus ad Rom. 4. ait: *Nec consideranit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum.* Merito Apostolus reputat in tam prolixa senectute centum annorum mortuum esse Abrahæ corpus, & naturaliter generationi ineptum. Sed post natum hunc filium, & adultum, & mortuam Saram dicit Gen. 25. *Abraham vero aliam duxit vxorem nomine Cethuram, quæ peperit ei Zamram, &c.* Ante Isaac natiuitatem iam erat Abrahæ corpus ad generationem emortuum; & post multos alios annos, nouam sponsam Cethurã ducit Abraham, ex qua sibi facit filios. Vnde sic renouari Abrahamus potuit? Indigitat Orig. hom. 11. in Genes. fatus: *Cethura, quam nunc senex Abraham sortitur in matrimonium, interpretatur, bonus odor. Et ipse enim dicebat, sicut Paulus dixit, Quia Christi bonus odor sumus.* Vbi enim in Cethura adumbratur bonus odor Christi non mirer, si de eius vicinitate senex reuiuiscat, nouamque induat iuuentutem. Hinc trahe dicta supra lib. 8. cap. 3. §. 12.

D. Aug. Pauli. D. Aug. D. Aug. Genes. 25 Origen.

2. Reg. 19. Itaque omnes viri Israel concurrẽtes ad regem dixerunt ei, Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo? Et respondit omnis vir Iuda ad viuos Israel, quia mihi propior est rex, &c.

§. XX.

In sola Christi schola inueniuntur viri, qui alijs primas cedant, vt eos principi acquirant.

DVm tribum Iuda, & tribus Israelis dĩ gladiantes video, pro deducendo rege Dauide non possum non ridere vilem mortalium affectum in suos mundiales principes. Deduxerunt Iudæi regem non monitis Israelitis, quod ægre ferentes Israelitæ, aduolant ad regem dicẽtes: *Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo?* Et post iniuriæ rationes hic inde agitatas, sic: *Durius que responderunt viri Iuda viris Israel.* Sic vnusquisque acriter pugnabat, ne alter videretur esse primus debuisse erga regem suum, quo cæpit nouiter pereclitari regis fortuna. Et quando mundialium principium fortuna non periclitatur, ex eo quod eorum ministri nolunt mutuo sibi cedere in muneribus administrandis? Hoc euidentissimum eR, quod in sola Christi schola tales ministri iuuenientur, qui sciant primas cedere, vt principi suo lucrentur alios. Dei Spõsa dicebat Cantic. 5. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt annũtietis ei, quia amore langueo.* Sic bona curabat, vt aliæ adirent sponsum prius, & illi suum amorem nuntiarent. Cur non magis ipsa prima aduolat, & perse suum affectum monstrabat? Ioann. 21. dicebat Petrus: *Tu scis domine*

Cant. 5. Ioan. 21.

mine, quia amo te. Non alios præmittit, qui nuntient, cur sponsa se ab alijs præueniri amat in affectu circa sponsum nuntiãdo? Vt validum, & verum amorem erga sponsum ipsa habebat, sic libenter patiebatur, quod alij prius accederent, dum & ipsi similiter sponsum amarent. Ait Ruper. ibi, *Tu dilecta tam prudens, tamq; fidelis per te met ipsam absque internũtys dicere poteras dilecto, tu scis, quia o amore lãgueo. Quorsũ ergo tendit hæc adiuratio? Eo nimirum, vt percussa percutiat, vulnerata vulneret; vt audientes filiæ, vel sentientes in matre tantum vitæ futuræ desiderium, præsentiant, & ipsa talem esse dilectum, vt iure propter illum fastidiat quilibet præsens hoc sæculũ.* Sic non dubitat bona præmittere alias, quæ ante se sponsum adeant, dũ ipsæ spõso acquirantur. Quis hoc pateretur è mundialibus in mundialibus? Profecto soli in Christo inueniuntur, qui posponi ament, dum sint cum Christo alij. Paul. 1. ad Corint. 1. *Vnusquisque vestrum dicit; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis*. Cum resesset circa Cephas, & Appollo, & Paulum; Paulus in primis curat suam authoritatem extenuare, & ostendere rationes, vt ipse non debeat tanti æstimari. Et cur sic se dimittere curat Paulus? Sane, vt magis cæteros sui principi Christo arctaret. Ait D. Anselm. ibi: *Modeste, & humiliter sanctus Apostolus zelans Ecclesiam, sed sponso, non sibi, & horrans eos, qui voluerunt dicere, ego sum Pauli, ego Appollo, ego Cephæ suam personam potius assumpsit, quam calcaret, & contemneret, vt Christum glorificaret. Repulit à se, sed vt mitteret ad Christum.* Vt verus Christi amator, & minister erat, noluit belligerare de proprio honore cum alijs, sed maluit se calcare, & contemnere, vt Christo cæteros adderet. Qui sanguinem, & vitam pro principe mundiali profundant, multi ministri inuenti sunt, qui honorem cedant, & primas, non inuenti sunt vsque ad adhuc. Sed dum pro primatu suo quisque belligerat, non raro principis status periclitatur. In sola Christi militia inuenio, qui ament alijs cedere, vt Christo illos adiungant.

CAPVT XXXI.

Sebæ rebellio in Dauid.

Textus Historia.

DVM Iudæi, Israelitæ verbis pugnant; vnus de Israelitis nomine Seba, filius Bochri buccinæ sonitu omnes Israelitas acuit in Dauidem. Qui sola iudæ tribu stipatus Ierosolymam ingreditur, vbi Regia prudenter composita; Amasam vocat, & iubet, vt coacta ingẽti militum manu, tertia die coram asistat. Plus solito morabatur Amasa; solicitus Dauid, ne malum mora ingrauescere, Abisai mittit, qui quam primum rebellium animos confringat. Is egressus, & Ioab, Cerethi, Phelethique festinato progrediebantur; & ecce apparet Amasa valido exercitu cinctus, quem Ioab quasi amicum, & propinquum osculaturus, misere gladio transfodit. Eu facinus ab ambitione profectũ, & inuidia! Iacebat nobilis dux exanimis in via; in quo multi ediscebant ambitionis discrimina, militaresq; acies nõ parum heberabãtur, videntes pro quã fragili gloria pugnatum ibant. Necessum fuit inde amoueri cadauer, & in vicinum agrum deductum pallio operiri, ne militares copiæ subsisterent, sed magis ad rebellium vindictam currerent. Ventum est in ciuitatem Abela, quo se receperat Seba filius Bocri; quam vsque tunc cantatissimam propter prudentiam ciuium, funditus euerteret Ioab, nisi cultissimæ fœminæ verbis persuasus tantisper expectaret, dum ipsi ciues se se de rebelli vindicant. Abscinditur miseri caput, quod de iectum de muro obsidionem soluit, incruentamque victoriam dedit Dauidi.

(?)

PARS MORALIS in text. literam.

AMASA & Seba occiduntur, fidelis ille, hic infidus, in mundiali enim rota pariter conculcari solent & iusti, & iniusti.

2. *Reg.* 20. Accidit quoque vt ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Brochri, vir Iemineus: & cecinit buccina, & ait; non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai, reuertere in tabernacula tua Israel Et separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri; filij autem Iuda adhæserunt regi suo à Iordane vsq; Ierusalem. Cumque venisset rex in domum suam, &c.

§. I.

Parcialitas principis nunquã non ruinam parit.

ECce tibi ad vnius tubæ sonitum vndecim tribus Israel regem suum Dauidem deserunt; ait enim de Seba: *Cecinit buccina, & ait; Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai reuertere in tabernacula tua Israel. Et separatus est omnis Israel à Dauid.* In horæ puncto perdidit Dauid totum Israel. Et vnde tanta ruina tam breui spatio potuit dimanari? Aiebat ipse illius author. *Non est nobis pars in Dauid*: quasi diceret; Dauid totus factus est à parte Iudæ, quod notabat Abbul. in cap. 19. quæst. 39. ipse enim solicitauerat tribum Iuda, vt veniret prior, quam Israel; ipse Israelitas sese inuitantes non expectauit, sed cum solis Iudæis transiuit Iordanem; ipse Israelitarum querellas in tribuum Iuda non curauit, sed in omnibus pro cognationis suæ tribu stetit. Qui ergo sic se totum in vnam cognationis partem inclinauit, qui sic partiarius extitit, non miror, quod magnã iacturã faciat. Ionæ c. 1. nauigabat Ionas in mari fugiẽs à Domino; *Dominꝰ autẽ misit ventũ magnũ in mare & facta est tẽpestas magna, & nauis periclitabatur conteri. Et timuerunt nautæ, & dãnauerũt, &c.* Adeo nautæ consternati sunt hac tẽpestate, vt prorsus euasionẽ desperarẽt, & ea remedijs adhibendis desisterent, vni fidentes diuinæ potestati: Ethnici erant, & ad sortes mittendas currunt. Sed quid sors ad tempestatem? Cur non magis instant vsitatis alijs remedijs? Rẽ pulchre attigit D. Basil. Sel. orat. 12. *Vbi verosalutem desperauit ars, spei que fecerunt ante naufragiam, quam nauis, sorte quærunt obortæ tẽpestatis authorem. Quis his? Mare iactatur, & sortem in medio nominas? Pro anchora sortem esse putasti? Quid igitur hinc discemus? Quod partiaria fuerit maris fluctuatio: quodque procella hanc vnam versaret nauem; & quod alys pacatum mare aduersus hos dimicaret armaretur; nec non, quod alios placide transmitteret, cum his vero concurreret tempestas fugacem inuestigaret.* Quid pulchrius? Expende illa: *Quod partiaria fuerit maris fluctuatio*; quippe videbatur tempestas in hanc vnam Ionæ nauim dura; in alias omnes blanda, & suauis; & dum cæteræ omnes naues tranquille nauigare cernuntur, vnaque nauis Ionæ ostenditur ventis quati, in tanta maris partialitate, merito colligitur deplorata Ionæ nauis. Quando enim partialitas iacturas in gentes non parturis? Christiani regni augmentum ostendens Dan. 2. ait: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam :: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implenit vniuersam terram.* Non enim partẽ impleuit, & partẽ vacuã reliquit, quod facit partiarius animus, sed vnĩ uersam pariter impleuit. Ex quo durationẽ Catholicæ Ecclesiæ, & ruinã certãHæreticorũ colligit D. Aug. fatus in Psal. 98. *In ipso monte magno adoremus, si exaudire volumus Hæretici non adorant in isto mõte, quia mons iste impleuit vniuersam faciẽ terræ; hæserũt in parte, & totũ amiserunt.* Plane hoc cõmunissimũ est omnibus partialibus viris; *hæserunt in parte, & totũ amiserũt.* Cũ enim res humanæ nunquam in eodẽ statu cõsistãt, sed notatu agantur volubili, & modo in hãc, modo in illã partẽ inclinẽt. Necessũ est, vt qui in vna hærẽt parte, aliquãdo totũ amittãt. Hinc stabilitatẽ fidei probabat D. Aug. cõcion. cõtra Iudæos, Pagan. & Arrian. inquiens: *Apud Catholicam fidem dilectissimi noueritis tantum esse veram fidem, germanam pacem, perpetuam salutem. Non enim in angulo est, sed vbique tota*

Ionæ.

D. Basil.

Dan. 2.

D. Aug.

D. Aug.

est. Quæ non in parte hæret, sed vbique, & ab omnibus æqualiter tota inuenitur, non miror, quod germanam pacem, & perpetuam pariat salutem. Bella namque, & ruinæ à partialitate parturiuntur.

§. II.

Fœminarum castitas à multa irradiat custodia.

2. Reg. 16. REgiam Dauid ingressus concubinas illas inuenit suas, quas filius Absalõ strupauerat. 2. Reg. 16. Has domi cõcludi mandat. Sic enim dicit: *Tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domũ, & tradidit in custodiã, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad eas; sed erant clausæ vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes:* nimirũ, vt explicat Carthus. *in continentia viduali.* Quæ vidualis cõtinẽtia, & castitas nullo melius probatur, quam illis antecedentibus verbis, videlicet: *Et erant clausæ:* Non enim nisi à multa custodia, & occultatione sui constat castitas fœminarum. Tres angeli sub trium virorum specie intrarunt tabernaculũ Abrahæ, mensæ accumbũt, & post prandium filium seni promittunt. In super Gen. 18. Gene. 18 *Dixerunt ad Abraham: Vbi est Sara vxor tua?* Sciebant equidem â Sara paratum fuisse prandium, quod comederant, & ideo non potuisse illam non esse intra tabernaculũ: Cur ergo interrogant de illa, vbi sit? vt sic ostenderẽt, & comendarent maxime Saræ castitatem; quæ etiam dum fouit hospites, sic clausa erat domi, vt nullis appareret viris. Ait D. Epiphan. in Ancorato: D. Ephi. *Vbi vxor tua est, dixit ad Abraham, qui venit de supernis cũ duobus angelis. Si enim ignorasset, vbi esset, non dixisset: Risit Sara, quæ intus est, sed vult, sic ostendere eius castitatẽ, quæ exemplum est eorum, quæ pietatem exercere volunt: quo vbi suscepérint peregrinos, pro pryis quidem laboribus inseruiant, verum propter verecundiam, & castitatem faciem suam viris non ostendant.* Expende illa: *Sed vult sic ostendere eius castitatem, &c.* Quippe fœminæ castitas in eo maxima ostenditur, quod sic domi claudatur, vt penitus vultus eius ignoretur ab ipsis illis, quibus ipsa benefaciat. Nunquam veram, & puram castitatem non comitatur absconsio, & operimentum, Iesus Naue quondam virgineæ castitatis exemplar moritur aliquãdo, de quo dicit Iosue ca. 24. *Mortuus est Iosue filius Nun seruus Dei centum decẽ annorum; sepelierunt que eum in finibus possessionis suæ in Thamnath Sare.* Nomen autem Thamnath, Sare significat *numerũ operimẽti noui.* Et quid est, quod locus sepulturæ Iosue dicatur operimentum nouum? Nonne omnibus hominibus operimentum est sepulchrum, quo claudimur, & operimur? Cur Iosue dicitur fuisse operimentum nouum? Dum dicit nouum aliud, videtur præsupponere operimentum antiquũ; vt enim Iosue ostendebat statum puritatis virgineæ, sic semper clausus, & opertus præsupponebatur, vt sepulchrum illi non operculum traheret, sed nouum operculum, vt in vita, & in morte conclusio comitetur specialis, & custodia statum virgineum. Tantum non dixit hoc D. Hier. lib. 1. in Iouinian. fatus: *Ostende mihi Iesum Naue vel vxorem habuisse, vel filios, & si potueris monstrare, victum me esse fatebor. Et certe pulcherrimum terræ Iudææ in partitione accepit locum :: Sepeliturque in Thamnath Sareth, id est in perfectissimo principatu, siue in numero operimenti noui: vt virginum significaret greges, Saluatoris auxilio coopertas in monte Ephraim.* Vbi cumque pura, & vera castitas debet florere, numquam non inuenitur, & conclusio, & velamen, & operculum. Quo spectans Tertul. lib. de velan. Virg. ait, *Vera, & tota pura virginitas nihil magis timet, quam semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeũ, qui bonum suum protegat aduersus illius tentationem, aduersus suspitiones, & susurros, & æmulationem, ipsum quoque liborem.* Sic ibi:

D. Hier. Tertul.

2. *Reg.* 20. Dixit autem rex Amasæ: Cõuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adesto præsens. Abijt ergo Amasa, vt conuocaret Iudam, & moratus est extra placitum, quod ei constitutum erat. Ait autẽ Dauid ad Abisai: Num magis afflicturus est nos Seba filius Brachi, quam Absalõ, tolle igitur seruos domini tui, & persequere eũ, &c.

§. III.

Reincidentia grauior.

IN retanti momenti non Ioab, sed Amasæ mandatur exercitus congregari: *Dixit autem rex Amasæ: Conuoca mihi omnes viros, &c.* Et quidem Ioab nunquã nõ fidissimus in Dauid fuit, multis se pro illo discriminibus deuouerat, multos hostes contriuerat, clarissimas semper victorias reportarat. Quid si aliqua commisit facinora; etiam Amasa à parte Absalon extitit contra ipsum Dauidem. Cur ergo Ioab dimisso, Amasa eligitur in principem militiæ? Fateor Amasam in Dauidẽ peccasse; sed peccauit semel, & cum maiori parte totius regni; Ioab autem non semel in Dauidem durus extitit, Abnerem proditorie interfecerat, & postea contra regis expressum imperium, nulla necessitate coactus Absalonem miserrime confecit. Ne miremur, quod à Dauide seuerius puniatur, qui toties in facinora aperta currebat. De Dei enim spiritu venit, quod citius puniãtur, qui sæpus in eadem crimina veniunt. Matth. 8. clamabant ad Iesum dæmonia. *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorũ.* Matt. 8. *Ait illis, ite. At illi exeuntes abierũt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.* Et cur dominus Iesus, cuius lenissimi spiritus erat nec calamum quassatum confringere, nunc tot ista animalia perdidit? Rem attigit D. Gaudent. tract. de Machabæis fatus: *Sues semper immundi sunt, & de fonte, vel defluuio exeuntes, iterum voluuntur in cœnum, neque vnquam intuentur cælum, sed prono semper ad terram capite ventri deseruiunt. Idcirco dominus legionem dæmonum in gregem permisit ire porcorum. Idem in eorum gregem, qui tantum ventris sunt animalia, qui nunquam cælestia intuentur, sed immunditijs semper diditi, & cœno inuoluti sunt vitiorum.* D. Gaud. Expende illa: *De fluuio exeuntes iterum voluntur in cœnum, &c.* Hæc est exosissima Deo conditio, quæ nesciat persistere in mundicie, sed à fluuio in cœnum currat. Huc trahenda dicta tom. 2. in vet. test. lib. 5. cap. 25. §. 24. & tom. 3. etiam in veter. test. lib. 7. cap. 16. §. 9. & sæpe alias.

§. IIII.

Qui muneris sui legibus non obtemperat, non verus est muneris administrator, sed imago.

AVdio munus exercitus congregandi demandatum modo Amasæ, deinde Abisai, numquam Ioabo. *Dixit autẽ Rex Amasæ: Conuoca mihi, &c. Ait autem Dauid Abisai: tolle igitur seruos, &c.* Nec assentior communi doctorum existimationi putantium munus principatuum militiæ ablatum iam Ioabo, & datum Amasæ, ob Ioabi flagitia. Non assentior, inquam, huic sententiæ; quia nusquam facta est mentio talis ablationis muneris; deinde quia non erat tunc tempus, quando regnũ Israeliticum adeo erat in ancipiti, vt vel advocem Sebæ reliqueris Dauidem; & supra in morte Abneris, non ausus esset Dauid castigare Ioab, quanto minus auderet modo, vbi periculum maius, si Ioab conueniret cum Seba: Rursus, quia priuatus principatu Ioab non iret in hoc bellum, sed iuit, imo & ipse pactus est cum fœmina loquente pro ciuibus Abela. Tandem quia si Dauid illũ modo publice priuasset principatu; nõ illũ iterum à Salomone castigari mandasset proeisdẽ facinoribus, vt postea mãdauit. Et hoc tanto certius, quãto Ioab suppliciũ priuationis sine vlla cõmotione, aut rebellione tulisset, sed in Dauidẽ fidelis perseuerasset. Non ergo Dauid illum principatu priuauit, sed ex quo contra regis imperium Absalonẽ peremerat, de facto exercitiũ in principatus, alijs mãdabat, relinquẽs hominẽ in principatu, sed sine exercicio, vt videretur nõ tã princeps militiæ, quã talis principatus imago. Cõdigna satis pœna illius, qui regis legib⁹ & præceptis minime paruit. Qui enim talis est, non videtur habere munus in veritate, sed in imagine. Princeps militiæ christianæ aduersus diabolum Iesus meus, quã primum legem circuncisionis inuenit à summo Imperatore Deo latam, impleuit. Luc. c. 2. Ait enim Luc. cap. 2. *Post quam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, &c.* Et quidem hæc lex Iesu minime erat necessaria; sed dura erat, & nimis austera, & aliquam videbatur inurere notam infamiæ. Cur ergo malait legem hãc implere? Ait D. Zeno Orat. de Circunci. *Neces-*

se habuit, ne phantasma putaretur, edicta legis vniuersa complere. Bonus princeps militiæ christianæ vniuersas leges, & præcepta complebat, ne videretur phantasma; ratus non haberi munus in veritate, sed in phantasmate, & imagine ab illo, qui supremi principis non seruat mandata. Hinc Deutheron. 33. ex græcis transfert
D.Amb. D. Amb. *Dute Leui veros eius, date Leui manifestos eius, date Leui sortem suffragij sui, & ueritates eius viro sancto, quem tentamerunt in tentationibus, maledixerunt super aquam contradictionis. Qui dicit patri suo, & matri suæ, non noui te, & fratres suos non cognouit, & filios suos abdicauit, hic custodit verba tua, testamentum tuum obseruabit.* Ecce verorum Leuitarum, & manifestorum, imo verorum hominum clarissimum signum, nimirum: *Hic custodit verba tua, & testamentum tuum obseruabit*; ex hoc enim censeris esse in veritate, & non in solo phantasmate id, quod appares, sit e Dei, muneris que tui legibus conformaueris. Sic D. Amb. lib. 1. officior. 50. *Illi ergo veri eius, & manifesti eius, qui nihil in*
D.Amb. *corde doli habeant, nihil fraudis occultent, sed verba eius custodiant.* Verus est in munere, & officio, qui se eius legibus amat conformare. Qui autem à legum, præceptorum ve se alienat obseruantia, phantasma quoddã est, & inane rei simulacrum.

2.*Reg.*20. Cumque illi essent iuxta lapidem grandem, quod est in Galaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & de super accinctus gladio dependente vsque ad illia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. Dixit itaque Ioab ad Amasam: salue frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum: Porro Amasa non obseruauit gladuim, &c.

§. V.

Maxime commouet præstantes viros, quod inferioris pretij homò pluris æstimetur, à principe.

STupeo nobilis ducis facinus indignũ, quo proditorie Ioab Amasam propinquum suum occidit. Dicit namque: *Iam nuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum: & percussit eum in latere, & effudit intestina eius, &c.* Quid crudelius? Sed atrociter solent commoueri præstantes viri, vbi inferioris pretij alij prærripiunt gratiam principis. Dicebat in rem præsentem Carthusian. *Specialiter Ioab indignabatur, ac inuidebat nepoti Amasa, quod ille, qui paulo ante fuerat contra Dauid, quando ipse Ioab non sine periculo astitit ei, iam promouebatur à rege, & loco sui esset secundus post regem; & quantum ad hoc videbatur facti Ioab aliquem habere colorem, nisi tam proditorie hoc fecisset.* Carthus. Plane Amasa inferioris meriti apud Dauidem erat, vt qui in Absalonis rebellione Dauidem deseruisset, & perduelli filio adhæsisset; in quo conflictu Ioab nõ dicessit à latere Dauidis, sed illum comitatus est in discrimine, & pro illo cum paucis aduersus innumeros hostes pugnauit. Quis tantus non atrociter indignaretur videns se repente à principe postponi illi tam inferioris meriti viro? Habent hũc durissimũ, & rabidissimũ vermẽ, quo passim præstãtes viri in mũdialibus aulis corrodũtur, & impellũtur in facinora. Nota est Herodis historia ex c. 2. Matt. vbi Magos amice domi excepit, illosq; docuit locũ, vbi Christus nasceretur, & ab illis petijt, vt se moneret de puero inuẽto. Illi autẽ post inuentum puerulũ, & adoratum, in scio Herode reuersi sunt in patriam suam. Matth. Quid tunc? Ait Matth. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset à magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, &c.* Quãta hæc ira, quæ Herodẽ in tã immane facinus impulit? Tolle facinoris immanitatẽ, cui nulla potuit esse causa sufficiẽs: aitquod vehemẽtissime corroderetur Herodes in casu illo, nõ mirarer multũ. Fama erat parulũ pã perculũ inuẽtũ, & adoratũ à Magis, ob cuius salutẽ prosperandam videbat Herodes se à Magis delusum. Quare ergo non exederentur viscera eius in eo, quod puerulus pauper plus valuisset apud principes illos, quam purpura sua, & regia

officia à ſe illis exhibita? Ait Imperfectus ibi: *Merito irascebatur Herodes, qui quibus ille sedens in throno regni, & vestitus purpuras uădere non poterat, his Iesus parvulus, & iacens in præsepio, & pannis inuolutus placuit.* Quando dicit; *merito irascebatur*, non intelligit, quod iuste, & rationabiliter in illam iram prosiliret; sed ostendit ingens irarum fomentum volens etiam hominem sapientem iuxta sapientiam mundi impellere in maxima facinora. An non rabidissimum esset prestanti viro in regia fortuna; quod pauper puerulus plus illo valuisset apud Magos principes? Eu quot isto verme roduntur quotidie in theatro mundi: Ad horum saporem loquebatur parabola illa operiarorum Matth. 20. vbi post mercedem nouissimorum visam, qui primi in labore fuerunt, dum mercedem accipiunt, *Accipientes murmurabant aduersus patrem familias dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Non enim paruus erat dolor antiquorum Iudæorum videntes se à gentibus superari in gratia Christi. Ait D. Hieron. ibi. *Omnis itaque retro vocatio gentibus inuidet, & in Euangelij torquetur gratia.* Expende illud: *torquetur*; magna enim erat tortura magnatum Iudeorum, cum videbant pauperculos gētiles præ illis sublimatos in gratijs diuinis. Quæ tortura, vt maxima sic etiam glorioſos mundi affliget in die remunerationis iustorum. Ait enim de illis sapiēt. cap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperata salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & pra angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c.* Summa erit angustia mundialium principum, & clarissimorum virorum reprobatorum, cū pauperculos homuntiones videant fulgere in gloria cum Deo, se autem deijci in profundum.

Imperf.

Matt. 20.

D. Hier.

2. *Reg.* 20. Interea quidam viri cū stetissent iuxta cadauer Amasæ, de socijs Ioab, dixerūt; Ecce qui esse voluit comes Dauid pro Ioab. Amasa autē conspersus sanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidā vir, quod subsisteret omnis populus ad videndū eū, & amouit Amasam de via in agrū, operuitque eū vestimento, ne subsisterent trāseuntes. Amoto ergo illo de via transibat omnis vir sequens Ioab, &c.

§. VI.

Subditi facile rapiuntur ad facinora principis sui.

NVnquam credam Ioab amotum â militiæ principatu, præcipue cum videam eum â nemine reprehēsum in tam immani facinore, imo vniuersos illi subscripsisse. Quippe ait: *Quidam viri, cū stitissent iuxta cadauer Amasæ de Sotijs Ioab dixerunt: Ecce qui esse voluit comes Dauid pro Ioab.* Sic detestabantur defuncti audaciam. Et cum subsisterēt vniuersi videntes miserū, quidam vir, *Amouit Amasam de via in agrum*; & interea clam abat teste Catusiano, *quod iuste occisus esset; quod dolose fecisset moram redeundi ad regem vltra tempus præfixum.* Tandem amoto cadauere ipsius sanguinem calcans, *transibat omnis vir, sequens Ioab.* Sic de tanto exercitu nullus inuenitur non assensisse Ioabi facinori; quo manifeste ostenditur apud Ioab adhuc stetisse miliciæ principatum. Soli enim subditi tam facile rapi potuissent in assensum facinoris tanti. Quis enim non princeps traheret tot viros ad sustinendum tantùm facinus? Apocal. 12. dicitur de dracone â cælo cadente, *Cauda trahebat tertiam partē stellarum.* Quæ stellæ sic â dracone raptabantur? An homines, qui sicut luminaria fulgent in Ecclesia Dei? Crediderim non tanti esse dæmonem ad decipiendos, raptā dos ve sanctos. Erant ergo stellæ illæ angeli? Nō abnuo, cū enim sciam illū Angelorum principem fuisse; non mirer, si è subditis multi in facinora principis potuissent raptari. Ait Victorinus Pitabion. ibi: *Quod dicit draconis caudam traxisse tertiam partem stellarum, bifarie hoc accipiunt. Multi enim arbitrātur tertiam partem hominum credētium posse eum seducere, sed verius intelligi debet angelorū sibi subiectorū, cū adhuc princeps esset, cū transcenderet constitutionē suā, tertiā partē seduxisse.* Expende illa: *Cū adhuc princeps esset, &c.* quippe hoc credibilius est de illo, qui in principatu consistit, quod multos subditorū in sua trahat facinora. In quo enim non consentiāt subditi principi suo? Nabuchodonosor suam imaginem proposuit adorandam populo,

Apoc. 12.

Pitabiēs.

in

insuper & fornacem ardentem constituit, in quam renuentes conijceret. Et ait Dan. cap. 3. *Et præcepit, vt succēderetur fornax septuplum, quam succendi consuerat.* Ad quid tam immensus rogus accenditur? An vt traherentur Babylonij in imaginis adorationem? Maxime, totus enim ille ignis aduersus tres pueros hebræos accendebatur, de Babylonijs enim, vt erant regis subditi, nulla erat dubitatio, quod cuilibet eius facinori consentirent. Ait D. Chrysost. hom. 4. ad Popul. *Hæc omnia aduersus tres pueros diabolus præparauerat; non enim de subditis dubitabat, sed potius multum confidebat, quod nullus regiæ legi se obiecturus erat.* Sic credebat diabolus subditos addictos esse suis principibus, vt ab illis speraret præcipitandos, in quælibet crimina.

Dan. c. 3.

Chrysost.

§. VII.

Nō parua infelicitas est, quod mala nostra derisui sint hominibus.

MErito Salianus noster hoc tribuit calamitati extremæ huius infelicis principis, quod in tāta clade insultarent ei etiam gregales milites. Quippe ait: *Quidam viri cūsteti sset iuxta caduer Amasa, de satys Ioab dixerunt: Ecce qui voluit esse comes Dauid pro Ioab?* Sic & occisum ridebant, & quasi de factuoso viro ludebāt, etiam dum prostratus existeret. Quid infelicius? Ponderabat hinc Paul. ad Corinth. 1. cap. 4. christianorum primitiuorum ærumnas dum inquit: *Puto enim, quod Deus nos apostolos nouissimos ostendit, tanquā morti destinatos: quia spectaculum facti sumus Deo, & angelis, & hominibus.* Nouissimos vocat, hoc est, deteriores, & quasi nullius pretij, aut dignitatis viros. Et vnde in tam vilem fortunam delapsos, probat? Ait ideo: *Spectaculum facti sumus hominibus*, sicut spectacula fiebant ad risum, & lętitiam publicam; sic vulnera, & mortes christianorum seruiebant populorum risibus & ludis. Ex quo ait D. Bruno ibi: *Nos dico, tanquam destinatos morti, quia adeo affligimur pro Christo: vt solum modo ad mortem nati videamur, propterea vobis in mundo florentibus contemptui sumus. Ideo etiam quia spectaculum facti sumus huic mundo: conueniunt enim omnes ad oppressionem nostri, & mala nostra ludus est eorum.* Hæc est non parua portio ærumnarum, quæ iustos affligunt, nimirum quod ad eorum dolores, & despectus sic omnes conueniāt, tanquam ad spectacula; & quod de eorum malis, & mortibus risum, & ludum faciant. Nonne hoc etiam in Rege Regum Iesu factum est? Matth. 27. *Tunc milites Præsidis congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum chlamydē coccineā circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflectentes illudebant ei.* Proh Deus immortalis! Hoc deerat tuis ærumnis, vt ad tuos dolores conuenirent, quasi ad choræas, & ludos spectacu-li. Ait ibi D. Chrysost. hom. 88. *Quasi omnes ex composito conuenissent, ita signo dato ad choream omnes diabolus concitabat:: voluptatem etenim ex contumelijs propter immanitatem suam capiebant.* Agente diabolo Christi domini mei dolores erant choræ, & ludi militibus, quod ad extremum pertinebat ærumnarum.

D. Bruno.

Paul.

Matth. 7.

Chrysost.

2. *Reg.* 20. Venerunt itaq; & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circundederunt munitionibus ciuitatē::: Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate, audite, audite, diciti Ioab, Appropinqua huc, & loquar tecum. Qui cum accessisset ad eam, ait illi, tu es Ioab? Et ille respondit; Ego:: Rursumque illa: sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio: Quia interrogat interroget, in Abela, &c.

§. VIII.

Vna Maria prudentissima virgo sufficit ad destruendum principem tenebrarum.

ERat rebellis Seba munitus in ciuitate Abela, ciuitati nimirum sapientū, & literatorum; quem vt caperet Dauidis exercitus vehementissime impugnabat ciuitatem, adeo vt iam iā muri eius solo æquandi esset. Quid tunc? Ait textus: *Exclamauit mulier sapiens de ciuitate*; quæ Ioabū allocuta persuadet, vt incōsulte perdat ciuitatē, quæ erat sedes sapientiæ, sed contentus sit vno rebellis capite. *Ecce*, ait,

caput

caput eius mittetur ad te per murum. Ingressa est ergo ad populum, & locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Sebæ filium Brochi proiecerunt ad Ioab, &c. Vna sapiens mulier omnia perfecit, Ioabum detinuit, Abelanos Dauidi subiecit, Sebæ caput abscidit, eiusque contriuit tyrannidem. Et cur tantæ rei tractatus, & successus vni fœminæ commendatur? Nonne in tanta ciuitate sapientiæ sede erant plurimi alij & sapientes, & fortis viri? Erant plane, sed ostendebatur, vt vni Mariæ prudentissimæ erant â Deo negotia sæculorum commẽdanda; quæ sola contritura erat caput diabolici tyranni. Ex quo sic Deus suam valentiam commendabat Iob cap. 40. fatus: *Nunquid extrahere poteris Leuiatham hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid illudit ei, quasi aui, & ligabis eum ancillis tuis?* Quis hoc faceret, quod superbissimum, & validissimũ tyrãnũ sic liget, vt vel ab ancillula possit capi, & necari? Sane ea est potẽtia solius Dei per vnã Mariæ manifestata, quæ sapientia sua ferocissimum mundi tyrannum debellauit. Quo spectans D. Bruno ser. 2. de Nat. Mar. dicebat. *Considera potentiam Dei. Qui tantam superbiam per vnius virginis humilitatem domuit. Noluit ad eam superandam cælestes fortitudines mittere, vnã ex ancillis mandauit: cuius humilitate, & sapientia ille ligatus est, & superatus: O beatissima inter mulieres hæc ancilla: hæc Dei mater; cuius hamo Leuiatham captus est, cuius sapiẽtia, quasi latro, & vile mancipium ligatus est.* Maria prudentissima, & sapientissima ancilla, & mater Dei valuit rebellem tyrannum alligare; & illum nobis tradere conculcandum. Pro quo dicebat Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata:* Vna Maria similis dicitur integræ aciei castrorũ ordinatæ. Et quæ est illa acies ordinata cui vna Maria assimilatur? Ait Apocal. 12. *Factũ est prælium magnũ in cælo; Michael, & angeli eius præliabantur cum draconẽ; & draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.* Ecce tibi tota cæli milicia cũ Michaele duce stat contra draconẽ, quẽ â cælo deijcit, & humi facit reptari. Quod ergo tota cæli militia facit aduersus draconẽ hoc vna Maria facit. Vt merito dicat illi Guillielm. Abb. apud Delrium: *Tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicus est illis terribilis Angelicus exercitus.* Vt totus Angelorũ exercitus draconẽ proiecit, illiusque confregit animos; sicut vna Maria illũ eundẽ prostrauit, conculcauit.

Iob. c. 40.

D. Brun.

Cant. 6.

Apoc. 12

Guillel.

CAPVT XXXII.

Dauid Gabaonitis satisfacit.

Textus Historia.

TRIVM annorum fames Israelitas vexabat, cuius rigor testante diuino oraculo, eo spectabat, vt de familia Saulis Gabaonitæ vltione caperent. Non potuit Dauid non annuere sic volẽti Deo, & pactus cũ Gabaonitis, septem Saulis proles illis misere mactandos tradidit. Quinque illorum ex Sorore Merob & Hadride natos sibi Michol adoptauerat. duos alios Sauli pepererat Respha filia Aia. Omnes crucibus affixere Gabaonitæ. prosẽquente suos Respha, ingenti luctu, cuius tantus in filios fuit amor, vt diu custodiendis eorum cadaueribus â cruce suspensis in vigilauerit. Hanc pietatẽ Dauid æmulatus, illoram ossa cum Saulis, & Ionathæ ossibus coniugens, ea regiâ pompâ in sepulchro eis tumulauit: Quibus placatus Deus famem abstulit; sed noua prælia suscitauit, vt Dauid gyganteum progeniem, & Philisthinorum natione euelleret; & tranquillum regnum Salomoni filio seruaret. Erat enim quatuor cantatissimi Gygantes apud Philisthæos, qui tribus prælijs dederunt causam; alter Iesbibenoh de genere Araph sibi nouum ensem accinxerat iuratus illo auferendum Dauidi caput. Quem ordentius quam ætas patiebatur; nactur pugnantẽ facile peremisset, nisi casu accedens Abisai regem protegeret, & hostem occisime trucidaret. Ex quo persuadetur â suis Dauid, concederet ætati, & à prælijs abstineret, ne tristem finem inferret victorijs tantis. Alter Saph nomine de stirpe eadem percussus fuit â Sobochai de Husathi secundo in certamine. Tertius Goliath Gethæus primi Goliathi frater, & non impar viribus, cuius hostile hastæ erat quasi liciatorium texentium. Is tantus cecidit oppressus ab Elchana, qui vertitur Adeodatus, quem Chaldæus putat filiũ textoris veli sanctuarij, & inde accepisse nomen polymitarij. Ab his tribus non degener apparuit vltimis in prælio quarto, notus ex digitis quia senos habebat in pedi-

bus

bus singulis, & manibus. Sed aucti digiti non fecerunt hominem fæliciorem in certamine, quin potius morte sua finem dedit bellis contra Israelitas exercitatos.

PARS MORALIS circa text. literam.

SEPTEM Saulis filij crucibus affiguntur pro peccato patris in Gabaonita piando; ne Dauid miretur, quod vnus filius eius Iesus meus cruci affigatur, vt carnalium parentum, mundique peccata penitus extirparet,

2. *Reg.* 21. Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & consuluit Dauid oraculum domini. Dixitque dominus; Propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonis rex dixit ad eos, (Porro Gabaonitæ nõ erant de filijs Israel, &c.

§. I.

Hypocrisis velamen ad mala inferenda nunquam non solet reuirescere ad pœnam.

TAmdui post Saulis mortem, & regni amissionem, adhuc iniecta fame exquiritur eius peccatum; quod commiserat Gabaonitas occidendo. De fame enim *consuluit Dauid oraculum domini: Dixitque dominus propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Et cur propter Gabaonitarum occisionem ostenditur dominus adeo in domum Saul iratus & non magis propter sacerdotum occisionem? Occiderat Saul Gabaonitas, fateor, sed & sacerdotes octuaginta quinque occiderat, & totam illorum vrbem Nobe solo æquarat. Cur ergo magis Deus meminit occisionem Gabaonitarum, quam sacerdotum? Crediderim causam indigitari ibi à textu dicente: *Voluit Saul percutere Gabaonitas zelo, quasi prosilijs Israel & Iuda.* Vbi Carthusian. *Gabaonitas percussit fingens, & simulans se hoc facere zelo legis, in qua Moyses dixit Amorrhæos omnino exterminari ad vtilitatem vndecim tribus. Verum tamẽ zelus Saulis fuit indiscretus, & magis creditur motus auaritia, quã iustitia.* Carthus.

Quando ergo Saul rapinam bonorum Gabaonitarum amans aduersus illos motus fuerat, simulans se id facere amore iustitiæ, & religionis; non miror, quod tam nefaria hypocrisis in perdendis proximis, sic fuerit Deo abominabilis; vt post tam longum tempus, supplicium ab illa ex Deo extorqueatur. Quasi nescit Dei ira quiescere aduersus eos, qui sub virtutis velamento perdunt fratres. Perdidit Saul Sacerdotes aperta iniuria; perdidit Gaboanitas iniuriã celãs prætextu religionis, inde hæc magis sub ira Dei durauit. Oseæ cap. 1. natus fuit filius, & dixit dominus ad eum: *Voca nomen eius Lezrael; quoniam adhuc modicum, visitabo sanguinem Lezrahel super domum Iehu, &c.* Sanguis Lezrael in præsenti creditur â Ruperto esse sanguis Naboth Lezraelites, qui effusus quondam fuerat ab Achab, vt illi vineam eriperet. Et cur tãdiu post mortem Achabi, & perditionem regni eius, adhuc illius facinoris, quo Nabothem occidit, meminit, & pro eo exquirit pœnam? Accipite facinoris historiam ex 3 Reg. 21. cum vellent reges Nobothi vineam sibi rapere, literas dederunt magistratibus Lezrahel dicentes: *Prædicate ieiuniũ & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial cõtra eũ, & falsam testimonium dicant, Benedixit Deũ & regem, & occidite eum.* Vide sub quot virtutum speciebus mortem homini inferunt, vt rapiant vineam. Ieiuniũ præmittunt, & primas offerunt sedes. deinde illũ perdunt. Nemiremur, quod virtutum prætextus in perdendo Nabothe ingentem, & pene indelebilem iram in Deo operetur. Ait ibi Ruper. *Hoc modo hypocresis Deo odibilis pulchre palliata incessit, specioso quasi ordine iudicij, vt non tantum occideretur tanquam vir iustus ab iniustis, sed tanquã reus â iustis iudicibus ieiuniantibus, & in ieiunio animas humiliantibus, & prædicantibus ieiunemus. Quam a putas iurã hoc Deo videnti debuit esse? Bene ergo mors eius memorabilis est inter omniũ instorũ neces, vbi talis apparatus hypocritarum, talis spectatur facies homicidarum.* Oseæ c. 1. 3. Reg. 21. Ruperti.

Equidem tanti flagitij vindicandi cura nunquam debuit Deo excedere, sed etiã post multum tempus in eius diuinissimo pectore recrudescere. Huc trahi possunt dicta tom. 2. in vet. test. tam. lib. 5. cap. 19. §. 13.

§. 2.

§. II.

Vnus Iesus scit, suorum arũnis, quàm primum subuenire.

TRium annorum fames vexabat Israelitas, & non nisi post trienij famem Dauid remediũ quærit. Dicit enim textus: *Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis ingiter, & consuluit Dauid oraculum Domini.* Eu quam morosæ sunt omnes creatæ potestates in ope ferenda! Tres annos angustiæ præterire desinit Dauid, antequam vel orationem fundat ad Deũ pro suis satiandis. Non sic meus
Mar. 8. Iesus imò Mar. 8. ait: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quid manducent.* Dauid trium omnorum famem in suis patitur, antequam vllam diligentiam faciat pro tollenda illa; Iesus meus nec tridui fame suos affligi permittit, quin illam tolli curet. Crede mihi, morosi sunt mundiales Principes, vt subueniant famelicis, & afflictis; vnus est Iesus, qui sciat, & possit, quam citissime subuenire. Accusabant Iesum
Matt. 26. falsi testes, Matth. 26. verbis illis: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Multa in his verbis mentiuntur; sed nobis expendendum est illud: *reædificare*: cauit enim maximè Iesus ab hoc verbo, & illud solum dixe-
Ioann. 2. rat, Ioann. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: locutus enim siue de corpore suo reali, siue de mystico, cũ ab hostibus discerperetur, aiebat, *tribus diebus excitabo illud*, non ait reædificabo, sed excitabo. Et cur cauit à vocabulo reædificandi, & maluit dicere vocabulum excitandi? In reædificãdi vocabulo quædam morositas operis ostendebatur; vbi autem agebatur de Christi membris, siue proprijs, siue mysticis ab hoste dilaceratis, remediandis, quidquid morositatem sonat, cauetur; & solum proponitur, quod citissimum & instantaneum auxilium potest significare. Christi enim Dei nostri
Orig. est non morari, sed sua auxilia accelerare. Ait Orig. hom. 35. in Matth. *Non Iesus destruit templum, sed quod alij destruunt, ipse ædificat; siue templum propriũ corporis, quod à Iudæis fuerat traditum morti; siue templum testium suorum, & omnium, qui ex insidijs impiorum propter pietatem occisi sunt:: Nec dixit reædificaturum se templum; sed resuscitaturum. Sermo enim ædificationis non ostendit subitaneum opus, suscitationis autem ostẽdit.* Vbi agebatur de fouendis membris Christi, & ostẽdebatur Iesus afflictis suis opẽ ferens, merito cauit verbum ædificationis, vt quod longas temporis moras præseferret, & suscitationis vocabulũ assumpsit, quod instantaneum ostendebat auxilium. Scit enim solus Iesus omnes abrũpere moras, & citissime suis subuenire. Quatriduũ egerat Lazarus in sepulchro; cum ad illum venerunt, & sorores eius cum multis principibus Ierusalem, & Iesus. Quid tunc? Ait Ioann. 11. Ait Iesus:
Ioann. 11. *Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat, Domine iam fœtet, quatriduanus est enim. Dixit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem, &c.* Ecce tibi duo aderant defuncto Lazaro, Martha soror eius & Iesus. Et quid faciebat Iesus? Nihil moratus sepulchri lapidẽ iubet amoueri, vt à morte Lazarum quàm primum euocet. Quid faciebat Martha soror eius? Moras nectebat, impedimenta apponebat, vt diutius frater in carcere sepulchri moraretur. Et quidem nesciunt potentes sæculi, vel propinquissimi non morosi esse in subueniendo, vnus est Iesus meus, qui omnes moras excutit. Aiebat Orig.
Orig. ibi: *Nunc vero inter hoc.* Tollite lapidem, *& illud*: Tulerunt ergo lapidem, *ea quæ à sorore defuncti commemorata sunt, obstiterũt, quominus lapis ablatus fuerit. Nec vnquam, nec principio, nec sero ablatus esset, nisi Iesus ad eius incredulitatem respondens dixisset: Nonne dixi tibi, quia si credideris videbis gloriam Dei?* Si ablatio lapis expectanda esset ex Martha defuncti sorore; *nec vnquã, nec principio, nec sero fieret*, de creaturis enim etiam affectissimis impedimenta expecta, & moras leuaminis. Vnus Iesus abrupit moras, & fecit amoueri grauedinem, vt in salutem curramus.

§. III.

Apud Iesum non est acceptio personarum, secus apud alios.

MIrabar, quod Dauid sic Gabaonitas iniuriatos obliuisceretur, vt egeret trienij fame, & diuini oraculi vocibus, vt illis satisfaceret. Vnde tanta obliuio in tam pio regi potuit nasci? Non oscitanter parenthesim illam posuit textus, nimirùm: *Porro Gabaonitæ non*

erant de filijs Israel, &c. sed vt Dauidis obliuionis causam indigitaret. Quia enim Gabaonitæ non pertinebant ad Israeliticam cognationem, ideô tot stimulis opus habuit Dauid, vt attẽderet iniurias illis factas tollere, & suis homines fouere gratijs. Non sic Iesus meus Dauidis filius, sed æque cito subuenit, & externis, & propinquis, sine acceptione personarũ. Gen. 29. Iacob iuxta Aran inuenit pastores quiescente ad fontẽ clausum,
Gen. 29. & dixit ad eos: *Adhuc, multũ diei superest, nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges. Date antepotum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui responderunt, Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat. Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, oues que Laban auunculi sui, omauit lapidẽ, quo puteus claudebatur, & adaquato grege, &c.* Non inuenustam historiæ partem recitaui; in qua illud maxime notandum, quod Iacob aliquantulũ temporis consumpserat in colloquio cum pastoribus, quorum greges sitibundos videns, consuluit pastores, vt ipsi greges adaquarent. Ipse autẽ nec manum ad lapidem fontis admouit, nec vel sybilo ouem ad potum vocauit. At vbi vidit Rachelis oues, non moratur, sed statim contempta regionis lege, ipse amouit lapidem, ipse oues adaquauit. Et cur qui non curauit aliorum pastorum greges, tã cito per se ipsum greges Rachelis curauit? Ait text. *& sciret consobrinam suam, oues q́, Laban auunculi sui, &c.* Quos nouit propinquos, illos quam primũ fouit, de alijs, qui ad cognationem non expectabant, nullam curam habuit. Vt pateat, quam super omnes alios mundiales est Dominus Iesus, qui æque omnibus, propinquis, & externis fauet, nullam ostendens acceptionem personarum. Quo spectans Rup.
Rupert. lib. 7. in Gen. cap. 28. ait: *Quãto melius Iesus pastoribus illis lapidem amouit, gregem adaquauit, qui damnatis traditionibus phariſaicis, veritatem scripturæ sine personarum acceptione prædicauit.* Equidem præ omnibus alijs mundi pastoribus Iesus æquior est; vix enim reperitur, qui non ad propinquiores afficiatur, vnus Iesus æqualiter afficitur ad propinquos, & extraneos. Vt merito dicat Theoder. quæst. 34. in
bTeod. præsenti: *Sumpto de filijs Saul supplicio placatus fuit Dominus, & effecit, vt nubes parturientes parerent, & iussit terræ, vt more solito produceret fructus. Nos autem per hæc discimus, quod Dominus non nouit differentiã generis, sed eos, qui sunt in iuria affecti, vlciscitur, etiam si sint alienigenæ.* Sib ibi.

2. *Reg.* 21. Ad quos rex ait: Quid vultis, vt faciam vobis? Qui dixerunt regi. Virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnusquidẽ residuus sit de stirpe eius in cũctis finibus *Israel.* Dentur nobis septem viri, de filijs eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex, Ego dabo: Pepercitq; Rex Miphiboſetho filio Ionathæ, &c.

§. IIII.

A solo Deo pôtest hauriri, & expectari hominis vita.

NVllum à creaturis expecta responsum vitæ. Dauid rex à seruis Gabaonitis quærebat, quid eis præstaretur satisfactionis, pro illata olim iniuria. Nec diu hæsitant, quid respondeant, sed statim dicunt: *Virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè ita delere debemus, vt ne vnusquidẽ residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem filij de stirpe eius, vt crucifigamus, &c.* Et quod aliud respõsum homines darent, nisi mortem, crucẽque spirans? Aiebat Paul. 2. ad Cor. 1.
2. Ad Corinth. 1. *Ipsi in nobis metipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo.* Nesciunt plane creaturæ aliud respõdere, nisi quod ad mortẽ pertineat. Vtinam Dauid, qui consuluit Deũ de causa famis, Deũ etiã cõsuluisset de satisfactione dãda Gabaonitis; sed circa satisfactionis modũ non dicitur cõsuluisse Deũm, sed ipsos cõsuluit Gabaonitas. A quibus responsum mortis accepit, vt sciamus à solo Deo potuisse venire responsum vitæ. Dicebat Cãt.
Cant. 8. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, &c.* quibus ostẽdebatur formosissima puella Maria ascẽdere profutura humanæ familiæ. At Gen. 24. dicit: *Ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abrahã habens hydriã in scapula sua: puella decora animis, virgo q́ pulcherrima, & incognita viro; descẽderat autẽ ad fontẽ, &c.* Eu duæ puellæ, altera Maria, altera Rebecca; vtraque virgo pulcherrima, vtraque incognita viro; vtraq; ministeriũ exhi-
Gen. 24.

exhibet familiæ suæ. Sed Rebecca *descenderat ad fontem*, Maria autem *ascendit de deserto*, & vt credo vtraque ad fontem ibat. Et quando Rebecca dicitur ad fontem descendisse, cur Maria ascendisse ostenditur? Quærebat illa aquam corruptibilem, quærebat hæc aquam viuam, nec quid vitæ suis acquireret, nisi supergressa esset omnes creaturas, & ad vnum Deum perueniret. Ait D. Bernar. ser. de Nat. Mariæ: *Ascendit plane supra omne genus humanum, ascendit vsque ad Angelos. Sed & ipsos quoq; trãscẽdit, celestẽ omnẽ super greditur creaturã. Nimirũ supra Angelos hauriat, necessũ est, quam refundat hominibus aquam viuam.* Nõ est hauriendæ vitæ ex creaturis, omnes prę teruoles, necessum est, & ad vnum Deum conscendere debes, siquid amas accipere, quod seruiat vitæ. Hinc Gen. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ* Habuit equidem terra aliquid, quod præberet ad structuram humani corporis; ideo Deus structurus Adami corpus ad terræ limum confugit. Vbi autem vitam illi refusurus erat, ad quid confugit? Tantum ait: *Spiravit in faciem eius spiraculum vitæ*, vt ostenderet vitam de solis Dei intimis posse venire, vt spiraculum non nisi à nostris procedit intimis. Vt dicat Gregor. Nazian. apud Lyppom. in cap. 1. Gen. *Deus ex materia præexistente humanum corpus formans, â se autem ipso vitam infundit.* Non enim de aliquo alio, nisi de vno Deo responsum vite accipies. Hinc Ioann. 10. *Abraham mortuus est, & prophetæ, & vt dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Nunquid maior es, patre nostro Abraham? Respondit Iesus: Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Illi obijciebant Abrahami mortem; Iesus se ostendebat ab Abrahamo visum. Sed quid, quod ipse visus sit ab Abrahamo, cũ mortis illius obiectione? Plane destrueba tur illa obiectio responso isto; nam eo ipso quod constaret Iesum visum ab Abraham, inde probatur Abrahamus habere vitam. Ait Chrysol. ser. 131. *Ille vt ostenderet viuere Abraham, dixit illum vidisse diem suum, quo mundo natus est Christus.* Sic ab vno Christo vita percipitur.

D. Bern.

Genes. 2.

Gregor.

Ioan. 10.

Chrysost.

§. V.

Supplicium præcellentibus illatum formidabilius.

SEptem regij viri de stirpe Saul requirũtur ad supplicium, dicitur enim: *Dentur nobis septem viri de filijs eius, vt crucifigamus eos domino.* Et quidem nõ ipse Saul per se manus Gabaonitis intulerat, neque per filios suos, sed seruos, & milites; cur ergo ad iniuriæ vltionem non magis petũtur illi ipsi milites, & serui, aut eorum filij, qui de facto damnum intulerant? Non serui, nec filiæ Saulis, sed septem præstantes viri eius filij petuntur, vt vltio notior ex personis fieret, & formidabilior, Genes. 12. Cum ingressa fuisset vxor Abrahami Sara in Ægyptum, ait text: *Viderunt Ægypty mulierem, quod pulchra esset nimis. Et nũtiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domũ Pharaonis:: Flagellauit autem dominus Pharaonem plagis maximis, &c.* Et quando raptam Saram secuturum erat atrox ex Deo supplicium, cur non magis rapi permissa est à popularibus, quã à rege Pharaone? Non solum quærebatur supplicium, raptus, sed quærebatur supplicium, quod esset magis notum, & formidabilius, quod non inueniretur in priuato aliquo homine, sed in rege ipso. Vt dicat D. Chrysost. ibi: *Hoc factũ est, vt res fieret manifestior, & vltio non in priuatum, & plebeium aliquẽ, sed in regem sæuiret, & vbique diuulgaretur hoc factũ.* Ad maiorẽ supplicij, & diuini vltionis diuulgationem nõ priuatus aliquis homo, sed rex magnus in rete includitur; nũquam enim non ex magnatum suplicio formidabiliora fiunt hominibus delicta. Numer. 16. vbi Core, Dathan, & Abiron Israelitarum principes castigantur à Deo, ait text. *Distrupta est terra sub pedibus eorũ. & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis:: At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicentes ne forte terra nos deglutiat. Sed & ignis egressus à domino interfecit ducentos quinquaginta viros, &c.* Duæ cladesque tunc acciderunt, altera â terra, altera ab igne, in illa vorantur Core Dathan & Abiron; in hac comburuntur ducenti, & quinqueginta viri. Cum vorantur à terra illi, dicitur Israel fugisse territus â voce pereuntium; cum autem ducenti comburuntur, nullus metus in Israele notatur, nulla

Genes. 12.

D. Chrysost.

Num. 16.

fuga, imo nulla vox memoratur pereuntium. Et cur cum illitres vorantur à terra, & pereuntium vox, & audientium fuga, & non magis hæc sunt, cum ducenti, & quinquaginta comburuntur? Ducenti hi erant populares, & plebei homines, quorum supplicia nullo pene sensu percipiuntur. Tres autem illi nempe Core, Dathan, & Abiron erant viri principes, ideo eorũ ruina in maiori sonitu fuit, maiorque ab illa profiliuit formido.

2. *Reg.* 21. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armom, & Miphiboseth; & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Bercellai, qui fuit de Malothi, & dedit eos in manus Gabaonitarum: quia crucifixerunt eos in monte coram Domino; & ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis incipiente messione hordei. Tollens autem Respha, &c.

§. VI.

Innocenter passi diuina stirpis agnomine illustrantur.

Septem Saulis filijs, qui à Gabaonitis crucifixuntur, duorum nomina ponuntur, quinque autem alij sine proprijs nominibus recensetur. Quippe ait: *Tulit quoque rex duos filios Respha filia Aia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboseth, & quinque filios Michol, &c.* Qui dãtur cruci figendi filij adoptiui Michol, & naturales Merob, nullo nomine proprio notantur. Filij autem Respha, dicũtur Armoni, & Miphiboset. Et cur filij Respha cum nomine, filij Merob sine nomine refe runtur cruci fixi? Credit Lyra Armoni, & Miphiboseth fuisse cum patre Saule, cum iniuria Gabaonitis inferebatur, ideo nominatos in supplicio fuisse, quia in culpa consenserant patri. Siue autem illi cum patre fuissent, quod vni Lyræ placet, & ab alijs reprobatur; sine non fuissent, credibile est illos vt Saulis filios reos se feciisse patris peccati, saltim illud postea approbantes, & sæpe defendentes contra ipsos Gabaonitas. Et ideo vt etiam perse iniurioſi, & infensi sub proprijs nominibus crucidantur. Verum quinque alij Merob filij, vt non filij, sed nepotes Saul, prorsus ab illa culpa erant immunes, & quantum erat ex se innocenter omnino patiebantur. Quo factum est, quod propria nomina nõ haberent, tanquam supremæ alicuius familiæ additi. Qui enim innocenter patiuntur, diuinæ, stirpis agnominibus nominãtur. Vbi Iesus meus crucifixus apparuit, dicit Ioã. cap. 19. *Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ.* Quẽ eundẽ titulũ referẽs Marcus c. 5. ait: *Erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorũ* Expendẽ modo, quod âIoãne dicatur in titulo crucis positum nomen Iesu, â Marco autem sine Iesu nomine referatur titulus. Et quando Ioannes notabat in titulo crucis nomen proprium Iesu, cur Marcus sine vllo proprio nomine exponit titulum? Plane duorum personas repræsentabat Iesus in cruce: præsentabant enim personam peccatoris, scelerum pœnas dantis, & simul agebat sui ipsius innocentissimi, & immaculati agni personam. Vbi peccatorem repræsentat, sub nomine proprio ostenditur in patibulo; vbi autem immaculatam, & prorsus innocentem prætendit vitam suam, â nomine proprio abstinet, vt qui sub diuinissimi patris fulgeat nominibus. Quo credam respexisse Originem hom. 35. in Matt. vbi ait: *In cruce habet scriptum; Hic est Rex Iudeorum, ascendens autem ad patrẽ, & suscipiens patrem in se, pro literis, & pro nomine habet, quo nominatur, & habet eum coronam, & domus Dei patris digna effectus.* Equidem quando nomen proprium Iesu in cruce siletur; ostenditur iam diuinissimus crucifixus filius æterni patris; quem pro tituli literis, & nomine habet, domus Dei patris digna effectus, non tam Iesuitarum domum, quam diuini patris domum æternans. Vt ostendat ad quod nomen, & familiam pertineant, qui pro Deo innocenter fuerint passi. Accinit Ioann. Apocal. 14. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus.* Vel simauis illud Apocal. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & scribam super eũ nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem.* Sic qui in passione vicerunt, illam innocenter sustinentes instar immaculati agni, iã non humanis nominibus cẽsentur, nec familijs, sed ad diuinã per-

Ioan. c. 19

Orig

Apocal.

pertinent domum, diuinisque patris Dei vocantur agnominibus.

§. VII.

Raro inuenitur in fine vitæ aliquod Dei, quod non fuerit in vita.

PEreunt isti nihil viuifici videntes cibi, sed circumsepti brutorum escis. Dixit namque: *Ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.* Non triticum, sed hordeum illis morientibus suppetebant, vt, qui etiã viui induxerant tritici penuriam; nec amplius solet quis in morte metere, quam quod habeat in vita. Quo traho illa Threnor. 2. *Matribus suis dixerunt, vbi est triticũ & vinum? cum deficerent quasi vulnerati imploteis, cum exhalarent animas suas.* Circa quæ Dicebat Pascasius: *Non enim aiunt: Vbi est hordeum, aut siliquæ, quæ familici gratanter accipiunt, sed vbi est triticum, & vinũ.* Et quidem qui brutorum in morem carnalibus se dederant voluptatibus, morientes nihil rationale vident, triticum requirũt, quod minime accipiunt, non requirunt hordeum, nec si liquas, vt quæ tunc temporis illis in promptu sint, correspondente morte vitæ. Ne fallamur homines; credentes in morte nobis alia euentura, quã ea, quibus nos dedimus in vita. Paul. ad Roman. cap. 10. clamabat: *Finis legis Christus.* Ex quo acute D. Irineus lib. 4. cap. 26. concludit: *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et quomodo finis legis Christus, si non initium eius esset? Qui enim finem intulit, hic & initium operatus est.* Equidẽ itul te præsumis venturum adte in fine cælestẽ panẽ, venturum Christum, quem invita excludis. Si ad brutorum pabula curris in vita; minime offendes cæli panem in fine. Quod enim initium & medium vitæ operatur, & implet, illud etiam sibi in fine arridebit. Rex ille magnus Matth. 22. hominem nuptiali conuiuio indignum, de malo introitu arguebat: dicit enim. *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris; Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Et illẽ non solum intrauerat sine veste nuptiali, sed & recubuerat & iam iam exibat finito conuiuio. Cur ergo solus illi malus introitus obijcitur? Ne accideret sperare aliud in exitu, quã illud, quod habuit in initio. Ait D. Cyril. Hierosol. in Proœmio ad Cateches. *Amice, quomodo huc intrasti? Quo colore? Qua scientia? Nonne oportune te ingredi fuerat necesse, vt opportune exires? Nunc autem importune intrasti, vt importune ejiciaris.* Equidem raro exitus non correspondet ingressui, mors vitæ, vt qui cum brutis vixit, moriatur inter brutorum curas; & qui cælesti vixit conuiuio, illo, & in morte abundet.

Threnor.

Paul.

Matt. 22

D. Cyryl.

§. VIII.

Mariam Deiparam nulla clades separarunt à Iesu.

MIraris matris Respha affectum erga hos crucifixos, de qua dicit: *Tollẽs autem Respha filia Aia cilicium substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo, & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* Magnum hoc, quod tanta filiorum clades, & infamia non arceret matrem ab illorum conspectu, sed inter illorum cruces, diu noctuque sedit seruans illos. Sed accipe maius in Deipara, de qua ait Ioan. 19. *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, &c.* Non Iudeorũ furor, non prætereuntium blasphemiæ; non horrida & mortalis facies filij potuerunt facere, quod non hæreret Maria mater eius cruci, in eoque se veram eius matrem ostendens fuisse. Vt dicat Guarricu-Abbas ser. 4. in Assumpt. *Maria comes individua vestigijs eius adhærebat, pendebatque ex ore docentis, adeo, vt nec procella persecutionis, nec horrore supplicij à consectatu filij potuerit absterreri. Stabat, inquit iuxta crucem Iesu Maria mater eius. Plane mater, quæ nec interrore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius caritas fortis, vt mors, imo fortior, quam mors erat.* Potuit enim mors animam Iesu à carne separare; sed non potuit separare inde animam Mariæ. Dicebat illi Simeon Luc. 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransiuit.* Quæ impleta fuerunt, vbi crucifixi latus lancea perfodit, tunc enim non inueni ibi Iesu animã, sed nõ potuit nõ inuenire animã Mariæ, quã per transiret. Ait D. Bern. ser. in cap. 12. Apocal. *Iesu non attingit animã crudelis lancea, quæ aperuit eius latus, sed tuã vtiq; animã pertransiuit. Ipsius nimirũ, animã iam nõ erat ibi, sed tua plane inde nequibat auelli.* Quid diuinius? Quæ potuerunt

Ioañ. 19

Guarric.

Luc. 2.

Bernard.

Iesu animam tollere â carne, & corpore eius, non potuerunt inde auellere animam Mariæ.

§. IX.

Mariæ solicitudo pro nobis in morte validissima est.

NOn possum non interum Respha solicitudinem pro filijs, recantare. Ait enim: *Tollens Respha filia Aia ciliciũ substrauit sibi supra petram abinitio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo, & non dimisit aues lacerare eos per diem, nec bestias per noctem.* Quanta hæc solicitudo matris erga filios defunctos? Ipsa rapaces feras, ipsa voraces volucres ab illis arcet, & cilicio, & neumia cælestis misericordiæ imbrem super illos trahit. Vt merito dicat Bachiar. epist. ad Ianuar. de recipiend. lapsis: *Melior fuit concubina Saulis Respha, quæ corpora defunctorum, quos Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, eo vsque accincta sacco, hoc est, cilicio custodiuit, donec eis roraret aqua de cælo, donec pro venia eorum misericordiæ cælestis stillæ diffluerent.* Bachar. Sed isthâ longe melior, & solicitior Maria mater Dei, & nostrum omnium mater pientissima; cuius solicitudinem pro mortuis, & morituris filijs quis exprimat? Ipsa & bestias, & malignas aues â nobis abigit, cum in mortem venimus, ipsa cælestis misericordiæ rorem nobis solicitat; & sub tanta matris solicitudine vel in morte acquirit homo, quo viuat. Iam humanæ mortis destructor apparuerat natus in in Bethleem, & â Persidetres tracti Magi stella duce stabullum intrant. Et vt ait Matth. cap. 2. *Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius.* Matt. c. 2 Puerum, inquam, facijs illigatum inueniunt, & Verbum Dei mutum in gremio Mariæ. Et cur Magi trahuntur, vt puerulum fascijs alligatum, & mutum, & pene in nullo differẽ tẽ â mortuo videant? Cur non magis venirent, vt iuuenem miracula facientem, virtutes operantem, docentem multa, & viderent, & audirent? Dabatur illis forma obtinẽdæ salutis, & vitæ, quæ in eo maxime erat, si veluti pueruli humiles degerẽt sub Mariæ solicitudine. Non enim in iam adulta iuuentute, vt infantia fasciata puer diuinus viuebat de Mariæ solicitudine. Et ideo tunc trahuntur Magi, vt discant, qualiter de morte ad vitam itur, si nimirũ Mariæ foueantur sinu. Huc respexit D. Leo ser. 7. de Epiphan. inquiens: *Puer corpore parvus, mundi rector, & dominus: genitricis gremio continetur, qui nõ clauditur spatio: & indedata est moribus forma, vnde mortuis est impensa medicina. Nec immerito Magi non cum imperantẽ dæmonibus, non mortuos suscitantẽ, nõ cæcis visum, aut claudis gressum, aut multis eloquiũ reformantẽ, vel in aliqua diuinarũ virtutum actionum viderunt: sed puerum silẽtẽ, mutum, & sub matris solicitudine cõstituũ.* D. Leo. Natus est itaque puer Iesus in mortuorũ medicinam, & formam humanæ vitæ. Et quãdo in mortuorum medicinã, & formã vitæ humanæ nascitur, qualem se exhibẽt quærentibus illũ? Ait Leo supra: *Non in aliqua diuinarũ virtutum actione, sed puerum silentem sub matris solicitudine constitutum.* Leo. Hæc est forma viuendi, hæc est moribundorum hominũ medicina, quod instar puerulorum silentũ constituamur sub solicitudine matris Mariæ. Vt enim matris solicitudo maior est pro puero adhuc pannis inuoluto, & prorsus elingui, parum â mortuo distãte; sic vbi proximiores sumus fascijs sepulchralibus, & lingua iam obmutescit, tũc maior nobis adest diuinissimæ matris Mariæ solicitudo. Quo etiam possunt trahi dict. 1. tom. in veter. testam. lib. 1. c. 1. part. 2 §. 20.

§. X.

Genus martyrij est, quod innocens patiatur ob aliorum delicta.

TAndem notandum est mors istorũ nepotũ Saulis; de qua dicit textus: *Crucifixerunt eos in monte coram domino.* Et paulo ante dixerant Gabaonitæ: *Vt crucifigamus eos domino.* Non quam horũ mors memoratur sine domino, quasi & Deo ipsi pretiosa fuisset, iuxta illud Psal. *Pretiosa in conspectu domini mors sanctorũ eius.* Psal. Nec miror, quando enim hi Saulis nepotes nõ fuerant in patris culpa, sed ipsi ex se innocentes patienter ferebãt Dei sententiã, & Gabaonitarum seueritate macteri ob aui delicta, quasi sancti, & martyres videbantur in mortem domino venire. Supra 1. Reg. 2. propter Heli peccatum dicebat dominus: *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* 1. Reg. Quod & completum est postea, 1. Reg. 22. vbi Saulis iussu Doeg *Irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta viros*

viros vestitos ephod lineo. Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, & parvulos, & lactentes, &c. Sic Heli domus præcisa est Saulis gladio iuxta sententiam Dei quondam aduersus Heli datam. Sed quando sacerdotes hi non communicauerant Heli peccatis, sed ab illis prorsus innocentes erant cur permisit Deus illos iuxta sententiam contra Heli datam trucidari? Iustitia Dei summens à domo Heli pœnas peccati, sic disposuit, vt posteri eius innocentes caderent, vt mors eorum referret mortem martyrum. Ait Bachiar. epist. ad Ianuar, de recip. lapsis: *Illa* Bachiar. *sacerdotalis familia de Heli cognatione descendens, cui iurauerat dominus, vt nullus deinceps ante faciem eius assisteret eo, quod grauibus peccatis dominum prouocasset; Nonne omnis illa cognatio pro Dauide à Saule refertur occisa? Et quid est hoc, nisi forma martyrij: vt quos graue peccati crimen inuoluerat, mors pro Christo illata liberaret.* Sic Deus castigans maiorum peccata in innocentibus, talem illis mortem solet prouidere, qua vt sancti, & matyres cadere videantur, in quibus se Deus maxime complaceat.

2. *Reg.* 21. Et abijt Dauid, & tulit ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius, à viris Iabes Galaad qui furati fuerunt ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philihstiim, cum interfeciſſent Saul in Gelboe, & asportauit inde ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius, & colligentes ossa eorum, qui affixi fuerant; sepelierunt ea cum ossibus Saul, & Ionathæ filij eius in terra Beniamin, &c.

§. XI.

Similitudo Christi passi nunquam non honori, & gloriæ homini est.

QVos crucifigendos tradidit Dauid Gabaonitis, eos ipse perse curat honorifice sepelire, iuxta illud: *Et colligentes ossa eorum, qui affixi fuerant, sepelierunt ea, &c.* Absalonem occisum filium flevit inconsolabiliter Dauid, verum, eius ossa minime requisiuit, nec tradidit sepulturæ. Hos autem Saulis filios de sententia Dei morti datos, cur Dauid illos curat sepelire? Vt hi fuerant mortui in cruce, sic & prouidit Deus, ne deesset illis nobilis vir, qui eos honorifice sepeliret. Nunquá enim esse solet Christi passi similitudo, sine patientis aliquo gloriæ signo. Aiebat dominus Osee. 1. *Visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu.* Sanguis Iezrael creditur à Ruperto esse sanguis Naboth Iezraelites, in quo omnium sanctorũ sanguis exprimitur. Sed vnde Naboth tantũ meruit, vt eius sanguis à sũmatur à Deo in signum omnium martyrum? Fuerat Naboth occisus, quia hæreditatem paternam seruabat, & fuerat occisus iudiciali ordine à falsis testibus actus, in quo maxime delineabat passionem Domini Christi. ex cuius similitudine hoc habuit, vt tanto honori esset apud Deum, vt in illo poneret signum vniuersũ sanguinis iusti pro Deo effusi. Rupert. ibi: Quid magnum erat inter prophetas, & inter iustos ille Naboth Iezraelites, vt ex eius occasione, omnes, qui interfecti sunt iusti, vt prophetæ significarentur hoc nomine Iezrael? *Ad hoc respondemus, quia vere magnum fuit, & esse debuit memoriale interfectionis eius inter omnes iustorum neces, quia taliter interfectus est, vt vel ante, nec post ipsum vsque ad Christi domini passionem, fere nemo præter ipsum dominum tali ordine occisus esse referatur.* Qui passionis Christi ordinem in sua morte seruabat, iure obtinuit, vt in tẽr sanctorum honores numeretur. Quando enim Christi passi similitudo nõ affert gloriam, & honorem patienti? Hunc trahenda sunt dicta tom. 2. in Euang. lib. 6. cap. 3. §. 21. in fin. & tom. 2. in vet. testam. lib. 5. cap. 15. §. 6. & tom. 3. etiam in vet. test. lib. 7. cap. 4. §. 24.

Osee.

Ruperto.

§. XII.

Difficiliora virtutis non alijs mandanda, sed à nobis perficienda sunt.

NOta differentiam factam cum ossibus Saul, & filiorum eius; de illis ait textus: *Abut Dauid, & tollit ossa Saulis & Ionathæ filij eius à viris Iabes Galaad, &c.* De ijs autem dicit: *Et colligentes ossa eorum, qui affixi fuerant, sepelierunt ea, &c.*

&c. Saulis ossa quæsiturus, & allaturus abit ipse Dauid; crucifixorũ autẽ ossa non ipse Dauid, sed alij de præcepto Dauid colligunt, & sepulturæ mãdant. Et cur Dauid, qui per se iuit, vt afferret ossa Saulis, non per se ibit, vt colligeret ossa crucifixorũ, sed hoc munus alijs mandauit? Quo Saul fuerat Dauidi iniurioſior, eo difficiliora erant munera circa illum præstanda: ideo bonus athleta Dei Dauid, quæ faciliorã erant misericordiæ opera in sepeliendis crucifixis non detrectat alijs commitere, quod autem difficilius, & magis ardũ erat opus in quærendis, & honorandis infensissimi sibi hostis ossibus, illud vt difficilius certamen per se agere solus voluit. Non aliter Gen. 22. vbi de sacrificando filio præceptum Abrahæ datur, dicit: *Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque cõscidisset ligna holocausti, &c.* Iuuenes facit secum ambulares, at ipse solus asinum strauit, ipse per se ligna concidit; ipse rei exitum secum voluit, nec filio, nec seruis rem communicat. Et quos itineris soccios facis, cur similiter non facis sotios doloris, & laboris? Plane quod in via comitentur facile erat, & ideo non detrectauit illud communicare seruis. Quod autem ad sacrificium spectabat, id valde arduum, & difficile erat, ideo solus ipse per se totum illud certamen peragere voluit. Vt merito dicat ibi D. Chrysost. *Obstupescepium, religiosum, & prudentem animum. Quia enim sciebat magnitudinem præcepti, prorsus hoc significauit neque pueris, neque Isaac, sed solus secum agonem illũ decertabat, & quasi adamas manebat in victus.* Expende illa? *Solus secum agonem illum decertabat*: Quia agon mactandi Deo dilectissimum filium omnes alios agones difficultate superabat, hunc ita sibi solus Abrahamus suscepit, vt nec vlli alteri communicauerit partem illius. Sic Paul. Actor. 26. dicebat: *Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis ego sum, exceptis vinculis his.* Et cur Paulus excipit vincula, nec illa alijs vult communicare? An quia sibi mala putabat? Absit, sed sciebat vinculorum sustinentiam omnibus alijs virtutibus difficiliorem esse, & magis arduam, & bonus amabat sibi arduum, & difficile assumere, quod autem facile erat, proponebat infirmis. Ad hæc aiebat Chrysost. ho. 16. *Propterea dicit: absque vinculis his, non ipse vincula recusans, absit: Sed illius condescẽdens infirmitati, quoniã ipse sic illa diligebat vt ambitiosa mulier monilia sua.* Sic vni sibi amabat, quod carni videbatur difficilimũ.

Genes. 22.

Chrysost.

Actor. 26

Chrysost.

2. *Reg.* 21. Factum est autem rursus prælium Philistinorum, aduersus Israel, & descendit Dauid, & serui eius cum eo, & pugnabãt contra Philisthiim. Deficiente autem Dauid, Iesbibenod, qui fuit de genere Arapha cuius ferrũ hastæ trecẽtas vncias appẽdebat, & accinctus erat ense nouo, nisus est percutere Dauid. Præsidioque ei fuit Abisai, &c. Hi quatuor nati sũt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & seruorum eius.

§. XIII.

Post Christum passum plures, & splendidiores victoriæ.

IVuenis Dauid aduersus vnum Philistæum de genere gyganteo exire audet, quem & prostrauit, vt habes 1. Reg. 17. Modo autem iam senex Dauid, imo & in bello defficiens quatuor prosternit gygantes. Dicit enim: *Deficiente autem Dauid, Iesbibeneb, qui fuit de genere Arapha: nisus est percutere Dauid*, qui corã Dauide ab Abisai percussus occubuit. Rursus in alio prælio occubuit *Saph de stirpe Arapha de genere gygantæo.* Tertio cecidit alius *Goliath Gethæus cuius hastile hastæ, erat sicut liciatorium texentium.* Tandem de eodem genere occisus est vir alius, *qui senos in manibus, & pedibus habebat digitos. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth & ceciderunt in manu Dauid, & seruorũ eius* Quid mirabilis? Deficiente Dauide, interficiuntur in manu eius, & seruorum eius quatuor validissimi gygantes, quorum vnus solus interfectus fuerat à Dauide iuuene. Quo hæc spectãt? Equidem non aliter post deficientem, imo & mortuum Iesum in prælio crucis clariores inde victoriæ, & hominum sanitates perficiebantur. Ait Luc. 5. *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebat illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos. Exibant autem* Luc. 5.

antè dæmonia à multis clamãtia, &c. Ecce tibi quot sanitates, quot Dæmoniorũ ejectiones perficiebãtur à Iesu post solis occasum? Non ne is est Iesus, post solis occasũ? Et cur post solis occasũ? Nõne Iesus, qui nouit præuenire lucẽ, vt audiat gemitus suorũ? Cur tũc solis occasum expectabat, vt tot operaretur sanitates, & ejiceret dæmonia? Ait ib. Beda: *Solis occubitus passionem, mortemque significat illius, qui dixit: Quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Et sole occidẽte plures dæmoniaci, quã ante, plures sanãtur ægroti. Quia qui tẽporaliter in carne viuẽs paucos Iudæorum docuit, calcato regno mortis omnibus per orbẽ gentibus salutis dona trãsmisit.* Habes homo vnde plures speres victorias, vnde truculentiores vincas hostes. Proponetibi ob oculos filiũ Dauidis Iesum in cruce deficientẽ, Solem illum iustitiæ occumbentem; & ride gyganteas vires hostium tuorum; tunc enim plures cadent, tunc illustriores applaudent victoriæ. Ait Psal. 67. *Qui ascendit super occasum, dominus nomen illi.* In occasu descensus est, non ascensus. Quis ergo poterit per occasum, ascẽdere? Nõ alius, sed dominus, qui per occasũ, & defectionẽ suã maiores glorias ostẽdit. Vt dicat Beda supra: *Super occasum quippe dominus ascẽdit, quia vnde in passione occubuit, inde maiorẽ suam gloriã resurgendo manifestauit.* Sic deficiẽs Iesus corporaliter in cruce aduersus omnes hostes conualuit. Cui nolim debere illud Samsonis opus, de quo ait Iudic. cap. 16. *Apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alterã læua tenens ait: Moriatur anima mea cũ Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cateram multitudinem, quæ ibi erat. Multoque plures interfecit mortens, &c.* Sic hic Sol, deficiens de pluribus victoriam reportauit. De quo D. Chrysost. hom. 4. de diuersis Matt. ait: *Samson moriens inimicos suos concussit ædificys ruina comprimit, dominus tunc cum mori dignatus est, non vna domo, sed omni mundo cõcusso diabolum cum suis angelis vniuersis extinxit.* Necnon & Ruper. ibi lib. 1. cap. 26 *Recte ergo dictum est, quia multo plures interficit moriens, quam viuus occiderat: Multo magis enim, quia mortuus est, nos in eum credimus, & inimici tam visibiles, quam inuisibiles perierunt, quam aut nos crediturí, & illi perituri erant, si dimisserit eum viuum.* Sic ibi vt videamus, quas vires habeamus in mortuo Iesu aduersus hostes, etiam validissimos.

Beda. Pſal. 67. Beda. Iud. c. 16. Chryſoſt. Rupert.

§. XIIII.

In mortis infirmitate acrius in nos, se armat hostis.

GYgas erat Iesbibenob, nõ tamen dicitur in Dauidem ausus, nisi vbi prius vidit Dauidem deficientem. Sic textus: *Deficiente autem Dauid, Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas vncias appendebat:: nisus est percutere Dauid, &c.* Non aliter hostis humani generis expectat tempus, cum defecerimus, & tunc præcipue nititur percutere animã nostram. De illo namque dicebat Lucas cap. 4 *Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo vsq; ad tempus.* Vsque ad quod tempus? Nimirum illud expectabat tempus, quod nobilis athleta deficeret & corporalibus viribus destitutus iret in mortem. Hoc enim tempus expectat hostis antiquus, vt acrius in nos insurgat. Ait D. Athanas. orat. de Pass. & cruce: *Cum in pudore reiectus obseruandum sibi persuadebat tempus mortis, certus omnino posse se per mortem qua omnes in seruitutem redegerat, etiam hunc tentationibus subigere: scriptũ est enim apud Lucam, quod abscesserit ab eo in tempus idoneum.* Idoneum putat hostis tẽpus mortis, cum viribus destituimur, vt nos impetat, & tunc acrius nititur percutere omnes Genes. 15. offerebat Abraham Deo sacrificium, nimirum vaccam trimam arietem, & aues. *Descenderuntque volueres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Cumque sol occumberet, &c.* Expende Abrahæ solicitudinem in abigendis volueribus à sacrificio, quam notans textus simul ponit circunstantiam temporis, videlicet, *cum sol occumberet.* Et quid erat, quod sic infestarent volucres Abrahami sacrificium ad solis occasum? Ait Hugo Victor. 2. Miscellan. 2. tit. 2 *Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quia circa finem Vitæ, quod in ara crucis offerimus, immundi spiritus conantur magis maculare.* Instant magis maligni spiritus, vt perdant opera nostra bona, cum mors instat, cum viribus deficimus. Vnde monemur à Domino Luc. 16 *Ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiunt vos in æterna tabernacula.* Sic monemur, vt præparemur ad tempus, quando deficiendum est.

Luc. D. Athan. Gen. 15. Hug. Vict. Luc. 16.

Cap.

CAPVT XXXIII.

Dauidis Fortes.

Textus Historia.

ABDVCTVS à prælijs Dauid, nil magis amabat, quã in se à Deo collata beneficia carminibus extollere. Inter quæ non iliud fuit minoris prætij, quod in militari manu triginta & septem viros habuerit, singulos facinoribus clarissimos, illorum autem septem, qui amplissima regna expugnare potuerunt. Expungendus in primis ab horũ cathalago Dauid est, rex enim cum esset omnium, minime inter seruos numerari debebat. Nec non & Ioab expungitur, qui licet primas omnibus tulisset, tamen ab ipso facta proditoriæ cædes hominẽ de fortium cathalago deleuerunt. Fuit ergo Iesbaan filius Hachamoni, Eleazar filius patrui eius Ahohitos, Semma filius Agede Arari. Primus octingentos hostes interfecit in vno congressu, manu sua. Secundus fugiẽtibus socijs solus restitit Philisthæis, quos tam diu percussit, donec rigesceret manus eius, & locum faceret victoriæ cantatissimæ. In simili fuga tertius stetit in medio agro lentis, nec passus est ab exercitu Philisthinorum lentem calcari, quin illorum extitit victor. Hi tres regis sui desiderijs seruientes non dubitarunt inter confertissimos hostes irruere, & de Bethlehemitico fonte aquam haurire, qua hostiũ rabiem accenderent, & Dauidis sitim extinguerent. Qui miratus virorum animositatẽ, â tã pretiosa aqua abstinuit, illã domino libans. Post hunc præstantissimorũ ternarium, statim proponitur secundus; in quo Abisai trecentorum hostium interfectione affulget, nec non & Banaias, qui Moabitas duos leonibus pares interfecit, & cum leone congressus in cisterna, illum etiam tempore niuis occidit. De Ægyptio validissimo etiam triumphauit, â cuius dextera hastam horribilem leui extorsit virga. Nec his duobus impar Asael fortitudine, & celeritate notissimus; post quem relinquorum nomina expresse, & acurate in cathalogum rediguntur.

(?)

PARS MORALIS in text. literam.

INTER tot fortium describendum cathalogum, iure in primis cathedræ mentio fit, dum dicitur *Sedẽs in cathedra sapiẽtissimus*; vt sciamus, quanto iacula excedat stilus.

2. *Reg.* 23. Hæc nomina fortium Dauid. Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. Post hunc Eleazar filius patrui eius Ahoites inter tres fortes, qui erant cum Dauid, quando exprobauerunt Philisthim, & congregati sunt illuc in prælium. Cumque ascẽdissent viri Israel, ipse stetit, & percussit Philisthæos, donec deficeret manus eius, &c. Et post hũc Semma, &c.

§. I.

Qualibet virtus vt Christi virtus habeatur, sit omnibus alijs associata.

RECensentur in præsenti nomina Fortiũ Dauid, iuxta illud: *Hæc nomina Fortium Dauid*; & cum omnium fortium nomina recensentur, fortissimi omniũ nomẽ adhuc requiritur. Nonne in robore militare fortissimus omniũ Ioab fuit? Nonne ipse sibi omniũ principatũ acquisiuit? Cur ergo non ponitur Ioab in fortiũ numero? Ipse textus causam indigat, cum ait: *Fortiũ Dauid*; quasi non quamlibet admittat fortitudinem in cẽsum, sed illã, quæ deceat socios Dauid. In tanti enim Principis sensu non æstimatur fortitudo, quæ cõtrarijs vitijs sit admixta, quæ proditorie segerat, vt se gesit Ioab Abnerum, & Amasam interficiens. Illa enim est fortitudo fortiũ Dauid, quæ omnibus alijs sit associata virtutibus. In quo Iesus meus filius Dauid apertissime patrissat. Pau. ad Rom.

9. d-

9. dicebat: *Veritatem dico in Christo, nõ mentior.* Non quamlibet in se ostendit veritatem esse, sed illam veritatem, quæ Christi, & in Christo est. Et quæ specialis est veritas Christi? Ea, quæ simul adiuncta sit omnibus alijs virtutibus Christi. Vt
Orig. dicat Orig. ibi, lib. 7. *Veritatem dico in Christo quasi ostendens esse aliquam veritatem, quæ non sit in Christo. Et vide, si possumus talem quemadmodum veritatem, quæ est in Christo ab ea, quæ non est in Christo distinguere: quia & alibi idem Apostolus dicit: Est veritas Christi in me. Veritas ergo Christi credenda est esse ibi, vbi & reliquæ virtutes, quæ Christus esse describuntur, id est, vbi iustitia, vbi pax, vbi est verbum Dei, ibi est veritas Christi.* Veritatem quidem habebant Dæmones, quando de Iesu clamabant, *scio quis sis, sanctus Dei*: & similiter veritatem habebat Caypha dicens: expedit, vt vnus homo moriatur pro populo; sed hæ veritates nõ erant veritates Christi, quia multis sceleribus erant coniunctæ. Quæ autem Christi sunt, singulæ in se habent omnia Christi, cuius est non diuisim haberi, sed integre. Dicebat Isaias, cap. 1.
Isai. 1. *Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Quæ verba sic expendebat Chrysol. in rem præsentem, serm. 159. *Vterque agnouit, quia vterque ad vnũ præsepe Domini epulaturus accessit, epulaturus nõ cænum mortis, sed cibum salutis. Edite, edite pia animalia æternæ vitæ cibaria: & perpetuæ retributionis escam auidis, quantũ potestis faucibus occupate, non diuidentes in frusta, sed integrum, solidumque sumentes. Non potest enim edi Christus, & diuidi; integer à credentibus summitur; integer in ore cordis recipitur. Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis.* Quid pulchrius? Nihil est Christi, quod totum, & integrũ non habeat Christum; nescit enim diuidi in frusta, sed in eo ostenditur aliquid esse Christi, quod totum referat Christũ, nihil illi contrarium admittit Matth. 27.
Matt. 27 *Venit homo quidam diues ab Arimathia nomine Ioseph; hic audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesum.* Nec immerito diues dicitur, qui petit, & accipit corpus Iesu, vt cui eo ipso nihil Iesu deficiat. Ait enim D. Epiphan. orat. de sepult.
D. Epiph. Christi: *Vere diues erat, vt qui Domini hypostasim in duabus naturis concrete subsistentẽ integre tulerit.* Expende illud: *Integre tulerit*: quippè, quod Iesu est, integre petit esse cum omnibus suis virtutibus.

§. II.

Præstantia subditorum principem commendat.

NOn otiosè cathalogus texitur *Fortium Dauid*, sed vt Dauidis regalis gloria innotescat, qui non vilibus, & deiectis, sed magnis præpositus fuerat. Merito enim dicebat de suo Trajano Plinius in Paneg. *Nullam in eo gloriam ponit, quod sit omnibus maior, nisi maximi fuerint, quibus maior est.* Quod pauperum, & depilatorum, & deiectorum hominum princeps sis, nescio an magis tibi cedat dedecori, quam gloriæ. Illud est plane principi glorioſum, quod præstantissimos, & ditissimos, & fortissimos viros habeat, quibus leges ponat. Ioann. 13. *Dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* In eo enim, quod Iesus clarius fulgeret in mundo, dicitur Deus claritatem externam, quo ad nos, accepisse. Sed cur ex claritate Iesu tanta hæc claritas Deo resultat? Pulchrè ait D. Cyril. Alex. lib. 9. cap. 20. *Christo clarificato Deus etiam pater in filio clarificatus est: nõ quia gloria, clarificationisque adiectio illi accessisset, (non enim indiget his rebus natura ineffabilis:) sed quia clarum hominibus factum est, cuius filij pater sit, id circo clarificatus est; gloria enim certe est talem habere filium, &c.* Vt vel Deo patri claritatem quoad nos auget claritas filij; sic subditorum claritas mirum in modum clarificat principem. Huc trahi possunt dicta 1. tom. in Vet. Testam. lib. 1. cap. 1. §. 12. prope finem ex Cæsario Nazianzeni fratre.
Plin. Ioann. 13 Cyr. Al.

§. III.

Ille præstantissimus dux, qui non solum gladio, sed & sapientia suam æquitatem in inuasionibus ostendit.

DAuidis Fortium nomina dumponit, illud in primis asserit de omnium primo, nimirùm: *Sedens in cathedra sapientissimus, &c.* Quid sapientiæ laus ad gloriã fortitudinis? Imò crediderim inde maximè fortem extolli, quod sapiens sit, nec quid aggrediatur, quin rationem prætendat inuasionis suæ. Atalaricus Rex

apud

apud Cassiodor. 9. Var. 25. post laudatas
Cass. 9. strenui ducis virtutes, tandem ait: *Verum his aliquid maius adijciens primordia Regni nostri & armis iuuit, & literis.* Non enim aliter strenuus dux armis hostes feriebat, quã simul sapiẽtibus rationibus sui principis iura cõstituens. De principe omniũ
Ioann. 2. & duce Iesu ait Ioann. cap. 2. *Cum fecisset quasi flagellũ de funiculis, omnes eiecit de templo: oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis tuæ.* Ecce tibi flagellum in manu inuictissimi ducis, quo Deo iniurios homines percutiat, & inter flagellandum, & subuertenda bona simul ait: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Circa quæ ait D. Cyrill. Alex. ibi:
Cyr. Al. *Sicut Dominus imperat; & sicut doctor ad æquum, & iustum hortatur.* Simul imperatorem agit, & doctorem; vt imperator percutit rebelles, vt doctor docet æquitatem, illamque ostendit in suis actionibus. Triumphatoris Dei currui alligata animalia dum proponit Ezechiel, c. 10. ait: *Facies vna, facies Cherub*: Sed & in nomine Cherub explicando Alcassar noster desudans in annotat. 7. Apocal. duas ethymologias illis præmittit. Alteram inuenies ex Bibliis regiis ait: *Cherub, quasi pugnans*;
Apoc. 7. altera ex Vaticanis sic sonat: *Cherub, quasi Magister.* Vt iam inde pateat, quam valeat ad triumphos, quod magisterio sapientiæ floreãt, qui laudabiliter pugnat. Quo spectans Cassiod. 10. Var. 3. de Theodado ad Regnum vocato locutus addit illud:
Cass. 10. *Accedit his bonis desiderabilis eruditio literarum, quæ naturã laudabilem eximie reddit ornatam. Inde prudens inuenit, vnde sapientior fiat. Ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur. Neque aliqua in mundo potest esse fortuna, quam literarum nõ augeat gloriosa notitia.* Sic ibi.

§. IIII.

Sapientia, & fortitudo vera in humilitate consistit.

NOn possum nõ mirari paraphrasim, subqua explicatur omnium fortissimorum Dauidis primus. Dicitur enim: *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno* In cathedra ostenditur, vt sapientissimus, interfector octingẽtorum dicitur, vt fortissimus. Et qualis hic adeò fortis, vt octingentos perimat manu sua, adeò sapiens, vt in cathedra sit? Ait text. *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Nec miror, quod in tanta hominis humilitate, qua se instar vermiculi deijcit, tãta sapientia, & fortitudo sit: Pulchrè dicebat D.
D. Leo. Leo ser. 7. de Epiphan. *Tota christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, nõ in astutia disputãdi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, sed in vera, & voluntaria humilitate consistit; quã Dominus Iesus ab vtero matris, vsque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine, & elegit, & docuit.* Dixerat sapientiã vãram in humilitate consistere, quam humilitatem simul ait electam à Iesu *pro omni fortitudine.* Ne credas sapientiam veram nec veram fortitudinem posse extra humilitatem reperiri. Si autem instar terreni vermiculi humilieris, non solum octingentos deuincis, sed & regna quæque cantatissima expugnas. Matth. 18. dicebat Dominus: *Nisi conuersi fueritis, &*
Matt. 28. *efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliauerit se, sicut parvulus iste, hic est maior in Regno cœlorum.* Iubemur ad parvuli mensuram reduci, vt vel cœlorum regna valeamus potiri. Et cur ad tanti regni expugnationem non magis petimur crescere Gygantum instar? Equidem in sola humilitate est tota humana fortitudo, quæ vel regna acquirat. Vt dicit D. Leo supra:
D. Leo. *Amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad Regnum sublimat æternum.* In parvuli mensura se quis humiliter cõtineat, qui velit tanta pollere fortitudine, vt valeat cœlestia regna potiri. Rex cœlestis dicebat, Matth. 25. *Quandiu fecistis*
Matt. 25. *vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Nõ solum ad regnum eleuãtur, sed & summi Regis fratres dicuntur: & hos vocat minimos. Si reges ipsi, & summi regis fratres, cur vocantur minimi? Ideò tenẽt magnitudinem illã, quia minimi sunt in oculis suis. Ait D. Chrysost. homil. 80.
D. Chrys. *Quid ais? Si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? Immo vero ideò fratres, quia humiles, quia pauperes, & abiecti. Hos enim maximè ad fraternitatem cõuocat suã.* Quid hac potestate fortius? Quo minor, & humilior inueniris, eò citius vales adsũmi regis fraternitatẽ peruenire. Ex quo Theodahadus Rex monebat apud Cassiod. 10.

Var.

Cassiod. Var. 11. affinem suum: *Considera, quod merueris, & dignum te nostra affinitate tractabis. Nam qui familiæ regnantis adiungitur, in laudum gremio collocatur. Nunc maior opera mansuetudini detur; nunc omnibus communio benigna præbeatur: vt talem probemur elegisse, quem nulla possit prosperitas immutare. Humilis agere gloriam: quia de modestia laus sumitur, de elatione odium concitatur.* Sic & mundialis Rex humilitatem consulit ei, qui regiâ affinitatem fuerat consequutus; ne odium, sed affectum omnium sibi conciliet.

§. V.

Non parua gloria est hominis; qui à Iesu in consortium passionis assumitur.

ILlud de secundo Dauidis forti dicitur: *Post hunc Eleazar filius patrui eius Abohites, inter tres fortes, qui erant cum Dauid, quando exprobrauerunt Philisthiim, &c.* Sto à sententia Abulensis putantis in præsenti intelligi Dauidem, & tres fortes eius exprobratos fuisse à Philisthæis, cuius exprobrationis particeps fuit Eleazar, vt pote vnus ex illis tribus. Et inter eius laudes primas, hæc ponitur, quod cum Dauide sustinuerit exprobrationem illã; ne miremur quod laudi, & gloriæ hominis detur, quod in passione sit cum Iesu Dauidis filio. Hoc, inquam, magnæ gloriæ, & vtilitatis homini est. Matth. 2. Herodes iratus in Iesum, vt illum occidat, *Occidit multos pueros.* Et mirabar, quod Iesus coetaneos suos puerulos perditioni destinet. Cur Domine occisioni permittis eos, qui tecum nati sunt? An eorum perditionem amas? Absit, non ignobili gloria illos insignit, quos in passionis suæ consortium assumit. Ait D. Leo serm. 7. de Epiphan. *Vt imitatoribus suis quid gloriæ pararet, Iesus ostenderet, ortus sui tempore editos martyrio consecrauit, vt in Bethlehem, vbi Christus natus est, geniti, per communionẽ ætatis consortes fierent passionis.* Hoc gloriæ dedit Iesus coætaneis suis puerulis, vt consortes fierent passionis Christi. Quod tã glorioſum homini est, vt cõparari debeat, vel totius substantiæ mundi. Luc. 23. agens de morte Iesu ait: *Et cũ ducerent eum, apprehenderũt Simonem quemdã Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesu.* Expende illud: *venientẽ de villa*: vt quid enim necessum fuit notare, quod de villa veniebat? Quid, quod de villa venerit, vt imponeretur illi crux post Iesum? Multũ sanè illud conducebat, non enim ad tantũ gloriæ pondus admitteretur, nisi veniens reliquisset villam, hoc est, reliquisset mũdum. Ait ibi Theophilact. *Ille potest fieri subditus Iesu, & tollere crucem suam, qui virtutis operarius est, qui venit à villa relinquens mundum, & ea, quæ sunt in mundo.* Dignũ sanè, quod vel totius substantia mundi cõparetur consortiũ passionis Christi. Quid dico consortium passionis Christi? Vel solus passi corporis Iesu tactus cõparari debet mundialis vitæ ruina. Ioann. 19. *Venit ergo Ioseph, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primũ, ferens mixturã myrrhæ, & aloes, quasi libras centũ. Acceperunt ergo corpus Iesu, &c.* Mirabar, quod tantum thesaurum committeret Deus hominibus his adeò imperfectis, & occultis discipulis. Cur boni qui viuum Iesum conuenire timebatis, nunc à Iudæis occisum audetis contingere? Antea viuebant ipsi mundiali vita, & ideò metuebant conuenire Iesum viuum; nunc mortui iam erant mundo cũ Iesu mortuo in cruce; & ideò illis mortuum corpus Iesu tangendũ permittitur. Ait D. Epiph. orat. de sepultur. Christi: *Ordines omnes cœlestes stupent, horrent, & dicunt: Quod hoc magnum spectaculũ est? Qui à nobis corporis expertibus, supernè, vt Deus, clarè videri nequaquam potest* (puta naturæ viribus) *is infernè non à mortalibus tantum, sed à mortuis, undè & clarè, & in offensæ cernitur. Cui cum reuerentia, & timore Cherubim assistunt, hunc Ioseph, & Nicodemus omnis formidinis vacui sepulturæ cõmittunt.* Sic boni totius mundi iactura comparatus tractare corpus Iesu crucifixi.

Matth. 2.

Luc. 23.

Theophi.

Ioann.

D. Epiph.

§. VI.

Perseuerantia omnium bonorum illex.

IN Eleazaro, & Semma duobus fortibus Dauidis inuenio factã à Deo salutem magnam. Dicit enim de Eleazaro: *Ipse stetit, & percussit Philisthæos, donec deficeret manus eius, & rigesceret cum gladio. Fecitque Dominus salutem magnam, &c.* Et post hunc de Semma loquens ait: *Stetit ille in medio agri, & tutus est eum percussitque Philisthæum, fecit Dominus salutem magnam, &c.* In duobus istis solis dicitur salus magna à Deo facta. Et cur hoc dicitur de duobus istis solis? Equidem vterque suo tempore fugientibus alijs stetit in acie, & perseue-

rauit percutiens inimicos. In quibus autem tanta perseuerantia fuit, non mirer, quod illis omnia bona occurrant. Luc. 22. dicebat Dominus: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, &c.* Expende illud: *Qui permansistis*: circa quod sapienter satis ait Beda: *Non inchoatio patientiæ, sed perseuerantia cœlestis Regni gloria donatur. Quia nimirum perseuerantia, quæ alio nomine constantia vocatur, robur quoddam, & fortitudo mentis, cunctarumque est columna virtutum. Quæ cum bene recta, & firma consistit, nihil est certius, nihil tutius bonis moribus. Quod si aliquo deiciatur impulsa turbine, non sola labitur, omnia enim prorsus animi bona simul corruunt.* Quid sapientius notatum? Equidem constantia, & perseuerantia est, cui omnia bona applaudunt. Ioann. 20. post sepultum Dominus, cum vel amici inde abirent; *Maria stabat ad monumentum foris plorans*: ibique iubetur ab Angelis ponere lachrymas, imò & illi in primis Iesus rediuiuus apparet. In quibus erat merces constantissimæ perseuerantiæ. Ait ibi D. Cyrill. Alexand. *Non concessit corporis sui tactum mulieri, quamvis cupienti, mercedem autem perseuerantiæ, lachrymarumque suarum duplicem illico reddidit. Nam in ea primâ vniuersum mulierum genus à marore, ac lachrymis ad lætitam reuocatur. Hæc igitur vna merces est. Altera, quia mittitur ad discipulos nuntia, vt eis hos Euangelium afferat, &c.* Expende illud: *Mercedem autem perseuerantiæ, &c.* quippè perseueranti non debuit merces dilatari, sed reddi dupplo aucta. Vnde D. Amb. in expos. Euang. Paschæ dubitans, an Christi resurrectio fuerit peracta, cum adhuc, noctur næ essent tenebræ, ait: *Et vt scias noctè factum, alia mulieres nesciunt, alia sciunt. Sciunt, quæ obseruabant noctibus, & diebus: nesciunt, quæ recesserũt.* Perseuerãtibus data fuit notitia resurrectionis Christi.

Luc. 22.

Ioann. 20

Cyr. Ale.

D. Amb.

2. *Reg.* 23. Desiderauit ergo Dauid aquam de lacu, & ait: O siquis mihi daret potũ aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam. Irreperunt ergo tres fortes castra Philisthinorũ, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid, at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguine, &c.

§. VII.

Frugalitas Principis pugnaces, & vitæ contemptores pro principe facit subditos.

NVnquam nõ miror, & Dauidis frugalissimum desiderium, & pro illo susceptum periculum ab his tribus primis fortiorum eius. Quippè ait: *Desiderauit ergo Dauid aquã de lacu, & ait: O siquis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorũ, & hauserunt aquã, &c.* Dauid aquã desiderat, & tres validissimi eius duces immensum hostium contemnunt exercitum, & confertissimũ hostem irrumpentes aquam hauriunt Dauide. Nec miror, quod rex adeò frugalis, qui solam aquam concupiscat, nec aliud amãs exigere quã sanioris aquæ potũ, eos creet subditos, qui constantissime, & fortissime omnia pro illo calcẽt pericula. Ex quo lucẽ affero miseræ Balthasaris regis fortunæ. De quo ait Daniel, cap. 5. *Balthasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille; & vnusquisque secundum suam bibebat ætatẽ.* Tunc visa manus literas conscribens in pariete; quæ explicatæ à Daniele præsens Regi intimabant excidiũ; & inde muneratus à Rege Daniel purpuram induit. Quid tunc? *Eadẽ nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus. Et Darius Medus successit, &c.* Ecce tibi proponitur Babylonis expugnatio à Dario facta; vt nimirum vrbẽ ingressi Medi aulam expugnant, & regẽ Balthasarem interficiunt, & nullus dicitur à parte Balthasaris stetisse, nullus ostẽditur pro illo gladium strinxisse, nec hostibus obuiã isse. Dicebat Iesus meus, Ioan. 19. *Si ex hoc mũdo esset regnũ meũ, ministri mei vtiq; decertarẽt, vt nõ traderer Iudæis*, quasi inde ostẽdat cõditionẽ mũdialiũ regũ, quo pro illis acriter decertent eorũ subditi. Et cur hoc nõ habuit Balthasar in discrimine suo? Cur sic patuit hostilibus insultibus; vt nec

Dan. 5.

Ioann. 19.

vllus

vllus dicatur pro illo gladium ſtrinxiſſe? Non miror; delicioſiſsimus enim rex, omnes ſuorum & curas, & ſumptus occupabat in conuiuijs faciendis, in delitijs quærendis ſuis. Inſeruiendo ergo regijs delitijs, & lautiſsimis cupedijs ſubditi, ſic ad id inueniebantur præoccupati ſubditi, vt minime illis vacaret noſcere gladium pro
D. Hier. principe ſuo. Ait D. Hieron. ibi: *Ioſephus dicit, obſeſſa Babylone à Medis in tantam veniſſe obliuionem ſui Balthaſarem, vt celeberrimum iniret conuiuium, & obſeſſus vacaret epulis. Vnde poteſt fieri hiſtoria, quod eadem nocte ſit captus, atque iugulatus, dum omnes occupati ſunt feſtiuitate, & ebrietate conuiuij.* Expende illa: *Dum omnes occupati ſunt feſtiuitate, &c.* Equidem dum ſubditorum curæ, & labores occupantur ad feſtiuitates, & lauta cõuiuia principis, mirum erit, ſi vnus inueniatur, qui in arena ſtet pro illo. Ille enim princeps habet validos ſubditos, & pugnatores, & propugnatores; à quibus non nimiæ deliciæ, non larga conuiuia exiguntur, ſed frugaliſsimos potus aquæ frigidæ. Sapientiſsime Latinus
Pacat. Pacat. triumphorum cauſas perquirens in Theodoſij virtutibus, ſic ſingulas reſpondere audit in eius Paneg. *Audio Conſtantiã dicere: Bellum atrox, periculoſumque ſuſcepi; memorare Patientiam. Immenſum iter, tempus anni graue, ſemper arma, ſemper ieiunia toleraui; aſſerere Fortitudinem: Bis conflixi cum hoſte, bis vici.* Expende illa victrici Fortitudini immediata, nimirum: *Semper ieiunia toleraui.* Crede mihi, nunquam ieiunia, & frugalitas principum non creant exercitus triumphales.

§. VIII.

Virtus principis per ſe ſola cõtemni facit à ſubditis pericula.

VIdimus ſupra 2. Reg. 5. vt Dauid propoſuerat præmium bellatoribus, qui arcem Sion expugnaſſent. Modo video rem ſummam, maximeque arduam intentari à tribus fortiſsimis viris, nullo propoſito ſibi premio. Dicit enim: *Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, &c.* Et cur nullo propoſito premio tan arduum opus arripiunt, in tantumque ſe conijciunt periculum? Nouerant principem deſiderantem aquam illam, nec tamen illam petentem à ſuis: & tanta principis virtus fecit omnia contemni pericula, in obſequium illius. Eſt equidem potentiſsima virtus principis, vt per ſe ſola faciat contemni pericula. Huc traho, quæ dixerat Theodoſio Imperatori Latinus Pacat. in eius Paneg. O res digna memoratu! Ibat ſub ducibus, vexilliſque Romanis hoſtis aliquando Romanus, & ſigna contra quæ ſteterat, ſequebatur, vrbeſque Pannoniæ, quas inimica dudum populatione vacuauerat, miles implebat. Gottus ille, & Hunnus, & Alanus reſpondebat ad nomen, & alternabat excubias, & notari infrequens ferebat. Nullius tumultus, nulla confuſio, nulla direptio, vt à Barbaro, erat. Quin ſi quando difficilior frumentaria res fuiſſet, inopiam patienter ferebat, & quam numero arctarat annonam, comparcendo laxabat, *pro omni præmio, omnique mercede id vnum reposcens, vt tuus diceretur. Quanta eſt virtutis ambitio!* Tanta equidem erat virtutis Theodoſij ambitio in exercitibus, vt difficilia quæuis vorarentur, nulla alia mercede ſpectata, à militibus, præter quam, quod è parte illius haberentur. Nunquam non æmulatio virtutis principis, non facit à ſubditis vorari arduа quæque. Vt dicat Paul. 2. ad Corint.
Pacat. 12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus*
2. Ad Corinth. 12. *meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in angueſtijs.* Ecce tibi quot periculis lætus ſe deuoueat Apoſtolus, vt principis ſui Chriſti Domini virtuti aduiuet. Tanta eſt virtus in principe nota, quæ roboret ſuos ad arduа, & difficilia ſubeunda. Adeò, vt inde aperte concludatur nihil eſſe virtutis, ſupernæque præſtantiæ in eo, cuius effœminati fiunt miniſtri. Ex quo D. Cyprianus ſic conficiebat Senatorem Iſidis, ſeu matris Deùm ſacris inſtantem:

D. Cypr. *Quis patiatur enim te matrem credere magnã*
Poſſe Deam dici, rurſuſque putare colendam
Cuius cultores infamia turpis inurit?
Namque Sacerdotes tunius muliebribus idem
Interius ritum cultu exteriore fatentur,
Leuiter incedunt, mollita voce loquentes.

Et quidem, quæ cultores effœminat, & miniſtros vſque ad muliebres voces demittit, nihil diuinitatis, aut virtutis creditur habuiſſe.

§. IX.

Solus est ab omni fallacia alienus, qui vnum principis obsequium spectat, non proprium lucrum.

VErum est, quod tres hi per medios hostes Bethlehem peruenerunt, & inde è cisterna Dauidi nota aquam traxerunt. Dicit enim. *Hauserunt aquam de cisterna Beth chem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.* Non aliam aquam, sed illam, quæ hostibus cincta erat, attulerunt. Et cur non aliam patentiorem attulerunt? Nõne aulicorum est decipere, & fallere suos dominos? Cur isti non aliquam fraudem excogitarunt, qua viderentur Bethlehemiticam aquam afferre, & aliam loco illius ministrarent, sic principis desiderium fallentes, & se à periculis liberantes? Erant hi adeô ad Dauidem affecti, vt nil aliud spectarent, quam illius obsequium. Qui enim in palatijs, in curijs, in Ecclesijs propria lucra spectant, hi in quamcumque fraudem consentiunt, provt maius lucrum apparuerit. At qui solum principis obsequium, sed Dei attendunt, hi fidelissimi ab omni prorsus fraude alieni, nullis possunt à tali obsequio deterreri. Dicit Herodes tribus illis Magis ad viuidum Bethlehemi fontem contendentibus, Matth 2. *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Cum huc peruenio, non possum non mirari, cur Herodes Rex non magis fidat hospitibus suis, illis reuelans totam curam, & solicitudinem suam in puero illo; & multis datis, & promissis illos alliciat, vt consentiant fraudi suæ? Cur rex potentissimus hoc non sperat consequi ab hospitibus, qui nulla affinitate coniuncti erant puero? Vnus erat illis Iesus præoculis, non spes lucri, non timor laboris; & ideô Herodes desperat illos adducere, vt suæ fraudi consentiant. Rem pulchrè definit Imperfect. ibi: *Vidit enim Herodes magnam deuotionem Magorum circa Christum, quia non poterat eos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, vt consentirent ei in interfectione regis futuri, ideò illos decipere cogitauit. Nec enim poterat fieri, vt blandimentis seducti proderent illum, propter quem tanti itineris susceperunt labores. Nec expauescere poterant aliquem, vt traderent eum, qui non aspexerant Herodem, neque Cæsarem, sed in medio regno illorum ingressi sunt, alium regem annuntiantes. Nec aliud amplius desiderare poterant quam Christum, cui illi de tam longa Prouincia munera preciosa portabant.* Equidem quando vnus illis erat Christus præ oculis sinceriſsime pro illo omnia vorabant mala, omnia bona despiciebant. Hoc vnum satagentes, vt tanto principi deferretur obsequium, vel omnibus malis sublatis, vel omnibus bonis datis emendum. Qui autem proprijs temporalibus commodis, quas auris mouetur, is in omnia consentit, nihil abijcit fraudulentum. Vt merito dicat D. Cypr. Senatori, qui iuxta commoda temporalia religionem assumebat:

Nam rib si stomachum popularis mouerit aura D. Cypr.
Et Inaanis eris, totusque incertus haberis.

Plane in nullo firmus, in nullo certus haberi potest, qui ardenter sua temporalia bona sequitur, sed ille erit, quem tulerit commodorum spes; iam Græcus, iam Iudæus, nunquam non fraudulentus.

§. X.

Magnæ virtutis ausis, vel aduersantes naturæ cedunt.

MAgnum illud: *Irruperũt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam, &c.* Neque euntes, neque redeuntes potuit offendere immensus hostium exercitus. Nec miror; hebetantur enim aduersariorum acies ad magnæ, invsitatæque virtutis conspectum. Dicebat Iosephus lib. 7. Ant. cap. 10. *Hausta aqua per eandem viam ad regem sunt reuersi, attonitis audacia tanta barbaris, nec ausis paucitatem eorum contemnere.* Nec absimile de Ecditio strenuo duce referebat Sidon. Apollin. lib. 2. epist. 3. *Vix duo de viginti equitum sodalitate comitatus aliquot millia Gothorum non minus die, quàm campo medio (quod difficile sit posteritas creatura) trãsiit. Ad nominis tui rumorem, personæque conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit; ita vt præ admiratione nescirent duces partis inimicæ, quàm se multi, quàm te pauci comitarentur.* Sic invsitatæ virtutis conspectus aduersarias acies reddit invtiles. Magnum hoc; sed illud longe maius, quod vel naturæ aduersæ cedant invsitatæ virtuti. Sidon.

virtuti. Dan. 3. tres pueri Hæbræi audent pro Deo ſtare aduerſus Nabuchodonoſorem regem potentiſsimum. Aquo in fornacem ardentem conijciuntur. Dicit enim
Dan. 3. textus: *Viri autem hi tres, id eſt. Sidrach, Miſach, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, &c.* Sic Dei athletæ, vt regem vincant, non dubitant, nec metuunt flammis dari; verum in medijs flammis liberi, & illæſi ambulant. Vnde hoc? Ait D. Zeno lib. 2. ſerm. 30.
D. Zeno. *Trium puerorum martyrium, qui credit interitus, poteſt etiam ipſe adipiſci martyrium: Tãta enim vis certaminis fuit, vt eam ipſe quoque ignis horruerit.* Ad tantę virtutis puerorum conſpectum, vel ipſiſsimæ obrutæ ſunt acies flammarum.

§. XI.

Dei fortibus naturæ contra ſe ipſas miniſtrant.

MIramur merito tres hos fortes Dauidis, de quibus dicit: *Irruerunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethleem, &c.* Potuerunt equidem fortes Dauid obnitente exercitu Philiſthinorum haurire de ciſterna aquam. Quantum hoc? Equidem fortes Dei non de ciſterna, ſed de ipſis flãmis hauriunt aquas. Compone hinc regem Aſſyrium cum ingenti exercitu, & cum fornace flammante, Dan. 3. illic tres pueros Hæbræos contra regem ſtantes, qui in fornacem mittuntur, vt cõburantur. Quid
Dan. 3. tunc? Ait text. *Angelus autem Domini deſcendit cum Aſaria, & ſotijs eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi medium roris flantem.* Proh validiſsimi iuuenes, vt diuina fortitudine aduerſus mundiales poteſtates induti pro Deo ſtatis, ſic valetis non in ciſterna, non in fonte, ſed in fornace, & flammis inuenire rorem aquæ. Vt dicat D. Ze-
D. Zeno. no lib. 2. ſerm. 36. *In caminum miſsi, vt ſubmerſi ſunt flammis, ſtatim inuiſibili rore incendia temperãtur.* Nobiles Dei athletæ aquas hauriunt de flammis. Seruiunt etiam con-
Ioann. 2. tra ſe naturæ Dei miniſtris. Ioann. 2. *Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt, &c.* Iuſsiſti Domine implere aqua hydrias, & nunc iubes haurire. Quid hauriat miniſter de hydria aquis plena niſi aquam. Non equidem hauriet aquam, ſed vinum; miniſter enim Dei, vt in flammis aquam, ſic in aqua inuenit vinum. Vt dicat D. Max. hom. 1. in Epiph. *Obſequium* D. Max. *ſuum obediens miniſter exhibuit: Obſtupuit ergo miniſter, quia aquas miſerat, & vina ſumebat.* Sic omnia etiam contra naturam ſuam famulantur Dei miniſtris.

§. XII.

Fideles reges à ſanguine Ieſu fulgentiores.

NOn crediderim ſine myſterio Dauidem appetiuiſſe aquam Bethleemiticam, cum ait: *O ſiquis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxta portam!* Non, inquam, credam in tanto rege adeò muliebrem appetentiam ſolam fuiſſe; præſtantiorem alium fontem ſpectabat, nempe Chriſtum in Bethleem ortum, cuius vndis magis regius ſplendor elluceret. Ait Gloſſa: *Aquam non tam ſitiebat, ſed naſcitурum in Bethleem Chriſtum præuidebat, cuius lauacrum, & ſanguinem ſitiebat.* Deſidetio afficiebatur Dauid non tam aquæ, quàm ſanguinis manaturi de Ieſu carne; cuius tintura credebat maximè illuſtrandas fidelium regum purpuras. De Ieſu carnificibus tradito locutus, Matth. 27. ait:
Matt. 27. *& exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes Coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, &c.* Purpurea chlamys induit Ieſum ſpinarum aculeis iã iam excarnificandum. Et cur ad tam horrendam lanienam purpurea chlamys additur? De illa ait D. Iſid. Peluſ. lib. 1. epiſt.
Iſid. Pel. 251. *Domino impoſita robur, ac vires contraxit.* Nõ otioſa erat ibi purpura, ſed de Chriſti ſanguine in ſe ſuſcepto novum robur contrahebat, imò & maximè illuſtrabatur. Me in hanc excogitationem coniecit Latinus Pacatus, is vidit, vt Maximus tyrannus circumſeptus â Theodoſij exercitu, & adhuc purpura indutus potuerit ſibi manus inferre, ſed maluit capi ab hoſtibus, & nudari purpura, & nudatum trucidari. Et cur non magis voluit morti occumbere indutus purpura, quam nudatus? Ait Latin. Pacat. in Paneg. Theodoſij:
Pacati. *Ne morti honeſte vacaret, ne regalem illũ, ſanguĩue veſtitũ impio cruore pollueret, ne vultus olim tuus, ac deinceps fratrũ futurus funeſtum ſanguinẽ acciperet.* Equidẽ prouiſum à Deo eſt in Maximi tyranni nudatione, & interfectione,

fectione, ne purpurea vestis impio cruore fœdaretur, ne regius vultus, qui è purpura in omnibus bonis regibus erat spectandus funestum exhiberet sanguinem. E contra autem prouisum est à Deo in passione filij sui, vt purpurea illũ indueret chlamys, vt sic purpura diuino cruore illustraretur, & regius vultus deinceps in principibus fidelibus de Iesu diuinissimo sanguine
D. Leo. radiaret. Ex quo lucem affero verbis à D. Leone serm. 6. de Epiph. datis: *Tantum cõtulit fidei nostræ impugnatio persequentium, vt nihil magis ornet regium principatum, quam quod Domini mundi membra sunt Christi: nec tam gloriantur, quod in imperio geniti, quam gaudent, quod in baptismate sunt renati.* Ecce maior, & fulgentior regum gloria, nimirũ, *quod in baptismate sunt renati.* Et cur è bap-
Ad Rom. 6. tismate fulgentior regum gloria est? Ait D. Paul. ad Rom. 6. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Canalis est sanguinis Christi baptismus, cui adiuncta regum purpura novam gloriam, novumque splendorem inde sumit.

§. XIII.

Perfecta, & præstãtia vni Deo exhibenda.

VT vidit Dauid aquam tanto virorum fortium discrimine comparatã; *Noluit bibere, sed libauit eam Domino, &c.*
D. Ambr. Circa quæ ait D. Amb. 1. Apol. 7. *Dignum fuit, vt vinda virtutis insit, ne fieret pietatis sacrificium.* Quod enim tam perfectæ virtutis opus erat, non alij exhibendum erat, quam Deo, cui omnia debent consecrari perfecta. Quo spectans Paul. Oros. lib. 7.
Paul. Or. cap. 28. dicebat: *Cõstantinus Imperator creatus est, primus Imperatorum Christianus, excepto Philippo, qui Christianus annis admodum paucissimis ad hoc tantũ constitutus fuisse mihi visus est, vt millesimus Roma annus Christo potius, quam idolis dicaretur.* Adeò omnia perfecta debentur vni Deo, vt prouisum fuerit, quod annus Romæ millesimus sub Christiano Principe Philippo compleretur; ne tanta numeri perfectio alij, quam vero Deo, & Christo eius dicaretur. Hinc
Leuit. 19. cauebat lex, Leuit. 19. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea lignu pomifera, auferetis præputia eorum. Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto anno omnis fructus sanctificabitur laudabilis Domino.* Et cur quarti anni fructus exquiritur Deo? Ille creditur perfectior omnibus præcedẽtibus, & ideò debet Deo dicari, cui soli debẽtur perfecta, & absoluta. Ait Clem. Alex. lib. 2 strom. *Fructũ nõ sinit imperfectũ colligi ex imperfectis, sed*
Cle. Alex. *post triennium, cũ quarto anno Deo consecrarit primitias, postquam arbor perfecta fuerit.* Sic quod perfectum est, & à perfectis ortum vni debet consecrari Deo. Possunt alia minoris momenti dari creaturis; quæ autem superioris sunt præstantiæ non nisi Deo dentur. Exod. 30. *Facies thymiama compositum opere vnguentarij mistum diligen-*
Exod. 30. *ter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij: Talem compositionem non facietis in vsus vestros, qui sanctum est Domino. Homo, quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Merito opus tanti pretij, tanti studij, & tantæ contusionis vni Deo consecrari iubetur, vt sciant homines magna, & præstantia non nisi Deo offerenda. Quo circa ait Petrus Da-
Petr. Da. mian. lib. 8. epist. 9. *Hoc plane studium, tantaque subtilitatis instantia non rebus est adhibenda terrenis, sed adhoc tantum adhibenda est, vt placere valeamus obtutibus creatoris; neque vt in hoc sæculo videamur iusti, sed vt coram Deo in nostra simus examinatione prudentes. Quisquis ergo, siue literarum sæcularium disciplinis, siue rebus, quibuscumque terrenis hoc studium exhibet, quod Deo debetur, meritoperit.* Sic ibi.

§. XIIII.

Christiani Principis est aurum Religioni postponere.

APpetitam aquam Dauid contempsit, &: *Noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Magnum hoc in rege, quod aquę cupiditatem vicerit, eamque Religioni postponeret. Accipe maius in Recharedo Hispanorum rege, qui auri cupiditatem principibus adnatã Religioni postposuit. Iudæi enim ingentem auri copiã Recharedo obtulerant, vt permitterentur Iudaice viuere quibusminime assentitus fuit Princeps Religiosus. De quo differens D. Greg. PP. lib. 6. Registrj epist. 126. ait:

Qua

D. Greg. *Quæ in te mihi Dauidis regis factum ad memoriam venit, cui dum cõcupita aqua à cisterna Bethleemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus esset allata, protinus dixit: Absit à me, vt sanguinem iustorum hominum bibam. Quam quia fudit, & bibere noluit, scriptum est, Libauit eam Domino. Si igitur abarmato rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium Omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit? Itaque fili excellentissime fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti.* Sic sanctus Pontifex Recharedi Hispani regis factum supra Dauidis factum extollit. Vterque fecit, quod reges facere non solent: vterque cupiditatem vicit, sed Dauid cupiditatem aquæ, Recharedus auri cupiditatem. Sic à Iesu illectis principibus solet contemni aurum. Pro quo trahe dicta, 3. Tom. in Euang lib. 14. cap. 3. §. 4.

2. *Reg.* 23. Abisai quoque frater Ioab filius Saruię princeps erat de tribus; ipse est, qui leuauit hastã suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus, & inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed vsque ad tres primos nõ peruenit. Et Banaias filius Ioiadæ magnorum operũ de Cabseel; ipse percussit duos leones Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis. Et ipse quoque interfecit virum Ægyptium, &c.

§. XV.

Minime inglorium homini est, quod in secundis consistat.

IN secũdo fortium virorum ternario ponitur Abisai, cujus fortitudo, & præstantia, commẽdatur ex eo, quod occidisset trecentos manu sua, vno die; sed tandẽ dicitur de illo, *Ad tres primos non peruenit.* Nec hoc ingloriũ illi creditur fuisse, quãdo æmulatus primorum glorias mansit in secundis, immediatus primis. De Noe etiã dicitur, Genes. 6. *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Genes. 6. Nec hęc prima laus hominis est, quod sit iustus, & perfectus in generationibus suis, hoc est, respectu sui sæculi, sucque generationis. Hęc namque est prima laus, quod nimirum absolute, & simpliciter quis iustus, & perfectus dicatur, sine vllo respectu ad alios. Hæc autem laus non dicitur de Noe; sed sola illa, quæ videtur non prima, sed secũda. Et hoc factum fuit ad aliquod Noemi dedecus? Absit; non enim indecorum, sed glorioſum homini est, quod in secundis consistat: Ait Philo lib. 1. de Abrahamo: *Post laudatas Noe virtutes, adiecit perfectum fuisse in sua generatione: indicans eum non absolute, sed collatum ad eius ætatis cæteros bonum fuisse. Nam post numerauit sapientes alios; virtute incomparabiles, qui nõ cum malis collati meliores, sed quia fœlicem naturam adepti seruarunt eam incorruptam:: Mirandus tamen est ille, qui ætatis suæ præstantissimus est: huic secunda partes laudis debentur, illorum verò primam palmam natura esse voluit. Magnum tamen fuerit, vel in secundo loco consistere.* Philo Hæret nõ in eo, quod in se erat Noe, quamuis in se esset vere, & absolute iustus; sed in eo, qui dicebatur esse verbis scripturæ, quibus vt dicebatur iustus in generatione sua; non videbatur dici absolute iustus, sed respectiue. In quo dicendi modo præclare putat non explicari primam, sed secundam laudem iusti. Et quia Noe ponitur in secundis, an aliquod indecorũ patitur? Abſit, inquit: *Magnum tamen fuerit, vel in secundo loco consistere.* Philo Non solum tibi magnum puta, quod primus in qualibet virtute existas; sed & quod ad secundum gradum peruenias, id magnum est. Genes. 49. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, &c.* Genes. 49. Scio Iosephi progeniem sic accreuisse, vt ad regnum peruenerit. Peruenit tamen ad regnum post Iudam. Et quando Iosephi filius Ephraim ad regnum venit post Iudam, cur adeo incrementum eius laudauit Iacob, nisi quia magnum est, vel in secundis constitisse? Hinc dicebat Ruffin. lib. 2. de Bened. Patr. *Ampliatus filius appellatur Ioseph, quem Dominus familiæ suæ conseruandæ gratia, vsque ad secundum regni exaltauerat gradum.* Iacob. 2. Inde amplitudo Ioseph commendatur, quod in secundis

esse dicitur. Ne sit qui gradum respuat secundum. Vt dicat Silius Ital. Punic. 11.

Pudet Hercule tritas
Desperare vias, laudemque timere secundam.

§. XVI.

Virtutis congressus nil timet sibi à latebris.

PRæstantissimum hoc fuit in Banaia, quod non in theatro, sed in cisternæ latebris amauit cum leone pugnare. Sic enim dicitur de illo: *Percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* Non spectacula, non theatra requisiuit, vt cum feris pugnaret; sed in cisternæ abditum profundum audiens rugire leonem; eo se præcipitat, & leonem ibi strangulat. Et quidem virtutis congressus nunquam sciuit sibi timere à latebris. De fidelium Heroum certaminibus multa locutus Paulus, tandem ait ad Hebræos, cap. 11. *Quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in speluncis, & cauernis terræ.* Et mirabar, quod Deus tam præstantes athletas suos, qui mundum dignitate superabant, in cauernis, & spelucis terræ degere permiserit. Nonne inde multum gloriæ amittebant, quod in latebris degerent illi, quibus deberentur theatra? Minimè; dum enim pro Deo certamen esset, & discrimē, nihil erat minoris gloriæ, quod timerent à latebris. Ad hæc pulchrè monebat D. Cyprian. epist. 56. *Et si fugientem in solitudine, ac mõtibus latro oppresserit, fera inuaserit fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem tempestas, ac procella submerserit. Spectat militem suum Christus vbicumque pugnantem, & persecutionis causa, pro nominis sui honore morienti præmiũ reddit, quod daturum se in persecutione promisit: Nec minor est martyrij gloria non publice, & inter multos perisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire.* Spectent certamina tua, discrimina tua, Deum, Deique virtutem, & licet in obscurissimis mundi angulis, in remotissimis, profundissimisve cauernis sis, à nullo visus, à nullo auditus, nil tibi gloriæ imminuitur. Nesciunt enim officere latebræ congressibus virtutum. Dicebat, 2. Machab. 6. de multis viris iustis: *Alij vero ad proximas coeuntes speluncas, & latenter Sabathi diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt.* Ecce tibi latentes in speluncis sancti inter sacra Sabathi cremabantur à Philippo tyranno. Et quanta cum illorum gloria, & Philippi ruina? Cũ huc peruenio non possum non meminisse alterius Philippi Eusebiani hæretici, cuius facinus in catholicos sic memorat D. Athanas. epist. ad solitarios inquiens: *Paulus Episcopus ab Eusebianis in actissimo, ac obscurissimo loco reclusus fuit, relictusque ibi, vt fame periret, deinde post sex dies, cum eò ingressi Eusebiani hominem, adhuc spirantem inuenissent, per vim Episcopum strangulârunt, atque eo genere finis vitam clausit; & diaconus dixit inferendæ necis ministrum Philippum fuisse. Verum adhuc sceleris vindicta diuina conniuendum sibi non putauit: Philippus enim nondum vertente anno præfecturâ suâ cum magna ignominia spoliatus est, &c.* addit multa circa huius ruinam. Non offuit Sancto Episcopo latebrosus, & obscurus locus, quominus ipse ibi glorioſe de perfidis triumpharet, sibique gloriam acquireret, Philippum autem præfectum relinqueret infamiæ. Sic neotherica hæc struerunt fidem antiquis illis, in Philippo infamato, & perdito, & in sanctis glorificatis, qui in cauernis terræ perfecerunt religionis certamina.

Ad Hebr. 11.

D. Cypr.

2. Mac. 6

D. Athan.

§. XVII.

Ad magna discrimina nõ eũdum, nisi post aliqua minora deuicta.

NOn fortitudinis, sed audaciæ opus videretur, quod in cisternæ angusto pugnaret cum leone Banaias, nisi & prius in spacioso campo leones vicisset. Ait enim: *Ipse percussit duos leones Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna, in diebus niuis.* Non antea quã percussisset duos leones Moab, descendit in cisternam, vt ibi tempore niuis cum leone confligeret. Magna enim certamina, & discrimina non debent adiri, nisi ab eo qui alia mediocria saltē superauerit prius. Matth. 4. *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* In desertum abit Iesus, vt diaboli tentationibus se exponat. Et cur non magis in ciuitatibus, & hominum frequentia voluit à diabolo tẽtari? Nouerat iam pridem deserti tentationes vincere, & ibi de tẽtatoribus hominibus triumphare, iuxta illud Psalm. 94. *Nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto;*

Matth. 4.

Psalm. 94

vbi

vbi tentauerunt me patres vestri, &c. Ne priusquis in duriora irrueret, quin alia mediocria saltē superauerit. Ait ibi D. Chry-
Chrysost. sost. hom. 5. ex varijs in Matth. *O incomparabilis Domini patientia, & admiranda humilitatis exemplum. Tentari à diabolo Dominus patitur, qui tentantem se in deserto iam dudum mortifero serpentum morsu percusserat.* Qui tentatores in deserto serpentum morsu cōtriuerat, ipse diaboli modo tentationibus in deserto se exponit, nec ad has venit nisi prius deiectis illis. Nec Dei Spiritus est homines ad magna discrimina ducere, quin eos prius exercuerit in minoribus. Genes.
Gen. 22. 22. *Quæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuū, &c.* Quam dura hæc tentatio erat, vt patet dilectum, & vnigenitum filium mactet? Illa verò proposita fuit Abrahæ non subito, sed post alias deiectas, dicit enim notanter: *Quæ postquam gesta sunt*, post gesta alia ad hanc tentationem venit. Et quæ fuerūt illa alia gesta, nisi aliæ non infimæ tentationes, quibus ad hanc magnam fuerat
Rupert. præventus? Ait ibi Rupert. *Hactenus longa peregrinatione, & diuturna seminis sui expectatione satis spectatum, adhuc, vno tentationis incendio validissime cōflagare curauit.* Prius peregrinatione longa, & expectatione fatigabat, & inde iā provatum in maius traxit certamen. Quod Dauid petebat ex Deo Psalm. 25. *Proba me, Domine, & tenta me.* Circa quæ ait D. Amb. lib. de Abraham:
D. Amb. *Et sanctum Abraham probauit ante, & sic tentauit, ne si ante tētasset, quam probasset, grauaret. Prouauit enim cum exire de Charra iussit, & obedientem reperit::: Probatum igitur quasi fortiorem tentādum putauit maioribus, &c.* Ne quis ad difficiliora tendat, quin prius in mediocribus se probauerit.

CAPVT XXXIV.

Populus numeratur à Dauide.

Textus Historia.

IRRITATVS Dominus populo Israelitæ propter multa eius scelera permisit Dauidem in peccatum elationis venire; quo è multitudine populi non parum tumoris acquireret. Mandatur ergo Ioabo, alijsque Præfectis, vt vniuersos Israelis viros redigant in numerum; quod manus reluctans licet Ioab novem mensium, & viginti dierum spatio fuit executus. Interea pœnitentia tactus Dauid Ioabum reuocat, in cuius solius cathalogo scripta iam erant octuaginta millia Israelitarum, & Iudæorum quinquaginta millia. Quod si minor horum numerus, & maior illorum in Paralipomenon reperitur; inde id natum est; quod ibi non solius Ioab, sed aliorum etiam Præfectorum calculus proponitur, qui & Israelitarū plures peragrarunt Prouincias, & de Iuda non paucos numerarūt inter Israelitas. Aderat simul notissimus propheta Gad Dauidi, cuius pœnitentiæ hoc dabat ex Deo, quod castigationis modum eligeret, siue per bella, siue per famē, siue per pestilentiam vellet puniri. Huic tertio flagello se suosque Dauid summisit, vt quod immediatius à Dei manu credebat pendere, & quod citius transiret. Cepit ergo sæuissima in populo grassari lues, qua in tridui spatio demessa sunt septuaginta virorum millia. Iamque Ierosolymam attigerat, cum misertus Deus iubet Angelo, imponat plagæ finem. Hunc Dauid cernens, adhuc, terribilem iuxta Hornæ aream existere, multis deprecabatur, vt miseris fieret propitius. Tandem admonitus Dauid per Prophetam Gad aream ab Horna emit, ibique Deo obtulit hostias, quæ sic Deum placarunt, vt protinus euanescerat lues, & sanitas pristina rediret.

PARS MORALIS circa textum literam.

VT Puniat nocentem populum Deus, expectat, vt rex etiam innocentiam amittant; sunt enim à Dei ira securi homines, dum sub innocente principe viuunt.

2. *Reg.* 24. Et addidit furor Domini irasci contra Israel; commouitque Dauid in eis dicentem: Vade, numera Israel & Iudam. Dixitque Rex ad Ioab Principem exercitus sui, Perābula omnes

nes tribus Israel à Dan, vsque ad Bersabe, & numerate populum, vt sciam, numerum eius. Dixitque Ioab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuū, quantus nunc est, &c.

§. I.

Nullus magis elationis vitio obnoxius, quam plebeius in dignitate positus.

VT puniretur populus ob propria delicta permissus est Dauid in eā elationem venire, qua populum suum numeraret. Ait enim: *Commouitque Dauid in eis dicentem; Vade, numera Israel, & Iudam, Dixitque Rex ad Ioab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus::: & numerate populum, &c.* Non audio tale factum à Nabuchdonosor in superbia sua, nec à Cyro, nec à Salomone in gloria sua, & id factum video à Dauide. Nonne Dauid erat, qui priuatus pauculas patris sui ouiculas numerabat? Vnde illi tanta accessit elatio, vt ingentis principatus subditos numerare vellet? Inde quia ab ouibus in regium venit, ad eam elationem in populo numerando peruenit, quæ raro in vanissimis etiam principibus reperitur. Nec miror, plebei enim in dignitate constituti, maximè obnoxij sunt elationis vitio. Ioā. 4. dicit de mundi magistro Iesu: *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem::: Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt emerent cibos.* Nullus negat magnum hoc fuisse humilitatis opus in Christo Iesu, quod sic omnes ire permisserit discipulos, vt ipse solus maneret iuxta fontem sine vllo comitatu, sine vllius magisterij specie. Sed cur Iesus & factis, & verbis nil frequentius ostendebat discipulis quàm humilitatem? Nonne illi pauperes homunciones erant? Nonne ab infima plebis fece venisbant? Quibus ergo abiecti natales, & obscuritas generis nil non humile, & abiectum referebant, cur necessum erat tot repetitis operibus humilitatem persuadere? Ideò, quia obscuri; quia plebei toties humilitatem docebantur à diuino magistro, vt qui in dignitate postea cōstituti vitio elationis magis expositi essent. Ait D. Thom. in Cat. ex Chrysost. *Ita discipulos assuefecit omnem superbiam conculcare. Sed forte dicet aliquis: Quid magnum est, si humiles erant discipuli, piscatores existentes, & tabernaculorum factores? Sed repente facti sunt omnibus regibus reuerentiores, collocutores, & secutores Domini orbis terrarum. Maximè autem qui humilibus sunt, quando dignitates quā deque assumpserint, facilius ad superbiam elenantur; velut in experies se habentes ad tantū honorem.* Expende ab illis: *Maximè autem qui ex humilibus sunt &c.* nulli citius in elationem abeunt, quàm hi, qui ex infimis natalibus dignitates scandunt. Nonne ab infimo omnium hominum genere ortus est, qui primus hominum dominationem appetijt? Accipite Genes. 10. *Filij autem Chā: Chus, & Mezraim::: Porro Chus genuit Nērod, ipse capit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino. Ad hoc exiuit proverbium, Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni eius Babylon, &c.* Vt Nemrod cæpit esse potens, non quieuit, sed eam iuit elationem, & superbiam, vt diceretur robustus venator coram Domino, quod explicans D. Augustin. apud Lyppom. in Cat. ait: *Contra Dominum dictus est esse iste gygas venator, hoc est, leuans cor suum sursum contra eū.* Itaque vt se in aliqua potentia vidit, statim leuauit cor suum contra Deum, & dominationem super homines primus appetijt. Vt dicat de illo Iosephus: *Superbiam, Deique contemptum excitauit in hominibus Nemrob nepos Cham, vir audax, & manu promptus, subinde iactans non Deo, sed propriæ virtuti præsentem fœlicitatem eos deberi; atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat, &c.* Et quis erat iste genere, qui superbiam, & Dei contemptum seminabat in terra, & sibi principatus arripiebat? Notanter dixit Iosephus illud: *Nemrod nepos Cham*; fuit Cham vilissimus filiorum Noe, adeò, vt vel patre maledicente, eius semen seruituti subiaceret. Vt videas, quis primus, & superbiam, & Dei contemptum excitauit in mundo, & quis primus aliorum dominari fuit aggressus, nimirum qui è vili, & seruili genere ad aliquam potentiam accessit. De quo merito cecinit Claudius Marius lib. 3. in Genes. aiens:

Ingue nefanda prior descendit crimina Nērod
Impietatis apex Cham seruo, è semine natus
Mole, & mīte Gigas, Babylonia regna gubernās

D. Thom.

Gen. 10.

Augustin.

Vide,

Vide, quis primus in mundo regnum affectauit; quis superbiam, & Dei contemptum excitauit, nimirum Nemrod nepos Cham, seruo è semine natus. Nulli enim prius ad superbiam, & ambitionem currũt, quam viles homuntiones, si se in aliqua potestate videant.

§. II.

Vnde laborem intulit, inde solet Deus medelam inferre.

IVbet Dauid numerari populum suum, quippè ait: *Dixitque Rex ad Ioab Principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque ad Bersabeth::: & numerate populum*: quod maximi fuit causa excidij à Deo immissi. Inuenio illud in Nouo Testamento, Luc. 2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*: In qua descriptione adimpletum est illud propheticum de Domini natiuitate in Bethlehem. Itaque numeratio populi à Dauide facta ingentem peperit Israelitis plagam; numeratio autem populi à Cæsare mandata Domini natiuitatem in effectum traxit. Et quando Dauide numerante populum, tanta venit clades; cur Cæsare populum numerante tantum bonum populis accidit in aduentu Saluatoris orbis terrarum? Quia numeratis, & descriptis à Dauide tantum fuerat illatũ malum; voluit Dominus numeratis, & descriptis à Cæsare tantum bonum communicare, vt in descriptorum cathalogis inueniretur Iesus, salus, & remedium orbis terrarũ. Solet enim Deus vnde afflictionem immisit, inde etiã medelam trahere. Non aliter recens nato Iesu ait Angelus ad Ioseph, Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* In Ægyptum mittitur puer diuinus, terram Deo exosam, & ab illo quondam contritam decem plagis. Et cur in terram mittitur, quæ tot supplicia traxerat? Ait ibi Imperf. *Quare venit in Ægyptum? Nunquid alia terra defecit? Semper enim aduersus populum eius Ægyptus extitit inimicus. Sed etiam recordatus Dominus, qui non in finem irascitur, neque in æternum indignatur, quanta mala fecerit super Ægyptum, idcò mittit filium suum in eam, & dat illi magnæ recordationis signum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret. O commutatio dexteræ excelsi!* Sic excelsi dexteram video in bonum commutari, vt non semper puniendo instet; sed per easdem vias modo misericordiam mittat per quas antea mittebat vindictas. Et de eisdem occasionibus veniat ad bonum, de quibus solebat in malum venire. Nota est historia Heliodori, 2. Mach. 3. qui accepto mandato, & literis à Rege in templum Ierosolymitanum ibat, vt ingentes ibi depositos thesauros eriperet. Quid tunc? *Apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu; qui circumsteterunt eum: & ex vtraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, &c.* 2. Mac. 3.

Sed & Paulus Actor. 9. acceptis epistolis à Principibus Ierosolymitanis Damascũ ibat, vincturus ibi discipulos Christi: *Et subito circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, cur me persequeris? Qui dixit? Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, &c.* Ecce tibi Heliodorus, & Paulus, vterque tyrannica mandata principis executurus ibit, vterque literas deferebat ad perdendum. Et Heliodoro apparent carnifices, qui hominem verberibus conficiant, Paulo apparet Iesus, qui eum in salutem adducat. Et quãdo in Heliodorum sic currentem cum mãdatis nequissimi principis carnifices fuerunt missi; cur in Paulum cum eisdem mãdatis euntem non carnifices insurgunt, sed Iesus venit offerens pignus amicitiæ? Plane non is est Deus, qui in æternum indignatur, sed recordatus misericordiæ suæ, eisdem occasionibus solet illam effundere, quibus iram effuderat. Nulla est equidem tantarum cladium, suppliciorumve occasio; cui non soleat affulgere misericordia Christi. Genes. 19. *Dominus pluit super Sodomam, & Gommorrham sulphur, & ignẽ, &c.* Cirea quæ ait D. Greg. PP. in Dialog. lib. 4. cap. 36. *Quia amore illicito corruptibilis carnis exarserant, simul incendio, & fœtore perierunt.* Voluptas itaque carnalis à Domino traxit ignem, qui voluptuosos cremaret. Samaritana autem fœmina lasciuissima post quinque viros, imò post sextum amasium inuenit Iesum iuxta puteum Sichar, cum illoque miscet colloquia salutis, & ait: *Scio, quod Messias venit* Ioan. 4. Cur voluptuosa mulier de aduentu redemptoris disputat, & non magis de aduẽtu iudicij, de igne æterno, & sulphure? Is est Christus Iesus, qui sciat inueniri ad salutem ab illis ipsis, quæ olim trahebant æterna supplicia. Vt dicat D. Cyril. Alex. ibi: *Quamvis voluptatibus carnis data essent,*

Luc. 2.

Matth. 2.

Gen. 19.

D. Greg.

Cyri. Alex.

non tamen omnino ignorauit sublimioris doctrinæ Christum esse magistrum. Compone Sodomitam, & Samaritanam; vtraque voluptatibus dedita, vtraque lasciuissima; illi sulphur, & ignis; huic Christianæ doctrinæ radius affulget. Vt credas Dei misericordiam posse venire in illum eundem, in quē venit supplicium. Genes. 6. *Videns autem Deus, quod multa malicia hominis esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, &c.* Et statim infra, cap. 8. dicebat ipse Deus: *Sensus, & cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescētia sua. Non igitur vltra percutiam, &c.* Expende modo, vt eadem occasio summitur ad misericordiam, quæ sumpta fuit ad supplicium. Supplicij enim causa, & occasio hæc fuit: *Cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Misericordiæ autem occasio hæc est: *Sensus, & cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ecce tibi, vt eadem occasio sumitur ad misericordiam, quæ pepererat supplicium.

Genes. 6.

2. *Reg.* 24. Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus, & dixit Dauid ad Dominum. Peccaui valde in hoc facto, sed precor Domine, vt transferas iniquitatē serui tui, quia stulte egi nimis. Surrexit nāque Dauid mane, & sermo Domini factus est ad Gad prophetam, & videntem Dauid, dicēs; Vade, & loquere Dauid, &c.

§. III.

Tarditas in pœnitentia cauenda.

NOn prętereundum illud in hac Dauidis pœnitentia, quod ait: *Percussit autem cor Dauid eū;* Ipse ipse primus animaduertit errorem, & manifestauit peccatum; non ab alio admonitus, & reprehensus fuit, vt supra cap. 12. in adulterij reatu. Ibi enim prius venit Nathan, longamque texit parabolam, & post peccati exaggerationem, & minas factas; tandem auditur Dauidis pœnitentia. Modo ante prophetæ aduentum, ante alterius admonitionem; *percussit cor Dauid eum.* Sic prę-uenit admonitores, & reprehensores in pœnitentiæ maturitate, vt moneamur, quā sit cauenda pœnitentiæ tarditas. Luc. 13. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea: & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam.* Inde ficulnea succidenda censetur, quod adeò moretur in fructu promendo, vt ter veniat ad illam Dominus, antequam vllum fructum emittat. Ex quo pulchrè D. Amb. lib. 2. de Pœnit. cap. 1. ait: *Agenda est pœnitentia non solum solicite, sed etiam mature: ne forte Euangelicus ille pater familias veniat, & quærat fructum in ea, si non inuenerit dicat cultori vineæ: Succide illam, &c.* Omnis tarditas in pœnitētia cauenda est, quæ maturari debeat, antequam requisitor fructus veniat. Notum fuit Iudæ patriarcæ facinus, vbi ignoranter concubuit cum nuru sua Thamar, quam postea prægnantem videns, & nescius à quo, cum burri præcepit. Illa autem cū duceretur ad supplicium, præmisit socero annulum acceptum ab illo in pignus pretij concubitus. Vidit ille annulum, agnouit statim rem occultissimam omnibus alijs, & exclamās ait, Genes. 38. *Iustior me est, &c.* Mirabar ego, quod in tanto incestu Iudas, nec castigetur, nec reprehendatur à diuina iustitia. Et cur sic dissimulatur à Deo facinus Iudæ? Ait D. Amb. lib. 2. de Pœn. cap. 8. *Recordatus suam ipse culpam ait: Iustior est magis Thamar, quam ego; in quo, & altitudo mysterij est, & morale præceptum, & ideò culpæ eius deputatum non est, quia ipse se accusauit prius, quam ab alijs accusaretur.* Inde se extulit Patriarchæ huius pœnitentia; quod non expectauit aliorum reprehensiones, aut admonitiones, sed vt primum recordatus est sceleris sui, ipse se primus accusauit, & reprehendit. Nunquam enim non commendatur, ex celeritate, & præuentione pœnitentia. Dicebat enim Dominus Iudæis, Luc. 7. *Cantauimus vobis, & nō saltastis.* Et mirum, quod Iesus Iudæos saltatores requirat. An qui ludicra omnia mundi reiecerat, saltationes has corporeas

Luc. 13.

D. Amb.

Gen. 38.

D. Amb.

Luc. 7.

requi-

requirit? Absit, sed cantus & saltationis similitudine proprie exprimit, quid maximè requiratur in operibus virtutum, nimirum celeritas, & impigritia. Qui enim ad cantum saltat, impigre, & prompte debet ad singulos eius numeros prosilire.

D. Amb. Ait D. Ambr. lib. de Pœnit. 2. cap. 6. *Non ergo illa deliciarum comes, atque Luxuriæ saltatio prædicatur: sed quis vnusquisque corpus attollat impigrè, nec humi pigra iacere membra, vel tardis sinat torpere vestigijs.* Sic pulchrè ostenditur, vt cauenda est tarditas, & pigritia in re pœnitentiæ, & virtutis.

§. IIII.

Pœnitentia nostra maxime debetur Redemptori accepta.

MErito Dauid in sua pœnitentia non patrem meminit Deum, sed Dominum: nec se filium putat, sed seruũ. Dicit enim: *Peccaui valde in hoc facto; sed precor domine, vt transferas iniquitatem serui tui, &c.* Aliter ille prodigus, Luc. 15. aiebat enim: *Pater peccaui in cœlum, & coram te, &c.* Vterque dolebat se peccasse, vterque ad Deum clamabat; sed prodigus Deum patrem nominat, vt se filium ostendat; Dauid non patrem Deum meminit, sed dominum, & se non filium publicat, sed seruum: Et cur Dauid non patrem Deum, sed Dominum, & se seruum in pœnitentia appellat? Volebat equidem Dauid natales ostendere pœnitentiæ, quæ non tam à patre Deo, quam à sanguine Redemptoris veniebat, quo empti in eius merito numerabamur seruos. Quis enim neget nostram pœnitentiam maxime sanguini Redemptoris deberi?

Luc. 15. Cant. 5. Aiebat Cant. 5. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit.* Ecce tibi humana præcordia intremuerunt, ex quo Deus manum suam misit per foramen. Et quæ hæc manus diuinà sic præcordia humana vulnerans? Ait

D. Bon. D. Bonauentur. in cap. 4. D. Luc. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, id est, gratiam suam per foramen lateris Christi. Vnde profluunt sacramenta; & venter meus intremuit, quia hæc gratia primo parit contritionem.* Ecce tibi, vt gratia profluens à latere Redemptoris pariat contritionem. Etenim, vt contritio, & pœnitentia à sanguine Christi Redemptoris nostri venit sic, peccata nostra per illam remittuntur. Pœnitenti filio dum Pater conuiuium parat, Luc. 15. ait: *Occidite vitulum saginatum.* Luc. 15. Quod expendens D. Amb. lib. 2. de Pœnit. cap. 3. ait. *Vitulum præcepit occidi, quia* D. Ambr. *pascha nostrum immolatus est Christus. Etenim quotiescumque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annuntiamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, corporis eius Sacramentum sumimus, vt per sanguinem eius fiat peccatorum remissio.* De Redemptoris sanguine semper venit, quod detur nobis pœnitentia peccata dimittens, vt merito pœnitentes possint, & debeant haberi inter Christi Domini seruos emptitios.

2. *Reg.* 24. Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumque venisset Gad ad Dauid nuntiauit dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequẽtur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem. Dixit autẽ Dauid ad Gad: Coarctor nimis, sed melius est, &c.

§. V.

Labor voluntarie acceptus nõ parum infert leuaminis.

SciebatDeus, quod è tribus malis leuius erat, cur ergo illud, quod scit leuius nõ infert ipse? Cur mavult ideelectionẽ Dauidis remittere? Ait enim: *Triũ tibi datur optio, elige vnũ, quod volueris, &c.* Deus bone nõne tu melius eliges, quã Dauid? Cur permittis illi electionẽ, quam tu lõge sapien-

tius faceres? Permittitur electio laboris Dauidi; vt labor electus sit illi magis voluntarius, in electione enim opus est voluntatis, & inde labor minuatur. Nunquam enim labores voluntarij non minores apparent. De Iesu meo dicitur, Matth. 4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, &c.* Sciebat malignus famis laborem grauissimum esse homini, & sperabat tanto labori succubiturum Iesum. In hoc valde stultus, quod vidit laborem famis, sed non vidit illum esse voluntarium Iesu, ex quo maxime minuebatur eius durities. Vt dicat D. Max. hom. 1. ibi: *Stultissimaque eius, inanisque subreptio. Per panem enim vult tentare, qui panis est; æstimans illum esce penuria laborare, qui voluntariam perferebat esuriem.* Equidem in hoc valde stultus tentator apparuit; quod credidit penuria cibi laborare, qui voluntariam famem patiebatur. Quod enim voluntarium est, aut parvum laborem infert, aut cito exterminandum. De parentibus Iesu locutus, Matth. 1. ait: *Aram genuit Aminadab*: Quid est nomen Aram? Si nominis expectes significationem, Aram idem est, ac *visitatio eorum*; & refertur ad tempus, quando Israelitæ laborantes in Ægypto clamauerunt ad Deum, & visitati à Deo sunt, vt à laboribus liberarentur. Tũc Aram genuit Aminadab, cuius nomen significat *populum meum voluntarium*, Quia populus maxime nitebatur propter Deum voluntarius esse in laboribus, ideò factum est, vt sic labores imminuerentur, vt per Dei visitationem possent ab illis liberari. Ait Imperfect. hom. 1. in Matth. *Conueniẽter Aram, qui erat visitatio eorum genuit filium Aminadab, qui interpretatur, vel gens desiderabilis, vel populi mei voluntarij. Nec enim facta fuisset super eos visitatio Dei, nisi gẽs desiderata fuisset, & populus volũtarius.* Quod esse volũtarius populus, hoc est, quod voluntarie niteretur laboribus propter Deũ incumbere, habuit, quod à Deo in laboribus visitaretur, & cito labores vniuersi finirentur. Quod si voluntario affectui etiã amor adiungitur, tunc plane omnis labor disparet. Subiturus Iesus ingens passionis suæ pondus dicebat Petro, Ioann. 18: *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?* quasi potum æstimat ingentes illos dolorum cumulos, quos in se à patris permissione, aut prædiffinitione nouerat venturos. Et quando in potu summa facilitas est, inde adeò ingentes labores sic faciles apparent, vt in facilitate videantur potui similes? Erant Iesu voluntarij, imò erant illi amabiles, & inde sic repuntantur, quasi nullam difficultatem inferant. Huc spectabat Hugo Victor. 1. Miscel. titul. 143. fatus: *Deus noster, & cibus, & potus est. Cibus quando sumitur per cognitionem, potus quando per dilectionem. In cognitione aliquid laboris esse videtur, in qua quasi cibus nisi prius mansus non sumitur. Dilectionis potus difficultatem non habet, & facilius intrat in animam boni dilectio, &c.* Sic quidquid voluntarium, & dilectum est, difficultates aut tollit, aut minuit.

Matth. 4. D. Max. Matth. 2. Matth. 1. Ioann. 18. Hug. Vict.

§. VI.

Gula malum quantum?

SEptemnij fames proponitur à Deo pro prima calamitatum, dum ait: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua.* Prodigens malum! Quam ego timerem etiam sanctissimis, & Dei familiarissimis à fame, si in eis appetitus cibi vires capiat. Populus ille electus, & spectator tot diuinorum mirabilium in Ægypti plagis, in maris diuisione; vbi sterile desertum attigit, interfletus, & lachrymas clamabat Num. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres, porrique & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Mam.* Habentes cœlestem panem, porrorum, & cæparum, & alliorum non valent sustinere famem. Et quo conjecti sunt ab hac fame? Ait Tertull. aduers. Psychicos: *Panes angelici illis displicebant, allium potius, & cepe, quàm cœlum fragrare malebant.* A qua altitudine non cadat famelica gula raptatus? Nemo ignorat primi hominis sanctitatem, qua creatus est: huic tanto, Genes. 3. *Dedit viro suo, & comedit, & aperti sunt oculi amborum, &c.* Circa quæ ait Tertull. supra: *Post extasim spiritualem, in qua magnum illud Sacramentum in Christum, & Ecclesiam propheta uerat, nec iam capiens, quæ erat spiritus, facilius ventri, quam Deo cessit, pabulo potius, quam præcepto annuit, salutem gula vendidit. Mandducauit denique & periit.* Et extasim, & spiritum propheticum, & vitam spiritualem oblitus est, vbi pobulum spectauit. Est equidem gula validissima ad iustos præcipitandos; adeò, vt si gula desit, vix præcipitium timeatur. Matth. 4. *Dic, vt lapides isti panes fiant, &c.* famelico propo-

Num. 11. Tertull. Genes. 3. Tertull. Matth. 4.

proponit tentator panes, deinde ibi victus ad aliud ſe contulit telum, præcipitium ſuadens, dum cõſtituto ſupra pinnaculum templi ait: *Mitte te deorſum.* Cui irridens
D. Max. D. Maxim. hom. 1. ibi ait: *Quam turbatus hoc loquitur, qui putat ei ſe poſſe præcipitium perſuadere, à quo nihil potuit de panibus impetrare.* Ignorantia erat ſperare præcipitium in eo, qui nullo fuerat gulæ affectu raptatus. Merito enim dicebat Tertull. lib. 1.
Tertull. ad Vxor. *Stude igitur frugalitati, quæ ſæculum ſpernit.* In frugalitate namque, & gulæ victoria mundiales omnes tentationes apparent quaſi detriumphatæ.

§. VII.

Iuſtorum abſentia nociua Reipublicæ.

NON mitius pateretur Iſrael in malo ſecundo, nimirùm: *Aut tribus mienſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur.* Quid enim mali non immineret Iſraeli; ſi coactus Dauid ab illo fugeret? Merito circa hæc dicebat D. Ambroſ. in Pſal. 37. locutus de Dauide non admittente hoc malum fugæ: *Suam fugam non poposcit propter illud, quia propheta pro populo deprecari poterat.* Equidem quia præſens populo tantus propheta, multũ illi poterat afferre auxilij: quo careret, ſi abeſſet; ideò cauit Dauid inde fugari ab hoſtibus ſuis. Quis neſciat, quam marceat populus fugatis inde iuſtis? Ezechiel cap. 17. pulchra methaphora præmittens Iſraelis ruinam aiebat: *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Et quantum hoc malum? Ait Im-
Ezec. 17. perfect. in Matth. hom. 1. *Medulla huius-*
Matth. 1. *mundi ſunt homines ſancti. Sicut enim medulla quamdiu in arbore fuerit ſana, ſemper floret: cum autem percomeſta fuerit, tota paulatim marceſcendo ſiccatur: ſic & quamdiu ſunt fideles, ſtat iſte mundus. Nam ſicut egredientibus Iſraelitis de Ægypto, exterminata eſt Ægyptus: ſic & ſancti cum de iſto mundo defecerint, caſurus eſt iſte mundus.* Sic de iuſtorum conſortio ſtat mundus, & deficit, vbi illi deficiunt. Quo trahenda dicta tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 4. §. 3. & tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 2. §. 17. & tom. 3. in Vet. Teſt. lib. 6. cap. 3. §. 5. & cap. 8. §. 8 & lib. 7. cap. 8. §. 18.

§. VIII.

Vnus Deus nouit pœnarũ breuiare ſpatia.

TErtium ſupplicium propoſitum Dauidi hoc erat: *Aut tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Quod præ alijs eligens Dauid dicebat: *Melius eſt, vt incidã in manus Domini (multa enim miſericordia eius) quam in manus hominum.* Et cur magis Dauid credidit hoc tertium ſuppliciũ pertinere ad manum Domini, quam duo illa priora? Cur in tridui huius peſtilentia, magis affulſit Dauidi manus diuina, quam in ſeptemnio famis, aut bellis trimeſtribus? Plane ex breuitate temporis ſupplicij, manus diuina oſtendebatur manifeſte; quando enim ſeptemnij pœna in fame menſurata iuxta culpæ exigentiam reducebatur ad tridui peſtilentiam, id à ſola manu diuina poterat prouenire, quæ ſola nouit mirabiliter curtare pœnarum tempora. Cum Dominus Ieſus in cruce poſitus emiſiſſet ſpiritum, ait Mar. cap. 15.
Videns autem Centurio, qui ex aduerſo erat, Mar. 15.
quia ſic clamans expiraſſet, ait: Vere hic homo filius Dei erat. Morientem vidit, & filium Dei confitetur. Quid in moriente potuit eſſe, quo patens diuinitas Centurioni oſtenderetur? Celeritas mortis, & quietis diuinitatem in moriente fecit manifeſtam. Quæſitum enim fuerat à Iudæis illud mortis genus, quo diutius in morte Ieſus cruciaretur; ſolebant enim crucifixi ingentibus doloribus ad biduum vitam extendere, Ieſus autem tribus tantum horis in cruce affixus, vitam finiuit, ſe tradens mortis quieti. Quando autem vidit Centurio diutinos crucis dolores, ad ſolatrium horarum ſpatia reductos, id minime poſſe accidere credidit, niſi manu diuinà id agente, cuius ſolius eſt breuiare pœnarum tempora. Ait Paſchaſius lib. 12. in Matth. *Inclinato capite ſic poſuit vitam,* Paſchaſ.
quando voluit, & quomodo voluit. Quod prodigium contra omnium eorum conſuetudinem, qui cruciabantur in cruce, videns Centurio, dixit, Vere hic homo erat filius Dei. Miraculum enim magnum fuit, quia poſt tres horas receptus eſt, qui forte biduum, vel triduum victurus eſſet in cruce, ſi ſecundum conſuetudinem eorum viueret, qui ſuſpendebantur. Id circo magnum viſum eſt Centurioni

beneficium Dei fuisse, quod expirauit tam cito, & magis ex merito orationis eius, quam ex violentia crucis. Merito vni Deo debendam credidit tantam pœnarum curtationem: cuius solius est longa malorum spatia in brebem summam redigere. De vltimis tẽ-
Matt. 24 poribus locutus, Matth. 24. aiebat: *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed breuiabũtur propter electos.* Breuiabuntur, inquit, dies illi; & à quo breuiabuntur? An ab Angelo aliquo cursum astrorum accelerante? An ab aliqua causa physica, vel morali id exigente? Accipite, quid sentiat Imperfectus hom. 49. in Matth. *Non solum spirituales homines & perfecti, sed etiam mediocres, & infirmi de illo persecutionis periculo sunt liberandi, non virtute fidei, aut merito operum suorum, sed velociter subueniente Christi aduentu. Non enim propter peccatores dimittet diutius, vt etiam electi periclitentur, sed propter electos festinaturus est.* Non creaturæ alicui committetur malorum dierum breuiatio; sed vnus Christi accessus illos breuiabit, festinans suos electos saluos facere.

2. *Reg.* 24. Immisitque Dominus pestilẽtiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabet septuaginta millia virorum. Cumque extẽdisset manum suam Angelus Domini super Ierusalẽ, vt disperderet eam: misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti populum; Sufficit. Nunc contine manum, &c.

§. IX.

Pestilens animæ venenum est peccatum.

NOn otiose Deus pestilentiam immisit in peccatores, dum ait: *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus, &c.* Sic enim in pœna externa ostendebatur, quam pestilens venenum animæ sit peccatum. Monebat Paul. 1. ad Cor. 9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.* 1. *Ad Corinth.* 9. Habes historiam in cap. 21. Numer. vbi Israelitæ ingrati Deo, labore itineris maximè dolebant, & manà fastidiebant; *Quam ob rem misit Dominus in populum serpentes ignitos &c.* Et cur miseri à venenatis serpentibus percussi pœnas dabant? Ait D. Ansel. in cap. 9. 1. ad Corinth. *Quibus Deus ad significanda peccata, quorum veneno inuisibiliter moriebantur, visibiles serpentes, quibus admonerentur, immisit, & plaga emendatoria mortes animarum mortibus corporum figurauit.* D. *Ansel.* Itaque venenati serpentes in Israelitas peccatores ideò immittebantur, vt exterius figurarent pestilens venenum peccati, quo infectæ erant intrinsecus eorum animæ. Nunquam enim credam pestilentius aliud venenum inueniri posse, quàm id quod in animas proficiscitur à peccato. Hinc Genes. 29. peregrinus Iacob agens iuxta puteum clausum vbi agnouit Rachelem patris Labani greges pascentem; *amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege, &c.* Non sustituit, quod oues Rachelis egerent potu, sed quam primum ipse per se accesit ad puteum, & lapidem abstulit. Aliter Iesus, Ioann. 11. sciens Magdalenæ fratrem Lazarum mortuum esse, *venit ad monumentum; erat enim spelunca: & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem, &c.* Non ipse accedit ad lapidem, nec tollit eum. Cur ergo Iacob non detrectat accedere ad lapidem fontis, eumque tollere, vt greges Rachelis adaquaret: Iesus autem maximè cauet per se lapidem sepulchri tollere, vt fratrem hospitæ suæ suscitaret? An infirmiores vires habebat, quam Iacob ad tollendum lapidem? Absit, sed erat lapis sepulchri, quo mortui peccatoris figura repræsentabatur clausa, peccati autem venenum adeò pestilens est, vt merito quis, vel ab eius vmbra caueat. Huc proxime accedit Orig. ibi dicens: *Attende autem & vide, possimus ne dicere, lapidem quidem eum, qui spelunce appositus erat, id est, sepulchro, quod in spelunca erat, à Iesu ipso tractari non oportuisse: eum autem qui putei ostio impositus erat, Iacob sumere licuisse, atque detrudere à putei ostio, vt Laban eius aununculi oues aquarentur. Et debuisse Iacob* Gen. 29. Ioann. 11 Orig.

ad

ad putei quidem ostium accedere, Iesum autem stare extra speluncam. Viuidus fons neminem deterret, sed allicit, ne quis parcat viuidis operibus, quibus proximos recreet; lethalis autem spelunca lethium spirans, & tenebras, à se arcet vniuersos, nec vllus est, qui Iesu nomen dedit, qui non sibi cauere debeat, à pestiferi lethiferi peccati veneno. Et si enim sanctus sit prætextus, in consuetudine peccatorum, mirum erit, si eorum veneno non inficiaris. Dicebat D. Chrysost. hom. 46. in Ioann. *Etenim ipse Iudas cum alijs ad suscitandos mortuos, & mundandam lepram mittebatur, ex quo grauissimo auaritiæ morbo captus est.* Ecce tibi mortuis suscitandis, leprosis mundandis se ingerit incaute, & peccati morbo pestilenti inficitur.

Chrysost.

§. X.

Ambitio pestilens est, vt alios inficiat.

ELationis Dauidicæ morbo in numerandis populis, merito respondet pestis in supplicio. Ait enim: *Immisit Dominus pestilentiam, &c.* Nulla sanè lues adeò pestifera est populis, & subditis; quã elatio, & ambitio notata in Principe. Destructurus Dominus familiam Heli, dicit illi, 1. Reg. 2. *Hoc erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.* In Ægyptiorum vindictà primogenitus tantum moriebatur in singulis familijs, vt patet in Exodo. Cur acrior diuina ira in domum Heli existat, vt non solum primogenitum eius perdat, sed & simul secundum à patrem? Cur ait. Morientur in die vno ambo? Cur non contentus est perditione primogeniti? Ostendebatur in ijs perditio, quæ nascitur ex elatione, & ambitione maiorum, quæ vt noxissima pestis est, nescit in vno sistere, sed omnes inferiores inuadit. Ait D Greg. PP. lib. 2. in 1. Reg. cap. 3. *Hoc itaque de officio suscepti culminis, temporalem fœlicitatem amantes audiant, & reatus sui magnitudinem pertimescant. Tanto denique grauiori pœna digni sunt, quanto aperte cõspiciunt, quia de vnitate, quam diligunt, non soli moriuntur. Quia dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt.* Expende illa: *Potus sui pestem*; quippè quam maiores ebibunt de sui culminis splendore elationẽ, & ambitionem, pestis est, quæ cæteros inferiores inficiat, & in mortem deducat. Primis illis parentibus dictũ erat à serpente, Gen. 3. *Eritis sicut dij*, cui ambitioso affectui cõsentientem Adamum, vt notauit D. Alcimus lib. 2. in Genes. ait: Genes. 3.

Accipit infœlix malesuadi verba susurri D. Alcim.
Demisitque suos in noxia crimina sensus.

Quid pulchrius? Ambitionis crimen noxium vocat, & merito, nequit enim in vno hærere, sed quasi noxa pestifera ad omnes se extendit subditos. Huc trahe dicta tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 12. §. 8. & cap. 16. §. 6.

D. Greg.

§. XI.

Vni Deo non deficiunt, qui ab illo numerati sunt.

ECce tibi tota illa populi numeratio à Dauide peracta, quo perueniat; dicit namque textus: *Et mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Supra post numeratos Israelitas dicit: *Inuenta sunt de Israel octingẽta millia virorum fortium*: & intra breuissimũ tempus immissa pestilentià desiderata sunt septuaginta millia. Quid miserius in rebus humanis? Scitũ illud apud Hispanos plebeiorum proverbium, nimirum: *De lo contado lleua el Gato*; Vni Deo integra, & indefectibilia manent numerata. Matth. 10. *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere.* Expende vnde omnẽ timorem ruinæ nobis eripiat, nimirũ ex eo, quod omnes nostri capilli numerati Deo sint. Et merito, non enim is est Deus, qui perdenda numeret. Ait D. Hilar. ibi: *Innumerum aliquid colligi, diligentiæ, & solicitudinis cura est. Neque enim dignum negotium est peritura numerare. Vt igitur nihil ex nobis perituros esse cognosceremus, ipso capillorum nostrorum supputatorum numero monstratur, saluis nobis ex solido futuris, cum quod innumerabile in nobis sit, conseruandi affectu, & potestate numeratur.* Expende illud: *Vt igitur nihil ex nobis periturum esse cognosceremus, &c.* Vt peritura sunt omnia illa, quæ apud homines sunt in numero; sic quæ à Deo numerantur, eo ipso ostendunt suam stabilitatem, & perpetuitatem. Adeò, vt idem sit, quod Deus numeret, & quod nequeat deficere numerus designatus. Ait Psalm. 138. *Mihi autẽ nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis cõfortatus est principatus eorũ. Dinumerabo eos, & super arenã multiplicabũtur.* Matth. 10. D. Hilar. Psal. 138.

Tantum abest, quod deficiant Deo numerati; vt ex numeratione crescant, & multiplicentur magis. Quo respiciens Imperfect. hom 25. in Matth. fatur: *Nunquid ideò numerat aliquid Deus, vt numerum eius cognoscat, qui ab initio omnia intuendere, & numero, & mensura creauit; Sed ideò numerauit, ne aliquid perdat ex ipsis. Sicut dicit propheta: Mihi autē nimis honorati sunt amici tui Deus. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Non minuuntur, qui numerati sunt, sed multiplicabuntur.* Fœlix, qui in catalogo numeratorum â Deo reponitur, habet iam inde in se spem vitæ non periturę, quando supputatus à Deo numerus non potest deficere. Dicebat Dominus, Ioann. 6. *Nonne vos ego duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Et numeratos à se dicit duodecim in electione, quorum vnus perdendus erat. Sed quando vnus perdendus erat, cur vim facit in eo, quod duodecim numeratos elegerat? Ait Rupert. ibi: *Et quidem beatificantis gratia præconium illud erat, quod dicit: Nonne ego vos duodecim elegi?* In supputatorum numero designato certam beatitudinis gratiam ostendebat, à qua minime poterat numerus ille excidere Perderetur, licet, aliquis, sed semper impleretur numerus electorum, nec vnquam erit minor. Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittet nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam?* Et mirabar, quod sic affectus Deus esset ad vnam ouiculam, vt propter illam quærendam, vel nonaginta novem relinqueret. Et cur Deus sic vnius desiderio afficeris? Pertinebat ad electorum numerū, qui minime poterat Deo deficere. Imperfect. hom. 25. in Matth. *Vis scire dignitatem numeratorum: considera vnum illam, quomodo pastor, non quiuit per desertum discurrere, donec inuenit eam, & ad primum numerum reuocauit. Nullam ex omnibus se habere putabat, si de numero suo vna periret.* Sic ibi.

Ioann. 6. Rupert. Luc. 15. Matt. 25.

§. XII.

In suos fideles non solet Deus effundere omnem iram suam.

TRibus constitutis diebus desæuit pestilentia in Israele, & occisa sunt ab Angelo. *Septuaginta millia virorum,* vt paulò ante vidimus. At 4. Reg. 19. *In nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octingenta quinque millia.* Et quando in vna nocte centū, & octingenta quinque millia Assyriorum occisa ab Angelo sunt; cur tribus diebus solum interficit Angelus septuaginta millia? Ait text. ibi: *Cum extendisset manum suā Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictionē, & ait Angelo percutienti populo: nunc continē manum tuam, &c.* Erat in præsenti res non cum Assyriorum infidelium castris, sed cū ciuitate Sancta Ierusalem; & ideò Deus cohibuit Angelum, ne totam iram effunderet. Nescit enim Deus totam suam iram exhaurire aduersus fideles suos. Psal. 74. *Calix in manu Domini, vini, meri, plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, verum tamē fæx eius non est exinanita.* Quid est, fœx eius nō est exinanita? Pulchrè D. Amb. Psalm. 37. in rem præsentem: *Plenus erat calix ad terrendum, ad feriendum non est exinanitus. Plenus erat calix, cum mors per triduum mādaretur; sed occurrit misericordia Dei, tenuit manum Angeli, priusquam calicem istum exinaniret.* Non enim Deus permittit omnem iram effundi in fideles suos. Vnde ad infidelem Ieroſolymam locutus Isaias, cap. 51. ait: *Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius; vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad feces.* Septuag. legunt: *Calicem ruinæ bibisti, & euacuasti*: vel vt apud D. Amb. *exinaniisti.* Sic infidelis ciuitas in se euacuat, & exinanit diuinæ iræ calicem. Circa quæ ait D. Amb. supra: *Ierusalem supra mensuram bibit, quia supra mensuram peccauit. Ecclesia Christianorum calicem iræ exinanire non nouit, sed exinanitum unguentum, propter quam Christus se exinaniit, vt vbique flagraret, de manu Domini accepit.* Non irā, sed misericordiā suā quasi exinanit Deus, & quasi euacuat super fideles suos.

4. Reg. 19. Psal. 74. D. Amb. Isai. 51. D. Amb.

2. *Reg.* 24. Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum, qui peccaui, ego inique egi; isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem

tem

tem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei, Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi. Et ascendit Dauid, &c.

§. XIII.

Regalis animus non potest non dolere in subditorum malis, si illa videat.

IAm tribus diebus pene grassata fuerat pestis in Israel, & multa hominũ millia occisa; nec Dauid ostendebatur doluisse. Nunc autem ait: *Dixitque Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum, qui peccaui, &c.* Et cur non statim ab initio pestis hoc dixit? Cur post occisa tot millia doloris verba promsit, & non antea? Ait textus: *Cum vidisset Angelum cædentem populum*: quippè antea non viderat populi stragem, non aspexerat percussorem ferientem populares suos; quem vbi primum vidit, statim doluit, & se pro suis exhibuit. Hinc maximè ortum habet, quod principes inter suorum calamitates, & pressuras, in gaudio, & risu sint, & nihil patiantur in contritione subditorum; quia non vident calamitates eorum, non vident percussores subditorum; non posset enim regalis animus non dolere in suorum ærumnis, si vidisset. Luc. 19. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam.* Assumpserat sibi Iesus diem illam, vt regalem triumphum ageret exceptus à Ierosolymitanis in ramis palmarum, & hymnis. Et inter hæc totus in fletus, & lachrymas iuit. Cur fles Domine inter pompas triumphi tui? Ait textus: *Videns ciuitatem fleuit*: videbat equidè ciuitatem illam strictissima Romanorum obsidione cinctam, videbat illam solo æquandam, & funditus perdendam; quod vt bonus princeps videbat, non poterat non flere, & condolere illi. Vt merito dicat apud Eusebium Emissenum, ibi: *Ego fleo, qui omnia video.* Rident, gaudent, lætãtur principes inter suorum clades, qui nihil vident. Qui autem omnia suorum mala videt, non potest non flere, & multa pietate commoueri erga illos. Regalissimus ille Iob dicebat, cap. 29. *Quando procedebant ad portas ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebãt ori suo. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eo quod liberassem pauperem vociferantem, &c.* Septuag. legebant prima: *Cum exibam matutinus in ciuitate*: quippè bonus princeps nihil magis curabat, quam per se obuire omnia, inuestigare omnia, videre omnia sese, vel popularibus immiscens, & cum eis sedens. Et quid inde? Videns omnia mala, compatiebatur omnibus, & maxima pietate commouebatur pro afflictis, nocentiores enim longe fugiebant, & pauperes liberabantur. Huc spectabat Olympiodor. in Cat. Græca aiens: *Tanquam princeps quidē, ac magister cæteris ad virtutem, sic nec somno, nec ebrietatibus indulgebat: sed charitate cōmotus de mane in plateis residebat.* Expende illa: *Charitate cōmotus de mane in plateis residebat*; simul in plateis erat, omnia lustrãs, omnia per se videns, & charitate commouebatur; nescit enim regius animus non tangi misericordia in suorum malis. Sed aulicorum ambitio eos sibi principes formàt, qui oculos non habeant, ne videntes doleant super suorum mala. Quibus illud aptarim, Psalm. 113. *Simulacra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & nõ videbunt: Similes illis fiant, qui faciunt ea.* Vt artifices simulacra Deorum efformabant in auro, & argento, quorum os non loquebatur, nec oculi videbant; sic ambitiosi aulici principem suum efformant, vt totus aureus, aut argenteus sit, in delicijs viuat, nihil videns, nihil ex sententia loquens. Quod Eginnartus, Cancellarius Caroli, Magni apud Cerdæ Aduersar. cap. 177. notabat aiens: *Opes, & potentia Regni penes Palatij præfectos omnino manebant, neque aliud regi relinquebatur, quam myrrhata profusaque crinium cæsaries, & precarium vitæ stipẽdium, panisque numerositatis obsequium, quod ei is præfectus aulæ, prout videbatur exhibebat.* Sic efformantur reges, & principes ab ambitiosis aulicis, vt nimirum inter aromata, & deliciarum luxus viuant, & vt simulacra idolorum adorationi sint, & cultui, oculos autem ad videndum non habeant, nec aures ad audiendum, nec os ad loquendum. Et talium principum formatoribus sapienter precabimur: *Similes illis fiant, qui faciunt ea.* Nec posset princeps maiorem vindictam capere de aulicis his, quam si eos poneret in eo ipso statu, in

Luc. 19.

Euseb.

Olympiod.

Psal. 113.

quo ipse est. Ponatur licet aulicus in omnibus delitijs, & diuitijs, sed ita vt nihil audiat, nec loquatur circa regni administrationem, & fallar, nisi tristitia disrumpatur.

§. XIIII.

Magna Dei seueritas est, quod princeps non videat suorum incommoda.

DVm sæuiret pestis in Israelem, aiebat textus: *Misertus est Dominus super afflictionem, & ait Angelo percutienti: Sufficit; nunc contine manum tuam*:: & immediate post hæc illud addidit: *Dixitque Dauid ad dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum, &c.* Post Deum miserentem populi, hunc primum misericordiæ eius effectum inuenio, nimirum, quod *vidisset Dauid Angelum cædentem populum.* Videt rex percussorem populi sui postquam Deus cæpit populi misericordia tangi; nõ vidit, cum Deus in seueritate durabat; de Dei enim seueritate venit, quod princeps non videat populi sui damna: Hinc minatus Israelitas Isaias, cap. 29. ait: *Misceuit vobis Dominus Spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Expende illa: *Principes vestros operiet*: circa quæ Vatablus ait: *Principes vestros, qui prouidere debent incommodo, obruit ignorantia.* Hoc ad magnam Dei spectat seueritatem, quod malis populum impleat, & Principem obruat ignorationis tenebris, ne prouideat remedium. Ex quo sapienter monebat Forerius: *Dixit enim operiet Principes; qui enim obnolutum habet caput, nihil videt. Ergo pro peccatis populi Principes obcæcantur, ne intelligant, qua Reipublicæ prouidere oportebat. Qui ergo errores principum notant, & illis obtrectant, consultius agerent, si peccata sua deflerent, ex quibus obtenebratio principum ortum sæpe habet.* Quid sapientius? Vtinam obtrectatores principum se adhoc conuerterent, vt peccata sua deflerent, & Deum iratum placarent; sicut enim à Deo irato venit, quod princeps cæcetur, ne videat populi mala; sic à placato Deo veniet, quod princeps illuminetur, & subditorum malis prouideat remedia.

Isai. 29.

§. XV.

Ecclesiæ Dei dilatatio regnorum firmitudo.

ERat Dauid in sua Sionis arce; vbi sacellum habebat, in quo arca Dei manebat, & tamen mittitur ad alieniginæ regis aream, vt ibi sacrificet Deo. Dicit enim: *Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Arauna Iebusæi.* Erat Areuna ortu gentilis Rex Iebussæorum Dauidis tributarius, Iudaismi proselytus, vt ait noster Salian. Manuel de Saa, & Serarius: Cur ergo non Sione sacrificet Dauid coram arca; sed ad aream Areaunæ regis ortu gentilis conscendat, vt ibi altare statuat, & sacrificet? Merito, vbi agebatur de regno remediando, & stabiliendo mittitur Rex, vt altare Domino fundet in alienigenæ regis area, in quo insinuatur Saliano dilatatio Ecclesiæ Dei ad gentes. Vt sciant reges nullo magis firmari, & stabiliri eorum imperia: quam si eo incumbant, vt per orbem dilatetur Dei Ecclesia. Placet huc transferre D. Fulgentij sententiam in lib. de veritate Prædestinationis & gratiæ; quam desumo ex Concil. Parisiensi lib. 2. cap. 1. vbi sic: Clementissimus quoque Imperator, non ideò est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, sed si imperiali culmine rectat fide viuat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ Religioni se subijciat; si magis in timore seruire Deo, quam in tumore dominari populo delectetur:: *Magis enim regitur Christianum, ac propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cum in parte quacumque terrarũ pro temporali securitate pugnatur.* Equidem pugnat Rex in hac, & illa parte, vt regnum suum stabiliat, & propaget, huc solum spectans, ne aduersarius maiores vires capiat. O quam certius regnum ampliaret, si non tam bellis inferendis, quàm altaribus ædificandis vbique terrarum vacaret! Conuertant huc oculos politici, qui gloriantur calere optimas rationes conseruãdi status; & videant, quod regnum gloriosius dilatione, & ampliatione, splendidius diuitijs, illustrius victorijs, an illud, quod pro sua securitate bella mouit, exercitus composuit, inter quorum congressus, per accidens tamen, altaria Dei ab antiquis sedibus

D. Fulg.

dibus deijciebantur, an vero illud, quod vbique terrarum noua Deo erexit altaria? Plane altaria erecta Deo in ethnicis nationibus, sic tibi, ô bone rex Deum propitium faciunt, vt vel dormiens appareas hostibus inexpugnabilis, & ipsissimæ morti horribilis. Et totius illius terræ tibi iã ostendunt futurũ dominiũ. Iacob peregrinus agebat in terra Canaam; cui dormienti iuxta Luzã apparuit Dominus in summitate scalæ, & ait illi, Genes. 28. *Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo::: Surgens ergo Iacob mane tulit lapidem, quem suposuerat capiti suo, & erexit in titulum, &c.* Illius terræ dominium sibi dandum audit, & statim ibi erigit altare. Quid altare ad illud dominium terræ? Equidem nullo magis se iam Dominum illius terræ testaretur, quã ibi à se erecto altare. Ex quo monebat Rup. ibi: *Quæ autem ratio fuit, vt surgens Iacob tolleret lapidem, & erigeret in titulum; eadem omni homini in omni loco dominationis suæ esse debet, ædificandi domum nomini Domini.* Vt discant omnes ex Iacob dilatationem dominationis suæ constitutam non indeiectione, sed in erectione sacrorum altarium.

Genes. 28.

§. XVI.

Ingenuo animo durissimum est, quod sui causa alij pereant.

IN ruina Israelis agnosco illam regalissimi pectoris vocem à Dauid emissam: *Ego inique egi: isti, qui ones sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Sic dolet Dauid, quod putet sui peccati causa percuti populum, vt amet ipse mori magis, quam viuere. Nec miror, durissimum enim est ingenuo viro, quod sui causa alij rapiãtur in ruinam. Nota est crudelitas Saul, quando omnes Sacerdotes Nobe occidit, quia illos credidit Dauidi affectos. Vnus Abiathar euasit, qui fugiens ad Dauid, nuntiauit illi, vt cecidisset Saul vniuersos aliòs altaris ministros. Quod Dauid audiens, 1. Reg. 22. intimo dolore percussus aiebat: *Ego sum reus omnium animarum domus patris tui. Mane mecum.* Et cur se reum tanti criminis prædicat, in quo ille nullam habebat culpam? Equidem non sic propria conscientia fodicatur animus rei magni criminis; vt animus nobilis Dauid angebatur sciens sui causa, tot Sacerdotes in mortem isse. Ait D. Chrysost. lib. 3. de Prouid. *Tam scelerata cædis causam sibi imputans Dauid, reis omnibus, ac damnatis infelicius degebat. Et si enim nil aliud illum perturbasset, sufficere id poterat ad vulnerandũ, suffocandumve animum, quod se ipsum tot Sacerdotum peremptorem impium existimaret. Hac vero cogitatione saucius, quæ diu, noctuque pulsquam tinea eius corrodebat animum, &c.* Equidem regalissimus princeps inde maxime exedebatur, quod se in causa videbat tam ingentis calamitatis, in qua tot viri Sacerdotes necabantur. Solent enim ingenuæ mentes maxime cauere, ne sint alicui calamitatis causa. Hinc Simachus Pont. Maxim. in Apollog. ad Anast. Imperat. ait: Contumelias tuas Imperator; quas sub diuino iudicio ipse perpendis, vtrum ne in me religiosa mente profuderis, fateor, vel mei causa, vel tui dissimulare non posse. Mei causa, promissionem Domini recolendo dicentis: Cum vos persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos propter iustitiam, gaudete. Tui autem causa, *quia nollem, sic meam gloriam prouenire, vt te posset non mediocriter onerare.* Sic bonus detestatur alijs esse occasionem calamitatis, vt nec gloriam vellet habere cum alterius domno.

Chrysost.

1. Reg. 22.

2. *Reg.* 24. Cui Dauid ait: Vt emam à te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio, quæ grassatur in populo. Et ait Areuna ad Dauid: Accipiat, & offerat Dominus meus rex, sicut placet ei; habes boues in holocaustum, & plaustrum, & iuga boum in vsum lignorum. Omnia dedit Areuna regi; dixitque Areuna ad regem, Dominus Deus tuus suscipiat votũ. Cui respondens rex ait: Nequaquam vt vis, sed emã precio à te, &c.

§. XVII.

§. XVII.

Libentissime dantur à subditis dona principi, quæ communi vtilitati, & necessitati videntur deseruire.

ACcipite & Dauidis petitionem, & Areunæ liberalitatem. Quippè ait: *Cui Dauid ait: Vt emam à te aream, & ædificem altare domino, & cesset interfectio, quæ grassatur in populo. Et ait Areuna ad Dauid: Accipiat Dominus meus Rex, sicut placet ei, habes boues in holocaustum, & plaustrum, & & iuga boum in vsum lignorum. Omnia dedit Areuna regi.* Quid liberalius? Rex petebat aream, vt in ea ædificaret altare; Areuna non solam aream offert libens, sed & boues, & ligna ad sacrificium. Quam aliter accidit Achabo regi petenti vineam â Na-
3. Reg. 21. both. Eu tibi historiam ex 3. Reg. 21. *Locutus est ergo Achab ad Naboth dicēs, Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam; daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si cōmodius tibi putas, argenti pretiū quantūcunque digna est. Cui respondit Naboth, Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Quid illiberalius? Non multū Achab petebat à subdito, quando pro vinea vineā meliorem, aut pretium offerebat, & tamen contemnitur in petitione sua. Et vnde natum est, quod Dauid adeò liberalem, & hilarem datorem experiretur Areunam, & Achab tam turpem patitur à Naboth repulsam? Componite vtriusque petitionē, & inde apparebit discrimen. Ait Dauid: *Emam à te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio, quæ grassatur in populo.* Verum Achab dicebat: *Di mihi vineā tuā, vt faciam mihi hortum, &c.* Ille in petitione sua & salutem, & vtilitatem communem prætendebat; hic proprias vtilitates, & delicias; inde factum est, quod huius petitio despiciatur, illius autem petitio plura postulatis accipiat. Nunquam enim non libentissime, & largissime dantur principi, quæ noscuntur communi vtilitati, & saluti seruire. Ab hac sententia stat Cassiodor.
Cassiod. 11. Var. 16. aiens: *Nunc ad apparatum florentissimi exercitus vota conuertite, vniuersa sine querela, vel tarditate aliquâ procurantes. Efficaciter enim me ad omnia benignā constringitis, si gratūter, quæ sunt cuncta completis. Latus obediat, quem causa generalitatis inuitat. Illa solla dolere debent dispendia, quæ studio videntur cupiditatis imposita. Nam quod pro rerum necessitate præcipitur, inde prudentium animus non grauatur.* Hoc in mandatis, hoc in exactionibus princeps studeat, ne priuata eius cupiditas appareat nutriri; sed quęri noscatur salus communis, & vtilitas. Pro hac enim nullus prudens grauabitur impēdere substantiam suam. In hanc rem venit Sidonius Appol. in Paneg. dicto Maiorano Augusto, cum tributum imposuit populis.

Gallia continuis quamquam sit lassata tributis Sidon.
Hoc censu placuisse cupit, nec pondera sentit,
Quæ prodesse probat.

A nullo prudenti sentiuntur pondera, quę noscuntur communi saluti, & vtilitati deseruire.

§. XVIII.

Temporales homines largiores in principes quam in Deum.

MIrabar liberalitatem Areunæ pro altare construendo, ait enim textus: *Ait Areuna ad Dauid: Accipiat Dominus meus rex, sicut placet ei; habes boues in holocaustum, & plaustrum, & iuga boum in vsum lignorum. Omnia dedit Areuna regi.* Cū area sola peteretur, vt ibi altare fieret, Areuna non solam aream, sed & boues, & plaustrum, & iuga boum offert. Et cur tā largus Areuna? An quia ea Deo, eiusque cultui donabat? Ab hac cogitatione nos eripit textus, notanter aiens: *Omnia dedit Areuna regi.* Non equidem Deum, sed regem respiciebat illa largitas Areunæ; Deo enim de ingenti segete paucas spicas homo temporalis appendit, at principi, si accedat, totum exhibet. Quis non videat temporales homines largiores in principes esse quam in Deum? Imperante Constantio Palatini omnes arriana lue infecti verebātur Iesum Dei filium credere fuisse æternum: qui tamen Imperatorem suum æternum prędicare minimè erubescebāt. Quos sapienter D. Athanas. epist. ad Orthodoxos de Synodis mordet dicens: *Suum Cæsarem æternum appellauerunt, qui filium Dei æternum esse negant.* Eo deuenit hominum temporalium impudentia, vt quā filio Dei negant æternitatem; illam plenis buccis de suo Imperatore prædicant. Strictiuerga D. Athan.

Deum

Deum in honoris cognominibus attribuēdis, largissimi erga suum Cæsarem. Fallar, nisi hanc impudentiam à temporalissimis Iudæis biberint. De his ait Matth. 27. *Conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes, Domine, recordati sumus, quia seductor ille, &c.* Expende qualem titulum Pilato exhibeant, & qualem filio Dei; Pilatum vocant Dominum, & filium Dei seductorem. Rem pulchrè notans Damascenus orat. in Sabb. Sanctum ait: *O vsitatam idololatrarum impietatem! Socium erroris, & peccati seruum Dominum vocant; ipsi seductores, erroriſque cum illo consortes. Seruatorem autem, & dominum vniuersorum, ipsam vnicam veritatem, ipsam patris sapientiam, & potentiam seductorem appellant.* Hæc est communis temporalium hominū idololatria; facilius inuenies, qui sua nege: Deo, quam regi; qui largior, & reuerentior sit in principem, quam in Deum. Quis reuerentiam non habet regi præsenti; & quis illam non negat Deo etiam in sancto suo tempio?

Matt. 27.

Damasc.

§. XIX.

Salutaria non sine sumptu, & labore expectanda.

PRudens Dauid, vt vidit ab altare erigēdo in area Areuna pendere populi salutem, cauit aream gratis, & sine vllo sumptu suo accipere. Imò ait: *Nequaquam, vt tu vis, sed emam pretio à te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo Dauid, &c.* Nec immerito, amat enim Deus, vt salutaria non expectentur ab hominibus egentibus sine proprio labore, & sumptu. Cauebat Lex Leuit. 19. *Cum messueris segetem terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superficiem terræ: neque permanentes spicas colliges. Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes.* Ecce tibi, vt iubeat Deus spicas in satis, & racemos in vineis dimitti, vt inde colligant egentes. Sed cur non potius omnia inde à Dominis colligi, & domum referri, & ibi egentibus exhiberi iubet? Instruebat in eo Dominus egentes omnes, ne expectent sibi salutaria, & vtilia absque proprij laboris sumptu, sed nitantur illa proprio labore habere. Ait Clemens Alex. lib. 2. Strom. cap. 8. *In messi ea, quæ ex manipulis excidunt tollere vetat, prohibet possessores, sicut etiam in metendo iubet aliquid infectum relinquere, per hoc possessores valde exercens ad communicationē, & magnificentiam, ex eo, quod ex propriis aliquid dimittant egentibus, pauperibus autem præbens materiam sibi quærendi victus.* Expēde hæc vltima: *Pauperibus autem præbens materiam sibi quærendi victus*, vt videlicet laboris proprij aliquem sumptum ponant. In eas es homo redactus angustias, vt salute egeas ne expectes, tibi gratis eueniat; sed magis diligentiam adhibe, & laboris sumptum appone, vt cōsequaris eam. Egebant oleo fatuæ Virgines, Matth. 25. & dicunt sororibus: *date nobis de oleo vestro:* Expende illud *Date*: quippe fatuæ omnia bona gratis, & absq; sumptu sibi obuētura expectabāt, & inde pereūt. Vt pulchrè dicat D. Amb. lib. de Ioseph, cap. 7. *Illæ Virgines in Euangelio, quas veniens sponsus exclusit, ideo foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt. Vnde dicitur eis: Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Et negotiator non immerito prædicatur, qui vendidit omnia sua, & emit Margaritam.* Ecce tibi in Euangelio illæ perituræ excluduntur, quæ gratis sibi salutem obuenturam credebant, absque vllo proprij laboris sumptu; & saluti reseruantur, quæ illam emunt. Et cur non emas salutem, qui nec mortem habes, nisi emptam? Petētibus Israelitis sibi fieri idolum, cuius cornu ventilentur, ait Aaron, Exod. 32. *Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Petierit hoc precium Aarō pro idolo faciendo, cur necessum fuit tantum scelus euulgare? Cur non magis decuit silentio obnubilare tantā populi stultitiam, quod vxorū & filiarum auro emerent vltimam sui miseriam? Ait D. Aug. ibi quæst. 141. *Factum tamen illud ipsum difficile, vt esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putauit, qui contristantur, si quid tale propter vitam æternam à nimis fieri, vel æquo animo tolerari iubeatur.* Quando ea, quibus in perditionem traheris, tam carò emis; cur etiam caro nō emas, quæ te in vitam deducent æternam? Equidem non sine sumptu in illam venies.

Leuit. 19.

Clem. Al.

Matt. 25.

D. Amb.

Exod. 32.

D. Aug.

§. XX.

Maxime decet principem fidelitas, in necessarijs solis exigendis à subditis.

AReam, & boues, & plaustrum, & iugā obtulerat Areuna regi; ipse autem aream

aream, & boues accepit, plaustro & iugo pepercit. Dicit namque: *Emit ergo Dauid aream, & boues argent. siclis quinquaginta: & ædificauit ibi Dauid altare, &c.* Area necessaria erat ad locum altaris, boues item necessarij ad sacrificium; sed & plaustrum necessarium videbatur ad vsum lignorum. Cur etiam plaustrum non accepit? Sanè superfluitas magna esset, & minime necessarius sumptus, quo plaustri, iugive lignis sacrificij ignis foueretur cum ad id illaborata quæuis alia ligna sufficerent, & in prõptu essent. Ad bonum autem principem spectat, quod habeatur fidelis â populo in non exigendis superfluis, sed necessarijs. Cum huc peruenio, statim memini alacritatem populi Israelitici in præstandis donarijs ad constructionẽ tabernaculi. Quæ omnia sumebant artifices. & in opere in-
Exod. 36. sumebant. Quid nunc? Ait Exod. 36. *Artifices dixerunt Moysi; plus offert populus, quam necessarium est*; ex quo pareis iubẽtur offerre. Quis non miretur artificum horum fidelitatem? præter necessaria, nil aliud accipere voluerunt, cũ facile posset. Ex quo præclaram doctrinam colligit Oleaster, qua Reipublicæ principes informet. Ait enim: *Boni, ac iusti artifices, qui non seruant sibi quod superest in operibus Dei, sed Dominis suis ea restituunt. Sunt proh dolor multi Rectores communitatum, qui pro publica vtilitate, multa petunt à populo: sed nihil vnquam, etiam si supersit, communitati restituunt, sed in suos vsus conuertunt; non considerantes populum de cætero libentiori animo donaturum & plura, cum viderit, quæ offert, fideliter à ministris, & gubernatoribus dispensari.* Sic ibi: nec dubito, quin lucrosum maxime esset principi, si adeo fidelis censeretur, vt nunquam nisi necessaria assumeret.

CAPVT VIt.

Abisag nuptiæ & Mors Dauidis.

Textus Historia.

IAM Certo nouerat Dauid à se erectum altare in area Areunæ, pignus esse templi inibi ædificandi per filium. Nihilque magis curat, quam tanto operi seruituros cõgregare diuitias. Interea frigescentibus præsenio membris additum est morbidum etiã frigus, quo sic algebat, vt nullis adhibitis vestibus posset in calorem venire. Is morbus causam dedit nouis excogitatis nuptijs, vt de sotiæ puellæ calore temperari posset morbidum illud frigus. Ergo seni regi nupta fuit nobilis Virgo Abisag nomine illustris pulchritudine, quæ dum noctu, diuque marito ministrat, pudorem non amisit virgineum. Tandem propinquus mortiv ir diuinus Salomonem, quẽ paulò ante ad regnum euexerat, multis instruit. Monetque vt Ioabo, & Semei dilatum supplicium non amplius differat, sed suspectis hominibus sublatis regnum stabiliat. Nec obliuiscatur gratiam referre Bercellai filijs, cuius obsequio non mediocre leuamen acceperat medijs in periculis. Sic filium affatus excessit è viuis.

PARS MORALIS circa textus literam.

QVI Dauidis cantauimus huc vsque vitam, necessum est, vt veniamus ad eius mortis luctus; his enim omnia humana componuntur, nimirum, & cantu, & luctu.

3. *Reg.* 1. Et Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cumque operiretur vestibus, nõ calefiebat. Dixerunt ergo ei serui sui: Quæramus Domino nostro regi adolescentulam Virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu eius, & calefaciat Dominum nostrum regem. Quæsierũt igitur adolescentulam speciosam omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag, &c.

§. I.

Illi veri censentur dies, qui à Sole Iustitiæ Iesu irradiantur.

NOn excesserat Dauid Septuaginta annos, & censetur plurimos habuisse dies; quippè ait: *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* De se loquutus Iacob, Gen. 47. ait: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui, & mali.* Cum dicuntur *parui*, intelliguntur à D. Aug. Eucher. & Chrysost. *pauci*. Et cur in Iacob centum & triginta anni dicuntur pauci; in Dauide autem Septuaginta plurimi reputãtur? Et quando in cẽtum, & triginta annis paucos dies numerãtur pro Iacob, cur in septuaginta numerantur plurimi pro Dauide? Vnde Dauid potuit plurimos habere dies in septuaginta annis, cum Iacob paucos habeat in centũ, & triginta? In Dauide sæpius quam in alijs patriarchis lux apparabat diuinissimi Solis Iustitiæ Iesu; quam lucem, vt pluries in se mũdo ostendebat, sic plures dies efformabat. Illi enim sunt veri hominis dies, qui illuminantur Iesu radijs. Iosue, cap. 13. dicit: *Iosue senex prouectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti, & ingressus es.* Esto, quod senex esset Iosue; cur necessum fuit, quod Deus illi opponeret ob oculos senectatem suam, & multitudinem dierum? An Iosue erat instar mundialium senum qui nequeunt se senes fateri, imo canos colorant, ne senes videãtur, adeò oblìti suorum annorum, vt egeant diuinis clamoribus cõmoneri? Cur ergo, quod notissimũ erat, & ipse minime ignorabat, curat Deus illi obtestari, plurimosque vitæ suæ dies ob oculos ponere? Sũt equidẽ dies ex Solis materialis radijs mensurati; qui vix apud Deũ censentur; & sunt dies fœlicissimi à Solis Iustitiæ Iesu in nobis facti, cũ peccatorum deuictis tenebris, sub eius radijs lucescimus. Horũ multitudinẽ in suis Deus, & numerat, & prædicat, & de horum augmento extollebat Iesu, vt qui multos dies sub radijs Iesu haberet. Ait ibi Orig. hom. 16. *Sicut Sol iste dies facit mundo huic, ita & Sol iustitiæ faeit aliquos dies spirituales, qui fulgore veritatis, & lampade sapientiæ illustrentur. Siquis autem in præceptis Dei vitam hanc præsentem, quæ, sicut Iacob dicebat, paucorum dierũ est, transegerit, & immaculatũ se ab hoc mundo custodierit, ab istis paucis diebus prouehitur, & promouetur ad illos æternos, & bonos dies æterni Solis luce signatos. Tali ergo ordine intelligendus est Iosue prouectus dierũ præmuntiari.* Non equidem censentur augeri dies, sed minui, qui fiũt sub hoc sole materiali; at qui expulsis peccatorũ tenebris, sic se componit, vt sub Solis iustitiæ appareat radijs, huius profectò dies & numerari possunt, & multiplicari. Exod. 12. ait: *Dixit quoque Dominus ad Moysem, & Aaron in terra AEgypti: Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum Israel & dicetis eis: Decima die mẽsis huius tollat vnusquisque agnũ, &c.* Expende, qui mensis, & dies cæperint in Israel numerari, nimirum mensis, in quo agnus immaculatus mactabatur. Et merito, nam tunc censentur dies, cum facti conspiciuntur à Solis diuini radijs. Vt dicat D. Gaud. ser. 1. in Exod. *Tunc igitur opportune audiuimus: Mensis hic vobis initium mensium, quando nouus nobis illuxit dies ille, quem fecit Dominus.* Dies non à Sole materiali, sed à Sole iustitiæ in nobis illuscescente factus incipit in nobis censeri, & numerari.

§. II.

Illi sunt nobis dies, quibus abiectis peccatis Deo viuimus.

QVando multo plures vitæ anni alijs fuerunt, quam Dauidi; non vacat mysterio, quod in illo commẽdetur dierũ multitudo. Dicit enim: *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* Cur plures dies Dauidis dicantur, nisi illi annumerẽtur, quibus à peccatis liber Deo viuebat, in quo seniores alios excedebat? Et merito, soli enim hi dies in numero sunt apud Deum. Israelitis dicebat Dominus, 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Et mirabar, quod præsens ille mensis, dicatur esse Israelitis principiũ mensiuum. Nonne antea & menses, & dies, & annos habebant? Ex quo in AEgyptũ venerant, non iã multi anni præcesserant? Cur ergo iste mensis dicitur illorũ esse primus? In hoc mẽse seruitutẽ AEgypti exuebãt, & liberi Deo vacare incipiebãt, & ideò hic primo mensis cæpit in numero esse apud Deũ. Ait D. Gaud. serm. 1. in Exod. *Non sunt imputati Israelitis illi dies, quos consumpserunt in AEgypto sed quãdo ingemuerũt ad Dominũ cõuersi ab operibus duris, & Dominus percussit primogenita AEgyptiorũ, qui eos seruire Domino nõ sinebãt, tunc audierunt: Mensis hic vobis initium mẽsium, &c.*

Exod. 12.

D. Gaud.

D. Gaud.

Non alij dies imputati sunt Israelitis, nisi dies, quibus liberi ab Ægypto Deo viuere cæperunt. Nec nobis alij dies imputabuntur, nisi illi, quibus Deo viuamus, & peccatis renuntiemus.

§. III.

Virginitatis interuentu salus paratur ipsis nuptis.

ADhuc, alijs vxoribus viuentibus Dauidi & seni, & frigido, & effœto formosissima puella Abisag Virgo adiũgitur, quæ virum foueat in vitam. Quippè ait: *Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet corã rege, & foueat eum::: Et inuenerunt Abisag, &c.* Et cur non magis seni, & frigido, & effœto quæritur adolescẽtula vidua? Nonne in spacioso regno inueniri poterat puella aliqua formosissima, cui immediate post nuptias viduitas contigisset, vt accidit Ruth, & Iudith? Cur ergo de viduis puellis non quæritur vna, quæ senem regem foueret, sed de virginibus? Iam ibi ostendebat Deus, quã sit necessaria virginitas, vt eius obsequio, & interuentu, vel ipsis coniugibus salus possit acquiri. Ioann. 2. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ; & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem, & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent, &c.* Multa alia miracula fecit Iesu, & in nullo matris expectauit interuentum, nisi in hoc f. & im in nuptijs. Et multas alias necessitates vidit Maria, & sciuit in alijs, nec legitur pro alia intercessisse, nisi pro hac sola, quæ accidit in nuptijs. Et cur pro hac sola intercessit Maria, nisi vt intelligatur, quã sit necessarius interuentus virginitatis, vt commoda cõparentur ipsis nuptis? Aiebat D. Chrysost. hom. 1. in Psal. 50. *Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum, quibus tum ipse Dominus interfuit, & pietatis suæ largitus est munera, aquam commutans in vinum: figuraliter ostendebat, vt interceſſu virginitatis nuptiæ nutu Dei palmam abstinentiæ mererentur.* Expende ab illis: *vt interceſſu virginitatis, &c.* de virginitatis enim interceſſu venit, quod in nuptijs palma virtutum rutilet, & salutis. Huc traho Paulum, 1. ad Thimoth. 2. dicentem: *Mulier autẽ seducta in prævaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem: si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Putat D. Hieron. per errorem translatum fuisse illud *cum sobrietate*, cum transferendum esset ex græco, *cum castitate*. Vt videas in quo sit posita salus coniugum, nimirum in eo, quod habeant filios, qui in castitate virginea viuant. Ait D. Hieron. lib. 1. in Iouinian. *Si saluatur mulier in filiorum generatione, & filiorum numerus salus matrum est, cur addidit; Si permanserint filij in charitate, & sanctificatione cum castitate? Tunc ergo saluabitur mulier, si illos genuerit, qui virgines permansuri sint, si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem flore cõpenset, & pomis.* Itaque in parentibus coniugatis salus rutilat de interuentu virginei pudoris seruati in filij. Vt videant parentes, quando salutis suæ se priuent fundamento, dum non anxiè curant, ne eorum filij sese dedant flammis lasciuiæ.

Ioann. 2.

Chrysost.

1. Ad Timoth. 2.

D. Hier.

D. Hier.

§. IIII.

Vox virginea efficax, vt cœlestem calorem cordibus humanis infundat.

MErito non puella vidua, sed virgo quæritur, quæ frigescenti Dauidi calorem inderet; dum aiunt: *Quæramus Domino nostro adolescentulã virginem, & stet coram rege, & foueat eum, & calefaciat, &c.* Æque posset puella vidua calefacere regem, ac puella virgo: sed cum virgo eligitur, mysterium ostenditur diuinũ, vt pateat, quã supra omnes valeat vox virginea ad tollendũ peccati frigus, & inducendum cœlestem calorẽ humanis mentibus. Quis frigidior, quã animus in peccato existens? Et nihilominus Elisabeth, Luc. 1. dicebat ad Mariam: *Vt primũ facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Expẽde illud novum & inauditũ; *Exultauit infans in vtero meo*; duo enim impossibilia ostendit, & quod infans exultet in vtero; & quod exultet in vtæro Elisabeth. Fallar enim, si frigidioribus niuibus tegantur Alpiũ cacumina, quã his, quibus textus erat Ioannes in matris vtero. Ibi enim, adhuc indutus veterem hominem sub peccato originali mirum in modõ algebat: deinde circumdatus erat maternis visceribus, quæ vt sterilia ex se, & senescentia vndique ostendebãt & gelu, & frigus. Tamen inter tot frigora prosilit infans cœlesti calore agitatus; & vnde expelli potuerunt tot frigora, & tantus calor cœlestis introduci, vt infans in senili vtero prosiliret? Ait mater eius ad Mariã: *Vt primum facta*

Luc. 1.

est

eſt vox ſalutationis tuæ, &c. vt ſonuit vox virginea, frigora culpæ expelluntur, & cęleſtis calor introducitur. Ait D Hieron.

D. Hier. epiſt. ad Lætã: *Ioannes Baptiſta adhuc in vtero matris exultauit, & luſit. Audiebat enim verba Domini per os Virginis pertonãtis, & de vtero matris in occurſum eius geſtiebat erumpere.* Expende illa: *audiebat enim verba Domini per os Virginis*: cur frigus culpæ non excutiat, & cœleſti calore leuatus proſiliat, qui verba Domini excepit per os Virginis? Sanè quẽ primum audio ignem à cęlo veniſſe, ad Virginis venit ſacrificium. Gen. 4.

Geneſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Theodotion legit: *Inflãmauit Dominus ſuper Abel, & ſuper munera eius.* Venit equidẽ ignis de cœlo, qui Abelis voraret ſacrificiũ. Quid mirũ? Creditur Abel virgo eſſe, iuxta D. Aug. lib. 1. de Mirab. ſcripturæ

D. Aug. dicentem: *Tota iuſtitia hæc eſt, Virginitas, Sacerdotium, martyrium. Quæ triplex iuſtitia in Abel primo fuit.* Venit ergo ad Abelis Virginis vocẽ ignis de cęlo, ne miremur, quod vox virginea cœleſtem calorẽ animis humanis introducat. Hinc Iſaias, cap. 19.

Iſai. 19. *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuẽ, & ingredietur Ægyptũ.* Quæ verba referũtur à pluribus patribus ad tẽpus, quo puer Ieſus in maternis vlnis portatus fugit in Ægyptũ, relinquẽs ex tunc ibi illas ſcintillas fidei, quibus poſtea tota illa regio inflammata fuit. Et cur in illo ingreſſu Maria oſtenditur ſub figura nubis leuis? Vt in nube leui intelligitur nubes tonitribus, & fulminibus plena, quæ omniũ velociſsima eſt, & rapidiſsima, vt horę momẽto cęlũ impleat, & regionẽ tranſcurrat multa tonans, & iaculans fulmina, quibus terrã inflãmat. Sic Virginitas Mariana nubes erat velociſsima vocis tonitru penetrãs mortaliũ aures, & fulmina iaciens, quæ mentes humanas trãsformẽt in ignẽ. Quo ſpectãs D. Epiph.

D. Epiph. ſer. in Aſſump. Mar. ait: *Manſit in Virginitate ſancta puella Maria, quæ eſt nubes lucida habens intus Dei Verbũ. Ad quã Iſaias: Ecce nubes leuis, & veniet in Ægyptum::: Ipſa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in vtero geſtat.* Atonante nube cadunt fulmina; ſic à voce Virginis fulmina naſcũtur, quæ gelidiſsima pectora in cœleſtem conuertant ignem.

§. V.

Illa ſapientia ad ſalutem conducit, quæ affectibus non corrumpitur.

QVæſita eſt puella virgo, quæ calefaceret ſenem Dauidem, & inuenta eſt pulcherrima Abiſag. Aiunt enim; *Quæramus Domino noſtro adoleſcentulam Virginem, & ſtet coram rege, & foueat eum:: Quæſierũt ergo adoleſcentulam ſpecioſam omnibus finibus Iſrael, & inuenerũt Abiſag, &c.* In cuius cõiugio cũ Dauide ſene putat Hieron. epiſt. 2. debere exprimi acceſſum Sapientiæ ad ſeneſcentẽ ætatem; multus eſt in eo explicando, & exornando. Ego autẽ, vt Hieronimo aſſentior, non poſſum nõ inquirere, cur in ſapientia ad ſalutẽ ſenibus data tantopere Virginitas requiratur? Non adoleſcentulã quamlibet, ſed adoleſcentulã Virginem requirunt, vt Dauidem foueat in ſalutem; in quo Hieronimus notat ſapientiã ſenibus ad ſalutem datam. Cur ergo in ea adeò Virginitas quæritur, & cõmendatur? Vt ſciamus illam ſolam ſapientiam ad ſalutem conducere, quę virgo eſt, & cauet ne affectibus corrumpatur. Huc ſpectabat

D. Aug. Paul. 2. ad Cor. 11. aiens: *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro Virginem caſtã exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita & corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* D. Amb. & D. Aug. ſępe legunt: *Excidunt à ſimplicitate, & caſtitate, quæ eſt in Chriſto.* Itaque Apoſtolus mentis noſtræ integritatẽ, & Virginitatem in vera ſapientia nititur Chriſto exhibere. Et timet ne ſenſus noſtri corrumpantur, & excidant, à caſtitate Ieſu, nimirum à Virginea ſapientiæ integritate; vt Heua ſeducta, & mente corrupta âSerpẽte fuit. Et vnde veni: Heuæ, quod corrumpi mente poſſet? Quandiu iuxta maritũ erat, nec ab illo ſe ſeparauerat, virgo & corpore, & mente fuit; vbi ipſa per ſe ſola cæpit vagari, & accedere huc, atque illuc, tũc eius ſeductioni, & mẽtis corruptioni locus patuit. Sic prorſus dum ſenſus, & affectus noſtri rationem ſecuntur, integri ſunt; vbi vero ſenſus rationem antecedunt, & ipſi per affectus ſoli vagantur, quid niſi corruptio, & perditio ſperatur? Ad hæc dicebat D. Hilar. lib. 10.

D. Hilar. de Tridit. *Si non præiret rationem voluntas, ſed per veri intelligentiã ad velle, id quod verum eſt, moueretur; nunquam doctrina voluntati quæreretur, ſed voluntatem omnem doctrina ratio commoueret, eſſetque omnis ſine contradictione veritatis ſermo.* Itaque tota veritatis præuaricatio, & perditionis acceſſio inde venit, quod voluntas rationem præit, & prius afficitur ad res, quam intellectus veritatem inueſtigans accedat. Vnde naſcitur, quod captiuetur intellectus, & ratio in obſequiũ affectuũ; & quęratur doctor, qui dicat, quod cupimus, nõ quod eſt verũ.

2. Ad Thimot. 4. Huc ſpectabat Paul. 2. ad Thimot. 4. *Erit enim*

enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, pruriētes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autē cōuertentur, &c. Expende illa: *Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros*; magnum equidē magistrorum aceruum quærent, qui dicāt, non quod ratio postulat, sed quod postulant illorū desideria. Circa quæ ait D. Hilarius lib. 10. de Trinit. *His, quæ desiderant, coacervabunt magistros, apta scilicet cupiditatibus suis doctrinarum institutа cumulantes, neque doceri se desiderātes, sed doctores ad id, quod desiderant, congregantes, vt cumulus ipse conquisitorum, & coacervatorum magistrorū, æstuantium desideriorum satisfaciat doctrinis. Et hic tantus stultæ religiositatis furor, quo tūdem spiritu sanam doctrinam nō sustinens, corruptam desideravit?* Quid pulchrius? Sunt equidem qui Religionē præseferentes, nil faciant nisi sapientum, doctorumve calculis approbatum, sed eos doctores quærūt, qui illorum desiderijs respondeant. Hæc sanè non religio est, sed stultæ religiositatis furor, qui non veritatē quærit, sed propriis seruit cupiditatibus, non integritati mentis, sed corruptioni subiacens. *D. Hil.*

3 *Reg.* 2. Appropinquauerunt autē dies Dauid, vt moreretur, præcepitque Salomoni filio suo dicens. Ego ingrediorviā vniuersæ terræ; confortare, & esto vir. Et obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa, quæ facis, &c.

§. VI.

Iustis viris temporales iacturæ non molestæ, vt qui æterna spectent.

NVnquam non mirabor illud dictum: *Appropinquauerūt dies Dauid, vt moreretur.* Vt moreretur Dauid, dicūtur eius dies appropinquasse; cur non potius dicūtur recessisse, aut defecisse? Nōne moriētis species satius exprimitur per recessū, aut defectum lucis, & dierum? Nonne eò spectat illud, Psalm. 89. *Omnes dies nostri defecerunt, & nos defecimus in ira tua?* Quādo ergo deficiunt dies, vt homo deficiens moriatur; cur Dauidi dicuntur appropinquare dies, dum ad mortem ibat? Equidem virum iustum non molestat defectus vllus temporalis, nec iactura huius vitæ; imò & tunc clarior, & serenior illi lux affulget. Zachar. cap. 14. dicebat: *Erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu, & dies erit vna, quæ nota est domino.* In vna die, nēpe in die mortis, erit defectus lucis, & caloris, dum ait; *non erit lux, sed frigus, & gelu.* Rursus ait, quod inibi: *Erit dies vna lucidissima soli Deo nota.* Si ibi defectus lucis, & caloris erit, quomodo & simul erit dies lucida Deo nota? Erit equidem impijs defectus lucis, & caloris in mortis puncto; at iustum virum nullus defectus affliget, quin potius tanta illū lux perfundet, quantā solus Deus nouit. Ait ibi Rupert. *Igitur fiet impijs, sicut & in Psalmo dicit: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. E cōtra sanctis lux aterna, dies indeficiens erit. Hoc est quod cōtinuo dicit: Erit dies vna, quæ nota est Deo. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendet, qualē diē suis præparauerit.* Eo ipso tempore, quo defectus lucis, & caloris, & bonorū omnium temporalium malos affliget, tā longe erūt iusti ab illa afflictione, vt & in defectu huius lucis clarissimos iam teneant æternitatis dies. Et quā lucem nō habebit, qui sciat sibi tunc appropinquare Christū? De fine sæculorum locutus Dominus, Matth. 24. & ruinā vniuersalem proponens statim ait. *Statim post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis, &c.* Et quales tunc erunt sancti tui Domine, quādo inter tot mala nec eis Sol, nec Luna fulgebit? An sic, vt impij externis illis tenebris cruciabuntur? At sit; sed tunc *parebit signum filij hominis*, in quo sole nullū defectum sentient, sed clarissimum possidebunt diē. Ait D. Cyr. Alex. in cap. 14. Zachar. *Otiosa aliquando futura & ipsa elemēta, fidē facit ipse Christus. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suū. Sufficit enim nobis Christus ad lucē aternā, & ipse erit lōga, ac perpetua dies.* Deficiant, licet, omnia, dū Iesus affulgeat, ipse pro omnibus sufficit, ipse solus faciet clarissimos, & longissimos dies.

Zach. 14. *Rupert.* *Matt. 24.* *Cyr. Al.*

§. VII.

Nunquam non creduntur festinatissime aduolasse dies, cum in fine sumus.

DVos supra septuaginta annos Dauid attigerat, & nilominus dicuntur eius appropinquasse dies, vt moreretur, quippè ait: *Appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur*, & in septuaginta vitæ annis, plus credi debebant stetisse, & morati fuisse mortis dies, quã appropinquauisse. Sed pro dolor, in fine dierum, nulli dies non videntur festinatissime aduolasse, & præterijsse. Dicebat D. Hieron. in Epithaph.
D. Hier. Nepotiani: *Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, & quod velimus, nolimus, abesse longius nõ potest. Nam si nongentos vitæ excederemus annos, vt ante diluuium humanũ genus viuebat, & Mathosalem nobis tempora donarentur: tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset. Etenim inter eum qui decem vixit annos, & eum qui mille, postquam idem vitæ finis aduenerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantum dem est.* Finis præsens, vel lõgissima tẽpora curtat, & facit instar vnius diei apparere ingentem dierum multitudinem. Minatus Dominus Heli ruinã, 1. Reg.
1. Reg. 2. 2. ait: *Hoc autem erit tibi signum, quod vẽturum est duobus filijs tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.* Sic ambobus curtabitur clausula vitæ, vt vno die credantur mori ambo, & vixisse. Circa quæ ait D. Greg. Mag. lib. 2. in 1. Reg. cap. 3. ait:
D. Greg. *In vna quippè die moriuntur, quia cum ad terminum vitæ perueniunt, breue eis omnino fuisse cernitur, quod vixerunt. Vnde per quendã sapientem dicitur: Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Sic cum ad finem vitæ peruenimus prætervolasse creduntur tempora, vt multi dies appareãt instar puncti fuisse. Vt cogantur fateri illi Sapient. 5. *Nos nati continuo desinimus esse.*

§. VIII.

Iustorum alia conditio in calamitatibus communibus, ac impiorum.

DIebus mortis appropinquantibus Dauid non rapitur, sed ipse alacer graditur per viam omnibus viuentibus communem. Ait enim: *Appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur: præcepitque Salomoni filio suo dicens: Ego ingredior viam vniuersæ terræ.* Communem omnibus mortis viã singulariter terit Dauid, dum ait: *Ego ingredior, &c.* Impio dicebatur, Luc. 12. *Stulte hac nocte repetent animã tuã à te.* Eadẽ mortis sagena & hunc, & Dauidem metebat; sed quam aliter Dauid ibat in mortis falcẽ, & hic auarus. Hic quasi medijs tenebris raptus, & reptatus ferebatur; Dauid quasi die fulgente alacer, & lętus ipse per se gradiebatur. Sunt equidem temporales calamitates communes bonis, & descolis; sed in ijs longe alia est conditio, & alacritas bonorũ, ac malorum. Quod Demetriano Ethnico obijciebat D. Cyprian. in epist. ei data fatus: *Non ergo id circo compares vobis, & æquales sumus, quia in isto, adhuc, mũdo, & carne hac constituti, mundi & carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus: nam eum insensu doloris sit omne, quod punit, manifestum est eum non esse participem pœnæ tuæ, quem tecum vides non dolere. Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsius seculi labentis ruinas erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia, & de Deo suo semper anima secura.* Ecce tibi in calamitatibus communibus, quã alia est cõditio bonorum â malorũ conditione. Omnes in easdem calamitates deuenimus, sed impij affliguntur, conculcantur, misere reptantur ad finem: iusti autẽ erecto animo gradiuntur, spes illis certa applaudit, patientia læta arridet, & anima de Deo secura. Ideo in mũdi ruina generali monet Dominus asseclas suos dicens, Luc. 21. *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra.* In omnium casu iubentur Christi asseclæ erecto animo esse. Cur non magis dolere iubeantur in tanta ruina, tãque omnibus bonis, & malis cõmuni? Ait D. Gregor. Mag. ibi: *Ex mundi destructione lugere eorũ est, qui radices cordis in eius amore plantauerunt, qui sequentẽ vitam non quærunt, qui illã neque esse suspicãtur. Nos autẽ qui cœlestis patriæ gaudia æterna cognouimus, festinare ad ea quantocyus debemus. Optandũ nobis est citius pergere, atque illã via breuiori peruenire.* Sic certa spes iustos erigit in communibus omnium ruinis. Vt merito possint clamare illud Dauidis, Psal. 4. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Medijs enim ruinis, & calamitatibus mundi, nunquam non iusti singulariter propter spem apparent constituti. Si cenim in ruina existunt, quasi nihil debitum soluant, sed ad solutionem sibi debiti festinent. Quo pulchrè aspiciens Iob, cap. 3. dum de morte omnibus communi philosophatur

ait: *Ibi impij cessauerunt à tumultu*; & iuxta
Olymp. Olympiodor. in cat. Greca: *Illic impij infl ammarunt furorem iræ, & ibi requieuerunt fessi robore. Et quondam vincti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris.* Crediderim à Iobo positas diuersas classes hominũ ad mortem euntiũ. Alij sunt impij, qui in bonis duxerunt vitam suã; alij sancti, qui afflicti, angũstiati, in catenis, & carceribus fuerunt. Hi omnes in mortẽ pariter deuenerunt. Sed quo discrimine? Id explicatur pulchro exemplo, nimirũ ex eo, quod cõtingit in ciuitate, quando exactores accedunt collecturi tributa. Tunc contigit in vna domo & rixas, & clamores, & periuria audiri; in alio omnia in tuto, & tranquillitate esse. Et cur ibi tanti clamores, tot rixæ; & hic tanta trãquillitas est? Ibi sunt exactores tributum exigentes, & omnia rimãtes, quod nõ fit sine ingenti dolore, & gemitu, & ira soluẽtis. Hic nullus exactor est, immunis enim est domus, nec vocẽ audit exactoris vllius. Sic in morte impiorũ: *Illic impij inflamauerunt furorem iræ*; nec miror hęret illis durissimus exactor, qui repetit ab illis animas, quod ipsi acerbissime sustinẽt. At in morte iustorum, *non audierunt vocem exactoris*, sic vadunt ad mortem, quasi nihil soluturi, sed omnia bona accepturi.

§. IX.

Peritura omnia nihili æstimanda.

ILlud maxime notandum est in Dauide, quod se vilissimis terræ filijs exæquet. Ait enim. *Ego ingredior viã vniuersa terra.* Glossa marginalis addidit: *Ecce ego, &c.* vt notanter insinuet, quis sit, qui viã terræ vniuersæ ingreditur, nimirũm: Ille ego tot victorijs illustris, tot triumphis decorus, amplissimo Regno insignis, ingẽtibus auctus diuitijs, cum abiectissimis filijs terræ vltimam attingo vitę metam. Et cur tantus tam vilibus se exæquat? Cur non ait, ille ego ingredior viã omnium principum, & regum, vel omnium viuentium? Cur magis placuit suam maiestatem infimis terræ filijs exæquare? Salomon filius eius suum in vitam ingressum depingens ait Sapient.
Sapient. 7. 7. *Ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primã vocem similem omnibus emisi ploratus. In involumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex regibus habuit aliud natiuitatis initium.* Sic ex comparatione aliorum regum suum in vitam ingressum perpendit. Cur similiter Dauid de suo egressu locutus, non se comparat regibus, & principibus quando ipse rex erat, sed totam suam regiam maiestatẽ in nullo differentem ostendit à vilissimis filijs terræ? Salomon videbat suam gloriã in primo exortu; & inde non miror, quod in eius comparatione aliorum regũ, & principum meminerit, aliquanto eorum glorias æstimans. At Dauid videbat totum suum regium splendorem in occasu, & ideo adeo vili illũ æstimat, vt vel abiectissimo puluери eum exæquet. Dicebat Iob, cap. 3. *Quare non in vulua mortuus fuum, egressus ex vtero non statim perij?* Iob, 3. *Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Cum regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento.* Cupit Iob sibi recẽsnato mortem obtigisse, quod si tunc mortuus esset, sic nũc in sepulchro mansurum credit, vt manent reges, & principes mundi, illi, inquam, reges victorijs cantatissimi, & diuitijs opulentissimi. Et mirabar, quod Iob locutus de pueruli recẽs nati interitu, qui de vulua ad tumulũ trãslatus est, in eius similitudinem trahat cantatissimos, & opulentissimos reges, & principes mundi. Et cur bone regias potestates, sic traducis, vt illas recensnato, & mortuo puerulo exæques? Quid puero recensnato, & mortuo vilius? Quid preciosius & splendidius regibus? Cur ergo & regũ florentissimorum, & pueruli recensnati finem simul adnectis? Ait Olymp. in cat. Græca:
Olymp. *Hinc erudimur, neque in tyrannide, ac potestate, neque in diuitijs, neque in sapientia magnopere gloriandũ. Quandoquidem reges, & senatores terræ, qui sapientiam, & consilium vendicant, & qui gloriantur in gladijs, in imperio, atque dominatione, in victorijs, atque trophæis, adde eos etiã, qui copia auri abundant, communem mortis conditionem subire tamen cogũntur.* Quis æstimet soles, qui similiter cũ lucernis extinguntur? Quis bona, & decora æstimet, quæ cum vilissimis rapiuntur ad interitum? Plane à Dei spiritu venit, quod non digneris, vel tangere ea, quæ ad interitum currunt. Ezechieli cap. 37. ostensus est campus plenus ossibus, quæ cum singulis suis iuncturis adiungerentur, carne vestita corpora humana apparuerũt. Quid tunc? Ait propheta: *Et dixit Dominus ad me, Vaticinare ad Spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad Spiritũ: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni Spiritus, & insufla super interfectos istos, & reuiuiscant.* Ecce iubetur

betur homo Spiritum vocare, & intromittere incorpora illa. At Genes. 2. formato corpori Adami ipse Deus immittit spiritũ, ait enim: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo, & spirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Et cur Deus non detractauit spiritum vitæ per se infundere in Adamũ; cauet per se spiritum infundere corporibus illis, & rem hominis filio Ezechieli mandat? Sanè in Adamo æternus animus denuo creabatur, nec detrectat Deus circa æterna nauare operam suam. Verũ in Ezechiele, nihil æternum denuo fiebat, sed corpora quam primum interitura, ne miremur, quod caueat Deus per se attingere particulariter adeo caduca. Ait D. Epiph. in Ancorato: *Et quam ob causam Dominus non dicit sed hominem dicere iubet? Quoniã, quod dicit Dominus, simul etiam fecit; & non amplius soluitur: Erant autem illa ossa rursus moritura.* Cauet Deus suam efficaciam singulariter monstrare circa caduca; & moritura. Vt hinc homines videant, quam longe distent à Dei spiritu, cum totam suam operam nauant rebus perituris.

Genes. 2.

D. Epip.

§. X.

Respectus temporalis infirmus est ad virtutem conseruandam.

MVltus est Dauid in filio erudiendo ad virtutem; sic enim, ibi: *Confortare, & esto vir, & obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in viis eius ::: Vt confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me dicens: Si custodierint filij tui vias meas :: non auferetur tibi vir, de solio Israel.* Non inficior multarum virtutũ fuisse consilia à Dauide filio tradita, sed inde omnia illa claudicarũt, quia eorũ scopus vna ostẽdebatur regni temporalis cõseruatio. Solũ enim ait: *Vt confirmet Dominus sermones suos scilicet, nõ auferetur tibi vir de solio Israel.* Nihil maius, nihil diuinius video propositum à Dauide Salomoni ob præmium virtutum, quam temporalis regni conseruationẽ. Proh infirmum virtutũ fulcrum! Non miror inde claudicasse virtutes Salomonis, quæ vsque in finem durarent, si nõ temporalibus respectibus, sed vni Deo niterentur. Aiebat enim, Psal. 4. *In pace, & in idipsum dormiam, & requiescã. Quoniam tu singulariter in spe constituisti me.* Non respectus temporalis, non temporalia lucra, sed vnus Deus singulariter hominem cõstituit in spe, hoc est, fundauit spes humanas. Quid inde? *In pace dormiam, & requiescam;* vsque in finem pax durauit, & tranquillitas. Ait D. Remigius in cat Lyppom. *Causa igitur quare hic dormiam, & post requiescam, est; quoniam tu domine constituisti me singulariter in spe, id est, in sola spe hæreditatis meæ, scilicet, vt non foris quærerem beatitudinem meam in his transitorijs.* Ecce causa perseuerantissimæ quietis, nimirùm, quod sic firmatus fuerit in spe sola hæreditatis æternæ, vt nequaquam aspiceret ad transitoria hæc cõmoda, sed sola intueretur æterna. Quis nesciat constantissimam virtutẽ trium puerorum Hæbræorum? Et vnde illis tantæ constantia venit? Constituti corã rege dixerunt, Dan. 3. *Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus.* Ecce tibi in primis fatentur se posse per Deum liberati ab igne, & manibus regis. Cur in illa fiducia non perstiterunt. Cur non firmiter expectarunt illã liberationem ex Deo; sed potius addiderũt illud: Quod si noluerit, &c.? Validissimi, & constantissimi viri cauerunt temporalẽ liberationem attendere, vt qui magis firmabantur in æternis. Ait D. Cypr. epist. 81. *Considere tis diligentius peto, quæ apud illos pueros fides fuerit, quæ promereri Dominũ plenus potuit:: Cum scirent posse etiam de præsenti supplicio liberari, iactare hoc tamen, & vindicare sibi noluerunt, dicentes: Et si non: ne minor esset confessionis virtus sine testimonio passionis. Addiderunt posse omnia Deum facere, sed tamen non in hoc fidere, vt liberari in præsentia vellent, sed illam libertatis, & securitatis æternæ gloriam cogitarent.* Qui ad constantissimam virtutẽ contendebãt, cauerunt temporalia respicere, sed æterna.

Psalm. 4.

Dan. 3.

D. Cypr.

3. *Reg.* 2. Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quę fecerit duobus principibus exercitus Israel Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether; quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prœlij in baltheo suo, qui

erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacifice ad inferos. Sed & filijs Bercellai Galaaditis reddes gratiam, &c.

§. XI.

Optimus Princeps, vel in vltimo halitu iustitiæ consulat administrationi.

BOnus princeps vltima etiam verba in reorum punitione, & bonorum remuneratione ponit. Ait enim: *Tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab::: & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos. Sed & filijs Bercellai reddes gratiam.* Quid dignius in principe, quam quod vel in vltimo halitu consulat administrationi iustitiæ? Sapienter dicebat D. Ambr. orat. in obitu Theodosij: *Quid dignius, quam vt testamentum Imperatoris lex sit?* Equidem inde maximè honestatur princeps, quod occumbat satisfaciens muneri suo, vel in legibus condendis, vel in castigandis delictis, aut remunerandis bonis. Matth. 27. de Iesu morte locutus ait: *Postquam autem crucifixerunt eũ, diuiserunt vestimenta eius::: Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris.* Ecce tibi bonus Iudæorum & nũdi Rex, vbi apparuit in cruce redditurus patris sui manibus spiritum; duos iuxta se patitur latrones, quorum alterũ dicit, Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso*; alterum vltricibus flammis relinquit. Et quando pro omnibus peccatoribus sanguinem fundebat suum; & vitam ipsam ponebat iam moriturus; cur prouidit duos iuxta se supplicij sotios, quorum alterum donet paradiso, alterum in gehennam dimittat? Rex erat omnium, & quando causa mortis eius erat, quod Rex esset omnium, & iudex, vel in vltimo halitu cõsulebat administrationi iustitiæ. Quo accedit Arnoldus Carnot. tract. in hæc verba de duobus latronibus locutus: *Erat itaque vnus irrisor, alter confessor, vnus exprobrator, alter veneror; aderat iudex, qui data sententia blasphemum ad Tartara, confitentem præmisit ad regna.* Expende illa: *Aderat iudex*; quando enim qui in cruce aderat iam iam animam agens iudex erat, & optimus principum, nõ miror, quod vel in vltimo halitu sententiam pronuntiet, qua reus plectatur, & remuneretur iustus. Accedit Rupert. lib. 13. in Ioann. Verum tamen ipsa crux non solum tormentum indicati, sed & indicaturi quoque iam quoddã tribunal extitit. Alterum namque illorũ sceleratorum misericorditer assumsit, alterum iuste reliquit.* Ipse morientis lectulus optimo regum versus est in tribunal, vt nec vltima vox vacet ab administratione iustitiæ. Iacob iam moribundus omnes ad se congregans filios hac vltima voce tonat, Genes. 49. *Ruben primogenitus meus:: effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorũ nõ veniat anima mea, & in cœtu eorum nõ sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax:: Iuda te laudabunt fratres tui, &c. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt.* Ecce tibi sub quibus verbis finit vitam Iacob, Rubeno, & Simeoni, & Leui maledicens; benedicens autem Iudæ, & alijs. Et cur bono morti accedens tot maledicta congeris in filios, quãdo alij, vel hostibus suis benedicunt? Erat tunc temporis administratio iustitiæ apud capita familiarum, vt patet ex Gen. 38. in Iuda iubente comburi Thamarem propter adulterium. Iacob ergo, vt verus iudex, & princeps duodecim illorum fratrum, sic egerit, vt vel in vltimis eius verbis pateret administratio iustitiæ, qua singulos iuxta merita vel punit, vel remunerat. Quo spectans D. Chrysost. hom. 67. in Genes. ait: *Iacob è vita hac migraturus, vult vnicuique illorum, quasi in titulo, & columna ærea, memoriam insculpere. Considera autem iustum, quomodo congregatis pueris, vnicuique cognãdet, vel maledictionem, vel benedictionem, & in hoc monstrat suæ virtutis eminentiam.* Hæc est eminentia virtutis principis, quod eius vltima verba sententias proferant, quibus fiat iustitia.

D. Ambr.

Matt. 27.

Luc. 23.

Iren. Car.

Rupert.

Gen. 46.

Chrysost.

(†)

§. XII.

§. XII.

Durum est in pace fieri vastitatem belli.

IN de Ioabi crimen extollit Dauid, quod in pace bellorum strages intulerit. Ait enim: *Effudit sanguinem belli in pace.* Quid minus tolerandū? Quæ solet in bellis fieri sanguinis effusio, hæc facta est à Ioabo media in pace. Rex Ezechias inde ponderat calamitatem suam Isaiæ, cap. 38. aiens: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Paulo ante passus fuerat bellum sibi illatum ab Assyrijs, quorum ingenti exercitu circundatus, pene perierat. Sed occisis à Deo Assyrijs, vt liberatus est, & pacis tranquillitate frueretur, in lethalem morbum incidit. Morbi autem veneno exagitatus, inde maxime affligitur, quod in pace cogatur eas angustias pati, quas vix alij tēpore belli patiuntur. Intolerandum enim hoc videri solet prudentibus in suorum pressuris. Hinc Theodoricus Rex aduersus tributorū exactores exasperatus ait apud Cassiod. Cassiodor. lib. 2. Var. 24. *Quod nos salua ciuilitate dissimulare nō possumus, vt sine acerbitate belli, rebus suis exuantur oppressi, & illi magis pereant, qui Reipublicæ parere festinat.* Verba digna optimo principe, quibus piaculum esset addere quicquam.

Isai. 38.

3. *Reg.* 2. Habes quoque apud te Semei filiū Gera, filij Iemini de Behurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibā ad Castra; sed quia descendit mihi in occursum cum trāsirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum dicens: Non te interficiam gladio: tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, vt scias, quid facies ei, &c.

§. XIII.

Lethale est homini, quod in bonorum commodis sit, cum ipse malus existat.

TAndem etiam Semei adiudicatur pœna, dum ait Dauid: *Habes apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: Vir sapiens es, vt scies, quid facies ei, deducesq; canos eius cum sanguine ad inferos.* Et quando Dauid iam pepercerat Semei, cur modo illum supplicio adiudicat? Vnde illi modo mortem parat? Id insinuant verba illa: *Habes apud te Semei*; erat equidem Semei inter fidelissimos Dauidis aulicos, omnia illorum bona, & fortunas participans, cum ipse ab interna sua malicia, & odio in domum Dauidis nō fuerit immutatus. Merito ergo qui in bonis fidelium commoratur, ipse animo infidus, patitur extremam ruinam. Quo aspiciens Rup. lib. 4. de Glor. Fil. Hom. in fine ait: *Non iniustus in hoc facto inuenitur Dauid, quia non vero corde reconciliationem quæsiuit Semei, non præ desiderio iustitiæ pœnituit, sed seruiliter metu pœnæ concidit, qui Rex, quem oderat in corde suo, iterum salutatus in regno sedit. Mutauit vocem, non mutauit mentem.* Aderat in aula Semei minime mutatus mente, sed eodem odio in domum Dauidis plenus, inde iustissime pœnas dedit. Detrimentosum enim semper est homini, quod ipse malicia plenus in bonorum cōmodis nitatur esse. Matth. 22. ingressus Rex triclinium, vbi nuptiale conuiuium primogenito suo celebrabat, *Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*; & iratus iubet ministris: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eū in tenebras exteriores.* Et cur vnico vestium nuptialium defectu tam rapide miser ad pœnam fertur? Non miror, sordidus enim cum ipse esset, volebat esse in omnibus illis bonis, & commodis, quorum fulgentissimi quique, & nitidissimi participes erant. Ait sapienter D. Cyril. Ierosol. in proœmio ad Cathech. *Oportebat ipsum cū videret omnes splendide vestitos, eiusce modi quoq; capere amictum; verum ille cibum quidem vna cum alijs sumebat æqualem, inæqualem autē & ornatum, & propositum habebat.* Expende illam perditionis causam: *Cibum cum alijs sumebat æqualem, in æqualem autem & ornatum, & propositum habebat.* Quippè cum ipse malum propositum heberet, sordidisque moribus esset indutus nihilominus

Rupertus

Matth. 22.

Cyril. Ier.

ad

ad omnia commoda iustorum euolabat, & sibi in eorum bonis æquales adscribebat partes, quo non miror, si in se magnam Dei iram concitauit.

§. XIIII.

Elatus animus nõ vi, sed laudibus ad debita officia deducendus.

MIrabar Dauidem in mandatis suis toties sapientiã adolescentis filij commendasse. Dum enim de castigando Ioabo monet, statim subijcit: *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, &c.* sic modo Semei supplicium mandans, simul ait, *Vir sapiens es, vt scias, quid facies ei.* Cur sapiẽs Rex pene puerulum filium instruens toties illum de sapientia commendat? Cur non magis illius proponit vtilitatem in perdendis hominibus suspectæ fidei? Arduũ erat, quod nouitius Rex putaret sibi conuenire in regni initio tam strenuos, & potentes viros interimere: & accepto regno non magis præsumeret disconuenientia sibi à patre fuisse mandata. Mirum enim in modum dignitates acceptæ eleuant animos. Ideô sapiens pater, vt elatum acceptione regni animum filij ad conuenientia consilia, â se data perficienda deduceret, illum cæpit fouere sapientiæ laudibus, vt qui sciret elatos animos, non metu, sed laudibus in sibi conuenientia posse trahi. Accipe rem non prorsus absimilem in Numer. cap. 10. ibi enim habebat Moyses secum cognatum quemdam suum ethnicum, quem in veram Religionem Israelitarum amabat reduce-
Num. 10. re. Quid tunc? Ait text. *Dixitque Moyses Hobad filio Raguel Madianitæ cognato suo; Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis, veni nobiscum, vt benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israeli. Cui ille respondit, Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. Et ille, Noli, inquit, nos relinquere, tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster.* Expende ab illis: *Tu enim nosti, &c.* & quidem in nullo necessaria erat Moysi notitia, aut scientia hominis illius; habebat enim Moyses Deum ducem itineris in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Cur ergo sese egere sapientia Hobadi ostendit? Cur tantum se monstrat fidere scientiæ illius? Quem viderat non acquiescentem, sed repugnãtem promissis; sapientiæ illius laude aggreditur, vt hominem de mulceat, & faciat in sibi conuenientibus cõuenire. Sic enim elati animi trahendi sunt vt faciant virtutem. Ait Rupert. lib. 1. in Num. cap. 28. *Neque* *Num.* 28. *enim Moysem ignorantia itineris angustabat, quem & ad prophetiæ scientiam cognitio diuinitatis expenderat, quem columna exterius præibat. Sed videlicet prouidus vir elato auditori colloquens, solatium petijt, vt daret, ducem requirebat in via, vt dux ei fierit ad vitam.* Sic delinire elatos animos, vt trahantur ad bona, debemus, vt vel in proprijs eorum commodis, non tam sua, quam nostra interesse credant. Et dum putant suam sapientiam, & industriam maximè à nobis expectari, illa perficiant, quæ sibi salutem pariant.

3. *Reg.* 2. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid. Dies autem quibus regnauit Dauid supra Israel, quadraginta anni sunt; in Hebron regnauit septẽ annis, in Ierusalem triginta tribus.

§. XV.

Nomen mortis cauetur, vbi resurrectio non affulget.

DIcitur Dauid dormijsse, illis verbis: *Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, &c.* Et quando de Dauidis morte loquebatur, cur nõ clare dicit; Mortuus est Dauid? Cur nomen mortis dissimulato ad somnũ accurrit? Nõ miror, quod nomẽ mortis caueret, vbi, adhuc, resurrectio non affulserat. Paul. 4. ad Thessalon. ait: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt* *Ad Thess.* 4. *non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.* Loquitur Paulus de Iesu morte, & de omnium fidelium mortibus; Iesum autem non veretur absolute mortuum dicere; in cæteris autem fidelibus cauet à mortis nomine, & dormitionis

mitionis vtitur vocabulo. Quippè ait: *Iesus mortuus est*; & ad alios pergens dicit: *Qui dormierunt*. Quando ergo Iesum non veretur mortuum dicere; cur in cæteris cauet mortis verbum? In Iesu simul cum morte resurrectionem ostendit dicens: Iesus mortuus est, & resurrexit; in cæteris, quibus non erat præsens resurrectio, cauit mortem dicere, & somnum nominat, vt saltem resurrectionem in spe ponat, & ictum mortis emolliat. Ait D. Anselm. Quid est, quod prædicator egregius mortem Domini mortem vocat; mortem verò seruorum Domini non mortem, sed somnum nominat; nisi quia in firma corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis
D. Anſ. suæ mira arte apponit: & *illum quem iam resurrexisse nouerant, eis mortuum insinuare non dubitat; eos vero, qui necdum resurrexerant, vt spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat. Non enim verebatur dicere mortuum, quem auditores iam resurrexisse cognouerant: & verebantur dicere mortuos, quos resurrexisse nō credebant.* Mortuum dixit, quem resurrexisse prædicat; à mortis autem vocabulo cauet, vbi nondum affulserat resurrectio. Solus enim qui resurrectionem non videt, vel à mortis vmbra solet timere. Vnde monebat Dominus
Matt. 10. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidūt corpus.* Et cur timorem mortis expellit à nobis Dominus? Ait D. Chrysost. hom. 25.
Chryſoſt. in Matth. *Quid est timor mortis, non dolor exeūdi à corpore, sed desperatio vitæ post mortem. Ille timet mortem, qui non putat se viuere post mortem.* Merito expellitur à Domino timor mortis, quando ille nascitur ex desperatione, siue ignorantia resurrectionis. Vbi enim hæc affulget, nihil apparet, quod timeatur in morte.

§. XVI.

Natalibus pijs solent filij post multa discrimina respondere.

NOn parum hoc elogium Dauidis in eius morte celebratur, nimirùm: *Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis*; Quantum hoc, quod dormiuit cum patribus suis? Fuerant patres Dauidis priuati quidam homines Bethlehemitæ in pietate, & humilitate, & veri Dei fide viuentes. Ab his natus Dauid multis fuit discriminibus iactatus, siue dum persecutiones patitur ab hostibus, siue dum euectus ad regnum tranquillos terit fluctus prosperitatum. Quid ni? Inter hæc tot, tantaque discrimina desciuit Dauid ab illis virtutibus suorum parentum? Imò tandem, vel ablactatus à mundo, vel à regno lactatus sic ad finem peruenit, vt parentibus suis minime dissimilis in mortem caderet. Id ponderans D. Amb. lib. 1. de Abel, cap. 1.
D. Amb. fatur: *Ex quo cognoscitur, neo illud otiose scriptum esse, sed perpense, atque examinate, quod legimus in Regior. libris: Et appositus est ad patres suos. Intelligi enim datur, quod patrum similis fuerit fide.* Hoc de Dauide magnum dicitur, quod tot aduersa & prospera non potuerunt efficere, ne tandem morti accederet non similis in virtute patribus. Habēt hoc pij natales, qui vel post multa discrimina homines in suarum virtutū æmulationem trahunt. Moyses pijs Hebræis parentibus natus, ab illis expositus, à filia Pharaonis adoptatus, in Ægyptiorum aula tanquam regni hæres nutriebatur. Tandem inde fugatus Madianitæ principes filiam vxorem accepit, & dum soceri oues pascit, vocat eum Dominus, & remittit in Ægyptum, vt populum Hebræum saluet. Aitque illi. Exod. 7. *Ecce constituite Deum*
Exod. 7. *Pharaonis.* Et cur Moyses fit Deus Pharaonis, vt Hebræos saluet? Quid Moyses cum Hebræis? Nonne ipse in aula Ægypti educatus fuerat? Nonne apud Madianitas pastorem agit? Inter tam longam vitam apud Ægyptios, apud Madianitas vnde creditus manere in Moyse erga Hebræos charitas? Equidem merito sperantur in viro regerminaturi primi illi natales. Ait D. Chrysost. hom. 25. in Matth. *Ecce Moyses,*
Chryſoſt. *qui factus fuerat pastor ouium irrationabilium, factus est dux populi glorioſi. Qui quasi homicida ex Ægypto egressus, postea ingressus est iudex sanctorum. Iam non filius Ægyptiæ, sed quasi filius Dei. Perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit bene nutriendo facere suum, qui melius nascendo fuerat alienus.* Expende illud: *Qui melius nascendo fuerat alienus:* Quippè pij hominis natales nullis discriminibus aduersitatum, aut prosperitatum potuerunt suffocati, ne tandem erumperēt aliquando.

§. Vlt.

Vna Maria instar diuini filij sui obdormiuit.

DIcitur de Dauid, quod *Dormiuit cum patribus suis*, parentum dormitionem, & mori

& mortem æmulatus. Fęlicior Dauidis filia Maria, cuius dormitionis me facit meminisse præsens eius festus dies. Cumque hodie peruenio eo, vespertinas laudes offerã Mariæ in cœlum assumptæ, non possum nõ eius dormitionem memorare, quæ non cum patribus terrenis illi obtigit, sed cum cœlesti filio. Cui cogitationi acciuit
Cant. 8. illud, Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascẽdit de deserto delicijs affluens enixa super dilectum suũ?* Nihil de antiquorum parentum, & terronorum occasu apparet in Maria; vix enim ad occasum pergit, & iam inde monstratur ascendens delitijs affluens. Et vnde hoc, quod Maria ascendat in occasu, & quod in mortis deserto affluat bonis vniuersis? Causam ostendunt illa verba, nimirum: *Enixa super dilectum suum.* Nõ enim terrenorum parentum sequitur conditionem, sed magis nititur esse ad dilectissimi filij sui formam. Vt merito D. Damas. orat, de
D. Dam. dormit. Mariæ dicat: *Quomodo quod ex ea constitit Verbi Dei corpus sanctum, & integrum & interitui minime obnoxium tertio die surrexit ex monumento, ita etiã eripi, è sepulchro decebat, & matrem transferri ad filium, & quemodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi dilectissimam ad eum extolli in maius, & perfectius tabernaculum, nempe cœlum.* Sic sanctus Mariæ dormitionem cum dormitione filij suidiuinissimi cõponit, nequid Mariæ credatur obtigisse in morte, nisi id quod filio eius Iesu obtigit, vt è sepulchro resurgeret in gloriam. Adeoque apparet Maria hodie conformis filio suo, vt totus filius videatur in eam transfusus. Vt merito dicamus cum Ecclesiaste, cap. 1. *In lo-* Eccl. 1.
cum vnde exeunt flumina reuertuntur. Quo respiciens Guarricus Abb. serm. 4. in præ-
senti ait: *Prorsus de benedictionibus suis hodie* Guar. Ab.
Maria metit, quia refusa est spiritu aliter in ea omnimoda benedictio illa, quam, de se profudit. Date ei, inquit Spiritus Sanctus de fructu ventris sui, & saturetur illo, quem genuit. O mater misericordiæ saturare gloria filij tui, & dimitte reliquias tuas paruulis tuis. Tu iam ad mensam, nos sub mensa catelli. Plura transcriberem, nisi me vrgeret octaui huius tomi finis; cui libentissime addidi pro corõnide hæc pauca de Maria dicta. Et velim, vt in eius gloriam veniant omnes meorum laborum fines: cui fatebor semper, eorum, quæ in me bona fuerint, deberi initia.

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri, & parenti Ignatio.

INDEX

INDEX LOCORVM, SACRAE SCRIPTVRAE.

Ex Veteri Testamento.

Ex Genes.

Cap. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, 299.
Creauit Deus cete magnũ, 291.
Fiat lux :: fecit duo luminaria, &c. 386. 266.
Vidit lucem, quod esset bona, & diuisit lucem, 244. 20. 12.
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, 34. 367. 332. 196.
Et vidit Deus, quòd esset bonum, benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini, 11.
Creauitque Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, &c. 162.
Fecitque Deus luminaria magna, &c. 207.
Cap. 2. *Hæc nunc os de ossibus meis*, 381.
Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ, cap. 32. par. 4.
Plantauerat Dominus paradisum, cap. 27. par. 12. & fol. 128.
Tulitque Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, 83.
Cap. 3. *Cum audissent vocem Dei ambulantis ad auram, &c.* 73.
Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni, 54.
Serpens erat callidior, 56.
Ipsa conteret caput tuum, 117.
Misit eum Dominus de paradiso Voluptatis, vt operaretur, 145. 174. 185.
Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus, 259. & cap. 29. §. 6.
Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, 385.
De omni ligno paradisi comedes, 180.
De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas, 186.
Vt operaretur, & custodiret illum, 204.
Cognouerunt se nudos, 199.
Maledicta terra in opere tuo, &c. 205.
Cap. 4. *Nunquid ego sum custos fratris mei?* 362. 295.
Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, 388. 393.
Septuplum vltio dabitur de Caim, de Lamech, &c. 420.
Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, cap. vlt. par. 4.
Cumque essent in agro, &c. 292. 217. 321.
Nonne si recte offerat, &c. cap. 28. par. 2.
Ecce ejcis me hodie à facie terræ, cap. 28. par. 8.
Nunc igitur maledictus eris, cap. 28. par. 12.
Mathusalẽ genuit Lamech, qui accepit duas vxores, 38.
Vagus & profugus eris, 446.
Cap. 5. *Ambulauitque Enoch coram Deo, & non apparuit*, 303.
Cap. 6. *Noe vir iustus in generatione sua*, cap. 33. par. 15.
Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, 37.
Cap. 9. *Arcum meum ponam in nubibus*, 280.
Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, 180.
Cap. 10. *Quasi Nemrhod robustissimus venator coram domino*, cap. 34. par. 2.
Cap. 11. *Cumque proficiscerentur de oriente inuenerunt campum in terra Semnaar*, 427.
Cap. 12. *Egredere de terra tua, &c.* cap. 30. §. 14. & fol. 231.
Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam, 453.
Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus, 324.
Cap. 14. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, &c.* 318.
Cap. 15. *Descenderunt volucres supra cadauera, & abigebat*, cap. 32. par. 14.
Domine Deus quid dabis mihi? 226.
Cap. 16. *Cum inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem*, cap. 29. par. 2.
Reuertere ad Dominam tuam :: Multiplicans multiplicabo, 422.

Cap.17.*Non vltra vocabitur tibi nomen Abraham*,437.
Cap.18.*Festinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, accelera, tria sata similæ commisce*,65.344.
Ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum, tenerrimum, & optimum,18.
Apparuerũt ei tres Angeli, &c. cap.29.§.2.
Dixerunt ad Abraham: vbi est Sara vxor tua, cap.31.par.2.
Quia semel cœpi, loquar ad Dominum,412.
Apparuit autem Abrahæ Dominus in conualle Mambre,415.282.
Cap.19.*Respiciens vxor eius post se, versa est in statuam salis*,380.450.
Pluit Dominus à Domino super Sodomam, cap.34.par.2.
Loth cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiã eis,301.
Cap.20.*Tulit igitur Abimelec oues, &c.*451.
Cap.21.*Ejce ancillam, & filiũ eius, &c.*240.
visitauit Dominus Saram,195.
Cap.22.*Extendit manum, & arripuit gladium, &c.*379.62.
Cumque alligasset Isaac filium,274.*& cap.26.par.26.*
De nocte consurgens strauit asinum suum, cap.32.par.12.
Tentauit Deus Abraham, cap.33.par.17.
Multiplicabo semen tuũ, vt stellas cœli,55.
Cap.23.*Venitque Abraham, vt plangeret & fleret eam, cap.26.par.30.*
Cap.24.*Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris, cap.30.par.16.*
Descenderat autem ad fontẽ, cap.31.par.4.
*Introduxit eum in hospitium, ac dextrauit camelos, &c.*82.
*Igitur puella, cui ego dixero, inclina hydriã, &c.*243.
Cap.25.*Abraham vero alienam duxit vxorẽ, cap.30.par.19.*
Cap.26.*Ob hæc inuidentes ei Palestini, omnes puteos, &c.*262.
*Prospiciens Rex Abimelech per fenestram vidit eum iocantem, &c.*263.
Cap.27.*Fuge ad Labani fratrem tuum*,287.
Vix Isaac sermonem compleuerat, & egresso Iacob,36.
*Det tibi Deus de rore cœli, &c.*166.
Cap.28.*Terram, in qua dormis, tibi dabo, &c. cap.34.par.14.*
Profectus venit in Mesopotamiam,413.
Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supposuit capiti suo,80.
Cap.29.*Sciret consobrinam suam, oues que Laban auunculi sui, cap.32.par.3.*
Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, cap.33.par.8.& fol.430.
Cap.32.*Timuit Iacob valde, & perterritus diuisit populum*,281.
*Transductisque omnibus, quæ ad se pertinebãt, mansit solus, &c.*179.
Iacob abijt itinere, quo cœperat,187.
Cap.35.*Ruben dormiuit cum Bala concubina patris sui, &c.*335.
Cap.36.*Tulerunt tunicam eius, in sanguine hædi, &c.*388.
Cap.37.*Furtim sublatus sum*,376.
Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas adorare me,332.
Cap.38.*Mulier concepit, & surgens abijt, depositoque habitu, &c.*360.
Post tres menses nuntiauerunt Iudæ fornicata est Thamar,264.
Iustior me est, cap.34.par.3.
Cap.41.*Quod autem vidisti secundo ad eamrem pertinens, firmitatis indicium est*,147.
Cap.41.*Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*,421.
Vocauit eum lingua Ægyptia Saluatorẽ mundi,290.
Emit eum Putiphar,434.
Cap.42.*Placabo eum muneribus, &c. cap.28.par.2.*
Merito hæc patimur, quia peccauimus,225.
Cap.43.*Summite de optimis terræ fructibus*,289.
Deferte viro munera, cap.28.par.1.
tulerunt ergo viri munera, ibi.
Mirabantur nimis sumptis partibus,438.
Cap.45.*Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*,269.
Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos.308.
*Ioseph filius tuus viuit, &c.*150.451.
Cap.46.*Respondebitis: viri pastores sumus, &c.*229.
Cap.47.*Dies peregrinationis vitæ meæ*,286.
*Dicit itaque Rex ad Ioseph: Patres tui, & fratres tui, &c.*232.
Cap.48.*Extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim, &c.*410.
Cap.49.*Filius meus accrescens Ioseph, cap.33.par.15.*
*Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, &c.*151.336.
*Requiescens accubuisti, vt leo, &c.*155.
Gad accinctus præliabitur,33.
Lauabit vino stolam suam,499.
*Iudate laudabunt fratres tui, &c.*217.

Ex Exodo.

CAp.1.*Filij Israel creuerunt quasi germinantes*,422.*& cap.26.par.25.*
*Timuerunt obstetrices Deum, &c.*451.

Quanto-

Quantoque opprimebant eos, tãto magis multiplicabantur, 269.

Cap. 2. *Peperit filium, & videns eum elegantẽ*. 30. 196.

Sumsit fiscellã scirpeam, & liniuit, cap. 28. par. 13.

Accipe puerum istum, & nutri mihi:: 271.

Cap. 3. *Vidi afflictionem populi mei, &c.* cap. 28. par. 13.

Ego sum, qui sum, cap. 30. par. 11.

Educam vos de afflictione Ægypti ad terrã fluentem lac, 425.

Ego sum, qui sum. Qui est, &c. 424.

Apparuit mihi Dominus in flãma, 418. 401.

Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonẽ, 206.

Cap. 4. *Mitte manũ tuã in sinũ tuũ*, 253. 257.

Cap. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. 408. 425. & cap. vlt. par. 16.

Cap. 8. *Respondit Cæsar*, 349. 589.

Cap. 10. *Pharao vocauit Moysem, & Aaron & dixit eis: Peccaui*, 182.

Cap. 12. *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes*, 415. & cap. 28. par. 13.

Mensis iste vobis principium mensium, cap. vlt. par. 1. & 2.

Seruabitis eũ vsq; ad quartã decimã &c. 11.

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis, &c. 142.

Vrgebantque Ægypti populum exire, 66.

Tollat vnusquisque agnum, &c. 226.

Cap. 13. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, &c.* 20.

Separabitis omne, quod aperit vulvam, 370.

Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam, &c. cap. 27. par. 9.

Cap. 14. *Multo melius erat seruire Ægyptijs*, 300.

Indurabo cor eius, & persequetur, &c. 392.

Cum extendisset Moyses manum super mare abstulit illud Dominus 101.

Cap. 15. *Sumpsit ergo Maria prophetissa tympanum*, 406.

Cap. 16. *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit*, 427.

Cap. 17. *Cum leuaret Moyses manus, &c.* 301. 201.

Cap. 19. *Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificauit illum, cumque lauassent vestimenta*, 162.

Cap. 25. *Facies, & propitiatorium de auro mundissimo, duosque Cherubim*, 54.

Cap. 30. *Talem compositionem non facietis in vsus vestros*, cap. 33. par. 13.

Cap. 32. *Ego autem in die vltionis visitabo, &c.* cap. 28. par. 6.

Consecrastis manus vestras hodie, &c. 291.

Tollite inaures aureas, cap. 34. par. 18.

Fecit ex eis vitulum, &c. 396.

Tu nosti populum istũ, quod pronus sit:: 275.

Cap. 33. *Faciam te in gentem magnam*, 379.

Ostende mihi faciem tuam, 98.

Cap. 36. *Artifices dixerunt Moysi: plus offert populus, quã necessarium est*, cap. 34 §. 19.

Cap. 38. *Fecit & labrũ æneum cũ basi sua*, 399.

Ex Leuitico.

Cap. 7. *Qui offert victimam pacificorum Domino, tenebit manibus adipem*, 154.

Cap. 10. *Pontifex, id est, sacerdos maximus interfratres*, 365.

Cap. 11. *Arreptis Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis suis posuerunt ignem, &c.* 161.

Cap. 19. *Plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorũ, &c.* cap. 33. par. 13.

Cum messueritis segetẽ, &c. cap. 34. par. 18.

Cap. 21. *Virginem ducet vxorem*, 381.

Cap. 24. *Accipies siligineum, & coques ex ea duodecim panes, &c.* 380.

Ex Numeris.

Cap. 1 Erat *Moyses vir mitissimus*, 10.

Cap. 10. *Dixitque Moyses Hobab, &c.* cap. vlt. par. 14.

Cap. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres, &c.* cap. 34 par. 6.

Cap. 12. *Maria apparuit candens lepra*, 247.

Cap. 13. *Omnes, qui numerati estis, &c.* 271.

Cap. 16. *Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis*, 137.

Cap. 20. *Percussit virga bis silicem*, 384.

Tolle Aaron & filios eius cum eo, 226.

Cap. 21. *Serpentes ignitos*, cap. 34. par. 8.

Sicut fecit Dominus in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, 448.

Fecit serpentem æneum, &c. 200.

Cap. 22. *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte*, 197.

Cap. 23. *Moriatur anima mea morte iustorũ*, 259.

Cap. 25. *De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt, vt fugitiui, &c.* 141.

Cap. 27. *Prouideat Dominus Deus Spiritum omnis carnis, hominẽ, qui sit supra, &c.* 239.

Cap. 31. *Cumque Israelitæ pugnassent contra Madiam*, 202.

Ex Deutheronomio.

Cap. 1. *Non accipies personam in iudicio, quia iudicium Dei est*, 160.

Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit ille:: quia iudicium Dei est 434.

Cap. 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare*, 115.

Cap. 20. *Quis est homo, qui ædificauit domum, & non dedicauit, &c.* 417.

Cap. 32. Ego probabo eos, in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos, 120.
Cap. 33. Date Leui veros eius, &c. cap. 31. par. 4.
Cepit brachium & verticem, & vidit principatum suum, quod in parte sua dolet, 433.
Qui dixit patri suo, & matri suae: Nescio vos, &c. 291.
Cap. 34. Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab iuxta Domino, &c. 166.
Non cognouit homo sepulchrum eius, cap. 26. par. 30. & fol. 402.

Ex Iosue.

Cap. 2. Iericho clausa erat, &c. 70.
Noster es, an aduersariorum? 208.
Cap. 4. Portet inde singuli singulos lapides, 80.
Cap. 5. Cum esset Iosue in agro, &c. 179.
Cap. 7. Raab vero meretricem, & domum patris eius, &c. 135.
Cap. 7. Clangentibus tubis postquã aures multitudinis vox sonitusq; increpuit, muri, &c. 406.
Cap. 8. Post haec legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, &c. 178.
Cap. 10. Non fuit antea, & post tam longa dies, 203.
Cap. 12. Venit Iosue, & interfecit Enaeim, &c. 171.
Cap. 13. Iosue senex prouectaque aetatis erat, cap. vlt. par. 1.
Cap. 24. Sepelieruntque eum in finibus possessionis sua, cap. 31. par. 2.

Ex Iudicibus.

Cap. 3. Haesunt gentes, quas Dominus dereliquit, 213.
Cap. 4. Tulit itaque Iael vxor Haber clauum tabernaculi, assumensq; pariter, & malleũ, 87.
Sisara autem fugiens peruenit ad tentorium Iael, &c. 157.
Cap. 6. Nemus, quod circa arã est, succide, 115.
Spiritus autem Domini induit Gedeonem, &c. 78.
Quasi succinericius parẽs, &c. 454.
Cap. 14. Examen apum in ore leonis, & fauus mellis, &c. 337.
Cap. 15. Inuentam maxillam id est, mandibulam asini arrẽpiens interfecit in ea, &c. 148.
Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthaeos, 121.
Cap. 16. Rasit septem crines eius, & cepit abigere eum, &c. 131.
Apprehendens ambas columnas, quibus nitebatur domus, &c. cap. 32. par. 13.
Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. 267.
Cepit abigere eum, & à se repellere, 188.
Cap. 20. Remanserunt itaque de omni numero Beniamin, &c. 73.
Cap. Sterilis es, & absq; liberis, sed cõcipies, 343.

Ex Ruth.

Cap. 1. Quae eiulata voce flere caperunt, & dicerent: tecum pergemus, 348.
Cap. 4. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem. 283.
Testes vos estis hodie, quod possederim omnia, quae fuerunt Abimelech, 282.

Ex 1. Reg.

Cap. 1. Et Anna non erant filij 343.
Si dederis seruae tuae sexum virilem: dabo eum Domino, &c. 22.
Cap. 2. Nunc autẽ dabis, alioquin tollã vi, 237.
Quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotum, &c. 148.
Erat peccatũ puerorũ grande, cap. 27 §. 14.
Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filys tuis: in vna die morientur ambo, 358.
Qui contemnunt me, erunt ignobiles, 431.
Si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? 431.
Praecidam brachium tuũ, &c. cap. 32. §. 10.
Cap. 3. In vna die morietur ambo, cap. 34. par. 9. cap. vlt. par. 7. 358.
Dominus est, quod bonum est in oculis eius, faciat, 339.
Creuit autem Samuel, & Dominus erat, &c. 407.
Cap. 4. Omnis populus statione eorum: obstupuit, 341.
Duo quoque filij Eli mortui sunt, &c. 148.
Aggrauata est super Azotios, &c. 266.
Cap. 5. Ecce Dagon iacebat, &c. 257.
Cap. 6. Percussit de populo septuaginta, 461.
Cap. 8. Non te abiecerunt, sed me, 111.
Nunc ergo audi vocem eorum, verumtamen contestare eos, & praedicas regis, 145.
Cap. 9. Vnges eum ducem super Israel, 9.
Cap. 12. Si timueritis dominum, & seruieritis vocem eius, &c. 15.
Cap. 14. Ascendamus, tradidit eos dominus, 279.
Si in me, aut in filio meo Ionatha est iniquitas haec, dic ostensionem, 464.
Cap. 15. Infracta concidit eum Samuel coram domino, 116.
Nunc vero vade, percute Amalech, 163.
Cap. 16. Porro Dauid psallebat manu sua, 129.
Proieci eum, ne regnet, &c. 69.
Misit ergo Saul nuntios ad Isai dicens: Mitte ad me Dauid, &c. 4.
Misit ergo, & adduxit eum, erat enim rufus, & pulcher, &c. 206.
Cap. 17. Dereliquisti pauculas oues, 1.
Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, &c. 2.
Surrexitque Dauid mane, commendauit gregem custodi, 4.

Circũducens percussit Philisthæum, &c. 140.
De qua stirpe descẽdit hic adolescẽs, &c. 142
Dauid decem millia, &c. 129.
Elegit sibi quinq; limpidissimos lapides, 272.
Tulit vnum lapidem, funda iecit 407.
Assumens caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem, 268.
Cap. 19. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam, &c.* 245.
Cap. 22. *Irruit in Sacerdotes, & trucidauit, &c.* cap. 32. par. 10.
Ego sum reus omnium animarum domus patris tui, cap. 34. par. 15.
Cap. 24. *Dixitque Dauid ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, si faciam hanc rem Domino meo Christo.* 5. & cap. 30. par. 1. & fol. 416.
Cap. 26. *Quis enim mittet manũ suam in Christum, &c.* 422.
Cap. 28 *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* 85.
Num igitur audi tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam, &c. 188.

Ex 2. Reg.

Cap. 1. *Tuli diadema, quod erat in capite eius, & attuli, &c.* 373.
Planxit autem Dauid planctum huiuscemodi super Saul, cap. 30. par. 2. & fol. 332.
Stans supra eum, illum occidi, &c. 461.
Cap. 2. *Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel,* 176.
Cap. 3. *Leuauit Rex Dauid vocem, & flevit super tumulum Abner,* cap. 30. par. 1.
Abner filius Ner regebat domum Saul, cap. 30. par. 17.
Cap. 4. *Ostiaria domus purgans triticum dormiuit, &c.* 270.
Cap. 6. *Egressa Michol filia Saul in occursum Dauid, alit: quàm gloriosus fuit, &c.* 105.
Ca. 7. *Suscitabo semẽ tuũ post te, quod egredietur de vtero tuo:: ipse ædificauit domũ, &c.* 112.
Cap. 10. *Præcidit vestes medias vsq; ad nates,* 320
Cap. 12. *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos,* 183.
Cap. 12. *Iratus amẽ indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan,* cap. 29. part. 7.
Misit ergo Dominus Nathã ad Dauid, 433.
Cap. 13. *Et posuit cadauer eius in sepulchro suo,* 320.
Cap. 14. *Surrexit ergo Ioab, & abiit in Iessur,* cap. 30. part. 9.
Nati sunt autem Absalon filij tres, 335.
Cap. 15. *Mane consurgens Absalon stabat iuxta introitum portæ in via, &c.* 237.
Populusq; cõcurrẽs angebatur, cap. 26. §. 25
Cap. 16. *Et ait Achitophel ad Absalon: Ingredere ad concubinas patris tui,* 336.
Cap. 17. *Eligam mihi duodecim millia virorũ, & surgens persequar, &c.* 72.
Cap. 18. *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens in mulo, &c.* 323.
Cap. 18. *Seruate mihi puerum Absalonem,* cap. 30. par. 6.
Porro Absalon erexit sibi titulum cum adhuc viueret, &c. 335.
Cap. 23. *Hæc nomina fortium Dauid. Dauid sedens in cathedra, &c.* 223.

Ex 3. Reg.

Cap. 1. *Rex Dauid senuerat, &c.* 38.
Cap. 2. *Qui maledixit mihi :: tu noli pati eum esse innoxium,* 276.
Cap. 3. *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum, &c.* 5.
Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset, &c. 210.
Cap. 4. *Habitabat Iuda, & Israel absque timore,* 212.
Cap. 6. *Porro oraculum habebat viginti cubitos, &c.* 346.
Cap. 10. *Rex autem Salomon dedit reginæ Sabæ omnia, &c.* 45.
Cap. 11. *Apprehendensque Abias pallium quo coopertus erat,* 105.
Scindam Regnum tuum, & dabo illud fratrẽ tuo, 228.
Cap. 13. *Leo stabat iuxta cadauer,* 85.
Cum mortuus, fuero sepelite me in sepulchro; in quo vir Dei, 363.
Cap. 14. *Morietur puer, & planget eum,* cap. 26. par. 30.
Cap. 15. *Fecit Dauid rectum in oculis Domini; & non declinauit, &c.* 247.
Cap. 17. *Corui deferebant ei panẽ mane,* 247.
Etiam ne viduam afflixisti, vt interficeres filium, &c. 252.
Dixit Elias Thesbites, 195.
Cap. 18. *Non indicatũ est tibi domino meo, quid fecerim, cũ interficeret Iezabel, &c.* 146.
Cap. 19. *Timuit, & surgens abiit, quocumque eũ ferebat voluntas, &c.* 140.
Relictus sum ego solus, 186.
Comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, 354.
Dominus transit, & spiritus grãdis, &c. 180.
Cap. 20. *Egressi sunt ergo pueri principum,* 265.
Bibebat ipse, & reges in vmbraculo, 64.
Cap. 21. *Prædicate ieiunium, & sedere facite Nabob,* cap. 32. par. 1.
Da mihi vineam tuam, cap. 34. par. 16.
In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, 392.
Submittite duos viros filios Belial, &c. 183. 192.
Cap. 22. *Quis decipiet Achab,* cap. 30. par. 5.
Rex autem Syriæ præceperat::: Non pugnabitis contra maiorem, nec minorem, &c. 55.

Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum, 198.

Ex 4. Reg.

Cap. 2. *Pater mi, Pater mi currus Iſrael*, 236 & cap 26. par. 32.

Cap. 4. *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*, 173.

Cap. 5 *Et abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſeruiſſui, & locuti ſunt ei: Pater ſi rem grandem, &c.* 243.
Deſcendit, lauitque in Iordane ſepties, &c. 220.

Cap. 6. *Plures ſunt nobiſcum, quam cum illis*, 186.

Cap. 9. *Iuple cornu tuum oleo*, 14. 16.

Cap. 10. *Fecit, vt tanta eſſet abundantia argenti* 2 8.

Cap. 12. *Fecitque Ioas rectum coram Domino, cap.* 29. p. v. 5.

Cap. 13. *Quidam autem ſepelientes hominem, &c.* 319.

Cap. 14. *Percutiens in ualniſti contra Edon cap.* 27 par. 2.

Cap. 19. *Percuſſit in caſtris Aſſyriorum, cap.* 34. par. 21.
Non ingredietur vrbem hanc, nec circumdabit eam munitio, &c. 51.

Cap. 20. *In diebus illis ægrotauit Ezechias*, 396.

Cap. 21. *Seruuitque immundiciis, quibus ſeruierat pater eius, &c.* 319.

Ex 1. Paral.

Cap. 1. *De Gadis transfugerant ad Dauid, &c.* 175.
Viri robuſtiſſimi, &c. 178. 177.

Cap. 5. *Et trans Iordanem de Ruben :: Omnes iſti viri bellatores parati ad pugnam, mente pacifici*, 62.

Cap. 12. *Hi quoque venerunt ad Dauid in Siceleg, cum adhuc fugeret, &c.* 6.
Transfugerunt ad Dauidem, cum lateret in deſerto, 176.

Ex 2. Paral.

Cap. 16. *Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, &c.* 325.

Cap. 19. *Cui occurrit Iehu, &c.* 149.

Cap. 24. *Increſi ſunt principes Iuda, & adorauerunt, cap.* 29. par. 5.

Cap. 26 *Appendebat Ammonita munera Oziæ, &c.* 2.
Tenens in manu thuribulum, vt adoleret incenſum. 400.

1. Æſdræ.

Cap. 2. *Vidi in montem Sion turbam magnam, &c.* 173.

4. Æſdræ.

Cap. 2. *Vidi in montem Sion turbam magnam, & in medio eorum erat inuenis, &c.* 88. & cap. 27 par. 13.

Cap. 9. *Dixit Domine, qui habitas ſeculum, cuius oculi elenati in ſuperna*, 23.

Ex Tobia.

Cap. 1 *De facultatibus ſuis eſurientes alebat, &c.* 330.

Cap. 5. *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius*, 96.

Cap. 12. *Quando orabas lachrymis, & ſepeliebas, &c.* 330. 331.

Ex Iudith.

Cap. 2. *Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum, vt defenderet ſe*, 152.

Cap. 8. *Hæc autem cum audiſſet, quoniam Ozias promiſiſſet, &c.* 351.

Cap 9. *Induens ſe cilicio poſuit cinerem, &c.* 430.

Cap. 10. *Impoſuit mitram ſuper caput, cap.* 30. par. 13.

Cap. 13. *Ecce caput Holophernis*: 268.
Acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli Holofernis, & pugionem eius, &c 49.

Ex Æſter.

Cap. 3. *Rex Aſſuerus exaltauit Amen, & poſuit ſolium eius.* 44.

Cap. 5. *Induta eſt Æſter regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, &c.* 238.
Obſecro, vt venias ad me hodie, & Amam tecum ad conuiuium, 245. 246 430. 257.

Cap. 6. *Tulit itaque Aman ſtolam, & equum induitque Mardochæum, &c.* 104.

Cap. 14. *Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi, & tu, & domus tua peribitis*, 135.
Quod abominer ſignum ſuperbiæ, &c. cap. 28. par. 10.

Ex Iob.

Cap. 1. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium, &c.* 1.
Eratque vir ille magnus inter orientales, 274.
Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues conſumpſit, cap. 28. par. 2. cap. 30. par. 18. cap. 27 par. 5.
Ecce in manu tua eſt, 88.
Irruerunt Sabæi, cap. 29. par. 1.
Filys tuis veſcentibus, cap. 26. par. 31.
Exaſi ego ſolus, cap. 27. par. 11.

Nudus

Nudus egressus sũ de vtero matris mea, 177.
Considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, 285.
Cap. 2. *Si bona recipimus*, cap. 28 par. 10.
Testa sanies radebat, 87.
Cap. 3. *Maledixit die suo*, cap. 28. par. 10.
Cap. 9. *Quare non in vulua mortuus sum*, cap. vlt. par. 9.
Cap. 10. *Et sic repente precipitas me? Memento, quod sicut lutum, &c.* 216.
Cap. 17. *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt*, 299. 199. 299.
Cap. 18. *Lux obtenebrescet in tabernaculo* 453.
Arctabuntur gressus virtutis eius, & precipitauit eum consilium suum, &c. 217.
Cap. 19. *Fratres meos longe fecit à me, & noti mei, quasi alieni recesserunt à me*, 240.
Scitem nunc intelligite, &c. 134.
Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt, 185.
Cap. 20. *Omnis dolor irruet super eum*, cap. 28. par. 8.
Indica mihi, cur me ita iudices, 139.
Oculus fœcato, & pes claudo, 384.
Cap. 21. *Egredientur quasi greges paruli eorum*. 98.
Cap. 27. *Stringat super eum manus suas*, cap. 28. par. 9.
Cap. 29. *Quando procedebam ad portas, &c.* cap. 34. par. 12. & fol. 72.
Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu 404.
Dicebam: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos, 183.
Iustitia indutus sum, 181.
Cap. 31. *Si comedi buccellam solus, & non comedit pupillus*, cap. 26. par. 27.
Cap. 37. *Ab Aquilone aurum venit*, cap. 27. par. 11.
Cap. 40 *Nunquid extrahere poteris Leuiathan*, cap. 31. par. 8.
Ipse est principium viarum Dei, 75.
Nunquid illudes ei, quasi aui? 75.
Cap. 41. *Accinge sicut vir lumbos tuos*, 446.
Quis reuelabit faciem indumenti eius, 208.
Cap. 42. *Ite ad seruum meum Iob, & offerte*, cap. 30 par. 9.
Et addidit Dominus omnia, cap. 26. par. 33.
Benedixit nouissimis Iob, magis, quàm principio, 419.

Ex Psalmis.

Psalm. 2. *Tanquam testa virtus mea*, cap. 28. par. 13.
Psalm. 3. *Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalon*, cap. 27 par. 4.
Psalm. 17. *Qui perfecit pedes meos, tanquam cernorum*, 130.
Psalm. 18. *Ex ore infantium, &c.* 435.
Psalm. 19. *Hi in curribus, hi in equis*, cap. 26 par. 5. & fol. 151.
Psalm. 20. *Præuenisti eum in benedictionibus*, 435.
Psalm 23. *Tollite portas principes vestras*, 423.
Psalm. 24. *Nec ingladio suo possederunt terram*, 167.
Psalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me*, cap. 33. par. 17.
Psalm. 26. *Insurrexerũt in me testes iniqui*, cap. 28 par. 11.
Vnam petij a Domino, hanc requiram, 5.
Psalm. 28 *Vocauerunt nomina sua in terris suis*, 432.
Psalm. 32. *Non saluatur Rex per multam virtutem*, cap. 27. par. 17.
Psalm 33. *Gustate, & videte* 37.
Psalm. 36. *Non viuit iustum derelictum*, 186.
Psalm. 39. *Multiplicatæ sunt super capillos, capitis mei, & cor meum dereliquit*, 219.
Statuit supra petram pedes meos. 334.
Psalm. 40. *Inimici mei dixerunt mala mihi, &c.* 93.
Psalm. 41. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam*, 182.
Quemadmodum desiderat cervus, &c. 324.
Psalm. 42. *Contriuit est cor meum sicut fœnum, & aruit, &c.* 165.
Psalm 44. *Delectauerunt te filia regum, in honore tuo*. 16.
Audi filia, & vide: obliuiscere, &c. 149.
Psalm. 48. *Simul insipiens, & stultus peribunt, &c.* 92.
Relinquent alienis diuitias suas, 226.
Psalm. 49. *Statuam contra faciem tuam*, cap. 27. par. 1.
Psalm. 50. *Redde mihi lætitiam*, 194.
Psalm. 51. *Propterea Deus destruet te in finem*, cap. 28. par. 9.
In finem. Intellectus Dauid, cum venit Doeg, 192.
Psalm. 52. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, 143. 35.
Psalm 54. *Ab altitudine diei timebo*, 118.
Psalm. 55. *Ipsi Dauid in tituli inscriptionem, cum tenerent eum Alophyli* 284.
Psalm. 56. *In finem. Ne disperdas Dauid in tituli inscriptione, cum fugeret à facie Saul*, 215. 217.
Psal. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam*, 82.
Psalm. 64. *Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet*, 112.
Psalm. 65. *Terribilis in consiliis*, cap. 28. par. 6. *Locutũ est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata, &c.* 193.
Psalm. 67. *Qui ascendit super occasum Domi-*

nus nomen illi, cap. 32. par. 13.
Psalm. 68. Fiat mensa eorum ipsi in laqueum, 63.
Psalm. 69. Bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde, 323.
Psalm. 72. Domine in virtute tua imaginem eorum ad nihilum, 58.
Psalm. 77. De post fœtantes accepit eum, 240.
Quia non crediderunt in Deum, nec speraverunt, &c. 245.
Ianuas cœli apperuit, & pluit illis mamna, 372.
Psalm. 80. In finem pro torcularibus, 339.
Psalm. 81. Vos autem sicut homines moriemini, 362.
Psalm. 86. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula, 55.
Psalm. 88. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, 88.
Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna, &c. 152.
Psalm. 90. Scuto circumdabit te veritas, cap. 29. par. 3.
Psalm. 92. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo, 23.
Psalm. 93. Psalmus ipsi Dauid quarta Sabbathorum, 220.
Psalm. 94. Tentauerunt me patres vestri in deserto, cap. 33. par. 17.
Psalm. 98 Tu propitius fuisti illis vindicans, &c. cap. 28. par. 6.
Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, 275.
Psalm. 101. Tu exurgens Domine misereberis Sion, 80. 184.
Et reges, ut seruiant Domino, 340.
Psalm. 102. Notas fecit vias suas Moysi, 76.
Psalm. 103. Draco iste, quem formasti ad illudendum, 75.
Ab increpatione tua fugient, cap. 27. par. 17.
Psalm. 104. Constituit eum Dominum domus suæ, 409.
Dixit, & venit cynomia, cap. 28 par. 8.
Nolite tangere Christos meos, 315.
Psalm. 105. Quoniam in seculum misericordia eius, 188.
Psalm. 108. Peccatum matris eius non deleatur, 461.
Psalm. 109. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ, cap. 27. par. 4. & fol. 89.
Psalm. 111. Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, 432.
Psalm. 112. Suscitans de terra inopem, &c. 128.
Psalm. 113. Simulacra gentium, &c. cap. 34. par. 12.
Mare vidit, & fugit, &c, 89.
Psalm. 117. Omnes gentes circuierunt eum, & in nomine Domini, quid vltus, 230.
Lapidem, quem reprobauerunt, factum est in caput anguli, 227. 283.
Psalm. 118. Beati, qui scrutantur testimonia tua, 379.
Deus noster tu exaudisti eos, Deus tu propitius fuisti eis, 84.
Psalm. 125. Euntes ibant, & flebant, 134.
Psalm. 127. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, cap. 26 par. 29.
Psal. 131. Si dedero somnum oculis meis, 455. 284.
Psalm. 132. Quod descendit in barbam, &c. 445.
Psalm. 138. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, cap. 34 par. 10.
Psalm. 141. Me expectant iusti, 463.
Considerabam ad dexteram, & videbam, 290.
Psalm. 144. Aperis tu manum tuam, &c. 82.

Ex Prouerbijs.

CAp. 3. In sinistra eius diuitiæ, & gloriæ, 24. 290.
Cap. 4. Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, 36.
Cap. 6. Vade ad apem, & disce quomodo operaria est, &c. 60.
Cap. 7. Occurrit illi mulier ornatu meretricio, &c. 361.
Cap. 8. Meum est consilium, & æquitas, mea est fortitudo, &c. 12.
Qui me inuenierit, inueniet vitam, 236.
Dominus possedit me in initio viarum suarum, 208.
Per me reges regnant, 327. 333.
Cap. 14. In timore Domini fiducia fortitudinis, cap. 26. par. 29.
Cap. 15. Sermo opportunus, 238.
Cap. 16. Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit, 255.
Diuinatio in labijs regis, 222.
Cap. 19. Melior est pauper, quam vir mendax, cap, 29 par. 3.
Cap. 22. Dicit piger, leo est in via, 3.
Cap. 29. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet, &c. 224.
Cap. 30. Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergit os, &c. cap. 30. par. 8.
Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum, 174.
Cap. 31. Sindonem fecit, & vendidit, cingulum tradidit Chananæo, 87.

Ex Ecclesiaste.

CAp. 1. Ego fui Rex in Ierusalem, 134.
In locum vnde exeunt flumina, reuertuntur,

tur, cap. vlt. par. vlt.
Cap. 2. Stultus in tenebris ambulat. 24.
Cap. 7. In die bona fruere bonis, &c. 66.
Cap. 10 In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto, &c. 122. 228.
Va tibi terra, cuius Rex puer est, &c. 58.
Est malum, quod vidi sub Sole, &c. 178.

Ex Canticis Cant.

CAp. 1. Meliora vbera tua vino, 244. 244.
Oleum effusum nomen tuum, 236. 14.
Indica mihi, nem diligit anima mea vbi pascas, &c. cap. 28. par. 14.
O pulcherrima intermulieres, 380. 342.
Posuerunt me custodem in vineis, 342.
Nigra sum, sed formosa, 30.
Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi, 212.
Recti diligunt te, 323.
Cap. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, 380. 456.
Ego flos campi. 445.
Dilectus meus mihi, cap. 30. par. 3.
Vox dilecti mei: Ecce iste venit, cap. 30. §. 7.
Fulcite me floribus, cap. 26. par. 34.
Surge, propera amica mea, columba mea, 216.
Sub vmbra illius, quem desideraueram, 170. 172.
Cap. 3. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, &c. 125.
Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, &c. 133. 243.
Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, 236. & cap. 26. par. 31.
En lectulum Salomonis, &c. 29. 201.
Cap. 4. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? cap. 32. par. 4.
Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis, cap. 26. par. 37.
Surge Aquilo, 36. 179.
Dentes tui sicut greges tonsarum, &c. 53.
Sicut vitta coccinea labia tua, 255.
Sicut turris Dauid collum, &c. 186. 222.
Cap. 5. Annuntietis ei, quia amore langueo, cap. 30. par. 20.
Misit manum per foramen, cap. 34. par. 4.
Sicut turris Dauid collum tuum, cap. 27. par. 5.
Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, 27.
Cap. 6. Terribilis, vt castrorum acies ordinata, cap. 31. par. 8. & cap. 27. par. 8.
Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, &c. 136. 29 81.
Quid videbitis in Sunamitide nisi choros, 8. 40.
Cap. 7. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, 345.
Quam pulchri gressus tui in calceamentis filia principis, 346. & cap. 27. par. 6.
Cap. 8. Soror nostra parvula est, & vbera non habet, cap. 27. par. 9.
Dura est sicut infernus amulatio, 113.
Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. 448.
Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, 408.
Ego murus, & vbera mea turres, 201.
Vinea coram me est. Mille tui pacifici, &c. 201.

Ex Sapientia.

CAp. 2. Dixerunt enim cogitantes in corde suo non rectè, coronemus nos, &c. 143.
Inuidia autem diaboli mors, &c. 196.
Cap. 3. Qui si holocausti hostiam acceperit illos, cap. 27. par. 7.
Cap. 5. Sapientiæ lumen non illuxit nobis, & Sol non est ortus nobis, 52.
Induet pro thorace iustitiam, &c. 181.
Cap. 7. Ego natus accepi communem aerem, cap. vlt. par. 9.
Cap. 8. Cum essem magis bonus veni ad corpus, &c. 29.
Cap. 17. Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, 193.
Cap. 19. Iuste enim patiebantur secundum suas nequitias, &c. 252.

Ex Ecclesiastico.

CAp. 6. Amicus fidelis medicamentum vitæ, 103.
Cap. 14. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita, &c. 12.
Cap. 24. In omni gente primatum habui. 343.
Laudemus viros gloriosos, &c. 287.
In ebrietate partus mei fructum, 346.
Quasi cedrus exaltata sum in Libano, 221.
Cap. 33. Contra malum bonum est, &c. 66.
Cap. 44. Laudemus viros gloriosos, &c. 221.

Ex Isaia.

Cap. 1. Agnouit bos possessorem suum, & asinus, &c. cap. 33. par. 1.
Principes tui infideles, socij furum omnes diligunt munera, 232. 237.
Socij furum. 369.
Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, 77.
Lauamini, mundi estote, auferte malum, &c. 317.
Væ genti peccatrici, populo graui, &c. 317.
Cap. 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, 32.

De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem, 281.

Cap. 3. *Non sum medicus, in domo mea non est panis*, &c. 147.

Auferam à Iuda validum, & fortem, &c. 165.

Cap. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*, &c. 52.

Cap. 6 *Stabat Seraphin*, 421.

Ecce ego, mitte me, 292.

Cap. 7 *Butyrum & mel comedet*, 425.

Ecce virgo concipiet, &c. 545.

Dauit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, 67.

Adducet Dominus super te:: Et erit in die illa sibilabit Dominus musca, cap. 28. par. 7.

In die illa radet Dominus Deus in nouacula conducta, &c. 167.

Cap. 9. *Paruulus enim natus est nobis, filius datus est*. 219.

Cap. 10. *Erat errore profusus*, cap. 27. par. 7.

Cap. 11. *Et delectabitur infans ab vbere super foramen aspidis*, 3. 108. 184.

Habitabit lupus cum agno, 399.

Cap. 13. *Super montem caliginosum leuate signum*, 384.

Cap. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer*, &c. 123.

Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum. 235.

Cap. 15. *Populus meus, lex mea in corde eorum*, &c. 86.

Cap. 16. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deserti*, 171.

Cap 19. *Dominus ascendet super nubem leuem*, cap. vlt. par. 4.

Cap. 21. *Pone mensam, contemplare in specula*, &c. 63.

Cap. 26. *Propter timorem Domini in vtero accepimus*, &c. 200.

Confundantur zelantes populi, 225.

Cap. 28. *Posuimus mendacium spem nostram*, cap. 29. par. 3.

Irascetur, vt faciat opus suum, alienum est opus, 167.

Ponam in pondere iudicium, 427.

Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, &c. 258.

Cap. 26. *Misenit vobis Dominus Spiritum soporis*, &c. cap. 34. par. 13.

Florebit, & germinabit Israel. 23.

Cap. 33. *Angeli pacis amare flebunt*, 348.

Cap. 35 *Non est species ei neque decor*, 410.

Cap. 37. *Abijt, & reuersus est Senacherib*, &c. 37.

Cap. 39. *Ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas descenderat in horologio*, &c. 300.

Cap. 40. *Consolamini, consolamini*, &c. 436.

Cap. 43. *Vos estis mei, dicit Dominus, & seruus meus*, cap. 19. par. 2.

Seruire me fecisti in peccatis; &c. 347.

Cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*, &c. 165.

Cap. 51. *Qui bibisti de manu Domini calicem*, &c. cap. 34 par. 11.

Duo sunt, quæ occurrerunt tibi, quis contristabitur super te, &c. 427.

In saluando te non morabitur, 424.

Cap. 53. *Tanquam ouis ad occisionem ductus est*, cap. 30. par. 7.

Vere languores nostros ipse tulit, 205.

Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, 223.

Cap. 54. *Omnem linguam resistentem tibi, iudicabis*, 298.

Cap. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate*, 42.

Cap. 60. *Mammilla regum lactaberis*, 455.

Cap. 63. *Iste formosus in stola*, 410.

Cap. 65. *Vos qui relinquitis Dominum, qui obliti estis montem Sanctum*, &c. 68.

Cap 66. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum veni, vt congregem*. 294.

Ex Ieremia.

Cap. 1. *Virgam vigilantem ego video*, 371.

Cap. 4. *Ascendit leo de cubili suo*, &c. 369.

Cap. 12. *Congrega eos quasi gregem ad victimas, & sanctifica*. cap. 28. par. 6.

Cap. 22. *Terra, terra, terra, audi sermonē*, &c. 428.

Scribe virum istum sterilem, 335.

Cap. 29. *Ponat te Dominus sicut Sedechiam*, &c. 357.

Cap. 31. *Creauit Dominus nouum super terram*, &c. 428.

Cap. 32. *Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Ierusalem*, 191.

Ex 1. Threnorum.

Cap. 2. *Magna est velut mare contritio tua*, 231.

Baruch.

Cap. 6. *Nūc autē videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos*, &c. 286.

Ex Ezechiele.

Cap 2. *Liber scriptus intus & foris, & scripta erant in eo lamentationes*, &c. lib. 27. par. 12.

Cap. 4. *Et Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius*, &c. cap. 26. par. 27.

Cap. 10. *Facies vna, facies Cherub. cap. 33. par. 3.*
Cap. 17. *Aquila grãdis magnarum alarum, cap. 34. par. 7.*
Plena plumis, 369.
Cap. 19. *Quare mater tua leæna, &c. 382.*
Cap. 20 *Venerunt viri de senioribus Israel, &c. 197.*
Cap. 25. *Ecce ego extendam manum meam super Palestinos, & interficiam, &c. 133.*
Cap. 37. *A quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla, cap. vlt. par. 9.*
Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, &c. cap. 28. par. 5.

Ex Daniele.

Cap. 1. *Ait Rex Asphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio, &c. 115.*
Dent nobis legumina ad vescendum, & aquã adbibendum, 57.
Cap. 2. *Abscissus est lapis sine manibus, cap. 29. par. 2. cap. 31. par. 1.*
Tu es ergo caput aureum, &c. 258.
Daniel ingressus roganit regem, vt tempus daret, 38.
Cap. 3. *Nabuchodonosor fecit statuam auream, 124. 375.*
Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, &c. 235.
Benedictus Deus eorum Sidrach, &c. 190.
Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benebicentes Domino, & Azarias orauit, &c. 236.
Species quarti similis filio Dei, 154.
Præcepit, vt succẽderetur fornax septuplum, cap. 31. par. 6.
In medio camini ignis ardentis, cap. 33. par. 10.
Quasi medium roris flantem, cap. 33. par. 11.
Deus noster, quem colimus potest eripere nos, cap. vlt. par. 10.
Benedictus Deus patrum nostrorum, & laudabilis, 260.
Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos satrapas, 190.
Cap. 4. *Subter habitabant animalia, &c. 178.*
Præciditeramos, 333.
Tunc Daniel capit intra se ipsum tacitus cogitare, 228.
Vigil & sanctus de cælo descendit, &c. 333.
Cap. 4. *Donec agnoscant viuentes, &c. 382.*
Eycient te ab hominibus, & cum bestijs, feriisque erit habitatio tua, 39.
Arbor magna, & fortis, &c. 52. 203.
Nonne hæc est Babylon illa magna, &c. 360.
Humilimum hominem constituet, &c. 332.
Cap. 5. *Eadem nocte interfectus est Balthasar, cap. 33. par. 7.*
Cap. 6. *Cogitabat constituere Danielem super omne regnum, &c. 143.*
Cap. 7. *Throni positi sunt, 342. 59.*
Prima quasi leæna, &c. 263.
Cap. 13. *Cum essemus in angulo pomarij, cap. 28. par. 11.*
Exclamans voce magna Susanna, 255.
Cop. 14. *Daniel sedens in medio leonum, fol. 92.*
Venit Rex ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens, &c. 209.

Ex Osea.

Cap. 1. *Voca nomen eius Iezrael: & visitabo sanguinem, &c. cap. 32. par. 11. & fol. 254.*
Cap. 2. *Dabo ei vallem Achor adaperiendam spem, 118. 200.*
Cap. 5. *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum, 427.*
Quia nunc fornicatus est Ephræim, non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur, 113.
Cap. 7. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus, 358.*
Cap. 8. *Ipsi regnauerunt & non ex me, 327.*
Cap. 9. *Venerunt dies visitationis, veneruni dies retributionis, 251.*
Dilexisti mercedem super omnes areas tritici, 195.
Cap. 10. *Vitis frondosa Israel, &c. 359. 463.*
Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, cap. 28. par. 1.
Ex diebus Gabaa peccauit Israel, 456.
Cap. 11. *Quia puer Israel dilexi eum, 27.*
Cap. 12. *Seruiuit Israel in vxore, & in vxore seruauit, 53.*
Ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum, 71.
In propheta eduxit Dominus Israel de Ægypto, & in propheta seruatus est, 111.

Ex Amos.

Cap. 3. *Thesaurizantes iniquitatem, &c. 437.*
Cap. 5. *In Bersabeth non transibitis, 346.*
Pro eo, quod diripiebatis pauperem, &c. 144.
Cap. 6. *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis, &c. 213.*
Cap. 7. *Misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam, 188.*
Et dixit Amasias ad Amos, &c. 189.
Cap. 9. *Si defossi fuerint in inferno inde manu mea*

mea eulleteos, &c. 18.

Ex Ioel.

C *Ap. 1. Expergiſcimuni ebrij, & fleti, &c.* 258.

Cap. 2. *Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, &c.* 47.

Sol conuertetur in tenebras, &c. 324.

Cap. 3. *Erumpite, & venite omnes de circuitu, & congregamini, & ibi occumbere faciet, &c.* 62.

Ex Iona.

Cap. 1. *Tulerunt Ionam, & miſerunt in mare,* 269.

Nauis periclitabatur conteri, cap. 31. *par.* 1.

Cap. 3. *Crediderunt viri Niniuitæ,* 269.

Clamauit & dixit: adhuc quadraginta dies ſunt, &c. 95.

Capit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, &c. 90.

Veſtiti ſunt ſaccis à maiori vſque ad minorẽ, cap. 30. *par.* 9.

Adhuc quadraginta dies ſunt, &c. 191.

Ex Michæa.

C *Ap. 2. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, &c.* 2.

Cap. 5. *Et tu Bethleen Ephrata, &c.* 553.

Cap. 6. *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te,* 231.

Ex Naum.

C *Ap. 1. Conſummetur quaſi ſtipula ariditate plena,* 11.

Dominus amulator, & vlciſcens Dominus, 75.

Ex Abacuch.

C *Ap. 1. Laborabunt populi in multo igne, & gentes in vacuum, &c.* 10.

Quaſi piſcis maris, 243.

Cap. 2. *Lapis de pariete clamabit,* 414. 216.

Scarabæus de ligno loquetur, cap. 26. *par.* 32.

Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, 254.

Cap. 3. *Ante faciem eius ibit mors,* 424.

Deus ab Austro venit, &c. 204.

In luce ſagitarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ, 114.

Aſcendis ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio, 50.

Ex Sophonia.

Cap. 1. *Dies tubæ, & clangoris, &c.* 363.

Cap. 2. *Quærite Dominum omnes manſueti, &c.* 137.

Ex Zacharia.

C *Ap. 1. Leuaui oculos meos, & vidi & ecce quatuor cornua, &c.* 550.

Cap. 3. *Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli, &c.* 105.

Oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem, &c. cap. 30. *par.* 8.

Cap. 4. *Dies erit vna, quæ nota eſt Deo, cap. vlt. par.* 6.

Cap. 6. *Facies coronas, & pones in capite Ieſu,* 171. 173.

Cap. 9. *Exulta ſatis filia Sion, Iubila filia Ieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper,* 124.

Cap. 12. *Sicut planctus Adradremmon, cap.* 29. *par.* 8.

Ex Malachia

C *Ap. 3. Mitto Angelum meum, &c. cap.* 29. *par.* 1.

Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, &c. 153.

Cap. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ,* 430. 52.

Ex 1. Machab.

C *Ap. 1. Poſt hæc decidit in lectulum, & cognouit, quia moreretur, & vocauit pueros ſuos, &c.* 239.

Cap. 8. *Poſſederunt omnem locum in conſilio ſuo, & prudentia,* 79.

Cap. 12. *Excepit eum cum honore, & commendauit eum omnibus: Et credidit ei Ionatha,* 289.

Ex 2. Machab.

C *Ap. 3. Apparuerunt duo iuuenes virtute decori, &c. cap.* 34. *par.* 2.

Cognouit Iudas, & exiuit obuiam illi, & percuſſit, &c. 168.

Cap. 6. *Alij autem ad proximas coeuntes ſpelunCas latenter, cap.* 33. *par.* 16.

Cap. 7. *Et iuſſit ei, qui prior fuerat locutus amputari linguam, &c.* 274. 87.

Cap. 9. *Igitur homicida, & blaſphemus peſſime percuſſus, & vt ipſe alios tractauerat, &c.* 322.

Cap. 13. *Circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma* 96.

Tali lege prænaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari, &c. 370.

Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum vndique habens cinerum, 322.

Cap. 14. Præcipitauit semetipsum viriliter, 362.

Cap. 15. Extendit autem Ieremias dexteram & dedit Iudæ gladium, &c. 168.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matth.

CAP. 1. Genuit Ioseph virũ Mariæ, 344.

Cum esset desponsata Maria mater eius Ioseph, antequam conuenirent, 160. 263 294.

Booz genuit Obeth ex Ruth. 13.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, 282.

Cap. 2. Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, 368. 414. & cap. 30. par. 14. & cap. 32. par. 9. & fol. 17.

Vox in Rama audita est, 270. 214.

Stella, quam viderant, &c. 413.

Aperti. thesauris suis, &c. 430.

Diligenter didicit tempus stellæ, quæ apparuit eis, 111.

Herodes Rex turbatus est, &c. 119.

Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum, &c. cap. 28. par. 3. & fol. 234.

Videns, quod illusus esset à Magis, iratus est, cap. 31. par. 5. & fol. 262.

Occidit multos pueros, cap. 33. par. 5. & fol. 253. 193.

Interrogate diligenter de puero, &c. cap. 38. par. 9. & fol. 207.

Vidimus stellam eius in Oriente, 130. 185.

Prostrati adorauerunt eum, 69.

Fuge in Ægyptum, cap. 34 par. 2.

Accepit puerum, & Maria matrem eius & fugit, 256.

Congregans omnes Principes Sacerdotum, & scribas populi, &c. 327.

Cap. 3. Confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, 72.

Patrem habemus Abraham, 100.

Venit Iesus à Galilæa, vt baptizaretur, &c. 435.

Pœnitentiam agite, &c. 150.

Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, 383.

Cap. 4. Dic, vt lapides isti panes fiant, 116. 214 227.

Faciam vos fieri piscatores hominum, 433. & cap. 29. par. 3.

Non in solo pane viuit homo, 76.

Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur, 2. & cap 33. par. 17.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, &c. 4.

Ostendit diabolus ei omnia regna, 5.

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli, 6 429.

Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, cap. 26. par. 25.

Cum ieiunasset quadraginta diebus, cap. 34. par. 5. Dic, vt lapides isti panes fiant, cap. 34. par. 6.

Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, 279.

Cap. 5. Tu autem cum ieiunes, &c. 106.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, 161.

Beati pauperes spiritu, 37.

Qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, 52.

Dico vobis non iurare omnino, 260.

Si quis te percusserit in dextera, &c. 219.

Cap. 6. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, 159.

Nolite thesaurizare vobis in terra, 429.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, 252.

Non potes in Deo seruire, & mammonæ, 313.

Cap. 8. Accessit ad eum Centurio, cap. 27. par. 15.

Misereor super turbam, cap. 32. par. 2.

Domine non sum dignus, &c. cap. 29. par. 4. & fol. 402.

Mortui sunt in aquis, cap. 31. par. 3.

Puer meus iacet in domo paraliticus, 241.

Homo sum sub potestate, &c. 179.

Illi exeuntes abierunt in porcos, &c. 103. 317.

Quid nobis, & tibi Iesu? 398.

Mitte nos in gregem porcorum, 383.

Non inueni tantam fidem in Israel, 249.

Cum venisset Iesus transfretum in regionem Genasenorum, 254.

Imperauit ventis & mari, &c. 179. 181.

Cap. 9. Ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens; Domine filia mea, &c. 22.

Vidit hominem sedentem in telomo, cap.29. par.7.
Obtulerunt ei hominem mutum dæmonium, habentem, &c.278.
Cap. 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, cap. 34. par. 10.*
Cum autem persequentur vos in ista ciuitate, fugite in aliam, 123.
Nolite præmeditari, quid loquamini, 353.
Cap. 11. *Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam, 44.*
Væ tibi Corozaim, &c.279.
Cap. 12. *Tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt, 448.*
Non legistis, quod fecit Dauid, quando esuriit, &c.159.
Ecce plusquam Salomon hic, 35.
Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnauit, 43.
Viri Niniuitæ surgent in iudicio, cum generatione, &c.318
Cap. 13. *Nonne hic est fabri filius? 352.*
Cum dormirent homines, venit inimicus, 267.
Cap. 14. *Ambulans super mare, cap. 30. par. 7.*
Domine si tu es, iube me venire ad te, super aquas, &c.101.394.
Ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum, 388.390.
Audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu, 277.
Cap. 15. *Relinque munus tuum ante altare, &c.370.*
Mulier Chananæa clamauit dicens, domine fili Dauid, 240.241.299.
Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus, 439.
Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea, &c.466.
Cap 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram: 14.107.*
Absit à te Domine, non erat tibi hoc, 385.
Iubo te laues Regni cœlorum, 414.
Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum, &c.85.
Abi post me Satbana, non enim sapis, quæ Dei sunt, 91.
Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis, &c.336.
Interrogabat discipulos suos: Quem dicunt homines esse filium hominis, 278.
Cap. 17. *Apparuerunt illis Moyses, & Elias, &c.402.*
Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, &c. 391.
Bonum est, nos hic esse, 123. 378.
Cap. 18. *Efficiamini sicut parvulus iste, cap. 33. par. 4.*
Quis putas maior est in Regno cœlorum? 27.
Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis, &c.357.
Serue nequam omne debitum dimisi tibi, &c.365.371.
Quicumque humiliauerit se, &c.272.
Procidens autem seruus ille, orabat regem dicens: Patientiam habe, &c.293.
Cap. 19. *Vos qui reliquistis omnia, &c. 408.*
Ecce nos reliquimus omnia, &c.131.
Cap. 20. *Accipientes murmurabant aduersus patrem familias, cap. 30. par. 5. & fol. 121.*
Dic, vt duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram, alius ad sinistram, 22.
Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? 22.
Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illis nos fecisti qui portauimus, &c.120.
Duo cæci sedentes secus viam audierunt, quia Iesus venit, &c.156.
Sedere autem ad dexteram, seu sinistram, non est meum dare vobis, 242.
Nescitis, quid petatis, 336.
Dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, &c.328.
Voca operarios, & redde, &c.210.
Cap. 21. *Plantauit vineam, 342.443.*
Generatio mala, & adultera signum quærit, &c.421.
Plurima autem turba straurunt vestimenta sua, &c.88.104.
Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite, 103.
Sedens super asinam & pullum, cap. 27. par. 6.
Adduxerunt asinam, & pullum, &c. 115.
Cap. 22. *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? &c.246. & cap. 32. par. 7.*
Intrauit Rex, vt videret discumbentes, inuenit ibi hominem non vestitum, &c.438. 357.
Magister scimus, quia verax es, cap. 29. par. 5.
Ligatis manibus, & pedibus, &c. cap. vlt. par. 13. & fol. 217.
Qui fecit nuptias, &c.443.
prandium meum paraui, 352.
Cap. 23. *Vsque ad sanguinem Zachariæ: quem occidistis inter templum, & altare, 453.*
Væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepul-

ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, 120.
Væ vobis Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, &c. 158.
Ego mitto ad vos prophetas, &c. 420.
Cap. 24. *Sol obſcurabitur, cap. vlt. par. 6. & fol.* 110.
Niſi breuiati fuiſſent dies illi, cap. 34. *par.* 7.
Conſurget gens contra gentem, &c. 325.
Orate ne fuga veſtra ſit in hyeme, neque in Sabbatho, 288.
Cap. 25 *Dormitauerunt omnes, &c* 371.
Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, cap 33 *par* 4.
Date nobis de oleo veſtro, cap. 34. *par.* 18.
Qui autem ſuper petram ſeminatus eſt, &c. 165.
Venite benedicti patris mei :: Eſurui enim, &c 329.
Cap. 26. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*, 73.
Tranſeat à me calix iſte, cap. 26. *par.* 28.
Cœpit de teſtari, & iurare, quia non nouiſſet, cap. 28 *par.* 4.
Ipſe tamen tacebat, 99. 295.
Recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat, antequam Gallus, &c. 116.
Væ autem illi, per quem filius hominis tradetur, 359.
Poſſum rogare patrem meum, & exhibebit, &c. 381.
Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, 259. 211.
Tunc abijt vnus de duodecim, &c. 212.
Plectentes Coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, 225.
Abijt, & orauit tertio eumdem ſermonem, 197.
Cap. 27. *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam*, 369.
Si Rex Iſrael eſt, deſcendat, 416.
Monumenta aperta ſunt, 386.
Iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum. 402.
Domine recordati ſumus, quia ſe doctor ille, cap. 34 *par.* 17.
Poſt quam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta, cap. vlt par. 11.
Acceptam ſpongiam implenit eam aceto, &c. cap. 26. *par.* 38.
Congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, cap. 31. *par.* 7.
Venit homo quidam dine ab Arimathia, cap. 33. *par.* 1.
Clamydem coccineam circumdederunt eũ, cap. 33. *par.* 12. *& fol.* 139 445.
Deus meus, vt quid dereliquiſti me? 139. 141.
Iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum, Ecce velum templi exciſum eſt, &c. 155.
Prætereuntes blaſphemabant, 463.
Plectentes Coronam de ſpinis, &c. 88.
Ab hora ſexta tenebræ, cap. 28. *par.* 14.
Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, &c. 330.
Idipſum & latrones, 462.
cap. 28. *At illi munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem*, 86.
Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, 96. 330.
Terræmotus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit, cap. 30. *par.* 14. *cap.* 32. *par.* 9.
Facti ſunt velut mortui, ibidem.
Nolite timere vos, 293.
Pecuniam copioſam dederunt militibus, 431.
Scio, quod Ieſus, qui crucifixus eſt, quæritis.
Non eſt hic, 216.
Quidam de cuſtodibus venerunt, &c. 214.
Ieſus occurrit illis dicens: Auete. 284.

Ex Marco.

Cap. 1. *Erat Ioannes veſtitus pilis Camelorum, &c.* 25.
Erat in Synagoga homo in ſpiritu immundo, & exclamauit dicens: Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? &c. 99 230.
Dimiſit eam febris, & miniſtrabat, 454.
Cap. 3. *Quoniam in furorem verſus eſt*, 373.
Cap. 6. *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus. &c.* 399.
Miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput, &c. 574 270.
Erat cor eorum obcæcatum propter panes, 249.
Cap. 8. *Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent*, 230.
Cap. 9 *Neſciebat quid diceret*, 123.
Cap. 11. *Cum vidiſſet Ieſus à longe ficum habentem folia, &c.* 394.

Cap. 13. *De die autem illo, & hora nemo scit*, 444.
Cap. 15. *Videns autem Centurio, quod sic clamans spirasset*, cap. 34. par. 7.
Cepit pavere, & tedere, 389.
Venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, 228.
Cap. 16. *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt*, &c. 361.

Ex Luca.

CAp. 1. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit*, 7.
Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, 34. 406. & cap. vlt. par. 4.
Factum est cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ, &c. 67.
Ecce Elisabeth cognata tua, &c. 343.
Reclinauit eum in præsepio, 346.
Concipies, & paries filium, 366.
Cogitabat, qualis esset ista salutatio, 109.
Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex vtero matris suæ, 112.
Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, &c. 137. 255.
Quis putas puer iste erit, 144. 156. 96.
Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, 260.
Ecce eris tacens, & non poteris loqui, &c. 176.
Respexit humilitatem ancillæ suæ, &c. 225.
Cap. 2. *Nunc dimittis*, &c. cap. 30. par. 19. & fol. 564.
Venerunt festinantes, cap. 29. par. 3. & 4.
Pannis inuolutum, cap. 30. par. 13.
Consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, cap. 30. par. 16. cap. 31. par. 4. & fol. 422.
Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, cap. 32. par. 8. & fol. 256.
Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur, 352. 386. 414. 426. & cap. 34. par. 2 & fol. 185.
Videntes autem cognouerunt de verbo, 368.
Peperit filium suum primogenitum, 16.
Pastores erant in regione eadem vigilantes, 25.
Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in ijs, quæ patris mei sunt, &c. 60.
Cap. 3. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus; & Iesu baptizato*, &c. 142.
Interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus, &c. 278.
Cap. 4. *Increpauit illum Iesus dicens obmutesce*, cap. 29. par. 5.
Et consummata omni tentatione diabolus recessit, cap. 32. par. 14. & fol. 249.
Cap. 5. *Cum Sol autem occidisset, omnes, qui habebant infirmos*, cap. 32. par. 13.
Publicanum nomine Leui, cap. 27. par. 3. & fol. 60.
Turbæ irruerent in eum, cap. 29. par. 4.
Cap. 7. *Lachrymis cepit rigare pedes*, 364.
Cantauimus vobis, & non saltastis, cap. 34. par. 3.
Misit ad Iesum Centurio, &c. cap. 27. par. 10. & 14.
Mulier in ciuitate peccatrix, &c. 265.
Stans retro secus pedes Iesu lachrymis cepit lauare, 313.
Cap. 8. *Nauigantibus illis dormiuit Iesus, & descendit procella venti in stagnum*, &c. 56.
Exierunt dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, 128. 132.
Exijt, qui seminat seminare, 77.
Cap. 9. *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos*, 119.
Cap. 10. *Primum dicite: Pax huic domui*, 388.
Dæmonia subijciuntur nobis, 391.
Nolite gaudere, quia Spiritus vobis subijciuntur, 404.
Videbam Sathanam sicut fulgur, de cœlo cadentem, 128.
Alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum, 9. 232.
Intrauit Iesus in quoddam castellum, &c. 227.
Cap. 11. *Cum venerit, inueniet eam scopis mundatam, & ornatam*, 36.
Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulabat per loca inaquosa, &c. 128.
Quædam mulier de turba dixit illi: Beatus &c. 266.
Cap. 12. *Destruam horrea mea, & maiora faciam*, 251. 446.
Hac nocte repetent animam tuam, cap. vlt. par. 8. & fol. 358.
Nolite timere pusillus grex, 349.
Sinite parvulos venire ad me, 27.
Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, 265.
Cap. 13. *Voca pauperes, & debiles*, 384.

Ecce

Ecce anni tres sunt, ex quo veni quarens fructum in ficulnea, cap. 34. par. 3. & fol. 204.

Cap. 14. *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, 440.*

Cap. 15. *Occidite vitulum saginatum, cap. 34. par. 4.*

Vidit pater ipsius, & misericordia motus est, &c. cap. 28. par. 2.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, &c. cap 30. par. 2. & 3. & 7.

Cito proferte stolam primam, cap. 30. par. 8. & fol. 439.

Adducite vitulum saginatum, 339.

Adhæsit vni ciuium regionis illius, 128.

Omnia mea tua sunt, 121.

Congregatis omnibus adolescentior filius peregre, &c. 390.

Nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer, 42.

Cap. 16. *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura, 242. 377.*

Fili recepisti bona in vita tua, 247.

Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, &c. 93.

Refrigeret linguam meam, 442.

Vt intingat extremum digiti in aqua, 448.

Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, cap. 26. par. 27.

Cap. 17. *Impossibile est, vt non veniant scandala, 370.*

Edebant, & bibebant, &c. 258.

Occurrerunt Iesu decem viri leprosi 220.

Cap. 18. *Fili Dauid miserere mei, 382.*

Publicanus longe stans nolebat, nec oculos leuare, cap. 30. par. 11.

Cap. 19. *Ascendit in arborem sycomorum, &c. 393.*

Stans Zacheus, &c. 402. 141.

Dimidium bonorum meorum do, &c. 320.

Cum appropinquaret Ierusalem; videns ciuitatem flevit, &c. 90. & cap. 34. par. 12.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, &c. 91.

Zachæe festinans descende, &c. 251.

Hodie salus domui huic, eo quod & ipse filius Abrahæ, 57. 320.

Cum appropinquaret iam ad descensum montis Olibeti, cæperunt omnes turbæ, &c. 19.

Erat scriptum hebraice, græce, & latine, &c. 260.

Videns ciuitatem, flevit super illam, 297.

Cap. 20. *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, 390.*

Cap. 21. *Vidit Iesus viduam quandam pauperculam, mittentem æra duo minuta, &c. 135.*

Respicite, & leuate capita vestra, quia, &c. cap. vlt. par. 8.

Cap. 22. *Vos autem estis, qui per mansistis mecum in tentatione, cap. 33. par. 6.*

Aliquando conuersus, 365.

Locutus est cum principibus, &c. 369.

Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, 254.

Dispono vobis, sicut disposuit mihi paternus regnum, vt edatis, &c. 171.

Desiderio desideraui, &c. 211.

Cap. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt 64. 197 220.*

Qui erat propter seditionem quamdam, & homicidium, &c 94.

Hodie mecum eris in paradiso, cap. 30. par. 12. cap 27 par. 13. & fol. 275.

Apprehenderunt Simonem quemdam Cirenensem, cap. 33. par. 5.

Posuit eum in monumento nouo scisso, 398.

Vnus ex iis, qui pendebat, latronibus, 392. 462. 196.

Filiæ Ierusalem nolite flere, 411.

Domine memento mei, 414. 232. 331.

In manus tuas commendo spiritum meum, 273.

Vnus de his, qui pendebant latronibus, 196. 392. 462.

Obscuratus est Sol, 300.

Cap. 24. *Vos autem sedete in ciuitate, donec induamini Spiritu ex alto, 78.*

Ex Ioanne.

Cap. 1. *In principio erat Verbum, 204.*

Cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus, &c. 95. 409. 78.*

Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, 107. 250.

Intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon, &c. 145. 13.

Erat autem Philippus à Bethsaida, 442.

Cap. 2. *Gustauit Architriclinus aquam, 344. 42.*

Nuptiæ factæ sunt in Chana, cap. vlt. par. 3.

Implete hydrias aqua, cap. 33 par. 11.

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, &c. cap. 33. par. 3. 234.

Quid mihi & tibi mulier, 61.

Petre amas me, cap. 29. par. 7.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, 291.

Cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, 19. 226.*

Cap. 4. Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus, ille nobis annuntiabit, 130. & cap. 30. par. 16. & cap. 34. par. 2.
Fatigatus ex itinere sedebat sic, cap. 34 par. 1. & fol. 430.
Veri adoratores adorabunt patrem, cap. 27. par. 15.
Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, 129.
Reliquit hydriam suam, & abijt in ciuitatem, &c. 149.
Domine dà mihi hanc aquam, 159.
Cap. 5. Qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, 355.
Hominem non habeo, cap. 32. par. 2.
Triginta & octo annos habens in infirmitate, cap. 26. par. 31.
Cap 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, 15.
Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam, 82. 86.
Nonne vos ego duodecim elegi? cap. 34. par. 10.
Est puer hic habens panes, cap. 27. par. 7. 147.
Caro mea vere est cibus, &c. 344.
Quia videbant signa, &c. 356. 399.
Cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, 409.
Vnus ex vobis diabolus est, 390.
Cap. 8. Hac mulier modo deprehēsa est in adulterio, 150.
Quis ex vobis arguet me de peccato, 349.
Habrahām exultauit, vt videret diem meū, 27.
Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem, &c. 255. 209.
Cap. 9. Expuit in terram, fecit lutum ex sputo, & linuit, 26. 167.
Tu credis in filium Dei? 187.
Vt manifestarentur opera Dei in illo, 98.
Quia propheta est, 117.
Hunc autem nescimus, vnde sit, 240.
Cap. 10. Qui venerunt ante me, fures sunt, 404.
Ego sum pastor bonus. 347.
Abraham mortuus est, & prophetæ, cap. 32. par. 4.
Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent Iesum, 255.
Cap. 11. Statim prodijt, qui fuerat mortuus, 9.
Lachrymatus est, 442. 445.
Vt vidit eam plorantem, 348. & cap. 27. par. 16. & fol. 314. 317. 297.
Ligatus pedes, & manus institis, 348.
Tollite lapidem, &c. cap. 32. par. 2. & cap. 34. par. 8.
Si hunc dimittimus sic, venient Romani, cap. 30. par. 16.
Diligebat autem Iesus Martham, &c.
Vt vidit eam plorantem, & Iudæos plorantes, &c. 297.
Cap. 12. Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, 436.
Et venit Philippus, & dicit Andreæ, Andreas rursus, &c. 147.
Si exaltatus fuero a terra omnia trahā, 257.
Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam, &c. 265.
Cap. 13. Cum diabolus misisset in cor, 390.
Capit lauare pedes discipulorum, &c. 412.
Mandatum nouum do, 405.
Post buccellam intrauit in eum Satanas, 401.
Nunc clarificatus est filius hominis, cap. 33. par. 2.
Erat que recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, 172.
Cap. 14. Maiora horum faciet, 394.
Cap. 16. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, 391.
Cap. 17. Clarifica filium tuum, &c. 397. 391.
Cap. 18. Non hunc, sed Barabbam, &c. 94. 152.
Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum, cap. 34 par. 5.
Cap. 19. Plectentes Coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea, cap. 30. par. 13.
Erat scriptum: Iesus Nazarenus, cap. 32. par. 6.
Ex inde quærebat Pilatus dimittere, &c. 443.
Ioseph Abarimathia eo, quod esset discipulus Iesu occultus, &c. 144. 283.
Milites ergo cum crucifixissent eum, 177.
Non scindamus eam, &c. 105.
Mulier ecce filius tuus, 160. 197. 335.
Secundum legem nostram debet mori, 355.
Stabant autem iuxta crucē Iesu mater eius, 410. 411.
Venit autem & Nicodemus. cap. 33. par. 5.
Quia omnia consummata sunt, cap. 26. par. 26.
Stabat autem iuxta crucem, &c. cap. 32. par. 8. & fol. 329.
Cap. 20. Maria stabat ad monumentum foris plorans, cap. 33. par. 6. & fol. 385. 314. 293.
Vidit duos Angelos in albis, 347.
Noli me tangere, 367. 24.
Infer digitum tuum huc, &c. 21.
Mulier quid ploras? 199. 314.
Tulerunt dominum meum, & nescio, vbi posuerunt eum, 200.

Infer digitum tuum huc, &c. 331. 285.

Ex Actis Apostolorum.

CAp. 1. *Viri Galilæi quid statis aspicientis in cœlum*, 95. & cap. 26. par. 32.
Cap. 2. *His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos, quid faciemus?* 230.
Viri fratres liceat audenter dicere ad vos, &c. 228.
Cap. 5. *Ante hos dies stetit Theodas, dicens se aliquid esse*, 73.
Ibant gaudentes à conspectu concilij, 260.
Cap. 6. *Viderunt faciem eius quasi faciem Angeli*, 418.
Iudæi conuocantes Apostolos, cæsis denuntiauerunt, ne loquerentur de nomine Iesu, 288.
Cap. 7. *Ecce video cœlos Apertos, & filium hominis stantem, &c.* 21. 428. & cap. 30. par. 10.
Apparuit illis in deserto, in monte Sina Angelus 418.
Cum esset plenus Spiritu Sancto, 418.
Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto restitistis, 114.
Cap. 9. *Surrexit autem Saulus de terra, & apertis oculis. &c.* 382.
Vas electionis est mihi iste, &c. 395. 397. 403.
Saulus adhuc spirans minarum, &c. 288.
Cap. 11. *Superuenerunt à Ierosolymis propheta Anthiochiam, &c.*
Cap. 13. *Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant, &c.* 121.
Eris cæcus, non videbis Solem, &c. 168.
Cap. 16. *Visio per noctem Pauto ostensa est, vir Macedo, &c.* 395.
Cum venissent autem in Missiam, tentabant ire in Bithiniam, 35.
Cap. 25. *Ad tribunal Cæsaris sto*, 140.
Cap. 26. *Opto apud Deum, & in modico, & in magno*, cap. 32. par. 12.
Cap. 27. *Nunc suadeo vobis bono animo esse*, 193.

Ad Roman.

CAp. 2. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*, 70.
Cap. 4. *Cum fere centum esses annorum*, cap. 30. par. 19.
Cap. 9. *In hoc ipso excitauite, vt ostenderem in te virtutem*, 374.
Reliquiæ Israel saluæ fiant, 32.
Veritatem dico in Christo non mentior, cap. 33. par. 1.
Cap. 10. *Finis legis Christus*, cap. 32. par. 7.
Primus Moyses dicit: Ego autem ad æmulationem vos adducam, &c. 120.
Cap. 12. *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*, 400.
Cap. 13. *Nemini quicquam debeatis, vt inuicem diligatis*, 33.
Abijciamus ergo opera tenebrarum, 182.

1. ad Corinth.

CAp. 1. *Ego quidem sum Pauli, &c.* cap. 30. par. 20.
Cap. 4. *Puto enim, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos*, cap. 31. par. 7.
Cap. 5. *Expurgate vetus fermentum*, 398.
Cap. 6. *Contemptibiles qui sunt, &c.* 399. 333.
Cap. 7. *Præterit enim figura huius mundi*, 257.
Qui cum vxore est, solicitus est, 416.
Cap. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem, &c.* 351.
Cum liber essem ex omnibus omnium me seruum feci, 397.
Cap. 10. *Omnes in Moyse baptizati sunt*, 356.
Sicut & ego per omnia omnibus placeo, 397.
Petra autem erat Christus, 250.
Alia est claritas Solis, alia est claritas Lunæ, 101.
Cap. 14. *Si quid voluerint discere, &c.* 180.
Cap. 15. *Sicut in Adam omnes, &c.* 227.

2. Ad Corinth.

CAp. 1. *In nobis met ipsis responsum mortis habuimus*, cap. 32. par. 4.
Cap. 2. *Damasci Præpositus regis Aretæ custodiebat ciuitatem, &c.* 136.
Cap. 3. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus vestris, &c.* 97.
Cap. 6. *Qui autem consensus templi Dei cum idolis? Vos enim estis, &c.* 97.
Cap. 8. *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias, &c.* 106.
Scitis gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus, 106.
Notam autem vobis facimus fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ, 244.
Cap. 11. *Periculum fluminum, periculum latronum, &c.* 71.
Æmulor enim vos Dei æmulatione, &c. cap. vlt. par. 5.
Cap. 12. *Libenter impendam, & super impendam*, 2.
Virtus in infirmitate perficitur, 397.
Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, cap. 33. par. 8.
Scio huiusmodi hominem, &c. 174.

Ad Galatas.

Cap. 2. *Cum venisset Cephas Anthiochiam, restiti ei in faciem, &c.* 160.
In fide vivi filij Dei, qui dilexit me, 273.
Cap. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam,* 76.
Cap. 4 *Cum cognouissent gratiam Dei, quæ data est mihi, cap.* 26. *par.* 36.
Misit Deus filium suum factum ex muliere, 132.

Ad Ephesios.

Cap. 2. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, &c.* 54.
Secundum principem potestatis aeris huius, 184.
Cap. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram, fol.* 130.
Cap 5. *Surgite, qui dormitis,* 134.

Ad Philipp.

Cap. 1. *Mihi vivere Christus est,* 15.
Cap. 2. *Factus obediens vsque ad mortem,* 269. 184. 186.
Exinanuit semetipsum, 106.
Formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, 79.

Ad Colossenses.

Cap. 2. *Estis in illo repleti,* 368.
Cap. 3. *Si consurrexistis cum Christo,* 428.
Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, 357.
Cap. 5. *Quæ sursum sunt, quærite,* 257.

1. Ad Thessalonicenses.

Cap. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus,* 92.
Hæc enim voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, 161.

1. Ad Thimoth.

Cap. 2. *Si permanserint in fide, & dilectione cum sobrietate, cap. vlt. par.* 3.
Docere autem mulieri non permitto, 108.
Cap. 6. *Habentes quibus tegamur, & c.* 360.

2. Ad Thimoth.

Cap. 4. *Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, cap. vlt. par.* 5.
Prædica verbum, instа, opportune importune, 236.

Ad Hebræos.

Cap. 6. *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, &c.* 151.
Cap. 10. *In altero autem sotij taliter conuersantium,* 321.
Cap. 11. *Quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, &c.* 146. 209. 210.
Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium, &c. 286.
Confidentes, quod hospites, & peregrini, &c. 286.
Fide remoratus est in terra repromissionis, 299.
Cap. 12. *Fide Moyses dereliquit Ægyptum non veritus animositatem regis,* 136.
Pacem sequimini & sanctimoniam, 163.
Isti per fidem vicerunt regna fortes in bello, 338.

1. Petri.

Cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum, &c.* 334.
Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 366.

Apocal.

Cap. 1. *Vidi septem candelabra, &c. cap.* 27. *par.* 13.
Dilexit nos, & lauit nos sanguine, &c. 171.
Cap. 2. *Et dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen,* 89.
Cap. 3. *Vtinam calidus, aut frigidus esses, &c.* 104.
Collyrio inunge oculos tuos, 290.
Cap. 4. *Sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens, & in circuitu sedis sedilia,* 109. 44.
Prociebant viginti quatuor seniores ante sedem, &c. 110. 313.
Cap. 5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, &c.* 119.
Cap. 6. *Ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua, &c.* 18.
Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, 264.
Cap. 7. *Nolite nocere terræ, & mari neque arboribus, &c.* 46.
Sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei, &c. 45.
Cap. 8. *Accepit Angelus thuribulum, & implenit illud de igne,* 47.
Cap. 12. *Cauda trahebat tertiam partem stellarum, cap.* 31. *par.* 6.
Cap. 13. *Ne quis posset emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, & nomen vestiæ,* 249.

Cap 14. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, & volauit in desertum*, 17.
Agnus stabat supra montem, cap. 32. par. 6. & fol. 46. 215.
Cap. 15. *Qui vicerunt bestiam, & imaginem eius*, &c. 218. 219.
Cap. 19. *Habet in vestimento, & in fœmore scriptum: Rex regum*, &c. 15.
Cap. 20. *Vidi Angelum descendentem de cœlo habentem*, &c. 222.

INDEX

INDEX RERVM.

A.

ABIECTISSIMI Non contemnendi in salutis negotio,304.

Abiectis fauere diuinitatis est, 435.

Absconditus, & occultus in dignitates à Deo trahitur,205.

Absentiam Iesu secuntur mala 91.

Abstinentia ciborum aptissima ad triumphos,147.

Acceptio personarum non est apud Iesum, cap.32.par.3.

Acceptionem personarum non habet multitudo,109.

Adolescentiæ Christianæ ludus,3.

Adulterina,& spuria vitulamina nõ præualent in Regno Christi, sed in mundiali, 51.52.

Aduersarius nulli deficit in hac vita,66.

Ærumnæ non sentiuntur vbi est Deus,199.

Æmulatio durissima homini,120.

Affectus principum inconstantissimi,44.

Afflictio afflicto non est danda,135. Conducit ad trahendam salutem cap.28.par. 13. Quælibet eius particula in numero est,& precio apud Deum,cap.28 par.14. Vide Ærumna, Tribulatio, Calamitas, Labor.

Afflicti difficilius blanditias vincunt,cap. 28 par.10.

Agnorum partem sortiuntur propter iustitiam passi,214.

Aliena non abiectè tractanda, sed propria. 311 Aliena munera in sacris non in vadenda.400. Aliena fugiat, qui in bonis amat æternari. 436. Non danda pauperibus. 471. Alienis se muneribus nemo secure ingerat.202.

Alieni fideliores solent aliquando inuenire quam proprij.496.

Ambitio regnandi nihil diuinum veretur. Nec tantibus parcit 327. Ambitio honoris lethalis.358. Pestilens est, cap. 34.par.10. Indecora in eo, qui meritum habet,423.

Amicitia in aulà rara.325.Amicitię impiorum non fidendum.442. Vera optimum præsidium.103.

Amicos magis obstringis,dum vel hostibus faues.cap.30.par.1 & 2. Amicorum etiã errores castigandi à bono gũbernatore. 336.

Amor proximi nihil timet ab illo.292.

Amor temporalium morę impatiens. 430.

Amor laudis in principibus vtilis.275.

Amor non tam indonis, quam in passione ostenditur,248

Angeli faciunt homines triumphare,6 Nil prius inspirant, quam Eucharistiam,7. Angelorum custodia validissima.385.

Animæ prestantia pulchritudinem dat corpori,quæ non officiat, 29. Animarum salus omni dispendio quęrenda,1. Animarum negotium multos obnubilat errores in eo,qui illas Deo acquirit.366.

Arma benedici vtile,168.

Assistentis Dei indicium vita recta.403.

Auaritia facinorum mater. 206. Mariæ cedit,243. Deploratissima vitiorum. 258.

Auaro certius venit supplicium, 252.

Aula ægre admittit cœlestium præcones, 38.Saluti spirituali contraria,286. Raro nouit amicitiã,325 Eius discrimina lethalissima.115.Ad eã multo labore itur. 173.

Aulici suspecti sint Religiosis tractatibus, 198. Tardissimi ad alios regi reconciliandos. 142. Nesciunt ab aula egredi, 117. Præstent & in Choræis, & in castis,40. Pro apparitionibus diuinis habent munera,502.

Aurum Religioni postponitur à Christiano Principe,cap.33.par.14. In regali manu proficit Ecclesiæ ædificandæ.431.

Ausis magnę virtutis,vel aduersantes naturę dunt,cap. 33.par.11.

Auxilium Dei prius quærendum,quã mundialium,157.

Auxilum mundialium detrimẽtosum.157.

B.

Bella à iuuenibus.265. Germinantur à terra Impiorum.93.

Benefactorē iniuriare detrimētoſum, 443.
Benefactoris conſpectus gratiſsimus, 98.
Beneficium multitudinis prēſtitū fructuoſius apud Deum, 55. Quod maius à Deo venit, maiorem parit humilitatem, 412.
Beneficia inchoata Deus auget, 34. Beneficia Dei ſpem ad alia firmant, 77. ab aliquo accepta nos in illius defenſionem accendunt, 97. A Deo accepta multis ſequentibus confirmantur, 96. Non ſolēt ſtagnari in vno 420 Singularia ſingulari ſunt honore proſequenda, 153. Illorum cōtinuatio feriſsimum quoque animum deuincit, 278. Beneficijs Dei abuti in eius offenſam, turpiſsimum eſt, 298.
Benedictiones Eccleſiæ gladijs, armiſve proficiunt, 168.
Beneficentia chriſtiana non vni, ſed pluribus, 283.
Benignitas in principe abundet, 9.
Blanditiæ difficilius ſuperantur ab afflicto, cap. 28. par. 10.
Bona peritura nihili æſtimanda, cap. vlt. par. 9. Gratius ſunt in eo, qui ea communicat egenis, cap. 30. par. 18. Sine Deo nihili, cum Deo magni æſtimanda, 22. Ægrè ad iuſtos perueniunt, 24. Carò empta non facile contemnūtur, 347. Requirenda per ipſum, per quod fuerūt inuenta, 80. Temporalium culmen periculoſum, 123. Eorum adminiſtratio rarò ſine ſanguine, 388. Nos ſolent in malum firmare, 482. Non vera, ſed figurata, 114. Tunc fœlicia, cum bona futura annunciant, 416.
Bona omnia vbi Deus, 386. Bonorum profuſsio æque homines afficit, ac vitæ profuſsio, 320. Bonorum tuorum particeps ſit, qui fuit malorum, 307.
Bona noſtra in vno Deo, in cæteris perditio, 227. In Chriſto habentur, cap. 30. par. 16.
Bona æterna ſpectata nos firmant in ſæcularibus, 109.
Bonorum ſimilitudo ab vno Deo, 13.

C.

Calamitas. Vide Mala, Afflictio, tribulatio. Calamitas eſt non permitti in malis dolere. cap. 30. par. 4. Solet patere pœnitētiam, cap. 30. par. 6. Calamitas temporalis nihili æſtimanda, cap. vlt. par. 6. Calamitate non frangi, magnum eſt virtutis indiciū, 484. In Calamitate officio debito correſpondendum, 494.
Carò pretio empta non facile contemnūntur, 347. 467.
Carnalis appetitus nō timendus, vbi Deus præualet, 182.
Caſtitas à ciborum ſobrietate, 159. Ad adminiſtrāda ſacra, 160. Reputatur ſanctitas, 161. Hoſtiles omnes inſultus abigit, 162. Neſcit non eſſe erecto collo, vel in mortis diſcrimine, 428. Efficaciſſime, vt triumphet. 80.
Caſtis inglorium eſt conſortium ſuſpectū, 351.
Cauſa quod perditionis alicui ſis, duriſsimum eſt tibi, cap. 34. par. 16.
Celeritas in virtute. 324.
Charitatis in fratres ſignum minus fallaciæ expoſitum eſt, 33. Charitas vera, vel in primo exortu magna, 104.
Chriſtus. Vide Ieſus, Deus. Chriſtus non è terra, ſed è cœlo habendus, 427. Non ferro, ſed doctrina vincit, 433. Eius imago notiſsimum propugnaculum, 383. Eius meditatio nos ei aſſimilat, 379. Chriſtus ſolus habet, qui primas cedat, cap. 30. par 20. Eius paſsionis conſortium glorioſum, cap. 33. par. 5.
Chriſtianum eſt cauere iniurias in principes, & reges, 316.
Cibus lautus enerūat homines, 63. Cibi frugalitas pene inexpugnabilis cuſtos virtutum, 83. Cibos ſuis prouideat principes, 409.
Citharæ ludus alienus à bellis, 97.
Cogitata ſolent ab ingenuis munerari, 362.
Cognatio naturæ in primis nobis eſt, cap. 30. par. 7.
Cognati. Vide Propinqui.
Cognati, & propinqui participem fœlicitatem tuam, 308. Cognatis in primis cōſulendum, 175. Nos in æternis manſionibus præſtolantur, 486.
Commoda propria nō præponenda ſacris, 455.
Conatum magnum ſequitur effectus, 250.
Concionatores Dei ægrè admittuntur in aulis, 38.
Coniugum fœlicitas, qnod nec in cœlo diſiungantur, 261.
Conſcientia bona præbet robur militibus, 338. Conſcientia propriorum peccatorum nos facit miſericordes, cap. 29. par. 7.
Conſtantia in virtute, 266.
Conſortium prauorum damnoſum, 275.
Conſortium iuſtorum ſalutare, 193.
Conſortium ſuſpectum inglorium eſt pudicis,

dicis, 351. Consortium sceleratorum fugiendum regibus, 376. Cõsortium passionis Christi gloriosum, cap. 33. par. 5. Consortium similium bonũ, siue malum, 442. Consultationes temporalium hominum quales, 197.

Conuersatio diuturna prodit fallacem, 285.

Cõuersio magni peccatoris efficax ad trahendos alios, 340.

Cõtumeliæ lethales sunt in firmis, 56. Nec in hostes iactandæ, 246. Illatum certamen durissimum viro ingenuo, cap. 18. par. 7. Ipsum proferentem perdunt, cap. 28. par. 11.

Contumelia. Vide opprobrium, Maledictum.

Conuiuia raro non ominosa hominibus, 237.

Conuiuium Christi emẽdum quolibet dispendio, cap. 30. par. 14.

Cœlicite regnum vnum præoculis, 4.

Cordibus benemeritorum fœlicius, quam marmoribus nomen inscribitur, 432. Cordium intima ab vno Iesu penetrantur, 23.

Creaturæ præstantia in eo, quod non sibi, sed Deo viuat, 5.

Crucifixi imago omnia mala fugat, 17.

Crux Christi validissima aduersus hostes, 384. Humilitatem facit prævalere, 410.

Cultus diuini pompa efficacissima ad trahẽdos homines, 286. Sit principi in primis, 396. Regnorum est firmitas, 499. Cultus specialis comitetur speciale opus diuinitatis. 398.

Cultus externus luctuosus facit, & luctum in animo generari, 360.

Cupiditas diuitiarum nociua, 24.

D.

Dedecus, quæ faciunt non suspicienda, sed quæ gloriam, 411.

Delationes non probatæ apud solos impios principes prævalent, 191.

Delatores clandestini non admittantur à principe, 224.

Defectus aliorum tuæ saluti facit opportunum, 271. Defectus non à Deo, 367.

Defunctis honor illatus filios Dei ostendit, 229. Illis misericordia exhibita præstantissima, 330. Trahit præsentissimam Dei retributionem, 330.

Desertorem quem noueris, ne fidas, 279.

Deus inde medelam infert, vnde laborem intulit, cap. 34. par. 2. Non effundit omnem iram in fideles, cap. 34. par. 12.

Deus vnus duraturam fundat fœlicitatem, 13. Intima penetrat rerum, 23 trahitur pueritiæ candore, 27. Auget beneficia semel inchoata 34. Vnus respici debet ab homine ingenuo, 53. Præcipua victoriarum est causa, 88. Non gaudet hominum cede, 94. In laboribus spectatus murmurũ tollit radices, 120. Quod vni præstat, ab alijs potest sperari 141. Nõ patitur solos esse suos athletas. 186. Cõternnitur à mortalibus præregibus, 190. Nos facile à ruina custodit, 253. Suis vtiles pressuras parat, 284. Solus facit dicta factis conuenire, 290. Solus regna largitur, 333. Cui adest, omnia secum bona trahit, 386. Non tam in templis, quam in hominum animis gaudet, 413. Suauitatis, & dulcedinis fons, 425. Solus totum sibi valet subijcere orbem, 426. Amat viriles animos, 445. Dum nescitur inferens mala, inde ea fiunt tolerabiliora, cap 28. par. 12. Solus facit, vt vnum foueas sine periculo perdendi alios, cap. 30 par. 3. Solus vitam dat, cap. 30. par. 4. Solus nouit pœnarum spatia breuiare, cap. 34. par. 8.

Dei prouidentia in mundi administratione, non nisi puris oculis patet, 19. Dei susceptio munditiem requirit, 20. Eius minimum digne acceptum trahet totum, 33. Eius iniuria vindicanda, 76. Eius suauitas patet etiam in malis illatis, 83. Eius nomen validissimum tutamen, 86. Eius beneficia prima multis sequentibus confirmantur, 96 Eius verba fructuose tractanda, 114. Eius dona non ruinas, sed victorias pariunt, 118. Eius laudes validissimę aduersus hostes, 137. Eius vnius est etiã in abiectione prævalere potentissimis. 155. Eius auxilium prius quærendum, quam mundialium, 157. Eius spiritus non in gladio, 166. Eius opus est, quod in ærumnis positus alios cures, 196. Eius est ad difficiliora conari, 210. Eius sola manus nescit defectum parere, 367. Eius præsentia omnia fœliciter eueniunt, 402 Eius dona spem ad alia firmant. 77. Eius vnius est hostibus parcere, 489.

Deo sacra in alios vsus caue conuertere, 129. Deo exhibenda perfecta, & præstãtia, cap. 33. par. 13. Deo vni non deficiunt, qui ab eo numerati sunt, cap 34. par. 11. Deo non tam corpore, quam corde appropinquandum, 499.

Deũ infensum non sentire maximæ ebrietatis

tatis indicium est, 258. Deum secum habens nullam ærumnam sentit, 199. Ad Deum quæ pertinent, omnes expectant sine differentia personarum, 159. Deum qui perdit, malis patet, 35. Deum sibi assistentem habet, qui nihil suum in factis agnoscit, 72.

Pro Deo sublata hostem nostrum affligũt, 87. A Deo solo habita gloriæ sunt homini, 195. In Deo vno nostra bona sunt, extra Deũ perditio, 227. Sub Deo patre omnis malis aditus occluditur, 273. A Deo desertus, vel ab infirmissimis petitur, cap. 28. par. 8.

Diabolus ab vno Iesu vincitur, 2. Vel verbis à Christiano expugnatur, 4. Solus facile vincitur, 5. Eius acts, vt solum hominem impetat, 56. Trahitur malis moribus, 128. Suos per multas tribulationes ad vltimam deducit. 253. Eum constantissime oppugna, nec desiste, 129.

Dicta factis conuenire ab vno Deo venit, 290.

Dies veri censentur, qui à solo Iesu, cap. vlt. par. 1. Et quibus Deo viuimus post peccata abiecta, cap. vlt. par. 2. Dies festinatissime aduolare creduntur, cum sumus in fine, cap. vlt par. 7.

Dignitatis ambitio in eo, qui moretur, indecora, 423. Dignitates vel abiectissimis dãtur à Deo, 333. Quæ à Deo sunt, magis veniunt ad eos, qui se occultare satagunt, 205. Dignitas sedis non coronat hominem, sed mores, 128. Dignitates, & culmina non segnitiem, sed noua facinora faciant, 126.

Dilecti passiones non possumus non pati, 256.

Discrimina magna non aggredienda nisi post minora deuicta, cap. 33. par. 17.

Discordiæ iniquorum regnum Dei promouent, 350.

Diuersarum virtutum studia eandem habent mercedem apud Deum, 306.

Diuitiæ non appetantur à principe, 124. Illis Deus impugnatur, 123. Illarum negotium mendacia profert, 312.

Diuinitati approximat, qui rectè iudicat, 434.

Diuinorum susceptio munditiem magnam requirit. 20.

Doctrina, non ferro vincit Christus, 433.

Dona Dei non perduntur communicatione, 173. Spem ad alia firmant, 77. Inuidiæ non cedunt, 116. Non ruinas, sed victorias pariunt. 118. Trahunt, quo homines in humilitate se contineant, 387. Habenda cum mensura, 427.

Dona principum duriora obsequia extorquent, 454. Donis principum magis odium, quam gratitudo debetur, 453. Nõ sunt gratiosa, 232. Dona impiorum cauenda, 98.

Donaria non extorqueantur à Principe per vim iniustam, 237.

Domesticæ obligationes maiori curæ sunt Christiano cordi, 45.

Dolor ille verus, qui operibus tollit sui materiam, 316.

Dormienti, quod subrepit, excusabile, 267

Dux non solum gladio, sed sapientia suam æquitatem ostendat, cap. 33. par. 3.

E.

Ebrietatis indicium, quod Deum tibi infensum non sentias, 258.

Ecclesiæ dilatatio firmitas regnorum est, cap. 34. par. 15.

Elati animi laudibus ducendi ad virtutem, cap. vlt. par. 14.

Elationi magis obnoxius plebeius indigni tatẽ positus, cap. 34. par. 1.

Eleemosyna asylum securissimum præbet, 18. 383. Præsentaneum præmium habet, 135. Benedictio est largienti, 243. Viam aperit fœlicitati, 301. Morituris viam facit ad Deum, 364. Nos ab omni malo propugnat, 383. Conseruat, & auget bona, cap. 30. par. 18. Eleemosynis adiuncta oratio efficax, 481.

Electio dignorum à solo Deo venit, cap. 28 par. 5.

Eucharistia esurienter accepta nos in salutẽ ducit, 169. 170. Non permittit nos in parvis hærere, sed ad magna impellit, 172. Ab Angelis in primis, nobis inspiratur, 7. Munditiem in suscipiente requirit, 20. Totum trahit Deum, 33. Fortiter operantibus paratur, 82. Mortem triumphalem efficit, 457. Robur indit non parum, 165. Omnia hostilia facit abesse, 438. Filios Dei ostendit, 439. Nos dirigit in salutem, 169. Regium splendorem reddit, 170. 440. Certissimum asylum salutis, 212. Efficacissima ad molliendas humanas mentes, 245. In vitam, & regnum dirigit, 302. Præparationem exigit, 352. Nos in se transformat, 380. Filios, & seruos excipit, 439. Eucharistiam introduxerunt redemptoris vulnera, 468.

Examen crebrum conscientiæ ad salutem, 139.

Exercicij defectus lethalis in omni conflictu, 72.

Exemplum bonum maiorum ſecutus nihil non obtinet à Deo,25.
Expertis hominibus munera committenda,41.

F.

Facta cum dictis conuenire à ſolo Deo venit,290.
Familiaritates noxæ deuitandæ,178.
Fallaciæ præ valent apud potentes,169.
Fallax proditur diuturna conuerſatione, 285.
Fauor præualet apud mundiales, non meritum,178 Miſero præſtitus, diuinitatis eſt,435.
Fauores Dei non minuuntur communicatione,173.
Felicitas duratura ab vno Deo,13.
Feſtinatio nulla officiat muneri adimplendo,65.
Fides vel inimico ſeruata placeat principi, 329. Fides nos facit de genere diuino, 384. Oculatiſsima eſt,382. Valentior armis 86. Maior ſolet inueniri in alienis,quam in proprijs.496.
Fiducia ſemper habenda in eo, quod ſemel ſalutare inueneris, 167. A laboribus exanthlatis naſcitur, 298. Largiorem poſtulatis inuenit dominum, 99.
Filij ſufficienter ex parentibus commendantur, 387. Eorum præſtantia, quod virtutibus parentum reſpondeant, 399. In bonis non deſunt parentum gratiæ, 405. Illorum multa poſteritas non niſi à Deo,422. Non cenſentur, qui legitimo thoro non naſcuntur, 437. Illorum æterna damnatio acerbiſsima parentibus,cap.29.par.6. Natalibus ſuis poſt multa reſpondeant,cap.vlt.par.16 Eorum multitudo, vt ſterilem patrem oſtendit, 335. Filij virtutes in patre ſplendeant, 12. Eius præſtantia parentem commendat, 12. Maiorum virtutibus ſimiles filij, ad ſe trahunt illorum glorias, 27. Parentes virtutibus excedant, 57. Raro non referunt parentes, 67. Eorum in manibus grate quis aſpicit bona ſua,226.Vitam ſuam poſtponant ſaluti patris,481.
Flagellum culpæ adiunctum ſalutare, cap. 28.par.6.
Fœmina non reſiſtet cupedijs regis,451. Eius caſtitas à multa irradiat cuſtodia, cap. 31. par. 2. Solertiſsima eſt in occurrendo neceſsitatibus vrgentibus, 245. Male ipſa cuſtodit,270. Eius plauſus nunquam non nocent, 112. In eius affectu omnes alias obligationes obliuiſceris.113. Femina voluptuoſa lethalis,132. Honeſta ſalutifera,132. In earum congreſſu deuitando magna præſtantia viri,178.
Formæ colendæ cura deſidioſa cauenda, 31.
Fortitudo inuincibilis in eo, qui totus inuiſibilibus intendit, 84. Fortitudinis auſpitium in ferarum congreſsibus, 74. Fortitudo inuincibilis ab vno Deo, 70. Fortitudo, & ſapientia vera in humilitate,cap.33.par.4.
Fortibus Dei naturæ contra ſe ipſas miniſtrant,cap,33.par.11.
Fortuna ſubditorum ex principe,324. Fortuna populi ex præſtantium ſpecimine, 104
Fratres pericula gignunt,71.
Fraterna charitas minus expoſita eſt fallaciæ,33.
Frugalitas cibi pene inexpugnabilis cuſtos virtutum,83. Infert caſtitatem,159. auget robur militare, 63. Frugalitas principis pugnaces facit milites,cap.33. par.4.
Fugitivus mundi virtuti operam nauet, 287.
Furtum & reſtitutione, & multis alijs debet expiari,473.

G.

Gener Regibus potior ex domeſticis famulis, quam ex externis principibus, 125.
Generi diuino appropinquant, qui innocenter patiuntur,cap.32.par.6.
Gladius non à Dei ſpiritu,166. Ex benedictione Eccleſiaſtica non parum roboris acquirit,168.
Gloria vana euenda,322.323.
Glorioſa inſpicienda,non indecora,411.
Gloria maior,vbi te infimis propter Deum æquas,412.
Gratia Dei, vel tyrocinio te facit implere veteranum,41.
Gubernator præcedat exemplo, 207. Caſtiget amicorum errores,352.
Gubernator,vide Princeps.
Gulæ malum,cap.14.par.6.

H.

Homo iudicij diuini cõſpectu continetur, 181. Æque afficitur profuſsione bonorũ, ac profuſsione vitæ,330. Eius præſtã

tia in eo, quod non ſibi, ſed Deo viuat, 15. Vnum reſpiciat Deum, qui ingenuus eſt, 53. In omnibus primas amat, 90. Eius cede nõ gaudet Deus, 94. Vulgaris ſola virtute poteſt conſeruari in poteſtate, 107. In eodem non manet ſtatu, 156. Temporalis, & pius, & impius, & nullus eſt, 164. Homini duriſsimum in ſuis male haberi, 185. Nunquam non quærit ſua commoda in primis, 187. Homo timidus crudeliſsimus, 193. Illi glorioſum, quod nihil habeat non à Deo, 195 Homo à ſolo homine non ſecurus, 209. Ingratus diuinis beneficijs, 473. Varius nihil eſt, cap. 29. par. 2. Quod vilis æſtimetur à principibus, maxime commouet præſtantes viros, cap. 31. par. 5. Homo malus periculoſe in bonis eſt, cap. vlt. par. 3.

Honores raro non mutant mores, 375.

Hoſtis validiſsimus animæ paupertate voluntaria vincitur, 177 Non repellendus negligenter, 49. Eius morte, qui nõ placatur feriſsimus eſt, 85. Hoſtis non eſt, vbi caſtitas eſt, 162. In ſede propria glorioſius deuincitur, 184. Non feriendus verbis contumelioſis, 246. Vincitur ab eo, qui pacifica cum Deo negotia gerit, 201. Hoſtium conſpectus ſolet principes in virtute continere, 213.

Hoſtibus parcens cœleſtis efficitur, & diuinus, 220. Se de illis efficacius vindicat, 229. Auſpicium habet regni, 232. 332. 356. De aduerſarijs poteſtatibus triumphat, 272. Hoſti exhibita officia magis tibi amicos arctabunt, cap. 30. par. 1. Hoſtibus parcere diuinum eſt, 489.

Hoſti qui fauet, amicis plus faueat, cap. 30. par. 2. Hoſtibus oppoſitus qui occumbit, vix creditur mortuus, 461. Hoſte de validiſsimo qui triumphat, omnes ſubijciet, 171.

Hoſtilis conatus notitia pertinet ad victoriam. 208.

Humanæ prouidentię modi ſeruandi ſunt, & vel in mirabilibus Dei obtinendis, 16.

Humilitas à ſola cruce prævalet, 410 In magnis rara, 421. Maior ſit, vbi maius Dei beneficium, 412. Sapientiam & fortitudinem veram facit, cap. 33. par. 4. Humilitas rogantis nihil non extorquet, cap. 30 par. 11. Hominem facit valere apud Deum, 424. Humilitas inceſſus auſpicata principi, 493. 494.

Humiliatio efficax, vt hominem in pœnitentiam trahat, cap. 30. par. 6. Humiliatio ex geſtu corporis, & verbis compoſita efficaciſsima eſt, 248.

Humiliati Ieſu forma auſpicata homini, 144.

Hyprocriſis reuireſcit ad pœnam, cap. 32. par. 1.

I.

Ieiunium ad triumphos, 147. Iunctũ Eleemoſynæ efficax, 481.

Ieſus. Vide Chriſtus, Deus.

Ieſus vel halitu vincit diabolum, 2. Vicinus copiam bonorum infert, 11. Eius imagine omnia mala fugantur, 17. Illi æque luctuoſa eſt vnius animæ perditio, ac integræ ciuitatis, 297. Eius præſidium ſine onere, 52. Solus facit ſenes gratos pueris, 58. Tota ſecuritas eſt, & valentia hominis, 81. Eius abſentiam ſecuntur mala, 91. Vbi apparet, omnium aliorum diſparent triumphi, & gloriæ, 140. Ieſus dæmonibus exitialis, 114. Quidquid eius fuit, auſpicatum eſt hominibus, 140. Eius humiliati forma auſpicata homini, 144. A illo labores exanthlatos ſecuriſsime ſuſcipis, 145. Ieſus ſingulariter paſcit, quos ad magna miniſteria eligit, 163. Illum nemo nobis eripere poteſt, 199. Ieſu paſsi ſimilitudo honorifica, cap. 32. par. 11. Ieſus claret in eo, qui virtutes occultat, 215. Ieſu nomen in Societate, 249. Ieſus vt patitur in ſuis, 256. Solus nos integre in vitam reformat, 304. Eius mortui conſpectus efficaciſsimus ad mouendum, 318. In eo vno certa ſalus, 333. Ieſus ſolus rex deſcendit ad humilia ſubditorum, 381. Ei auxiliatori qui opera ſua iungit, fœlix eſt, 393. Vbi ad eſt omnia preciosa, 413. Vnus ſcit ſuorum ærumnis quam primum ſubuenire, cap. 32. par. 2. Eius poſt paſſionem plures victoriæ, cap. 32. par. 13. Vt Ieſu credatur virtus, omnibus alijs aſſociatur, cap. 33. par. 1. Eius ſanguine fulgentiores fiunt reges fideles, cap. 33. par. 12. Eius vulneribus debetur noſtra pœnitentia, cap. 34. par. 4. Ieſu luce fiunt veri dies, cap. vlt. par. 1. Cum Ieſu patienti celerior ſalus venit, 498.

Ignorantia in cauſa eſt, quod ſentiamus mala temporalia, 313.

Ignorantia principibus propria, 277. & regulariter ſupina. Ibidem.

Impietas potentum eſt credere Deum propitium

pitium ſuis facinoribus, 376.
Impiorum terra germinat bella, 93 Eorum dona fugienda, 98. Illorum feritas frangitur in conſpectu virtuoſi, 55.
Inimicus. Vide hoſtis.
Inimicos omnes vincit paupertas voluntaria, 177.
Inimicitias in fratres exercens præſentiſſimum habet ſupplicium, 225.
Indigni in ſolo regno mundiali præualent, 51. 52.
Infirmitas corporalis vtilis, 440.
Ingratitudo diuinis beneficijs hominis propria, 473.
Iniuria Dei vindicanda, 76. Iniurias in reges caueat Chriſtianus, 316
Innocentem qui à tyranno liberat glorioſus eſt, 423. Innocentum paſſiones eos generi diuino approximant, cap. 32. par. 6. Inocentum calamitatibus quæſitum lucrum iniquiſsimum, 152.
Inſtituto tuo negotia aliena caue, 202.
Inſtrumenta magni alicuius boni honoranda, 166.
Iram omnem non effundit Deus in ſuos fideles, cap. 34. par. 12. Ira neſcit moras, 341.
Irati leniter tractandi, vt trahantur in ſanitatem, 113.
Iniuriare benefactores detrimentoſum eſt, 443.
Inuidia non perdet dona Dei, 116. Malorum hominum propria, 347. Pertinaciſſima, nec miraculis frangitur, 214. Nunquam non deſipit, 262.
Iura ſtringenda ſunt in re capitis, non amplianda. 374.
Iudicium rectum, qui facit populo diuinitati proximus eſt, 434. Iudicij diuini conſpectus maxime homines continet, 180.
Iuris naturalis ſtatuta non prætereunda in reorum punitione, 314.
Iuſtitia euaneſcit muneribus, 375. Præcipua in principibus requiranda eſt, 475.
Iuſti ægrè obtinent bona temporalia, 24. Iuſtorum alia conditio in calamitate communi ac impiorum, cap. vlt. par. 8. Iuſtorum veterum veſtigijs qui inſiſtit, nil non obtinet ex Deo, 25. Iuſti pro peccatorum pœnis minuendis laborant, 47. Eorum patientia tanta ſit, quanta virtus, 71. Vnus pro multis, 73. Eorum facinora non lapidibus, ſed cordibus infigi amant, 96. Etiam in virtutibus diuerſis vnitatem ſeruant, 101. Illorum conſortium ſalutare, 193. Habent leuamen ex Deo medijs malis, 200. Illos laborantes Deus recreat, 204. In illis non durant mala, 205. Nec in ſeceſſibus ſecuri ſunt ab impijs, 209.
Iuſtis mala illata veniunt in inferentem, 217.
Iuſtorum ſanguis profuſus ſterilem terram facit, 321. Eorum abſentia nociua Reipub. cap. 34. par. 12. Iuſti vt æterna ſpectant, non æſtimant temporalia, cap. vlt. par. 6. Illorum mors alijs deſiderabilis, 486.
Iuueniles anni bella ſpirant, 265 Iuuenilis feruor ſeruetur ad ſalutem, 303.
Iuuenum magiſtri Deum ſibi aſſiſtentem habent, 136.

L.

Labor. Vide Ærumna, Afflictio, Calamitas Mala. Labor exanthlatus non deſperationem, ſed fiduciam generat, 298. Laborum ſimilitudo gratiam conciliat, 419. Laboris nihil eripitur nequiter operanti, 459. Labor domeſticus fœlicitates externas obſcurat, 475. Voluntarius non parum affert, cap. 34. par. 5. Eorum ſpatia vnus Deus nouit breuiare, cap. 34 par. 8. Laboribus magnis non exercendi ſunt tenelli in virtute, 495.
Laboranti vel maria miniſtrant, 448.
Laborantes iuſtos Deus recreat, 204.
Lachrymæ pro amato amorem ad maiora adaugent, 364. Illæ veræ quæ operibus ſui occaſiones tollunt, 316. Verbis efficaciores ad exprimendum internum animum, 309. Piæ nos feſtinatiſsimè in bonum deducunt, 154 Illis interna malicia purgatur, 231. Lachrymæ non infirmitatem, ſed virtutis fructum oſtendunt. 497.
Lachrymæ etiam à magnis viris veniunt propter peccata, 500.
Lapſus proximi non vulgandi, 318.
Laſciuia. Vide Luxuria.
Laſciuiam omnia alia ſcelera comitantur, 149.
Latrocinia raro deficient in mundiali principatu, 368.
Laudes Dei validiſsimæ aduerſus hoſtes, 137.
Linguæ in manu mors & vita, 441.
Lingua oſtendit, ſub cuius viuamus imperio, 477.
Lucra temporalia excæcant, 286. Nil ſuſpectum faciunt principibus, 180. Ex

Innocentum calamitate orta iniquiſsima, viliſsima, 152.
Luctus externus internum generat, 160.
Luctus conſolationem illi exigunt, quibus nil gloriæ in illo eſt, 441.
Ludus adolescentiæ Chriſtianæ in cõculcandis feris vitiorum, 3. Ludus Citharæ à bellis alienus, 57.
Luxuria. Vide Laſciuia.
Luxuria omnes alios reſpectus perdit, 113 Nunquam non caſtiganda, 337. Lethalis, 357 Eius aſſultus nunquam non criminoſe in principio non retunditur, 450. Qui illà implicatur, mirum erit, ſi viuat. 451. Nullas virtutes non obliuiſcitur, 452. Peregrina homini, 471.

M.

Magiſtri iuuentutis Deum ſibi aſsiſtentẽ habent, 136.
Magna qui ſuperauit, caueat minima, 219.
Magna à Deo petenda, 302.
Maiora petenda ex Euchariſtia, 172.
Mala. Vide, Tribulatio, Calamitas, Afflictio, &c.
Mala cito reparabilia contemnenda, 444. Si à Deo ſciantur inferri, inde tolerabiliora, cap. 28. par. 12. Cum in illis ab alijs videmur, intolerabile, cap. 31. par. 7. Illorum in medio patet leuamen iuſtis, 200. Non durant in iuſto, 205. A Deo parata vtilia, 284. Præferẽtur Dei ſuauitatem, 83. Sequuntur abſentiam Ieſu, 91. Malorum tuorum participes, & ſint bonorum, 307.
Mali temporalis ſenſus ab ignorantia, 313.
Maledicta. Vide, contumeliæ. Opprobria.
Manſuetudo in tractandis negotijs à Deo, 326. Manſuetudo principis conſpicua ſit, 365. Manſuetudo præſtantes milites facit, 62.
Maria ſalutare nomen, 235. De eius nomine tenereſcimus, 235. Mariæ auaritiæ cedit, 243. Eius compaſsio, 256. Vna Maria aut maior, aut par toti electorum populo, vt Deum trahat, 297. Sola ſufficit ad deſtructionem diaboli, cap. 31. par 8. Maria nobis regnum Dei præſtat, 112. Maria poſt Ieſum non plus vltra ſalutis humanæ, 132 Nullis cladibus à Ieſu ſeparatur, cap. 32. par. 8. Eius ſolicitudo pro nobis in morte efficaciſsima, cap. 32. par. 9. Eius fœcunditas ſterilis videretur, niſi eius filius Patri Deo conſubſtantialis eſſet, 335. Sola apud cœlites eſt in ſuis, 408. Nihil illi datur, quod nobis non proficiat, 409. Efficax, vt omnes homines aſſerat Chriſto, 341. Deo ſufficit pro omnibus Angelis, & hominibus, 342. In omnibus fert primas, 343. Multorum linguas implet gloria ſua, 345 Poſt illam omnia creata decora ſorduerunt Deo. 345. Nũquam ex hoſte erepta, 346. Perfectiſsima hominum cuſtos, 371. Nobis cœleſtem panem efficit, 371. Eius vel vmbra noua ſunt gaudia. 406. Ex illà lætitia orta victorem animũ deſignat, 406. Inſtar diuini filij ſui obdormit, cap. vlt. par. vlt. Mariæ vniuerſi reges cedunt coronas ſuas, 488. Maria nec periculum incurrendi peccatum euaſit, 497.
Martyr eſt, qui innocenter patitur propter alterius delicta, cap. 32. par. 10.
Meditatio Chriſti nos ei aſsimilat, 379. Meditatio Chriſti paſsionis noſtras temperat, 445.
Mendacia & fallaciæ apud mundiales principes præualent, 169.
Merita apud mundiales non præualent, ſed fauor, 178. Merita non quæruntur, ſed præmia, 68.
Milites ſapientes imperatorem extollunt, 222. Non à molli veſte, ſed à duro ferro, 176. A manſuetudine præſtantiores, quam à feritatem, 62.
Militaris fortitudo ex bona conſcientia, 338.
Minimis ne implicetur, qui præſtitit magna 219.
Miniſtri gloria debetur principi, 488.
Minutiora etiam cauenda ei, qui magna ſuperauit, 219.
Miſericordia. Vide Eleemoſyna.
Miſericordiam in proximum qui non habet, nec Deum habet, 143. Miſericordia ex oculis, 225. Non acceptatrix perſonarum, ſed neceſsitatum, 241. Miſericordia in defectos, 329. 300. In alios oritur ex conſcientia proprio rum peccatorum, cap. 29. par. 7.
Mores mali Dæmonum illices, 128.
Modeſtia verborum in dignitate eſt, 260.
Monimenta facinorum vtilia, 168.
Mors appetenda, quæ inſtar victimæ in ſolum Deum refertur, 273. Mors ob oculos Dei amicis, 139. In primis ſpectanda, 19. Mortis tempore non te dominum putes, ſed ſervum, 310. Eius in-

ſtrumenta ob oculos poſita calamitatem adaugent, 50. Eius periculum homines trahit in bonam frugem, 309. Morte inimici qui non placatur, feriſsimus eſt, 85. Mors ſomnus eſt, vbi eſt reſurrectio in vitam, 92. Mors glorioſa procuranda, vel hoſti, 461. Mortis in anguſtia ſtulti nihil ſupra hominem meditantur, 362. Adhuc, curas mundialis celſitudinis tenent, 363. Mors fœlix marito, quæ illũ ignorare facit crimen vxoris, 460. Mors illuſtrior, quæ infertur ab ijs, qui obſequia debebant. 460. Mortis tempore raro inuenitur aliquid Dei, quod non fuerit in vita, cap. 32. par. 7. Mortis in infirmitate maximè ſe armat hoſtis in nos, cap. 32. par. 14. Mortis nomen cauetur, vbi reſurrectio nõ affulget, cap. vlt. par. 15. Mors iuſtorum alios deſiderio afficit, 486.

Mulier ſi taceat bona, ſi loquatur, errori dat locum, 108.

Multitudo nimia non eſt ſaluti, 203.

Multitudini officium exhibitum fructuoſius, 55. Multitudo non perſonas, ſed merita intuetur, 109. Eius conſenſus in bonum ab vno Deo, 352.

Mundicies magna ad Euchariſtiam, 20.

Muneris proprij virtutes nunquam remittendæ, 223. Muneris accepti onera non fugienda, 78. Munera fallunt principes. 289. Perdunt iuſtitiam, 375. Muneris ſui leges qui non implet, phantaſma eſt, cap. 30. par. 4.

Munera palatinis pro apparitionibus diuinis, 502. Non tam grata optimo principi quam perſonæ, 503.

Muſica prophanorum non diaboli ex pultrix, ſed conciliatrix, 37.

N.

Natales obſcuri, & viles aptiores ad factiones, & crimina, 150. Non officiunt homini ſed vitium, 239.

Natalium præſumptio ſine operibus lethalis, 99.

Natura contra ſe ipſam miniſtrat fortibus Dei, cap. 33. par. 11. Non poteſt non prodi in caſibus, 268.

Neglitia non vna afficitur pœna, 446.

Negligentia in repellendis hoſtibus cauenda, 49.

Nobilitas conducit ad præfecturas, 328.

Nobilibus mentibus vitæ infamia dolori eſt, 464.

Nobilior quo eſt aliquis in cultu, & officijs exhibendis eſt famulantior, cap. 29. par. 4.

Nomen Dei validiſsimum tutamen, 86. Nomen diuinum perdit impios, 89. Nomen ſalutare in Maria, 235. Nomen ſine operibus fœdum, 248.

Nomen Ieſu in Societate, 248. Nomine ſolo triumphare diuinum eſt, 394. Nomen ſolum inter rectè facta illuſtre manet, 463.

Nomen Dei vbi virtutes peraguntur, 398. Nomen ſolum Dei tribulatis haud ingratum, 492. Dei nomini fidat, qui ſaluari amat, 403.

Noua non ſemper quæreuda, 386.

Nuditas glorioſa principi, ob ornandos ſubditos, 105.

Nuntius malorum non à bona indole, cap. 29. par. 1.

Numero qui ſunt vni Deo, non deficiunt, cap. 34. par. 11.

Nuptiæ ſalutem habent ex virginitate, cap. vlt. par. 3.

O.

Occaſiones peccati fugiendæ, 348.

Occultas virtutes qui habet, in ſe Chriſtũ inuenit, 215.

Oculis non credendum contra proximum, 263. Oculi miſericordiam effundant, 225. Eorum ductum qui ſequitur, vel lapidi adhærebit, 102.

Oculatiſsimo culpa obrrepit, in temporibus difficilimis, 504.

Obedientia perfecta quæ? 59. Promiſsiones diuinas maximè adauget, 61. Perfecta eſt in eo, qui ſervum adimplet, 64. Ludibrio habet hoſtes, 74. Veræ ſanctitatis index, 185. Non parua ad ſalutem via, 491.

Obſequium multitudini præſtitum fructuoſius apud Deum, 55. Obſequia honeſta pertinaciſsime præſtanda à bono viro, 181.

Officij leges qui non implet, phantaſma eſt, cap. 30. par. 4. Officij accepti virtutes ne remittas, 223. Officij ſucceſſor in calamitate prædeceſſoris proficit, 374. Officij debito, vel in calamitate reſpondendum, 494.

Officioſuli minis ſuſpecti ſunt fallaciæ, cap. 28. par. 5.

Onera officij non fugienda, 78.

Opera bona occultanda, dum ſumus in via inter hoſtes, 529. Opera multa virtutum ſuſpitionem de proximo tollunt,

294. Opera difficiliora aggredi diuinitatis est, 210.
Oporasitas auspicata est, vel ad cœlestem aulam occupandam, 173.
Opprobria lethalia sunt infirmis, 56.
Opprobria. Vide contumelia.
Opportunitas, non celeritas obtanda in Dei accessu, 393. Oppotunitas salutis in defectu aliorum, 271.
Optimo subesse fœlicius est quam imperare, 340.
Oranti nihil conducens denegat Deus, 482.
Oratio vnius iusti efficacissima ad Deum, 236. Ex se sola opportunitatem habet, 238. Oratio mentis præuenienda, 435. Oratio Eleemosinis iuncta efficax, 481.
Ordo à solo Deo in commorionibus seruatur, ne pes abeat in caput, 504.
Ordo rectus in electionibus à solo Deo, cap. 28. par. 5. In omnibus auspicatus, 495.
Originis tetreni meditatio tutatur hominem, 216. Auspicata est, 183.
Otium triumphantium virorum nunquam imbelle, 153.

P.

Pacifica negotia qui agit cum Deo, de hoste triumphat, 201.
Palatini. Vide Aulici.
Palatini suspecti sint religiosis tractatibus 198.
Panis regis militares vigilias parit, 454.
Partialitas principis damnosa, cap. 31. par. 1.
Pater ille est cuius bonis vtimur in vitam, 226. Referat in se virtutes filiorum, 12. Eius gloria virtus filij, 12. Illi obsequium deferendum, 62. Patre sub Deo omnis malis aditus occluditur, 273. Parentes pro Deo despiciendi sunt, si Deo adhærere amas, 291. Pater sterilis in multis filijs, 375. Parentes boni sufficiunt ad filiorum commendationem, 387. Parentum merita filijs proficiunt in spiritualem salutem, 483.
Patria auspicata homini, 13. Patria sanctorum auspicata est bonis, 274. Patua qui præstat, fidem ad maiora firmat, 344.
Passio plusquam obsequium meretur affectum, 248. Passiones dilecti non possumus non pati. 256. Passionis Christi meditatio nostras temperat, 445. Passiones innocentum eos de genere diuino faciunt, cap. 32. par. 6.
Passi propter iustitiam agnorum partem habent, 214. Passi cum Iesu celeriorem habent salutem, 498.
Patientia iustorum æquet eorum gesta, 89.
Paupertas voluntaria omnes animi hostes proterit, 177.
Pauperum in misericordia magnum est asylum, 18. Pauper citius à cognatis ignoratur, 240. Refectus nos ab omni malo propugnat, 18. 383. Non fouendus de alienis, 471.
Pax nesit ad desidiam, sed ad munimentum, 233. Non habeat belli damna, cap. vlt. par. 12. Pacis quies imbellis non sit, 153.
Peccatum vel oculatissimo obrrepit, in temporum difficultatibus, 504.
Peccatum maximè hominem implicat ad mortem, 216. Eius virus diu retineri, deplorati animi est, 130. Peccata minora dissimulanda sunt in viris magnis, 247. Præterita maximè vexant hominem mortis tempore, 312. Eorum interna vastatio in externis vastationibus ostenditur, 317 Victorias hosti aut præbent, aut auferunt 325. Eorum occasiones notæ fugiendæ, 348. Quæ maliciæ sunt, durius castigantur, 159. In quo peccatum est, nihil magnũ est, 365. Eius manifestatio acerbissimum supplicium est, 474. Peccatũ vel oculatissimo obrepit difficilibus temporibus, cap. 28. par. 4. Ei flagellum adiunctum salutare, cap. 28. par. 6. Peccati proprij conscientia nos facit misericordes, cap 29. par. 7. Peccata pristina non rememoranda in eo, qui ad gratiam redit, cap. 30. par. 8. Peccatum pestilens venenum est, cap. 34. par. 9. Peccati fructus nunquam non ab ipso peccato perditur, 480. Peccati conscientia implicat hominem, ne in conflictu euadat 490. Peccata te infirmissimo inferiorem faciunt, 491 Etiam à magnis lachrymas extorquent, 500. Peccatoris magni conuersio efficax ad trahendos alios, 340 Peccatoris malum etiam iustis metum incutit, 568.
Penuria post fœlicitatem, vehementissimam pœnam infert, 145.
Perfectio sanctitatis in abstinentia à licitis, 162.
Perfecta Deo exhibenda, cap. 33. par. 13.
Pericula præcauenda, 89. Magna non aggredienda nisi post minora deuictu, cap. 33. par. 17. Pericula vel evadere miserum, 497.

Peritura omnia nihili æstimanda, cap. vlt. par. 9.
Perseuerantia omnium bonorũ illex, cap. 38. par. 6. Melior etiam cum casu quam retrocedere, 300.
Personarum acceptionem non habet multitudo, 109. Personarum respectus non est in ijs, quæ ad Deum pertinent, 159. Personarum acceptio non est apud Iesum secus apud alios, cap. 32. par. 3. Personæ non status inspiciendus in facinoribus, 338. Gratiores sunt optimo principi, quam munera, 503.
Pertinacissimus sis in obsequijs exhibendis, 181.
Pigritia cauenda, 303.
Plausu hostium perire grauissimũ est, cap. 28. par. 9.
Plebeius in dignitate positus elationi obnoxius, cap. 34. par. 1.
Pœna sceleratum deterret peccatores, 95. Pœnas maiorum videns & non cauens, maius iudicium sentiet, 420. Pœna non parua est, quod hostium plausu pereas, cap. 28. par. 9.
Pœna Vide Labor calamitas, tribulatio.
Pœnitentia nostra debetur Iesu doloribus, cap. 34. par. 4. Ex calamitate solet nasci, cap. 30. par. 6. Non leuis agenda pro peccatis, 477. Dexteritate magis, quam seueritate persuadetur, 466. Tarditas in illa cauenda, cap. 34. par. 3. Ob temporalia commoda nihili facienda, 276. Vera non tam temporis spatio, quam animi proposito metienda.
Populi fortuna ex præstantissimorum specimine, 105. 479.
Potenti triũphaturi omnia subiacent 171. Potentum impietas est credere Deum sibi propitium in facinoribus, 376. Periculose in publico obiurgantur, 475. In eos sæuiunt, in quos facilius possunt, cap. 30. par. 15.
Potestatis minus ostendas, quam habes, 417.
Preces nunquam non opportunæ 238.
Præsumptio Natalium sine operibus lethalis, 99.
Prælatus Vide Princeps Præcedat exemplo, 207.
Præsentia Dei omnia fœliciter facit euenire, 402.
Primas in omnibus amare humanum est, 90. Eas qui cedat, solus Christus habet, cap. 30.
Principi primas non cedis periculose, 48.
Primatus nullus censeturnisi in ordine gratiæ, 378.
Primus in qualibet virtute, non sine lucro, 46.
Princeps. Vide Rex.
Princeps in suauitate abundet, 9. 14. Paterna referat viscera, 14. Sic de malo cõmonendus est, vt fin ul ei remedium suggeratur, 39 In constantissimus in electibus, 44. Non quæ vtilia, sed quę placentia sunt, attendit, 45. Perituros est, qui eanos habet despectui 57 Regalissimus, qui non se totum alienæ commisit sapientiæ, 221. Ne det aures delatoribus, 224. In virtute continetur hostiũ conspectu, 213. Eius cupedijs qui obsistit, proditor habetur, 188. Fidelis, si à Deo exoribitet, nocentior est tyrannis ethnicis, 191. Despotice exigat, non quæ sibi, sed quę populo vtilia sunt, 103. Ei gloriosa nuditas ob ornandos subditos, 105. In eius offensam nulli te credas, 128. Eius gener potior, à delectis, quam ab externis, 125. Et defensionem, & cibos paret suis, 146. Leui calamitas dolori est sacerdotibus, 157. Princeps animum suum testatum habeat, 181.
Princeps vel in vltimo halitu iustitiæ consulat, cap. vlt. par. 11. In eius conspectu dissimula magnalia tua, 228. Nil gratis dat, sed se in omnibus datis quærit, 232. Eorum obsequia priuato exhibita extorquent difficiliora, 354. Ei pax non sit desidiosa, 233 Non extorquendi donaria peruim in iustam, 237. Non suspicantur malum, vbi lucrum vident, 289. Ab illis iustitia requiratur, 473. Regalissimi prius quam liberos, merentes spectant, 239. Caueant in iustam effusionem sanguinis, 254. Facile decipitur numeribus, 289. Eis prepotissima ignorantia, 277. Et est supina. Ibidem.
Princeps prædecessoris sui iniuriatores puniat, 300. Non offendatur subditi fide, vel inimico seruata, 329. Clarior ex suis satiandis, quam ex hostibus depellendis, 353. Optimo Principi subesse fœlicius quam imperare, 340 Eius est suam mitatem testatam facere, 365. Multa dissimulet in eo, qui sibi populos, & regna acquisiuit, 366. Eorum vitia nusquam non habent sectatorem, 372. Se intra hominem contineat, 380. Ei in primis sit cultus veri Dei, 396. Eius fortitudo in deducendis subditis ad æterna, 397. Cõ doleat malis subditorum, 401. Quieius auribus se ingerit, non requisitus, semper in malum, 404. In re Dei se popularibus exæquet, 407. Suis cibos præuideat,

deat,409. In mensæ communionem inferiores accipiat,438. Principum donis non semel, magis odium quam gratitudo debetur.453.

Principes nimis creduli sunt eorum, qui possunt suo aduersari imperio, cap. 28. par.3. Caueant sibi à ministris potentibus,cap.30.par.17. Eorum peccata habent sectatores, cap. 31. par.6. Eorum commendatio à præstantia subditorum, cap.33.par.2. Eorum frugalitas pugnaces facit milites,cap. 33. par 7. Eorum virtus facit à subditis contemni pericula,cap.33.par.8. Christianorum principum est aurum Religioni postponere, cap. 33. par.14. Quod subditorum incommoda non videat, à Dei venit seueritate,cap.34.par.14. Eos decent solæ illæ exactiones, quæ necessariæ sunt, cap.34 par.20. Principi non cedis primas periculose,487. Principi debetur gloria ab eius ministro acquisita, 488. Principes nimis creduli sunt eorum,quę suo aduersari possunt imperio,503.Principi optimo gratiores sunt personæ, quã munera,503.

Principatus mundi rarus sine latrocinijs, 368.Principatus mundi, vel abiectissimis datur à Deo,332.

Proditor habetur,qui obsistit principum cupedijs,188.

Propinquitas Iesu multa infert bona.11.

Propinqui. Vide cognati.

Propinqui, & cognati partipent fœlicitatem tuam,308. Eis in primis consulendum,175.

Promissa diuina magis implẽtur, vbi maiores obices.268.Illis sic fidendum,vt omnia conducibilia peragamus,280.

Prosperitatis tempore Deum meminisse,nõ mediocris virtutis est.396.

Prouidentiæ humanæ modi seruandi sunt, etiam in mirabilibus Dei procurandis, 16. Prouidentia Dei in mundi administratione solis puris oculis patet, 19. Prouidentia singularis Dei circa illos, qui in Reipublicæ bonum diriguntur, 164.

Proximorũ cura ẽtũ nosso homini rara,196 Proximi misericordiam non habens,nec Deum habet. 143. Illis præsta, quod à Deo amas obtinere,252. Illorum in malum,nec oculis credendum,253 Proximi amor nihil ab eo timeri sinit, 292. Proximus suspitionem tibi non faciat, vbi plura in eo virtutum opera vides, 294 Proximi lapsus non vulgandi,319. Proximi in actibus næuos quærere nequissimum est, 356. Proximorum mores ex nostris taxamus,373.

Puerilis innocentia seruanda,26.

Puericiæ candor in virtutibus trahit Deũ, 27.

Pulchritudo marcescens in ruina dolentium acuit stimulos,cap.29.par.8.Acuitur virtute mentis, 28.In principibus nõ mollitiem, sed horrorem potius intonet, 29. Innocua venit ab animi præstantia, 29. Suffragatur principibus, 31. Eius colendæ cura otiosa, desidiosa vecauenda,31.

R.

Regna à solo Deo dantur,333,282. Regni cœlestis meditatio omnium infimorum facit obliuionem, 350. Regnum cuius autor Deus non ferto,sed virtutibns paratur,281.

Regnum vnum cœleste præoculis,4. Regnorum firmitudo a dilatatione Ecclesiæ, cap.34.par.15.

Reincidẽtiam in peccatum difficulter euadis,116.Reincidentia grauior, cap. 31. par.3.

Religio fundat regale decus,21.Est regnis auspicata.148. Eius cura cũ labore susceptа regno auspitium præbet, 68. & fol.499.

Religio vbi creditur regibus obesse,fundituns sancti viri perduntur,189.

Remuneratoris sub oculis audentiores simus,cap.30.par.5.

Repulsa acerbissima est ingenuo viro,242.

Repræhensio publica potentum damnosa, 475.

Resurrectio in vitam vbi est, mors somnus est, 92. Eius spes tristitiam in morte leuat,485.

Reuerentiâ extollitur Deus,402.

Reus multis queritur, vbi se credit non cõuincendum,245. Reum, vt punias, non prætermittas iuris naturalis statuta, 314.

Rex tunc regium splendorem ostentat,cum cibum Eucharistiæ summit, 170. Eius decus à religione,21. Non auarus amicos habet,non seruos, 36. Alienus sit à diuitiarum cupiditate,124. Non potest non dolere in subditorum malis, cap. 34.par.13. Fidelis à sanguine Iesu fulgentior,cap.33.par.12. Illi iniuria illata semper fit lethalis,315.

Reges nunquam non reuerentur boni, & morigeri,228. Caueant consortia sceleratorum,376.Eorum cupedijs non resi-

ſtet fœmina, 451. Eorum ſplendor in parcendo contratijs, 331. Non eſt, qui eis morem non gerat, 327. Eorum errores non quilibet mordere poteſt, 465. Illis Deus peculiariter prouidet, 203. Illis decorum caſtigare innocẽtes, 472. Illis tremenda prædicanda 476. Eorum quod eſt, mortalibus charius eſt, quam diuinum, 190. Coronas ſuas cedunt Mariæ, 488.

S.

Sacra à caſtis adminiſtranda, 160. Iniuriata præſentiſsimum malum inferre ſolent iniuriatori, 321. Caue illa in alios vſus conuertere, 129. Sacræ res non curtentur propter inſtantias negotiorum, 56. ſacris vim inferre detrimentoſum, 266. Eorum contemptum frugum ruina comitatur, 195. Sacrorum commodis non præponenda propria, 455.

Sacramenta Chriſtiana ex effectibus cognoſcenda, 370.

Scandalorum ſeminator mortem inuenit, vbi alij vitam, 369.

Scripturæ diuinæ verba efficaciſsima, 230.

Salus certa in vno Ieſu, 333. Salus ex afflictionibus, & ærumnis, cap. 28. par. 13. Salutem omnibus communem qui negligit, deploratus eſt, cap. 30. par. 10. Salus proprio labore negotianda, 8. Saluti quod ſemel fuit, ad id prealijs confugiẽdum, 167. Salus habita ſine ſenſu periculi præſtantior, 218. Salutis in negotio neque viliſsimus depellendus, 305. Salus ab vno Dei nomine, 403.

Salutaria non ſine ſumptu, & labore, cap. 34. par. 19.

Sanctitas male ponitur in corporali mundicie, 452. Eius perfectio in abſtinentia à vitijs, 162.

Sancti perduntur, vbi religio noxia regibus creditur, 189. Eorum patrocinium vtile peccatori, cap. 30. par. 9.

Sanguis Ieſu fulgeſcere facit reges fideles, cap. 33. par. 12.

Sanguinis iniuſta effuſio principibus metuenda, 254.

Sapientis verba frugifera, 221. Sapientibus ſapienter præditandum, 466.

Sapientia, & fortitudo vera in humilitate, cap. 33. par. 4. Illa ad ſalutem conducit, quæ affectibus non corrumpitur, cap. vlt. par. 5. Sapientia militum imperatorem extollit, 222.

Secundo in loco eſſe non eſt inglorium, cap. 33. par. 15.

Sede in propria male habere turpius eſt, 319.

Senes deſpicabiles ſunt apud principem ruiturum, 57. Senes grati pueris ex ſolius Ieſu gratia, 58. Apud Ieſum bene habent, cap. 30. par. 19.

Sermonis cultus vtilis in Regijs, 467.

Sepulturæ honor non requitur in eo, cuius ſanctitas conſpicua eſt, 484.

Seruile ingenium irreconciliabile, 293. Magnum æſtimat liberari à flagellis, 302.

Servus fidelis intra Domini fortunam ſe contineat 282.

Similitudo Chriſti paſsi nunquam non gloriæ homini eſt, cap. 32. par. 11.

Solum genitale auſpicatum, 183.

Solus non eſt, qui pro Deo pugnat, 186.

Spiritus diuini eſt, quod tuis conſulas in primis, 175.

Spiritualibus dandum, quod dedeſti terrenis, 414.

Sponſæ ærumna æque luctuoſa eſt ingenuo viro, ac totius patriæ perditio, 296.

Status ratio illa infirma, quæ damnum immerenti infert ob propria commoda, 151.

Sterilitas à ſacrorum contemptu, 195. Et à ſanguine iuſtorum profuſa, 321.

Stultorum eſt in morte nihil ſupra hominem meditari, 362. Et mundialis celſitudinis curas retinere, 363.

Stultitiæ malum durius aliâ pœna, 251.

Subditorũ fortuna ex principe, 324. Subditus optimi principis fœlicior, quam ſi ipſe imperaret, 340. Subditorum humilia vnus Ieſus aſſumit, 381. Subditi facile rapiuntur ad facinora principum, cap. 31. par. 6. Eorum præſtantia principem commendat, cap. 33. par. 2. Eorum valentia tota in rectore conſiſtit, 126.

Subſidij temporalis ſpes officioſiſsima, 282.

Succeſſor in officio proficit ex prædeceſſoris calamitate, 374.

Sufficientia, non ſuperfluitas ad ſalutem, 203.

Superbi animi in dominando æſtimat omnem gloriam, 410.

Supplicium reorum decus eſt regum, 472. Supplicium præcellentibus illatum formidabilius, cap. 32. par. 5. Supplicium ſcelerum deterret peccatores, 93. Non mediocre ſupplicium eſt patri, quod ſit cauſa mortis filij, 479.

Suſpectus non tibi ſit proximus, vbi plura virtutum opera apparent in illo, 294.
Suſurro nequam ea ſola refert, quæ iram moueant, 353.

T.

Tarditas in Pœnitentia cauenda, cap. 34. par. 3.
Temporalis homo & pius, & impius, & nullus, 164. & cap. 33 par. 9. Ægre, & difficulter ad Deum conuertitur, 192. Eius conſultationes quales? 197. Largior in principes, quam in Deum, cap. 34. par. 18.
Temporalis reſpectus infirmus eſt, vt conſeruet virtutem, cap. vlt. par. 10.
Templa non ſic Deum tenent, vt hominis animus, 413.
Tempeſtas vt proficit, 446.
Timida nequitia crudeliſsima, 193.
Timor à malicia tibi ſemper ſit, 306.
Timor Dei magnanimos ad humilia trahit, 501.
Timiditatis eſt, quod tibi mortem inferas, 311.
Tribulatio. Vide Afflictio, Labor, ærumna.
Trubuta non ex regum natura, ſed ex caſu 234. Vtilia bono communi benitiſsime dantur, cap. 34. par. 17. Neceſſaria ſola decent principem, cap. 34. par. 20.
Trinitatis Beat. numerus auſpicatus, 263.
Triſtitiæ malum omnium acerbiſsimum, 259.
Tyranni ſanguine gaudent, 259.

V.

Vacuum cauendum in vocatione diuina, 10.
Validiſsimus vbi vincitur, facile reliqui ſuperantur, 171.
Varius homo nihil eſt, cap. 29. par. 2.
Verax non refugit inſpectorem, 285.
Verba Dei fructuoſe tractanda, 114. Verba ſapientiæ fructifera, 222. Verba diuinæ ſcripturæ efficaciſsima, 230.
Verba ſic componenda, vt vtilia ſint auditoribus, 255. Verborum modeſtia dignitatem olent, 260. Verbo diuino, qui mouetur, ſalutaris eſt, 476.
Veritas non à magnis, ſed à paruis, cap. 29. par. 3. In ſolo Deo, & Chriſto eius, 256.
Veſtes in cultæ, & ſordidæ aduerſus Dæmones valent, cap. 30. par. 13.
Vetera illuſtranda, non ſemper noua quærenda, 386.
Veterum Sanctorum veſtigijs qui inhæret nil non obtinet ex Deo, 25.
Veteraſcere neſciens in magna præſtantia eſt, 26.
Victoria vigilantibus, 458. Victoriæ hoſtium à peccatis noſtris 325. Victoriæ poſt Chriſtum paſſam, cap. 32. par. 13. Victoria ex notitia conatus hoſtilis, 208. Incruēta grata principi, 211, Eius cauſa præcipua Deus, 88.
Viliſsimi, & indigniſsimi præualent in mundialibus non in diuinis, 51. 52.
Vindicis Dei ſub oculis audentiores ſimus, cap. 30. par. 5.
Virginitatis cultus ad facinora, & triumphos, 40. Virginitas dæmones abigit, 45. Salutem parat nuptijs, cap. vlt. par. 3.
Virginea vox efficax, vt cœleſtem calorem mentibus humanis infundat, cap. vlt. par. 4.
Viri eximia præſtantia, quod noxias familiaritates depellat, 178.
Viriles animi à Deo amantur, 445.
Virtuoſi conſpectus feraliſsimos frangit impios, 54.
Virtus ſola poteſt vulgarem hominem in poteſtate conſeruare, 107 Eam qui occultat in ſe oſtendit Chriſtum, 215. In eis diuerſis vnitatem ſeruant iuſti, 101. In ea excogitanda primus non ſine lucro, 46. Virtus veteraſcere neſciat, 26. Eius difficiliora ne alijs mandes, ſed tu arripe, cap. 32. par. 12. Virtus vt Chriſti habeatur, omnibus alijs aſſocietur. cap. 33 par. 1. Eius magnis auſis, vel aduerſantes naturæ cedunt, cap. 33. par. 10. Eius congreſſus nihil ſibi timet à latebris, cap. 33. par. 16.
Virtus non conſeruatur ob reſpectus temporales, cap. vlt. par. 10. Virtutes officij proprij nulla in calamitate remittendæ, 223. Virtutum exercicia amore magis extorquētur, 231. Virtus præmeditāda, prius quā exequenda, 244. In ea progrediendum, 264. Virtutum diuerſa ſtudia eandem apud Deum mercedem colligūt, 306. Earum prętextus efficax ad perſuadendum. 350.
Virtuti dandum, quod vitio dediſti, 414. Eius progreſſus non interrumpendus, 416. Ei ex integro inſtandum, 417. A primis vnguiculis acquiſita ſolet retineri, 421. In ea tenelli non ſunt magnis labo-

laboribus exercendi,495.
Vitia nationis excusabiliora sunt, quam quæ à propria electione,158.
Vita à solo Deo potest expectari, cap. 32. par.4 Eius profusio non acerbior est homini, quam profusio substatiæ,320. Vita recta Dei assistentis indicium, 403. Vitæ in fine raro inuenitur aliquid Dei, quod non fuerit in vita, cap.32.par.7.
Vnitas debet splendescere in populis fidelibus,50. Seruatur à iustis etiam per diuersas virtutes,101.
Vni, quod faueas sine periculo perdendi alios, à solo Deo venit. cap.30.par 3.
Vocatio cuiusque adimplenda,10.
Vota vel sola remunerari solent ab ingenius,361.
Vox iniuriati clamorosa est, vt audiatur à Deo,270.
Vtilitatem propriam, quod proximis postponas, à Iesu venit,405.
Vxoris ærumna luctuosissima,296.

X.

Xaberij virginitas triumphalis,41.

Z.

Zelus virtutis æque plectit omnes reos, siue viros, siue fœminas,288.
Zelotypia nullis officijs sopitur,335.



INDEX

AD VSVM CONCIONATORVM.

Dom. 1. Aduentus.



VC. 21. *Erunt signa in Sole, & Luna, &c.* Luctuoso conspectu se totus orbis ostendit, vt pœnitentiam persuadeat; de externo enim luctus apparatu intimus dolor nascitur in animo, fol. 360.

Item: *Erunt signa in Sole, &c.* Creaturæ nesciunt non parere defectus, 367.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube. Iesus non è terra, sed è cœlo spectandus, 427.

Item: *Venientem in nube.* Iesu præsidium sine onere, 52.

His autē fieri incipientibus, respicite, & leuate capita, &c. In totius orbis excidio merito iubentur iusti capita leuare, illis enim temporales iacturæ molestæ non sunt, vt qui æterna spectent, cap. vlt. par. 6.

Item. *Leuate capita, &c.* Alia enim debet esse conditio iustorum in calamitatibus cōmunibus, ac est conditio impiorum, cap. vlt. par. 8.

Dom. 2. Aduentus.

Matth. 11. *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos, &c.* Cum Ioannes in vinculis esset, mittit ad Iesum, in quo solo tota valentia, & securitas, fol. 81. & 353. & alibi.

Quæ auditis, & vidistis. In primis iubet renuntiari Ioanni, quæ ex ore Iesu audita sunt; lingua enim, & verba maximè notant sub cuius imperio viuas, fol. 477.

Cæci vident, claudi ambulant, &c. Afflicto Ioanni in vinculis sapienter iubet Dominus proponi salutes datas alijs afflictis, vt hinc consoletur Ioannes simile sperās sibi. Quod enim dedit Deus bonum alicui, ab alijs etiam sperari potest, fol. 141. & 75.

Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt Duo proposuerat, nimirum, arūdinem vento agitatam, & mollibus vestitum. Et de solo mollibus vestituto asserit, quod in domibus regum est. Et quando de principibus asserit, quod sint mollibus vestiti; cur similiter non exprimit, qui sint arundines vento agitatæ? Id adeō euidens erat conuenire etiam principibus, & potentibus sæculi, vt non egeret explicatione. Affectus enim potentum inconstantissimi sunt, 44.

Dom. 3. Aduent.

Ioann. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.* Rabidissimi Iudæi aduersus omnem pietatem, nihilominus ad Ioannem pacifice mittunt; tanta est enim potentia virtutis, vt si in conspectu veniat, etiam feralissimos ciuret, fol. 54.

Item: *Miserunt ad Ioannem, vt interrogarent, &c.* In deserto occultabatur Ioannes, & ibi quæritur à Sacerdotibus; honores enim ex Deo magis quærnnt eos, qui se magis occultant, fol. 202.

Non sum, &c. Quis non miretur Ioannis humilitatem? Inde tantus fuit; humilitas enim hominem facit valere apud Deum; fol. 424.

Quid ergo baptizas? Nil prius respiciunt in Ioanne, quam id, quod mordeant. Cum à bonis, non inspicienda sint, nisi ea, quæ faciunt ad commendationem, fol. 411.

Dom. 4. Aduentus.

Luc. 1. *Procurante Pontio Pilato, &c.* Pilatus, Herodes, Anna, & Caypha ineptissimi omniū in principatu ostenduntur. Nō miror, de solo enim Deo venit, quo inepti in capite non sint, cap. 23. par. 5.

Factum est verbum Domini super Ioannem, &c. Tot principibus, & potentibus prætermissis, ad Ioannem venit verbum Dei. Cur non magis ad Tiberium, ad Pilatum, ad Herodē, ad Caypham clarissimos Principes? Equidem veritas non à magnis, sed à parvis mundi claret, cap. 29. par. 3.

Item: *Factū est Verbum Domini super Ioānem*, Dimissis dictis principibus ad vnum Ioannem fit Verbum Dei. Nec eo, quod ad vnum Ioannem tendat Deus, cæteros perditioni relinquit. Vnius enim Dei est, sic ad vnum ire, vt & cæteros curet, cap. 30. par. 3.

Venit in omnem regionem Iordanis. Non

in ciuitatum frequentias venit, sed in secessum Iordanis. Virtutis enim congressus nil sibi timet à latebris, cap. 3. par. 16.

Item: *Venit in omnem regionem Iordanis, &c.* Prius in regione Iordanis prædicauit baptismum Pœnitentiæ; postmodum prædicaturus Ierosolymis cõtra Herodis adulteria. Quia ad magna discrimina non eundum nisi post aliqua deuicta minora, cap. 23. par. 17.

Ad Quadragesimam.

Fer. 4. Cinerum.

Memento homo, &c. Mors in primis speranda, 19. & 139. Originis terrenæ meditatio tutatur hominem, 216. Auspicata est, 283.

Matth. 16. *Nolite fieri sicut hypocritæ.* Hypocrisis, vt solet reuirescere ad pœnam, cap. 58. par. 1.

Hypocritæ tristes. Tristitiæ malum omnium acerbissimum, quo castigantur hypocritæ, 259.

Exterminant enim facies suas. Diabolus suos per multas tribulationes ad vltimam deducit, 253.

Tu autem cum ieiunas, unge caput. Virtutes qui occultat, in se Christum ostendit, fol. 215.

Fer. 5. Ciner.

Matth. 8. *Accessit ad eum Centurio.* Vide de hoc, cap. 27. par. 15.

Domine non sum dignus, &c. Vide, cap. 29. par 4. Et fol. 402.

Puer meus iacet in domo paraliticus. De quo vide, fol. 241.

Homo sum sub potestate constitutus. Vide fol. 179.

Non inueni tantam fidem. Vide, fol. 249.

Fer. 6. Ciner.

Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, &c.* Hostibus parcens cœlestis efficitur, & diuinus, fol. 220. Se de illis efficacius vindicat, 217. Auspicium habet regni, 232. 332. 356. De aduersarijs potestatibus triũphat, 272.

Item: Officia exhibita hosti magis tibi artabunt amicos, cap. 30. par. 1.

Officiosus in hostes officiosior credendus est in amicos, cap. 30. par. 2.

Sabbat. Ciner.

Mar. 6. *Vidit discipulos laborantes in remigando.* Vt à Iesu absentes erant in naui, sic eos labor opprimebat, & ventus erat contrarius. Iesu enim absentiam secuntur multa mala, 91.

Laborantes in remigando. Iusti viri ægre, & difficulter obtinent bona temporalia, fol. 24.

Circa quartam vigilium noctis venit ad eos. Inter remigandum, inter ipsos labores, illis Iesu leuamen acceleratur. Sic iusti medijs laboribus leuamen solent capere, fol. 200 & 204.

Venit ad eos. Propinquitas Iesu multa infert bona, fol. 11.

Putauerunt Phantasma esse. Cur Phantasma, & non potius Angelum, aut Deum? Extardita te auxilij, veniebat enim quarta vigilia noctis ad laborantes. Cum Dei sit tempus breuiare laborum, cap. 34. par. 8.

Dom. 1. Quadrag.

Matth. 4. *Cum ieiunasset, &c.* Pugnaturus cum diabolo ieiunare incipit. Ieiunium enim valet ad triumphos, fol. 147. Frugalitas cibi pene inexpugnabilis custos virtutum, 83.

Cum ieiunasset quadraginta diebus. Vide de hoc, cap. 34. par. 5.

Dic, vt lapides isti panes fiant. Habes de ijs verbis plura, fol. 116. 214. 227. Et cap. 34. par. 6.

Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, fol. 279.

Hæc omnia tibi dabo, si procidens, &c. Item de hoc habes, cap. 26. par. 25.
De hoc etiam euangelio habes, cap. 1. par. 1. Vsque ad vltimum.

Fer. 2. à Dom. 1.

Matth. 25. *Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Iudicium Dei memoratum maximè homines continet, fol. 180.

Sicut pastor separat oues. Omnes gentes ante tribunal Iesu positæ ouium instar videntur, nullus ibi leo, nulla aquila. Vbi enim apparet Iesus, omnes aliorum disparent triumphi, & gloriæ, fol. 140.

Oues quidem à dextris. Nullus in dextris hædus, nulla vulpes. In solo enim regno mundiali indigni, & inepti prævalent, fol. 51. & 52.

Esurijui, & dedistis, &c. Iesus vt patitur in suis, fol. 256.

Dedistis mihi manducare. Eleemosyna viam aperit fœlicitati, duricies miseriæ, fol. 301.

Fer. 3.

Fer. 3. à Dom. 1.

Matth. cap. 21. *Cum intrasset Iesu Ierosolymam commota est ciuitas, &c.* Regia Ierosolymorum ciuitas commouetur in ingressu Iesu, videns eum magni æstimari à populo. Semper enim mordentur magni videntes inferioris notæ hominem ad magnam æstimationem venire, cap. 32. par. 5.

Eiciebat omnes vendentes, &c. Ipse per se dignabatur eos eijcere, vt malum inde minueretur. Tolerabilius enim est malum, quod noscitur venire à Deo, cap. 28. par. 12.

Item: *Eiciebat omnes vendentes.* Qui venerat omnes ad Deum trahere; vendentes, & ementes eijcit à templo. Auaritia enim deploratissima omnium vitiorum est, fol. 258.

Fecistis illam spelunсam, &c. Iudiciariam potestatem aduersus hos exercens rationē reddit, quia nimirum prophanauerant Dei templum. Sacra enim iniuriata præsentissimum malum inferunt, fol. 321.

Fer. 4. à Dom. 1.

Matth. 12. *Generatio prava, & adultera, &c.* Reijcitur à Iesu generatio adultera; in regno enim eius nihil adulterinum præualet, fol. 51. & 52.

Volumus à te signum videre. Non petunt signum in sanandis hominibus, sed signum alicuius prodigij facti in aere. Semper enim potentes sæculi vtilia fastidiunt, & sola oculis placentia amant, fol. 45.

Nisi signum Ionæ. Signum Ionæ est Passionis Iesu signū. Iesus autem negatis alijs, dum hunc concedit, maiorem amorem suū ostendit. Maior enim amor ostenditur, dū quis pro alio patitur, quam dum illi multa exhibet, fol. 248.

Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Prædicante Iona statim Niniuitæ pœnitentiam egerunt, ne nos in illa facienda pigritemus, cap. 34. par. 3.

Venit à finibus terræ videre sapientiam Salomonis. Regina Saba non alios misit ad Salomonem, sed ipsa per se iuit. Sic nos proprijs nostris laboribus negotiemur salutem, fol. 8.

Fer. 5. à Dom. 1.

Matth. 15. *Mulier Chananæa clamabat dicens, &c.* De his verbis vide, fol. 240. 241. 299.

Miserere mei domine fili Dauid, filia mea male, &c. De his, fol. 466.

Filia mea male à dæmonio vexatur. Quæ matrem fœminam habebat, male vexabatur à Dæmonio; fœlicior si sub patre Deo esset. Qui enim sub patre Dei est, omnem aditum malis occludit, fol. 273.

Etiam domine, nam & catelli, &c. Salutis in negotio neque vilissimus, neque abiectissimus repellendus, fol. 305. Humilitas hominem apud Deum valere facit, fol. 424.

Fer. 6. à Dom. 1.

Ioann. 5. *Et qui prior descendisset, &c.* Vt Angelus erat, qui piscinam mouebat, sic tunc vnus sanabatur. Vbi autem Iesus, non ad vnum, sed ad plures se extendit salus, fol. 283.

Deinde expendendum illud: *Descendisset*, non enim sine sumptu, & labore expectanda sunt salutaria, cap. 34. par. 18.

Hunc cum vidisset Iesus iacentem, &c. Regius animus non potest non condolere in suorum malis si illa videat, cap. 34. par. 12.

Cognouisset, quia multum tempus haberet. Tempora infirmitatis cognouit Iesus, quot essent. Quælibet enim particula tribulationis illi in numero est, & pretio, cap. 28. par. 14.

Tolle grabatum tuum, & ambula. In virtutibus progrediendum, fol. 264.

Sabbath. à Dom. 1.

Matth. 17. Vide Dominicam, 2.

Dom. 2.

Matth. 17. *Duxit illos in montem excelsum, &c.* Tritas à Iesu vias, & si laboriosas facile subimus, fol. 145.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannē. Vnum extraneum Petrum, duos cognatos Ioannem, & Iacobum ad gloriam transfigurationis assumit. Æquum enim est, vt cognati, & propinqui participent tuam fœlicitatem, fol. 308.

Resplenduit facies eius sicut Sol. De Iesu Sponsa non semel dicitur in Canticis, quod sit *Pulchra, vt Luna.* In Iesu autem transfigurato nihil ostenditur Lunæ simile; sed Soli similis facies eius dicitur. Ostendebatur enim transfiguratione eius diuinitas, non humanitas. Huius enim solius est mutari, & in eodem non permare, fol. 156.

Apparuerunt Moyses, & Elias, &c. Non solum discipulos, sed & Moysem, & Eliam trahit in gloriæ communicationem. Bona enim Dei communicatione non minuuntur, fol. 173.

Moyses, & Elias. Diuersissimi erāt Moysi, & Eliæ mores. Ille mansuetissimus, hic

seuerissimus,& tamen ad eandem Iesu gloriam veniunt. Sic diuersarum studia virtutum mercedem habent apud Deum, fol. 506.

Faciamus hic tria tabernacula. Ex fauore accepto non torpet otio, sed ad opus se accingit. Sic Dei fauores faciunt nos venire in maiora opera, fol. 454.

Item: *Faciamus:* Operositas auspicata est ad cœlestem aulam occupandam, fol. 173.

Moysi vnum, & Eliæ vnum. Cum Iesu tabernaculum faciendum offert Moysi, & Eliæ. Cur non magis sibi? In eo quod Moysi, & Eliæ tabernaculum offert cum Iesu, & sibi acquirit. Sic quod tibi amas ex Deo obtinere, id proximis præsta, fol. 252

Item: *Faciamus tria tabernacula.* Qui in se Ecclesiam totius orbis fabricandam audierat, pusilli tabernaculi se fabricatorem ostendit. Sic sapiens minus in se potestatis ostendit, quam habet, fol. 417.

Fer. 2. à Dom. 2.

Ioann. 8. *Ego vado.* De laboribus passionis suæ locutus ait. Ego vado, quasi omnia illa tormenta in vno finirentur passu. Nec miror; mala enim in viro iusto durare non possunt, fol. 205.

Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Post Iesum in cœlum receptum, adhuc, Iudæi alium Messiam quærunt; inuidia enim nullis miraculis frangitur, pertinacissima est, fol. 214.

In peccato vestro moriemini. Pestilens animæ venenum est peccatum, cap. 34. par. 8. Peccatis implicatur homo ad mortem, fol. 216.

Quo ego vado, vos non potestis venire. Summa deplorati hominis miseria est, quod in salutem omnibus oblatam ipse nolit venire, cap. 30. par. 10.

Vos non potestis venire. Temporalis homo ægre, & difficulter ad Deum conuertitur, 192.

De deorsum estis. Terrenorum bonorum vsura solet homines in malum firmare, fol. 462.

Fer. 3. à Dom. 2.

Matth. 23. *Quæcunque dixerint, &c.* Nō quæ faciunt, sed quæ dicunt Pharisæi, iubentur attendi; non enim à Moyse, sed à Deo solo venit, quod dictis respondeant facta. fol. 290.

Alligant onera grauia, &c. Vnius Iesu auxilium sine onere, fol. 52.

Opera sua faciunt, vt videantur. Quam sit cauenda vana gloria, fol. 322. 323.

Omnes vos fratres estis. Fraternæ charitatis signum non adeo subest fallaciæ virtutis, fol. 33.

Fer. 4. à Dom. 2.

Matth. 20. *Filius hominis tradetur, &c.* De sua passione agit cum discipulis, & merito, quia meditatio dominicæ passionis, humanas passiones temperat, 445.

Sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram. Sinistra petitur, dum sedes regni ambitur. Ambitio enim honoris lethalis, 358.

Vnus ad dexteram. Duo erant fratres, sed dextera vni petitur; nec enim fratribus parcit ambitio, fol. 327.

Nescitis, quid petatis. Vnus horum Ioannes erat Iesu dilectus; quem tamen Iesu insciū vocat, docens quod etiam in amicis, & dilectis errores sunt castigandi, fol. 336.

Calicem quidem meum bibetis. Ioannes autem non bibit domini calicem, quia martyrium non passus est. Quomodo ego dicitur illum bibisse? Bibit in voto, & affectu; apud Deum autem, vel sola vota, & affectus pro effectibus munerantur, 361.

Fer. 5 à Dom. 2.

Luc. 16. *Induebatur purpura*, fol. 242. 377.

Luc. 16. *Induebatur purpura.* Hoc primum hominis deplorati indicium à vestibus purpureis, quando sordidæ vestes validissimæ sunt aduersus tenebrarum principes, cap. 30. par. 13.

Epulabatur quotidie. Conuiuia rarò non ominosa hominibus, fol. 237. De Gulæ malo, cap. 34. par. 6.

Vlceribus plenus. In Lazaro quot vlcera, tot salutis illices: nihil enim antiquius afflictione, vt trahat salutem, cap. 28. par. 13.

Portaretur ab Angelis. Circa hoc vide, fol. 93.

Refrigeret linguam meam. Vide, fol. 442.

Intingat extremum digiti, &c. Vide, fol. 448.

Fer. 6. à Dom. 2.

Matth. 21. *Plantauit vineam, & sepem, &c.* Vineæ plantatæ addit sepem, & turrim; semper enim beneficia diuina prima multis sequentibus confirmantur, fol. 69. & 4.

Loca-

Locauit eam. Non eam gratis donauit, ſed locauit pro certis redditibus, vt quo carius haberetur, eo magis ſeruaretur, fol. 347. 467.

Cum tempus fructuum appropinquaret ::: alium occiderunt, &c. Fructibus abundantes manus inijciunt in ſervos domini ſui. Culmen enim bonorum temporalium periculoſum eſt, fol. 123. Et raro ſine ſanguine, & puluere adminiſtrantur, fol. 388.

Nouiſſime autem miſit filium, &c. Beneficiorum continuatio feriſsimum animum deuincit, fol. 278.

Habebimus hæreditatem eius. Vt hæreditatem rapiant, occidunt vel filium Dei. Auaritia enim facinorum mater, fol. 206.

Auferetur à vobis regnum Dei. Auaris certius venit ſupplicium, fol. 252.

Sabbat. à Dom. 2.

Luc. 15. *Habuit duos filios, &c.* Parentes etiam in multis filijs ſteriles habentur, ſi filij nequam ſint, fol. 335.

Da mihi portionem ſubſtantiæ. Merito portionem, imò particulam ſubſtantiæ vocaret, quã ſine patre amat habere. Bona enim temporalia ſine Deo nihili, cum Deo magni æſtimanda ſunt, fol. 22.

Diſsipauit ſubſtantiam viuendo luxurioſè. Luxuria lethalis eſt fol. 357. Qui illa implicatur, mirum erit, ſi viuat, fol. 451.

Et abijt, & adhæſit vni ciuium, &c. Cur non magis ad patrem redidit? Adhuc erat in feruore laſciuiæ, quæ nullas virtutes non obliuiſcitur, fol. 452.

Vt paſceret porcos; id eſt, vt vitiorum gregem paſceret, nunquam enim luxuriam nõ alia ſcelera comitantur, fol. 149.

Surgam, & ibo, &c. Conatum magnum ſequitur effectus, fol. 250.

Dom. 3. Quad.

Luc. 11. *Erat Ieſus eijciens dæmonium.* Ieſus dæmonibus exitialis, fol. 114. Diabolus ab vno Ieſu vincitur, fol. 2.

Illud erat mutum. Et cæcus, & ſurdus, & mutus hic miſer cenſetur, & ideò propinquior ſaluti. Diabolus enim cum ſolus appetitur, ſine adiutorio ſenſuum facile vincitur, fol 5.

Et cum eieciſſet dæmonium. Non priùs cum muti lingua, ſed cum Dæmonio congreditur, Dei enim eſt difficiliora conari, fol. 210.

Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Sanitas muti rapit in admirationem turbas, quia conuerſio magni peccatoris efficaciſsima eſt ad trahendos alios, fol. 340.

Omne regnum diuiſum deſolabitur. Sic iniquorum diſcordię promouent regnum Dei, 350.

Fer. 2. à Dom. 3.

Luc. 4. *Fac & hic in patria tua.* Petunt fieri inter cognatos in patria, quæ fiebant apud extraneos. Debent enim propinqui, & cognati noſtram participare fœlicitatem, fol. 308.

Item: *Fac & hic in patria tua.* Iure ex Ieſu petuntur virtutes circa patriam. In primis enim debent nobis eſſe cognati, cap. 20. par. 7.

Nemo propheta acceptus eſt in patria. Imô nunquam non à fratribus pericula nobis excitantur, fol. 71.

Ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi ad Sarepta, &c. Famelicus Elias ad nullam cognatorum viduam miſſus eſt, ſed ad extraneam. Pauper enim citius deſpicitur à cognatis, fol. 240.

Fer. 3. à Dom. 3.

Matth. 18. *Si peccauit in te frater tuus, corripe, &c.* Peccato ſtatim aſſuenda eſt correctio, ne diu maneat. Diutina enim peccati permanentia hominem deploratum oſtendit, fol. 130.

Inter te & illum. Non enim ſunt vulgandi errores fratris, 319.

Dic Eccleſiæ. Pertinacis peccatum publicari mandat, in quo acerbiſsimum eſt ſupplicium, fol. 474.

Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Non ſtatim omnem iram effundit Deus in peccatores, cap. 34. par. 11.

Item: *Sit tibi tanquam ethnicus, &c.* His oſtenditur peccator, quam alienus à conſortio fidelium ſit. In quo conſortio fidelium magnum eſt aſylum peccatori, fol. 193.

Fer. 4. à Dom. 3.

Matth. 15. *Non lauant manus, &c.* Turpiſsimum eſt in magnis viris paruos errores non diſsimulare, fol. 247. Sanctitas malle ponitur incorporali mundicie. 452.

Item: *Non lauant manus.* Qui rem adeò parvam accuſant, clare oſtendunt, quã anxie inquirerẽt in Ieſu diſcipulis, quod mordarent. Et quidem iniquiſsimum eſt proximorum in actibus nævos quærere, fol. 350.

Quare & vos transgredimini, &c. Diſcipu-

lis oppoſita diſsimulans acerbiſsimè notat Phariſæorum errores, vt qui à malicia orirentur. Peccata enim malicioſe facta durius caſtiganda, 359.

Honora patrem, &c. Hic eſt Spiritus Dei, quod parentibus, & cognatis in primis conſulas, fol. 171. 62.

Munus quodcunque ex me tibi proderit. Sic docebant Phariſæi, vt parentibus munera debita ſibi præriperent. Nec miror, quod inde duces cæci dicantur; munera enim excæcant fol. 289.

Fer. 5. à Dom. 3.

Luc. 4. *Introiuit in domũ Simonis.* In Dei acceſſu ad aliquem opportunitas maximè ſpectanda eſt, non celeritas, fol. 393.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, &c. Infirmitas corporalis vtilis, 440. Iuſtis temporalia mala non moleſta, vt qui æterna ſpectent, cap. vlt. par. 6.

Rogauerunt illum pro ea. De Sanctorum patrocinio ſperet miſericordiam peccator, cap. 30. par 9.

Stans ſuper illam, &c. Id eſt, ſtans iuxta illam, in loco edito, vt videretur. Benefactoris enim conſpectus gratiſsimus, fol. 98.

Dimiſit eam febris. Vicinitas Ieſu copiam bonorum infert, fol. 11.

Fer. 6. à Dom. 3.

Ioann. 4. *Sedebat ſic ſupra fontem.* In ipſa fatigatione ſedebat, non feſtinans illam exuere. Temporalium enim affectus nimis præpoperus eſt, nec ſic affectus ſpiritualium, fol. 430.

Item: *Sedebat ſic, &c.* De hoc vide cap. 94 par. 1.

Da mihi bibere. Aquam à peccatrice emendicat, vt illa habeat vnde ſe protegat à peccatis. Eleemoſyna enim maximè protegit à malo, fol. 383.

Si ſcires donum Dei: tu forſitam petiſſes, &c. Noto enim, & accepto primo dono, ſtatim ſpem conciperet aliud accipiendi. Dona enim Dei prima ſpem ad aliam firmant, fol. 77.

Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons. Dei aquam accipiens, & totum fontem accipiet. Sic enim Dei minimum digne acceptum habet totum, fol. 33.

Da mihi hanc aquam. Vide, fol. 159.

Sabbath. à Dom. 3.

Ioann. 8. *Deprehenſa eſt in adulterio.* Peccatum rete eſt, quo homo prenditur, & implicatur ad mortem, fol. 216.

Huiuſmodi lapidare. Sapienter lex aduerſus adulteram pœnas decernit, non aduerſus matrimonium. In facinoribus enim perſonæ inſpiciendæ ſunt; non ſtatus, fol. 338.

Ieſus autem inclinans ſe deorſum. Inclinans ſe ab accuſatoribus mulieris oculos auertebat. Non enim Deum habent, qui in proximos miſericordiam non habent, 143.

Qui ſine peccato eſt, &c. Puniendæ fœminæ facultas datur illis, qui ſine peccato ſũt, vt ſic in ſuorum peccatorum memoriam veniant. Conſcientia enim proprij peccati facit hominem in alios miſericordem, cap. 29. par. 7.

Noli amplius peccare. Non ait: Noli amplius adulterare, ſed noli amplius peccare; quaſi laſciuiam, vniuerſa peccata comitentur, fol. 149.

Dom. 4. Quad.

Ioann. 6. *Sequebatur eum multitudo magna, &c.* Sic rapit ad ſe vniuerſos Ieſus; vnus enim eſt Deus, qui poſsit totum ſibi ſubijcere orbem, fol. 426.

Qui videbant ſigna, quæ faciebat. Quia Ieſu ſigna videbat, ſequebatur eum multitudo; multitudo enim non perſonam reſpicit, ſed merita, fol. 109.

Cum ſubleuaſſet Ieſus oculos, &c. Oculi miſericordiam effundant, fol. 225.

Vnde ememus panes, vt manducent? Bonus princeps ſatiandis ſuis inuigilet, fol. 146. & 353.

Accepit ergo Ieſus panes. Bona temporalia gratius in eius manibus ſunt, qui illa egentibus largitur, cap. 30. par. 18.

Diſtribuit diſcumbentibus. Diſcumbentibus indeſerto Dominus eſcas ſuas prouidit; quodlibet enim diſpendium, aut exilium tolerandum, pro cœleſti pane manducando, cap. 30. par. 14.

Fer. 2. à Dom. 4.

Ioann. 2. *Cum feciſſet quaſi flagellum, &c.* Vt vidit vendentes in templo, fecit flagellum, & meritò, flagellum enim adiunctum culpæ ſalutare, cap. 28. par. 6.

Omnes eiecit de templo. Decorum eſt ſemper principi caſtigare nocentes, fol. 472.

Menſas ſubuertit. Non ſolùm æs male acquiſitum effudit, ſed & menſas ſubuertit, vt oſtendat quam ſunt occaſiones peccandi

fugiendæ, 348.

Nummulariorum effudit æs. Acriorin nũmuliarios exſtitit, tanquam in hoſtes apertiores: Quia diuitijs impugnatur Deus, fol. 123.

Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Templi religionem curauit, quia religio fundat regna, 21. Eſt regi auſpicata, 68. 140.

Fer. 3. à Dom. 4.

Ioann. 7. *Aſcendit in templum, & docebat.* Doctrina, non ferrum facit Ieſum victorem, fol. 433. Sapientis verba fructifera, 222.

Mea doctrina non eſt mea. Si Dei filius es, quomodo dicis doctrinam non eſſe tuam? Equidem inde in eo Deus eſſe noſcitur, quia nihil ſuum in factis agnoſcit, fol. 72.

Item: *Mea doctrina non eſt mea.* Admirationem doctrinæ ſuæ factam Iudæis ſic tẽperans fatetur doctrinam non eſſe ſuam; quo eius ſapientia, & fortitudo magis creſcit, vt pote, quæ in humilitate fundata ſit. Semper enim ſapientia ab humilitate, cap. 53. par. 4.

Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, &c. Non miror, quod obediens diuinæ voluntati, in cognitionem veræ doctrinæ veniat. Obedientia enim eſt omnis virtutis, & ſanctitatis index, fol. 185.

Fer. 4. à Dom. 4.

Ioann. 9. *Vt manifeſtentur opera Dei.* Cæcitas permiſſa eſt in homine iſto, non pro ſcelerum pœna, ſed pro gloria Dei manifeſtanda. Sic Deus ſuis immittit preſſuras, quæ vtiles ſint, fol. 284.

Expuit in terram, & fecit lutum. Ipſe ad terram ſe inclinat, & facit lutum, quo hominem illuminet. Solus enim Ieſus eſt, qui amat deſcendere ad humilia ſubditorum, fol. 381.

Fecit lutum. Vt lutum in principio dedit, quo homo fieret, ſic modo Deus, vt hominem reficiat, cõfugit ad lutum. Quod enim ſemel ſalutare fuit, ad id ſemper recurrendum, fol. 167.

Liniuit ſuper oculos eius. Lutum ſuperoculos poſuit, terrenæ enim originis meditatio valde ſalutaris eſt homini, fol. 216.

Abijt ergo, & lauit, &c. Non detrectat imperium, ſed obediens abijt, & lauit, & viſum recepit. Obedientia enim, vel adauget promiſsiõnes diuinas, fol. 61.

Abijt ergo, & lauit, & venit videns. Præter natiuam cæcitatem, aliud etiam videndi impedimentum receperat nimirum lutum ſuperoculos. Vbi autem maiora impedimenta receperat, nilominus ad fontem contendit, & recepit lucem. Promiſſa enim diuina magis implentur, vbi maiores ſunt obices, fol. 268.

Fer. 5. à Dom. 4.

Luc. 7. *Efferebatur defunctus filius vnicus matri ſuæ.* Habebat hoc commune cum Ieſu defunctus iſte, quod eſſet filius vnicus matri ſuæ. Quidquid autem Ieſu in nobis eſt, auſpicatum eſt nobis, fol. 140.

Filius vnicus matri ſuæ. Vt defunctus hic ſimilis erat Ieſu defuncto, in eo quod eſſet filius vnicus matri ſuæ, ſic eius traxit gratiam. Laborum ſimilitudo gratiam conciliat, fol. 456.

Noli flere. Flebat mater, & fletu traxit Ieſum ad miſericordiam, & filium deduxit ad vitam. Lachrymæ enim piæ feſtinatiſsime nos in ſalutem deducunt, fol. 154.

Adoleſcens tibi dico: Surge. Adoleſcentiam defuncti meminit, vt illum ad vitam vocet. Inuenilis enim feruor in virtute ſeruatus maximè conducit ad ſalutem, fol. 303.

Dedit illum matri ſuæ. Fœlix adoleſcens, qui Mariæ matri datur; illa eſt perfectiſsima hominum cuſtos, fol. 371.

Fer. 6. à Dom. 4.

Ioann. 11. *Miſerunt ergo ſorores eius ad Ieſum.* Non ab alio, quam à Ieſu quærunt auxilium. Semper enim Dei auxilium in primis quærendum, 157.

Manſit in eodem loco duobus diebus. Audit amicum lethaliter infirmum, & non feſtinat eum liberare, ſed adhuc manet, & moratur duobus diebus. Nec miror, vt ſciebat cito totum illud malum tollendum, ſic eius grauitatem contemnit. Contemnendum enim eſt malum, cito reparandum, fol. 444.

Vt à ſomno excitem eum. Mors ſomnus eſt, vbi eſt reſurrectio in vitam, fol. 92.

Inuenit eum quatuor dies in monumento habentem. Non immerito dicitur Lazarus in monumento habuiſſe quatuor dies; vt enim in monumento exiſtens ab omni peccati opere vacabat, ſic dicitur ibi dies habuiſſe,

buiesse. Illos enim credimus habere dies, quibus sine peccato fumus, cap. vlt. par. 2.

Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Absentia viri iusti detrimentosa est, cap. 34. par. 7.

Vt vidit eam plorantem. De hoc vide fol. 297. 314. 317. 348. & cap. 27. par. 16.

Tollite lapidem. Vide cap. 32. par. 2. & cap. 34. par. 8.

Ligatis pedes, & manus. Vide, fol 348.

Sabbath. à Dom. 4.

Ioann. 8. *Ego sum lux mundi.* Est Iesus mundi lux, qua nobis veri efficiuntur dies, cap. vlt. par. 1.

Habebit lumen vitæ. Vita non nisi à Deo & Christo eius, cap. 32. par. 4.

Testimonium tuum non est verum. Quia ipsi in testimonijs mendaces, sic mendacem credunt Iesum. Semper enim proximorum mores ex nostris taxamus, fol. 373.

Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico, &c. Sapienter ostendit suam deitatem ex eo, qui non secundum carnem judicat. Qui enim non secundum carnem, sed rectum iudicium facit, proximus diuinitati est, fol. 434.

Dom. 5. Quadrag.

Ioann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vtinam singuli homines de se crebro inquirerent, si possint de aliquo argui peccato. Examen enim hoc crebrum maximè ad salutem conduceret, fol. 139.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Verbo Diuino, qui mouetur ad salutem pertinet, 476.

Si veritatem dico, &c. Veritas in solo Deo est, & Christo eius, fol. 256.

Samaritanus es. Verba contumeliosa vehementissima sunt ad perdendum, fol. 56. cap. 28. par. 7. & nec in hostes iactanda, fol. 246.

Honorifico patrem meum. Vt totus erat spectans patrem, sic nullis contumelijs frangitur. Magna enim & inuincibilis est fortitudo ei, qui inuisibilibus intentus est, fol. 84.

Dæmonium non habeo. Verborum modestia dignitatem oleo, 260.

Fer. 2. à Dom. 5.

Ioann. 7. *Miserunt Principes & Pharisæi ministros, &c.* Contra Iesum ministri principum veniunt, facile enim rapitur subditus ad facinora sui principis, cap. 31. parag. 6.

Vado ad eum, &c. De crucis morte locutus, quasi de abitione quadam dicit:

Vado; nec miror, quod enim voluntarie accipitur, non parum leuaminis infert, cap. 34. par. 5.

Vbi sum ego vos non potestis venire. Non possunt pessimi Iudæi ire ad Iesum in cruce existentem. Non enim parua est gloria illius, qui à Iesu in consortium passionis admittitur, cap. 33. par. 5.

Nunquid in dispersionem gentium abiturus est? Iam norderi incipiunt Iudæi gentium æmulatione, qui affectus durissimus hominis est, fol. 120.

Fer. 3. à Dom. 5.

Ioann. 7. *Ambulabat Iesus in Galilæam, &c.* Videns Iudæos sibi infensos vsque ad mortem secessit Iesus in Galilæam, vt doceret, quam sint præcauenda pericula, fol. 89.

Non enim volebat ambulare in Iudæam, &c. Qui inter lapidantes securus non semel procedebat; cur detrectat in Iudæam ambulare? Nonne, & ibi inter Iudæos furentes posset, si velles, securus agere? Posset equidem, sed illa est salus præstantior, quæ nec sensum periculi capit, fol. 218.

Dixerunt ad eum fratres, &c. Vel à fratribus pericula scaturiunt, fol. 71.

Tempus meum nondum aduenit. Fratrum persuasionibus non festinat dominus, sed temporis opportunitatem expectat. Quærenda semper est in Dei accessu opportunitas, non necessitas, fol. 393.

Non potest mundus odisse vos. Me autem odit. Qui veritatem claram dicebat, non poterat non esse odio mundo, apud quem mendaces prævalent, fol. 169.

Fer. 4. à Dom. 5.

Ioann. 10. *Facta sunt Encænia Ierosolymis.* Festum Encæniorum festum renouationis templi est; quo docemur, vt renouari debeamus. Non enim est veteraseendum in virtute, fol. 26. Et iuuenilis feruor seruandus ad salutem, fol. 303.

Item: *Facta sunt Encænia*: hoc festum indicabat, vt post vastationem templum antiquum renouatum fuit, non novum aliud factum.

factum. Sic sunt vetera renouanda, non semper noua quærenda, fol. 386.

Ambulabat Iesus in templo. Non sedebat in templo, sed ambulabat, sedes enim Dei charior anima iusti est, in qua mavult esse, quam in templo, fol. 413. 432.

Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, &c. Opera multa virtutum suspitionem de proximo tollunt, fol. 294.

Item: *Opera, quæ ego facio in nomine patris mei.* In se ostendit & nomen, & opera patris. Nomen enim sine operibus sordet, fol. 248.

In nomine patris mei. Non poterat non Deus esse pater Iesu, cuius innomine tanta operabantur. Nomine enim solo triumphare, diuinitatis est, 394.

Fer. 5. à Dom. 5.

Luc. 7. *Quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus, &c.* Peccatrix mulier ad Iesum confugit, & gratum accessum inuenit. Qui flagello facto, Ioan. 1 Ementes, & vendentes proijciebat. Et cur qui ementes proijcit flagello, mulierem admittit peccatricem? Ait Euang. *Erat in ciuitate peccatrix:* Illi peccabant in templo, in Dei domo, hæc non in templo, sed in ciuitate, ideo misericordiam inuenit, illi supplicium. Quia sacra iniuriata præsentissimum malum inferre solent, fol. 321. Et nũquam non detrimentosum vim sacris inferre, 266. Quorum contemptus mulctatur sterilitate, 195.

Vt cognouit, &c. Vt cognouit, statim pergit. Celeritas in virtute, 324. Et in pœnitentia cauenda tarditas, cap. 34. par. 3.

Attulit alabastrum vnguenti, &c. Vnguẽta quæ olim lasciuiæ dabat, nunc Iesu affert. Sic spiritualibus dandum, quod dedisti teraenis, fol. 414.

Et stans retro, &c. Ad pedes Iesu, vel retro Iesu pedes stabat; humilitas enim rogantis nihil non ẽxtorquet, cap. 30. par. 11.

Lachrymis capit, &c. Lachrymis, & capillis, & osculis, & manibus obsequium præstabat. Non in vna virtute, sed in omnibus se iam ostendebat Christianam. Virtus enim Christi illa est, quam omnes comitantur, cap. 33. par. 1.

Fer. 6. à Dom. 5.

Ioann. 11. *Collegerunt pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum.* Et cur aduersus Iesum? Illi aiunt: *Multa signa facit.* Propter accepta beneficia in benefactorem insurgunt, quod non potest non esse illis detrimentosum, fol. 443.

Si dimittimus eum sic: Venient Romani, &c. O quam infirma hæc status ratio, quæ damnum immerenti infert ob propria commoda, fol. 151.

Nescitis quicquam. Merito illos ignorantes vocat, qui sic timebant mala temporalia. Nunquam enim mali temporalis sensus non iungitur ignorantiæ, fol. 113. 313.

Item: *Vos nescitis quicquam:* Potentium ignorantia propriissima, fol. 277. Et est supina regulariter. Ibidem.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat. Proponit bonum virtuosum, & commune, nimirum populi salutem. Quia virtutis prætextus efficacissimus est ad persuadendum, 350.

Iesus moriturus erat pro gente. Vnius Iesus est vtilitatem propriam postponere proximorum saluti, 405.

Sabbath. à Dom 5.

Ioann. 11. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Non solus Iesus appetebatur ad mortem, sed & Lazarus simul. Quod Lazaro glorioſum erat, in consortium passionis à Iesu assumi, cap. 33. par. 5.

Cogitauerunt Principes, &c. Illi ipsi qui defunctum Lazarum plorauerunt, modo illum cogitant interficere. Non enim fidẽdum est impiorum amicitiæ, 442.

Multi propter illum abibant, & credebant in Iesum. Lazarus rediuivus vehementius stabat pro Iesu, & ad illum trahebat multos. Beneficia enim ab aliquo accepta nos in eius defensionem accendunt, fol. 77.

Acceperunt ramos palmarum. Notanter dicit modo ramos palmarum, hoc est, frusta palmarum accepta. Apocal. autem 7. de ijs, qui coram Agno stabant, dicit:

Et palmæ in manibus eorum; non rami, non frusta, sed integræ palmæ erant in manibus. Quia post Iesum passum splendidiores, & plures sunt victoriæ, cap. 32. par. 13.

Clamabant: O Sanna, &c. Cum patentissima essent odia Principum in Iesum, non dubitat turba eius clamare laudes. Nec miror, laudes enim Dei maximè hominem tutantur, fol. 137.

Dom.

Dom. in Ramis.

Matth. 21. *Inuenietis asinam alligatam, &c.* Nobilis rex intraturus Ierosolymam inter furentes hostes, non currus, non equos assummit, sed asignum more pauperis. Vt doceamur paupertatem voluntariã validissimam esse aduersus hostes animi, fol. 177.

Ecce rex tuus venit mansuetus, sedens super asinam. Non immerito ait: *Ecce rex tuus venit mansuetus.* Mansuetudo enim principis debet esse conspicua, fol. 365. Deus non in gladio, 166.

Sedens super asinam. Vt in natiuitate Iesu asinus illi adstitit, sic in triumpho Ierosolymitani. Solet enim retineri virtus, quæ à primis vagiculis placuit, 421.

Ecce rex tuus. Non ait: Ecce Deus tuus, sed ecce rex; quia Deus à mortalibus contemnitur præ regibus, fol. 190.

& Sanna filio Dauid. In asino sedens facit se à populo pro clamari filium Dauid, vel frementibus principibus Ierosolymitanis. Dei enim est etiam in abiectione præualere potentissimis, fol. 155.

Strauerunt super eos vestimenta. Pauperibus vestibus ornant discipuli iumentum, quo Iesus sedeat. Crede mihi, non dignitas sedis, coronat hominem, sed morum merita, fol. 128.

Fer. 2. à Dom. in Ramis.

Matth. 12. *Maria ergo accepit libram, &c.* Iam non mulier peccatrix, sed Maria dicitur. Error enim pristinus non memoratur in eo, qui ad gratiam venit, cap. 30. par. 8.

Accepit libram vnguenti nardi, pistici, pretiosi. Deo pretiosiora, & perfectiona offerenda, cap. 33. par. 13.

Vnxit pedes Iesu, &c. Non semel, sed semel & iterum vnguentum effudit ad pedes Iesu. Sic & nos pertinacissimi simus in obsequijs honestis præstandis, fol. 181.

Quare hoc vnguentum non venijt trecentis? Qui omnia reliquerat, vt Iesum sequeretur, male hæret modo in trecentis denarijs. Cauendum enim est, quod minimis implicetur, qui vicit magna, fol. 210.

Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Obsequium præstitum defendit Iesus, quia ad honorem sepulturæ eius pertinebat. Et merito honor defenditur exhibitus defuncto, inibi enim præstantissima misericordia est, fol. 330. Et habet retributionem præsentaneam. Ibidem.

Fer. 3. à Dom. in Ram.

Luc. 22. *Egressus foras Petrus fleuit amare.* Post notum peccatum statim curris ad lachrymas; lachrymis enim interna malicia purgatur, fol. 231. Et lachrymæ festinatissime nos in bonum deducunt, 154.

Egressus foras Petrus fleuit. Non loquitur, sed flet. Lachrymæ enim verbis efficaciores sunt ad exprimendum internum animum, fol. 309.

Egressus foras Petrus fleuit. Non solum flet, sed foras egreditur. Illæ enim sunt veræ lachrymæ, quæ & operibus tollunt occasiones illarum, 316.

Fleuit amare. Et merito, quia lachrymæ pro amato amorem ad maiora adaugent, 364.

Fer. 5. in Cænam Dom.

Ioann. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem.* Et simul mortis horam meminit, & patrem Deum. Stultissimi enim in hora mortis nihil supra hominem meditantur, 362.

Cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Merito finalem Charitatem Iesu erga discipulos componit, cum ea, quam ab initio habuit. Charitas enim vera in primo exortu est iam magna, fol. 104.

Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas. Iudas ostenditur mortis Iesu procuratur, vt inde glorioſior illa esset. Illustrior enim est mors, quæ infertur ab ijs, qui officia plura, & obsequia debebant, 460.

Sciens, quia à Deo exiuit, &c. Diuinum originem tunc meminit, cum ingens redemptionis humanę opus aggreditur. Naliũm enim præsumptio sine operibus lethalis est, 99.

Ponit vestimenta sua. Nuditas gloriosa principi ob ornandos subditos, fol. 105.

Cepit lauare pedes discipulorum, &c. Loturus hominum animas sanguine suo,

lauat

lauat discipulorum pedes aqua. Parua enim qui præstat, fidem sibi ad magna præstanda conciliat, fol. 344.

Fer. 6. in Parasceue.

Ad Passionem domini habes: vt crucifixi imago omnia mala fugat, fol. 17. Crux Christi validissima aduersus hostes, 384. Humilitatem facit prævalere, 410. Passionis Christi meditatio nostras passiones temperat, 445.

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri, meoque parenti Ignatio.

BIBLIOTECA PROVINC. SORIA





Stant.le Tor.
Est. 23

BÀEZA
Chriſto
Figurato
.4.

A-2219
520